
R

C VIII. 337


ÆTERNVM VERNAT
IHS
PARADOXA
MORALIA
DE ORNATV
MVLIERVM
ALBERTI
DE ALBERTIS
E SOCIESV

PARADOXA MORALIA DE ORNATV MVLIERVM

Communia, & explorata,

AB ALBERTO DE ALBERTIS

TRIDENTINO, E SOCIETATE IESV,

In Mediolanenſi Collegio Sacrarum Literarum Profeſſore;

Pro Confeſſarijs, & Concionatoribus præcipuè elucubrata.

AD MARIAM ANNAM AVSTRIACAM

AVGVSTISSIMAM, ET POTENTISSIMAM HISPANIENSIS MONARCHIÆ

REGINAM.

MEDIOLANI, ANNO CIↃ IↃC L.

Formis Ludouici Montiæ,
Sumptibus autem Franciſci Mognagæ.

MARIÆ ANNÆ AVSTRIACÆ,

AVGVSTISSIMÆ, ET POTENTISSIMÆ HISPANIENSIS MONARCHIÆ VTRIVSQVE ORBIS, MAXIMARVM PROVINCIARVM, ET INSVBRVM

REGINÆ,

AC DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ.

DVM hæc mea de ornatu mulierum Paradoxa moralia, AVGVSTISSIMA REGINA, TIBI venerabundus porrigo, facile diſpicio, quàm nouo, ridendoq; paradoxo eadem iſta Paradoxa cumulare videar, quòd tantillus homo, ignotus prorſus, nulliuſq; auctor nominis, MAIESTATI Tuæ, tam ſublimi, ac tantæ hæc nuncupare minimè dubito, ideoq; à pleriſque non leuiter etiam arguar. At contra ego omnino exiſtimo, huiſmodi Paradoxa adeo Tibi deberi, & Tua eſſe, ſuaque ſponte ad Te præpetibus conuolare alis, vt paradoxum potius multo magis præpoſterum, inſolenſq; niſi hæc Tibi deuoueam, iure optimo cenſeam. Quum enim ex vniuerſo feminarum mundo, cultuq; nihil magis alie- I.

næ pudicitiæ, quàm purpuriſſum, & fucati medicamenta candoris, vt Sanctus Chryſoſtomus animaduertit, & cotidiana experimenta teſtantur, incommodet, atque inſidietur; Tu ſane Reginam non cæterorum dumtaxat, ſed multo etiam excelſius Tuimet Te Ipſam præſtans, atque oſtendens, id genus vnguentis fuciſq; omnibus Tuo Vultui, virili planè, atque Imperatoria Fortitudine interdixiſti; quamq; inſaniam aliæ mulieres penè innumeræ, rubrica, pigmentiſq; illitæ, formam mentientes, inſaniunt maximè, Tu ſapientiſſimè iuxta, & ſeueriſſimè procul arces; eaque ſpecie ac venuſtate omnino Regia, qua diuinitus Tibi largita feliciter potiris, abunde contenta, & læta, oris vultuſq; ceruſſata iſta adulteria, quæ ſancti Patres tantopere deteſtantur, longè validiore exempli, quàm vocis, eloquentia damnas, cunctiſq; ſontibus indeſinenter exprobras. Unde ego Vultum Tuæ MAIESTATIS, REGINA SPECIOSISSIMA, ſine vllo aſſentationis periculo, nullaque Religioſi officij fraude, documentum honeſtatis, inſigne modeſtiæ, cenſuram pudoris, quæ alijs adhibitæ rubricæ ruborem meritò incutiat, & ſecurè pronuntio, & iure prædico. Sed Tu etiam hinc de ſubito agnoſcis, quàm properanter hæc mea Paradoxa, quibus ego pudicitiæ ſummo ſtudio conſultum eo, Tibi, quæ pudicitiam, & pudorem Regio ſancis exemplo, deferre, atque in clientelam commendare, neceſſe habeam.

Hom. 8. in 1. Timot. 2.

II. *Neque verò facie Tua dumtaxat de pudore, ſed Tuo etiam Regio pectore egregiè mereris. Nam praua feminei pectoris nudandi corruptela, quæ paucis ante annis in hanc etiam Mediolani Urbem irrepſit, nonnullaſq; corripuit, etſi & municipali lege proſcripta, & Patrum ſcitis euerberata, & ſanctionibus S. Caroli ſpeciatim vetita, magnis Concionatorum clamoribus continenter pulſabatur, ſingulariq; ſtudio, & contentione Eminentiſſimi Cardinalis Montij Archiepiſcopi coercebatur; adhuc tamen ſerpebat, fœdeq; graſſabatur; quum ecce Tu MODESTISSIMA REGINA, pectore probè tecto Tuam hanc Urbem ingreſſa, laboranti honeſtati ſuppetias tempeſtiuè adueniſti. Quanquam enim neque dum operæ pretium arbitraris, reliquas ſecus incedentes pro imperio ad pectus operiendum compellere*

pellere

pellere (compulſura tamen deinde præciſè ſine dubio, vt probi omnes de eximia Tua virtute ſibi certò pollicentur, quàm primùm expedire iudicaueris) nihilominùs apertè præ Te tuliſti, pergratum Tibi fore, vt cæteræ omnes honeſtæ feminæ, nobiles præſertim, Tuum ſequantur exemplum, nominatimq; negotium dediſti in hac eadem Urbe tum Excellentiſsimo Duci de Macueda, tum Confeſſario Tuo, P. Euerrardo Nidhardo e Societate Ieſu, vt edicerent, diuulgarentq;, a Tua Maieſtate maximè probari, expetiq;, vt cunctæ Tua inſiſtentes veſtigia, non ſolùm vbera, ſed pectus etiam penitùs contegant. Qua ſanè denuntiatione ſicut Potentiſsimum Hiſpaniarum Regem, PHILIPPUM IU. Sponſum Tuum, a quo nulla prorſus, quæ nudum pectus oſtendat, ſua in aula, vt idem Dux de Macueda fidem locupletem fecit, toleratur, præclarè admodum vel præuertiſti, vel certè es æmulata; ita domeſticum Tuum Gyneceum omne ad normam Regiæ Tuæ Honeſtatis pulcherrimè compoſuiſti; reliquas autem immodeſtè cultas, Tuiq; longè diſsimiles, vtcunque verbis peperceris, ac tacita diſsimulaueris, tanto nihilominùs pudore affeciſti, vt permultæ tandem erubuerint à Tuæ modeſtiæ præſcripto diutius aberrare, licentiæq; indulgere: quin Regali Tuo exemplo cunctas etiam, quæ dum gratiam captant ex nudo pectore, in petulantiæ luto adhuc hærent, adeo elatè, exerteq; percellis, carpis, traducis, omniumq;, qui verè ſapiunt, ludibrijs, ac ſannis obiectas, vt longè plus momenti ad hanc contagionem comprimendam Tu ſola faciendo, quàm cæteri dicendo, attuleris; neque vllus dubito, quin eam vel nutu Tuo multo efficaciùs, quàm meus hic codex, aut quicunque alius calami conatus, ſis penitùs extinctura.

Quo circa, dum totum Mediolanum, Tuarum Urbium ampliſsima, nobiliſsima, ac fideliſsima Aduentum Tuum Regio paratu, pompaq;, tum liberaliſsima etiam munificentia excipit, feſtiſq; acclamationibus Tui vbiq; perſonat; nec non Collegium noſtrum Braydenſe gratulabundum, ouanſque gaudio, Auſtriacis Cæſaribus, P. Hortenſio Pallauicino præcone, adornatis, Tibi, quàm poteſt maxima, & ſecundiſsima admurmuratione, adſtrepit; non potes me profectò, REGINA III.

CLE-

CLEMENTISSIMA, iure prohibere, quin inter cæteros plaudentes quum ciues omnes, tum collegas meos ego quoque exultabundus exclamem: Io triumphe: MARIA ANNA, ASYLUM PUDICITIÆ, DECUS HONESTATIS, PUDORIS PRÆSIDIUM, ſoſpes, & felix æternùm viue. Qua vna acclamatione adeo Regia, adeo palmari, adeo Tibi debita auſim ego reliquos cunctos conclamantes ad certamen de exuperantia laceſſere, neque ambigo, quin victoria facilè penes me futura ſit. Ex omnibus quippe Cæſaribus Auſtriacis, quos Regali Tuo in cenſu numeras, nemo Tui laudem gloriamq; luculentiorem poteſt exprimere, quàm, quòd pudoris, modeſtiæ, pudicitiæ, atque honeſtatis honeſtamentum ſis, tutamen, & propugnaculum: nullus arcus magis triumphalis Tibi dicari, quàm, quòd continentiæ, moderationis, & caſtimoniæ exemplum, normam, arcemq; Te præbes, ac prodis. Nam quicquid ſplendoris, atque eminentiæ e Tuis CÆSARIBUS in Te deriuas, id totum Tibi illi nempe largiuntur, & Tu aliunde accipis. At pudicitiæ, continentiæ, ac honeſtatis prærogatiua Tuo e pectore emicat, tota Tua eſt, a te ſata, a Te orta, a Te culta, & conſeruata.

IV. *Quum autem Pudicitiam Tuam appello, atq; in cælum tollo, nimirum & reliquarum Virtutum tuarum, ſine quibus ea nequit conſiſtere, confertum agmen, & comitatum non obſcurè deſigno, Tuamque diuini cultus Religionem, Pietatem, precandi Numinis ſtudium, Sacramentorum frequentiam, Temperantiam, Benignitatem, Clementiam, Liberalitatem, cæteraſque Tuas Dotes, Regales planè, atque Auguſtiſsimas ſummis laudibus effero. Tu quippe cunctos Mundi huius flores, velut ab ipſomet ortu paulò poſt marceſcentes, breuiq; morituros prudenter contemnens, Sanctiſsimum IESV Nomen, quod inter occidua ornamenta, nunquam occidit, ſed perpetuò vernat, ceu æternitatis lilium eximiè legiſti, Tuoque Pectori medullitus inſculpſiſti. Tu, Lunæ inſtar, quæ vbi Soli proxima, lucis omnis expers nobis videtur, tum maxime ſupernè ſplendet; vniuerſam Tuæ fortunæ externam iſtam pompam tanto interiorum Tuarum virtutum lumine*

vincis,

vincis, vt ea ferè obſcura præ his cenſeatur; hæ verò, quæ in mortales oculos non incurrunt, longè pulchriùs in Tui Animi penetrali intrinſecus clareſcant. Tu arcanæ, ac diuinæ ſapientiæ effata adeo prima habes, cunctiſq; hominum ſcitis præfers, vt ſicut eliotropium Solis veſtigia fideli inſiſtens obſequio, inter flores Sol euadit; haud ſecus cæleſtem afflatum, ductumq; gratiarum ſic affectaris, vt feliciter etiam conſequaris: atque ita, quod ego triplici inſigni in ipſa Paradoxorum fronte deſigno, Tu, dum affatim imples, ſimul etiam luculenter explicas. Quare, quum mea hæc Paradoxa hinc laſciuiam, luxumq; tanto niſu caſtigent, illinc pudicitiam, modeſtiamq; tueantur; ac proinde ingenti inuidiæ, inſectationiq; oſorum honeſtatis, patronorumq; licentiæ expoſita ſint; coguntur omnino in Tuum iſtud eiuſdem pudicitiæ præſidium, arcem, & propugnaculum, tanquam in portum omnis immunem periculi, confugere, quò videlicet, quæ ipſa ſolis verbis ſuadent, Tu exemplis multo robuſtiùs perſuadeas.

Verùm alio inſuper nomine iſta ipſa Paradoxa TUÆ MAIESTATI planè obſtricta iam eſſe, diffiteri equidem non poſſum. Quum enim FERDINANDO III. IMPERATORI PARENTI TUO AUGUSTISSIMO, tanquam CATHOLICÆ FIDEI, ET RELIGIONUM FORTISSIMO UINDICI, duos ego libros meos, Lydium *nimirum* lapidem, *&* Vindicias generales Societatis Ieſu, *eidem Catholicæ Fidei, ac Religioſis Ordinibus patrocinantes inſcripſerim, ac dedicarim, quos CÆSAREA IPSA MAIESTAS Benignitate planè Auſtriaca, hoc eſt, humaniſsima, & ſumma excepit; quo pacto hæc mea Paradoxa, puras putas pudicitiæ, atque honeſtatis vindicias TIBI, Tanti IMPERATORIS FILIÆ GLORIOSISSIMÆ, PUDICITIÆQUE, AC HONESTATIS UINDICI INUICTISSIMÆ iamdudum oppignerata non reputem; ac proinde niſi ea Tibi nuncupem, in Te iniurioſus meritò iudicer?* V.

Quanto minùs verò ego de facie, ac de nomine Tibi notus ſum, tanto magis Tu innoteſcis omnibus, pertinetq; ad Tuæ magnitudinem VI.

nem

nem amplitudininis, Te a nemine ignorari. Alienigenas gentes Tui Nominis ſplendore, ac fama ſuis e ſedibus excitaſti; concurſus ingentes populorum ad Te viſendam feciſti, notos, atque ignotos ad Tuam Maieſtatem ſuſpiciendam, venerandamq; traxiſti. Unde mirari iure non potes, ſi ego incognitus Tibi, Maieſtati Tuæ hæc Paradoxa offero, quum hoc ipſo Tuam Gloriam tam amplam, lateq; peruagatam teſtificer, vt ad Te colendam, celebrandamq; etiam ignotiſsimos prouoces. Quare, quum iſtæc de ornatu mulierum Paradoxa moralia tam multas ob cauſſas Tua ſint, Tibi debita, atque obligata, paradoxum vtique, vt initio diſertè caui, valde exoticum, inurbanum, præpoſterumq; ni ea Tibi conſecrarem, meritò cenſeretur.

Reliquum nunc eſt, vt, quemadmodum FERDINANDUS IMPERATOR AUGUSTISSIMUS PARENS TUUS duos libros Sibi a me dicatos ineffabili humanitate dignatus eſt, ita Tu quoque REGINA CLEMENTISSIMA hæc Paradoxa tam multiplici nomine iam Tua benigno vultu aſpicere, Regioque Tuo patrocinio protegere non aſperneris: quod ego ſicut Tuam MAIESTATEM demiſsè, fragranterq; vt id mihi indulgere velis, orō; ita minimè dubito, quin pro inexplicabili Tua bonitate facilè paſſura ſis Te exorari. Mediolani Anno CIↃ IↃC XLIX. *Idibus Iulij.*

AUGUSTISSIMÆ MAIESTATI TUÆ

Deuotiſsimus

Albertus de Albertis e Societate Ieſu Sacerdos.

VIN-

VINCENTIVS CARRAFA
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm moralia paradoxa de ornatu mulierum, opus P. Alberti de Albertis noſtræ Societatis, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandentur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur, cuius rei gratiâ has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas dedimus. Romæ 31. Iulij 1648.

Vincentius Carrafa.

IMPRIMATVR.

Fr. Baſilius Commiſs. S. Officij Mediol.

Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentiſs. D. Cardinali Archiep.

Comes Maioragius pro Excellentiſsimo Senatu.

CHRISTIANO LECTORI.

I. *Paradoxa hæc valde paradoxa.*

NON dubito, quin hæc meorum Paradoxorum inſcriptio Lectorum non paucis rurſum nouum Paradoxum, ipsâ communium, & exploratorum adiectâ nomenclatione, longè magis exoticum primo ſtatim aſpectu, nec ſine meæ imperitiæ, vel incogitantiæ notâ, ingeſtura ſit. Nam quum Paradoxa dicantur illa, quæ ſunt planè inaudita, ac præter aliorum opinionem a ſingularibus Auctoribus eduntur: quî tandem hæc de mulierum ornatu Paradoxa, quum a me communia, atque explorata, hoc eſt, communi, exploratæque ſententiæ conſentanea proſcribantur, aptè appellari poſſunt? Rurſum verò ſi communia ſunt, atq; explorata, quo demum pacto in Paradoxa migrare queunt? Scopulus enim verò vtrinque minax, penè ineluctabilis.

II. *At iure optimo ita inſcripta.*

Quid ſi ego iam, Lector, inſolentem hunc Paradoxorum, & communium, atque exploratorum nexum, qui inconcinnitatis arguitur, meæque incogitantiæ tribuitur, vltro profiteor, atque ab omni labe vindico? quid ſi maximè concinnum oſtendo? quid ſi nouam hanc nomenclaturam, & copulationem a me de induſtria quæſitam, ad nouum Paradoxi genus, nempe tum re, tum etiam nomine indicandum, non ſanè vt inani oſtentationi velificem, ſed quò accommodatè, atque ad plenum, quod opere ipſo præſto, titulo etiam exprimam, palàm enuntio? Equidem iure, ni fallor, optimo hæc mea de mulierum ornatu meditamenta, ac ſcita, quia ab inueteratis aliorum opinationibus primâ ſpecie quàm longiſſimè peregrinari, ac penitùs abhorrere videntur, Paradoxa voco: eadem verò, quia reapſe communibus, exploratiſque Doctorum ſuffragijs, & calculis obſignata demonſtro, communia ſimul, atque explorata meritò nuncupo. Quid quod, etſi aſſertiones ipſas, quas tueor, Doctorum patrocinio munitas depromo, firmamenta tamen, quibus eaſdem fulcio, non pauca noua prorſus, tum multa alia documenta, quibus pleroſque alios nodos enodo, nec non complures alias quæſtiones illuſtro, aut recèns profero, aut ab antiquitate repeto, aut huic materiæ primus adapto? Nemo quippe alius, quod ſciam, hanc Spartam hactenus ita ex profeſſo, vt ego, ſibi adornandam putauit, nemo huiuſmodi argumentum ita medullitus, quemadmodum molior ego, operæque pretium eſt, emedullauit. Interim verò mulierum innata vanitas, formæq; venuſtandę infinita cupido cotidie in immenſum creſcit, in dies pudore nullo, ac ſine vllo modo noua, ac monſtroſa ornamentorũ genera excogitat, coloris, & cutis adulterandi medicamenta omnia, ceruſſæ, minij, ac ſtibij artificia omnia effræni licentiâ magis magiſque ſemper periclitatur. Quocirca ex vſu planè publicæ honeſtatis, tum morum pudicitiæ haud parum

conducibile ſum arbitratus, hanc tantam immodici cultus inſaniam elaborato opere, deſtrictâque cenſurâ tempeſtiuè coercere. At dum muliebris leuitas, atque ambitio noua luxus portenta in dies parit, aliaque obſcœniora ſemper parturit; quid ijs comprimendis, elidendiſque opportunius, quàm nouus ſacrarum Scripturarum, veterum Patrum, inſignium Theologorum, grauium Doctorum, rationum, exemplorum, & firmamentorū apparatus? Vnde dilucet perſpicuè, haud abſurdè hoc etiam nomine huiuſmodi documenta a me Paradoxa, quòd nouum iſtum apparatum exhibeant, appellari; nec temerè communia, atque explorata, quòd cunctis probari probem, indigitari, quò videlicet ipſa muliebrium honeſtamentorum paradoxa identidem pullulantia ſtyli quoque, atque inſcriptionis Paradoxis congruentiùs vapulent, ac percellantur.

Verùm duos his in Paradoxis ediſſerendis infeſtos ſcopulos, quos diligenter cuique Scriptorum vitandos cenſeo, alterum ſeruilis adulationis, immoderati zeli alterum obſeruo. Nonnulli quippe ex hominum iudicijs, & rumuſculis toti pendentes, populique fauorem, & gratiam anxiè aucupantes, in ſententijs dimetiendis, adeo cupiditatibus quorumcunque laxant habenas, vt pœnitentium vulnera non tam ſanare, quàm exulcerare videantur; Iaheli omnino ſuppares, ac ſimiles, qui dulcem quidem lactis cyathum Siſaræ propinauit; at, vbi illum ita potionatum dormientem vidit, *poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſq; ad terram*, vt narrat ſacer Hiſtoricus *Iudic.* 4. Haud ſecus etiam qui conſcientijs blandiri potiùs ſtudent, quàm mederi, lac quæſitæ, expetitæque licentiæ ijs præbent, ſed vnà adulatorijs verbis tanquam clauo trabali eaſdem in terrâ, in terrenis videlicet voluptatibus, ac delictis defigunt. Vnde meritò S. Proſper *in libro ſent. Auguſt. ſent.* 137. animaduertit, *adulantium linguis animas alligari*, propterea quòd *in peccatis delectat ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur*, quemadmodum a Regio Vate iam olim pronuntiatum conſtat *Pſal.* 9. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* A quibuſnam verò peccator in cupiditatibus ſuis laudatur, & iniquus benedicitur? nempe ab aſſentatoribus, non tā veritatis doctoribus, quàm decoctoribus, ſibi geminis. At infelix, dum hoc pacto laudatur, clauo aſſentationis miſerè tranſuerberatus, flagitijs multo magis affigitur, quod à pleriſque factitatū, iure luget Propheta Oſee *cap.* 9. *in malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendacijs ſuis Principes.* Cauendum igitur etiam atque etiam cuiuis Doctori eſt, ne, dum indulgentiæ velificat, adulationis Fauonio auferri ſe ſinat. E regione verò alij nimio ſpiritus feruore abrepti, actiones complures peccati lethalis nimis facilè, nec tam properanter, quàm præcipitanter, damnant, viamque ſalutis, cæteroqui perangustam, multo adhuc magis incon-

III. In quibus cauenda adulatio.

Et nimius feruor.

ſultò arctant: quos profectò meminiſſe par eſt, ipſos quidem *æmulationem Dei habere*, vt monet Apoſtolus *Roman.* 10. *ſed non ſecundùm ſcientiam*: nec non ſibi ita moderari debere, ne *in feruore*, vt cauet S. Petrus *Ep.* 1. *cap.* 4. *peregrinentur:* alioqui periculum non leue adeunt, ne dum vnà cum Iacobo, & Ioanne Apoſtolis Eliæ ſpiritum nimiæ ſeueritatis inſtaurare contendunt, ab ipſomet Chriſto Domino audiant, *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*. Lucæ 9.

IV. *Videndumq; ne veritas a blanditijs mulierum peruertatur.* Verùm in hiſce Paradoxis, in quibus de feminarum cultu diſſeritur, longè maius periculum ingruit, ne humani reſpectus veritatem ipſam non ſolùm diſſimulent, ſed planè etiam opprimant. Notum enim illud Sapientis eſt *Ecleſ.ci* 19. *Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes:* neq; dubium, pleraſque hæreſes mulierum potiſſimùm operâ, quemadmodum S. Hieronymus in Epiſtolâ ad Cteſiphontem aduersùs Pelagianos ſpiſsâ exemplorum appoſitione cõfirmat, ſatas eſſe, & propagatas. At ſi mulieres tantùm valent, vt in Catholicæ religionis certum naufragium ſapientes etiam ſubinde pertrahant; quanto ſalebroſius, præſentiùſque diſcrimen, vbi non de orthodoxâ fide, ſed de moribus tantùm, vt in his quæſtionibus, lis eſt, cuiuis imminet, ne eædem mulieres ſuis blandimentis, atque artibus ſyceræ Theologiæ normam inſtar regulæ Lesbiæ inflectant, apertæque veritatis fixam cenſuram refigant, ac molliant?

V. *Qui ſcopuli deinceps vitabuntur.* Porrò quum ancipitem huiuſmodi aleam ego quoque pro diuinâ dumtaxat gloriâ, animarumque profectu ſubire decreuerim, tollo iam in Cælum mentem meam, totiſque animæ præcordijs clamo: *Deus meus, illuminatio mea. Pſal.* 17. Equidem a ſtudio vtriuſque partis ita ſum alienus, vt diuinâ fretus gratiâ, neque immodico zelo abduci me patiar, nec *in Sermone adulationis*, quem maximè deteſtatur Apoſtolus 1. *Theſſal.* 2. ab vllo deprehendar. *Fidele* nimirum *eſt teſtimonium, quod non habet cauſſas mentiendi*, vt ſapienter S. Hieronimus *Epiſ. 9. ad Saluiam* decernit. Quæ verò tandem cauſſæ, quæſo, hîc me ad mentiendum cuiuſquam gratiâ ſolicitare queant? nullæ profectò, vt non tam verbis, quàm factis deinceps patefaciam. Nam ſolidæ, compertæque rationes, ac firmamenta in medium a me paulò poſt afferenda liquidò, ni fallor, commonſtrabunt, quinam in huiuſmodi controuerſijs enodandis nimio zelo, vel adulatione, aut aliâ incõpoſitâ appetitione auferri ſe ſinat, ſyncerâque intentione puram veritatem, maius Dei obſequium, animarum ſolidum remedium, potioremque fructũ, etiam *ſecundùm ſcientiam*, quærat. Cæterùm ſicut meæ tenuitatem facultatis probè noui, ita candoris mei fidele teſtimonium non minùs cumulatè præſtabo, quàm ſanctè modò polliceor.

VI. *Quis verò ho-* Ad ſtylum autem quod attinet, iure meo poſtulo, vt is ſine vlla cura mihi curæ ſit, taliſque, qualem primus ſcribendi impetus, verborum nihil prorſus

ſus ſolicitus, loquendique morem quum Philoſophorum, tum Theologorum, non Ciceronis, aut Latinorum plerumque, ſecutus, properante calamo fundet. Errata verò ſeu verborum, ſeu rerum, quæ imprudenti, vt facilè mihi perſuadeo, in hac lucubratione excident, prudens Lector æqui bonique conſulet, eo quidem proniùs, ac benigniùs, niſi allucinor, quò huiuſmodi Paradoxa quadrimeſtri dumtaxat labore, non ampliùs, horis ſubſeciuis a me concinnata ſunt, vt mirum nequaquam ſit, ſi quando tam breui anguſtatus ſpatio, ego, non bonus alioqui Homerus, dormito, mirumque potiùs meritò videri debeat, me multo ſæpius non dormitare.

rũ Paradoxorũ ſtyl⁹, & qua conditio ſit.

Iam cuncta Paradoxa in tres diſputationes vniuersè diuido, in quarum prima de mulierum ornatu generatim; in alterâ de eodem ſpeciatim; in tertiâ de nonnullis eiuſdem materiæ corollarijs diſcepto, vt ſubiectus Index ſingillatim prodet. Verùm quia delicta, quæ ex immodico cultu manant, atque a me hîc in crimen potiſſimè vocantur, ad ſcandali malitiam præcipuè ſpectant; integram idcirco, copioſamque de ſcandalo diſceptationem adieci, præmiſique, duplici maximè de cauſſa, tum vt doctrinam de ſcandalo a nonnullis Doctorum malè perturbatam in ordinem referrem, opinionumque factionibus ſubinde obſcuratam claro in lumine apud omnes collocarem, tum vt quæſtiones hinc maximè pendentes certiùs, ac ſolidiùs profligarem.

VII. Eorundem diuiſio.

Cæterùm iſtæc Paradoxa ſicut ad vulgatam luxuriantium ornamentorum intemperantiam compeſcendam deditâ operâ coagmentaui; ita, quò quęſito, optatoque huiuſmodi fructu pleniùs fruar, Confeſſarijs maximè, & Concionatoribus ea ego deſtino, ac venerabundus offero. Nam ſi ij diuinitus inito fœdere ad immodicum cultum euertendum feriò conſpirauerint, nullus equidem dubito, quin propediem victoriâ ſint potituri. Vt verò ſtrenui hi Chriſti Domini bellatores collatis pedibus, conſertiſq; manibus quà in ſacro ſuggeſtu, quà in arcanæ Confeſſionis foro feliciùs, ac lætiùs prælia conficiant, arma ego præualida, ac præferrata vtriſque tempeſtiuè ſuppedito.

VIII. Confeſſarijs, et Concionatoribus præcipuè hoc op⁹ dicatur.

Neque tamen ignoro, vt ſunt varia Lectorum ingenia, ita non ab omnibus probatum iri, recentiorum Auctorum non tantùm nomina a me appellari, ſed verba ipſa quoque frequenter referri, deſcribique, quaſi inopię meę argumentum apertum ſit, tam ſępe aliena obtrudere; neque obſcura fatiſcentis intelligentiæ confeſſio, tam crebrò ſtipem ab alijs emendicare. Verùm ego, ſicut facilè indulgeo, vt ſuum cuique pulchrum videatur, & quam quiſque opinione imbutus eſt ſemel, hanc conſtanter tueatur; ita clarè denuntio, me in contrariam prorſus abire ſententiam. Quum enim cernam Doctores ſæpenumero inter ſe acriter certare, mutuoque ſeſe inuadentes expoſtulare, quòd ſua ipſorum opinio non fideliter expoſita ſit, ſed variata, aucta, vel imminuta; amplificata, aut truncata; multiſq; centonibus in medium

IX. Cur autē Auctorum verba ipſa frequenter a me recitentur.

dium allatis ex proprijs vtrinque monumentis complures paginas operosè infarcire, fruſtraque occupare; neque vllo alio, quàm laboris, ac temporis inaniter conſumpti, operæ pretio, quò tandem ſcilicet Lectori perſuadeant, ſibi factam iniuriam: ego ſanè, vt omnes has contendendi litigandique anſas, quoties aliquod controuerſandi periculum imminet, omnino præcîdam, ſoleo ipſiſſima Auctorum verba fide germaniſſimâ de induſtriâ repræſentare, oculiſque Lectoris ſubijcere: vbi verò nihil talis diſcriminis ingruere videtur; quoniam nonnullas quæſtiones ab alijs præclarè enodatas animaduerto, quas etſi ego, ne bene actum otiosè agerem, minimè attingerem, neq; earũ tantùm gratia calamum tererem; tamen neceſſe prorſus habeo eaſdem vſurpare, tum ne qua pars integræ tractationi a me ſuſceptæ deſit; tum vt illæ ab alijs iam probè exploratæ operi, quod ego molior, famulentur, viamque ſternant; alienis identidem verbis iure optimo vti malo, quàm meis. Vnde nullo etiam negotio Lectori conſtat, quid alij ædificare cœperint, & quouſque proceſſerint; quid autem a me inſuper extructum, additumque ſit. Neque ego profectò lauream vllam hoc in muſtaceo mihi quærendam duco, vt Auctorum ſententias alijs reddam verbis, quaſi curtæ alioqui, & peranguſtæ Latinitatis ſuſpicione, niſi totidem alia meo de penu vocabula appendam, extemplo laboraturus. Habeat enim ſibi quicunque vult, hanc palmam, & gloriam: ego certè nec ambio, nec inuideo, facileque, vt reor, ab humano Lectore impetrabo, ne putet tam malignam ſtyli facultatem mihi ſuppetere, vt nequeam, ſi coner, eãdem orationem aliâ verborum ſpecie conformare. Cæterùm ſi quæſtio ab alijs commodè, ſi diſtinctè, ſi accuratè explanata eſt; quid, rogo, attinet eam alijs verbis aut ieiuniùs, quàm par eſt; aut copioſiùs, quàm opus ſit; aut ſecus, vel deteriùs, quàm res ferat, ac poſtulet, vertere? quid quòd ſæpenumero verba ipſa Doctorum, vt de genuino eorum ſenſu nullus ſit altercandi locus, ſingulatim repetere neceſſe eſt?

X. *Abſolutis Paradoxis opuſculum Iacobi Lainij adiectum.*

Verùm quum hæc mea Paradoxa a Typographo iam penè eſſent emiſſa, eorumque folia poſtrema ferè iam edita, ecce primùm meas in manus venit Iacobi Lainij Præpoſiti Generalis noſtræ Societatis IESV lucubratiuncula ſcripto exarata *de ornatu, & fuco mulierum*, ab amico hîc Mediolani in noſtra Domo profeſſa S. Fidelis reperta, mihique confeſtim tradita; quam minimè eſſe ſuppoſititiam, ſed legitimam eiuſdẽ Lainij prolem ex locuplete Auctore Philippo Alegambe in ſua de Scriptoribus Societatis IESV Bibliotheca extemplo comperi, in qua cõplura opera, ac monumenta ab eodẽ Lainio elucubrata, ac poſteritati relicta, quæ viuens ipſe publicis muneribus, & curis diſtentus, peruulgare nõ potuit, enumerans, inter cætera, & hoc ipſum *de ornatu, & fuco mulierum* opuſculum diſertè recenſet. De cuius Auctore ego iam certus, grauiſſimi viri anticipatâ exiſtimatione illico per

motus,

motus, impatiente auiditate illud luſtro, potiſſimasque aſſertiones eâdem de re, quas ego tueor, a Doctore longè ſapientiſſimo iam pridem ad Theologicam trutinam fuiſſe reuocatas, probatas, atque inculcatas in ſinu gaudẽs deprehendo. At Paradoxis hiſce meis propè iam abſolutis, quum mihi tanti hominis ſuffragio, atque doctrinâ meas concluſiones ſuis fulcire locis fas amplius nõ eſſet; quod reliquum certè fuit, curaui ſaltẽ, vt meditamenta, ac teſtimonia, quæ ad eas illuſtrandas pertinent; inde a me excerpta, ad calcem tertiæ, vltimæque diſputationis vnà cum nonnullis alijs auctarijs adijcerentur, vbi quiuis facilè illa offendet.

Sed ne quis nimium a me Lainio, & plus, quàm mereatur, tribui opinetur, ex vſu futurum autumo, quid de ipſo Hiſtoricorum annales loquantur, animaduertere. Conſummatæ ſapientiæ famâ inclytus, a Paulo III. Pontifice Maximo Theologus vnà cum Alphonſo Salmerone deligitur, atque ad Tridentinum Concilium ſemel, iterumque, nec non a Pio IV. tertium deſtinatur: in quo quàm abunde cunctis Patribus eximia ipſius doctrina probata ſit, incredibile penè dictu eſt. Sententiam priore loco dicere iuſſus eſt, dixitque nonnunquam ita copioſè, vt tres horas integras in inſtitutâ diſputatione vnum, eundemque locum ſemper vrgeret: nec dubitauit aliquando enucleatè denuntiare, ac profiteri, neminem ex Patribus, Doctoribuſue a ſe appellandum, quem non a capite ad calcem peruolutârit, ex illoque locos communes ea de re, quæ in controuerſiam caderet, collegiſſet; quumque de Euchariſtiæ Sacramento poſtea diſceptaret, ſex circiter & triginta Patres tanti myſterij ſuffragatores, atque in ijs Alphonſum Toſtatum, cuius tam multa, & iuſta volumina omnia vorauerat, atque in ſummam redegerat, partitè teſtatus eſt. Quamobrem quà ingenij fœcunditate, quà memoriæ prodigio, qua ſingulari doctrinæ vbertate vniuerſis Patribus, vt refert Nicolaus Orlandinus, miraculo propè erat.

XI. Cuius viri eximia fuit ſapientia.

Nicolaus Orlandinus lib. 5. Annal. n. 21. & lib. 11. nu. 11. & 36. Ibid. n. 36.

loc. cit.

Nihilo tamen minorem ſui admirationem Lainius in eodem Concilio fecit, quum aliàs de ſacrificio Miſſæ, de quo diu multumque diſputatum fuerat, poſtea ſuperueniens diſſeruit, vt Franciſcus Sacchinus luculenter totidẽ hiſce verbis denarrat. *In pomeridiano conuentu diei ſeptimi ante Kalendas Septembris iuſſus eſt dicere: verùm eo die, quum alij quidam verba feciſſent, quo commodiùs ille perque otium audiretur, in diem poſterum dictione dilata, totum matutini conuentus ad dicendum ei vni tempus attribuunt. Nemo erat quem non audiendi hominis mira cupido teneret: hos, qui vel Romæ, alibique concionantem, vel in eodem Concilio Pauli, Iulijque temporibus diſputantem audierant, quod nôrant, quid dicendo poſſet: illos, vt experimento ſuo ſententiam ferrent, verene tandem in anguſto illo pectore tantum literarum eſſet reconditum, tantùm eloquentiæ, quantum adeo magnificè fama celebraret: Memorabantur quæ modo egiſſet in Gallia, quàm conſtanter, ac ſapienter Hæretico-*

XII. Vt amplius docetur.

lib. 6. n. 80

rum

rum retudiſſet audaciam: poſtremò deſtinatum illi præter conſuetudinem ad dicendum ſpatium expectationem omnium erexit. Itaque poſtero die, quanta raro frequentia Concilium fit, nullus e Cardinalibus Legatis, nullus, e Principum oratoribus, nullus omnino ex Epiſcopis; alijſque Præſulibus deſideratus eſt. Lainius e loco ſibi conſtituto dicere exorditur; ſed quum paulo remotior ab Legatis eſſet, hi, quo clarius exaudirent, ad ſe accerſitum, apud ſe locant. Verùm inde quàm a Legatis commodè, tam difficilè ab imis Epiſcoporum audiebatur: qui quum aures ipſi quoque ſitientes haberent, nec viam promptiorem vllam, qua deſiderium earum explerent, diſpicerent, ſuis relictis ſedibus, accedere propiùs cœperunt. Iamque alij ſuper alios plurimi commouebant ſe, & magna ſubſelliorum remotiorum pars vacua relinquebatur. Tum demum Legati af-
nu. 82. *ferri ſuggeſtum iubent, interque ſe, & Epiſcopos collocari, ex eoq; fari Lainiū.*

XIII. *Dum hæc fiunt; dum ita interrumpitur dictio, tantoque motu ad audiendum certatur: dum a viatoribus fertur, ſtatuiturque ſuggeſtum: noti Lainij, amicique animo trepidabant, verentes, vt parem expectationi exitum res ſortiretur. Ex alijs hæ voces paſſim audiebantur, fieri non poteſt, vt hic fauori, quem habet, expectatio rique, quæ de eo eſt, reſpondeat. At ille conſcenſo ſuggeſto, diuinoque afflante ſpiritu, ita ſenſim ingreſſus in cauſſam eſt; tam clarè facileque res abditiſſimas enucleare; nubes ex opinionum varietate auditarum obortas disijcere, reſque, quas ingenij humani acies vix conſequitur, quaſi ante oculos ponere cœpit; vt, quum duas ipſas horas, ac dimidiam perpetua oratione dixiſſet, honeſtiſſimus ille ex flore, & apice gentis humanæ conſeſſus propè attonitus hæſerit: omnes profiterentur & fauorem auditorum, & expectationem longo interuallo ſuperatã* Hactenus Sacchinus. Quæ omnia fidem faciunt ſine dubio maximam, quàm ſublime, perſpicaxq; fuerit Lainij ingenium, quàm cumulata doctrina, quàm excocta ſapiẽtia, quàm grauis, & excellenſq; auctoritas.

XIV. At hæ ipſæ prærogatiuę omnes multo adhuc magis in cõfeſſo apud cunc-
Eiuſdē tos fuerunt, quum quartanâ correptus Lainius in eodem Concilio Tridenti-
mira aucto- no, facultatem pauliſper ſecedendi, quò valetudinem curaret, impetrare mi-
ritas. nimè potuit. *Nec enim Apoſtolicis Legatis,* inquit Orlandinus, *eſt viſum, fre-*
lib. 11. Annal. *quentiſſimum illud Concilium, et Orbis Terræ theatrum eius ſententiæ luce pri-*
nu. 38. *uare, quæ quum ex omnibus eſſet princeps, dux etiam quædam ad diſceptandum omnibus eſſe poſſet. Verùm vt ægrotanti conſulerent, nec morbo vires adderẽt, communi conſilio, ac prouidentia cauerunt, ne quo die febris accederet, in eum ipſi diem publicos ſuos conuentus indicerent. Ac ne tum quidem, quum vel priuati haberentur extra Concilium conuentus ſcribendorum Canonum gratia, vel Theologorum item priuati cœtus fierent, in quibus multa ſtatuebantur vtilia, ac ſalutaria, carere Lainio potuerunt. His ille cœtibus cum Salmerone ſemper interfuit: & vtrique grauiſſimũ quodque imponebatur onus. Quibus etiam auctoribus plurimis de rebus ad Concilium referebatur, a quo multa, &*

præclara

præclara in rem Eccleſiæ ſancita, & conſtituta ſunt. Ex quibus de acerrimo Lainij ingenio, præſtantiſſimaque ſapientia ſat ſuperque liquet. Vnde mirum non eſt, eundem Lainium a S. Ignatio Parente noſtro iuſſum fuiſſe, vt idem Orlandinus tradit, Theologicę doctrinæ Summam in vſum Societatis noſtræ conficere. lib. 13. nu. 17.

XV. *Aliaq; dotes, ac laudes.* Quid dicam porrò de concionandi prouinciâ ab eodẽ tã ſtrenuè, tam egregiè, ac fortiter, tantoque cum fœnore animarum obitâ? Diſſimulo reliqua, tantumque innuo, Genuæ in Quadrageſimâ quum Dei verbum prædicaret, ſemel aureos CIↃ, deinde CIↃ CCC. tertiò CIↃ CIↃ. in opera pia, & pauperes erogandos ab eo fuiſſe collectos. De inculpatis verò moribus, vitæq; probitate inſigni nil opus eſt addere, quum publicis monumentis iã ſint ea cuncta mandata: ex quibus hæc ſolùm Lectori in memoriã reuoco, quum æger Lainius iter faceret, nihilominùs cilicio vexare, & fodicare corpuſculũ imbecillũ, fractumq; perrexiſſe: deinde Romam nudis pedibus prę pietate ingreſſum: tum Epiſcopatum Labacenſem a ſe abegiſſe, quin etiã Cardinalatũ cõſtãter refugiſſe. At quo magis ipſe præ Religioſâ animi demiſſione ab honoribus, & magiſtratibus abhorrebat, tanto contentiùs alij ad ſummos etiam eundem impellere ſtuduerunt. Certè quidem a duodecim Cardinalibus, quum Paulus IV. deceſſiſſet, ſeriò actum eſſe de eo Pontifice Maximo creando, perſpectum eſt; eum quippe aiebant, vt ſcribit Sacchinus, *ad promouendam, quam Paulus IV. inſtituerat, publicorum correctionem morum*, cum *ad hæreſes iugulandas ingenio, & ſapientia quàm aptiſsimum fore*.

Orlandinus lib. 1. n. 87. Idem lib. 2. n. 8. Idem lib. 5. n. 16. Idem lib. 16. nu. 7. lib. 3. n. 43.

XVI. *Vnde meritò plurimi æſtimatur.* Ex his ſatis cuiuis, vt reor, manifeſtum eſt, quàm rectè a me Lainius magni, nihiloque pluris, quàm dignus ſit, fiat; quantiq; iſtorum Paradoxorum interſit, tam eximij etiam Doctoris iudicio, ſuffragio, atque auctoritate eadem muniri, & confirmari. Sicut autem non ambigo, quin tanti viri nomen apud quoſcunque doctos ingentis ponderis futurum ſit, ita certiſſimè etiam iudico in his Paradoxorum controuerſijs a cunctis e noſtra Societate præcipuè, vtcunque ſapientibus etiam, & magnis ſummam reuerentiam iudicio eiuſdem Lainij non ſolùm vt Præpoſit noſtri Generalis, ſed vt maximi etiam Theologi habendam fore.

IN

INDEX
DISPVTATIONVM, ET CAPITVM PARADOXORVM.

PRæludium de veterum Patrum auctoritate, & ratione in opinionibus fundandis venerationi, vt par eſt, valde habenda. pag. 1.

DISPVTATIO PRIMA

De mulierum Ornatu generatim. pag. 4.

MOderatum ornatum feminis eſſe licitum. Cap. I. pag. 4.
Immoderatum ornatum feminarum illicitũ eſſe. Cap. II. pag. 6.
In quibus caſibus ornatus immodicus mulierum ſit venialis. Cap. III. pag. 13.
Quando contingat immoderatum ornatum euadere mortalem. Cap. IV. pag. 14.
Præmunitiones de ſcandalo, & de occaſione remota, & proxima. Cap. V. pag. 15.
§. I. *Sandali definitio, & diuiſio.* pag. 15.
§. II. *Scandalum indirectum ex re indifferenti quando oriatur, & quando ceſſet.* pag. 22.
§. III. *Scandalum ex actione, vel materia indifferenti emergens, quum perſona particularis ea actione, vel materia abuſura ſingillatim animaduertitur.* pag. 25.
§. IV. *An occaſio ruinæ ſpiritualis alicui perſonæ generatim, & indefinitè ſumptæ, aut pluribus indeterminatè acceptis præbita, rea ſit, vel expers culpæ ſcandali actiui, & mortalis.* pag. 28.

Segmentum. I.
Negans opinio, & prænotiones. pag. 28.

Seg-

Segmentum. II.
Duplex aſſertio. pag. 31.
Segmentum. III.
Secundæ aſſertionis patroni. pag. 36.
§. V. *Difficultates oppoſitæ diluuntur.* pag. 39.
§. VI. *Quid ſit ſcandalum actiuum, datum & acceptum.* pag. 47.
Segmentum. I.
Diuerſæ Auctorum ſententiæ. pag. 47.
Segmentum. II.
Nullam eſſe in hac re Auctorum diſcordiam. pag. 48.
Segmentum. III.
Soluuntur obiectiones. pag. 52.
§. VII. *Generales regulæ de ſcandalo vitando, aut permittendo aſſignantur.* pag. 56.
§. VIII. *An ius & titulus propriæ libertatis tuendæ abſque alia iuſta cauſsa eximat ab obligatione vitandi ſcãdali paſſiui puſillorum.* pag. 64.
§. IX. *Cui virtuti opponatur peccatum ſcandali, & quomodo in Confeſſione ſit aperiendum.* pag. 68.
Segmentum. I.
Refertur prima ſententia. pag. 68.
Segmentum. II.
Altera ſententia oppoſita, & communis defenditur. pag. 70.
Segmentum. III.
Difficultates oppoſitæ expediuntur. pag. 77.
§. X. *Quæ ſit occaſio peccandi remota, & quænam proxima.* pag. 84.
Segmentum. I.
Definitio occaſionis proximæ. pag. 84.
Segmentum. II.
Certa regula occaſionis proximæ aſſignatur. pag. 86.
Segmentum. III.
Concordes eſſe Doctores in occaſione proxima definienda. pag. 90.

§. XI. *Qualis ſit obligatio vitandæ occaſionis peccandi remota, & proxima.* pag. 94.

Segmentum. I.

Regulæ de occaſionibus vitandis præſcribuntur. pag. 94.

Segmentum. II.

Obiectiones reÿciuntur, legitimæq; excuſationes tolerandi occaſiones proximas indicantur. pag. 98.

Segmentum. III.

Falſi prætextus occaſionum retinẽdarum confutantur. pag. 101.

§. XII. *An vrgens cauſſa, ſeu graue incommodum capacem abſolutionis ſemper eum reddat, qui proximam delinquendi lethaliter occaſionem non deſerit.* pag. 106.

§. XIII. *Num occaſio ad indeterminatum dumtaxat mortale peccatum alliciens, cenſenda ſit proxima, & fugienda.* pag. 113.

Segmentum. I.

Duplici aſſertione quæſtio expeditur. pag. 113.

Segmentum. II.

Nullum Doctorem traditæ doctrinæ aduerſari. pag. 117.

An ornatus immoderatus mulierum ad libidinem prouocans, ſit peccatum graue, vel leue. Cap. VI. pag. 121.

§. I. *Num moderatus ornatus, vel paulùm immoderatus ſub culpa lethali, aut veniali ob ruinam proximi ſit feminæ relinquendus.* pag. 121.

§. II. *Immodicorum ornamentorum luxus, libidinis ſuſpicione ei indulgentem adſpergit.* pag. 126.

An ſuperfluus feminarum cultus notabiliter incitans ad luxuriam, ſit peccatum mortale. Cap. VII. pag. 129.

§. I. *Refertur opinio negans.* pag. 129.

§. II. *Oppoſita ſententia damnans culpa lethalis immodicum feminarum ornatum*

valde prouocatiuum libidinis, exponitur, & circumſcribitur. pag. 139.
§. III. *Nullos Doctores ex recenſitis ſupra aſſertioni indicatæ aduerſari.* pag. 138.
§. IV. *Doctores explanatæ aſſertionis manifeſti propugnatores recitantur, atq; expenduntur.* pag. 139.
§. V. *Alij eiuſdem ſententiæ patroni in aciem educuntur.* pag. 147.
§. VI. *Eadem aſſertio auctoritate Sanctorum Patrum fulcitur.* pag. 152.
§. VII. *Rationibus eadem aſſertio euincitur.* pag. 158.
§. VIII. *Eadem aſſertio oſtenditur, quia ornatus valde prouocatiuus libidinis præbet alijs occaſionem proximam delinquendi lethaliter.* pag. 163.
§. IX. *Eadem ratio occaſionis proximæ a ſuperfluo ornatu alteri datæ magis vrgetur.* pag. 171.
§. X. *Aſſertionis confirmatio ex obligatione caritatis.* pag. 181.
§. XI. *Exemplorum documentis aſſertio illuſtratur.* pag. 182.
§. XII. *Effugium I. de graui incommodo ex perpetua ornatus valde ad malum prouocatiui omiſſione intercluditur.* pag. 186.
§. XIII. *Effugium II. de inculpatæ pulchritudinis exemplo reijcitur.* pag. 193.
§. XIV. *Effugium III. de odioſi viri exemplo refellitur.* pag. 194.
§. XV. *Effugium IV. de ornatu ſuperfluo remotè tantùm ad malum prouocante refutantur.* pag. 195.
§. XVI. *Effugium V. de ruina proximi immediatè cauſſata a volũtate dumtaxat eiuſdem proximi ſponte peccantis euertitur.* pag. 197.
§. XVII. *Effugium VI. de immodico ornatu ſolito, & innoxio eliditur.* pag. 203.
§. XVIII. *Difficultates contra explicatam doctrinam ſoluuntur.* pag. 207.

§. XIX.

§. XIX. *Alij contra aſſertionem implicati nodi enodantur.* pag. 215.

Variæ excuſationes, & cauſſæ, quæ notabilem prouocationem ornatus ad malum a culpa mortali liberare queant, expenduntur. Cap. VIII. pag. 223.

Quomodo Confeſſarij erga Pœnitentes ornatum valde prouocatiuum libidinis ferentes ſe gerere debeant. Cap. IX. pag. 232.

Nicolai Cauſſini in ornamentorum luxum grauis, & legitima cenſura. Cap. X. pag. 241.

Appendicula de virorum ornatu. Cap. XI. pag. 244.

DISPVTATIO SECVNDA

DE ORNATV MVLIERVM SPECIATIM.

An mulieres, quæ iuxta morem vſitatum regionis nudo incedunt pectore, delinquant, & quàm grauiter. Cap. I. pag. 246.

§. I. *Refertur duplex opinio.* pag. 246.

§. II. *Impugnatur prior opinio, doceturque permiſſionem nudi pectoris, vel meretricum, non arcere maiora mala, ſed cumulare.* pag. 249.

§. III. *Eadem opinio alijs argumentis refellitur.* pag. 259.

§. IV. *Explicatur Auctoris ſententia.* pag. 265.

Segmentum. I.

Quando peccent Principes nuditatem feminei pectoris permittentes. pag. 266

Segmentum. II.

Quando delinquant Prælati nuditatē feminei pectoris tolerantes. pag. 270.

Segmentum. III.

Conſuetudinem nudandi feminei pectoris eſſe extirpandum. pag. 272.

An mulieres, quæ morem nudandi pectoris in locum, vbi non eſt, introducunt, peccent mortaliter. Dap. II. pag. 274.

§. I. *Inuſitatam feminei pectoris nuditatem*

eſſe

eſſe lethalem, argumentis oſtenditur. pag. 275.
§. *II. Doctores omnes probatæ aſſertioni patrocinari.* pag. 282.
§. *III. Solius etiam pectoris nuditatem inſolitam ſatis eſſe ad mortalem culpam incurrendam.* pag. 290.
An mulieres extraneæ, vel peregrinæ nudo pectore, vbi mos non eſt, incedentes iuxta conſuetudinem ſuæ patriæ, peccent lethaliter. Cap. III. pag. 295.
An mulieres, quæ in præſens Mediolani nudant pectus, delinquant mortiferè. Cap. IV. pag. 298.
Inſigne de nudo muliebri pectore tegendo exemplum, & documentum ab Eccellentiſſima D. Margarita Vazquez Coronada ex gēte Columa matronis Mediolanenſibus datum. Cap. V. pag. 305.

DISPVTATIO TERTIA DE NONNVLLIS HVIVS MATERIÆ COROLLARIIS.

AN, & quando immodico ornatu vtentibus Sacramentum Pœnitentiæ ſit impartiendum. Cap. I. pag. 312.
An, & quando Euchariſtiæ Sacramentum immodicè ſe ornantibus ſit adminiſtrandum. Cap. II. pag. 321.
§. *I. Euchariſtiam cum publica mortali culpa in ornatu accedentibus eſſe negandam.* pag. 323.
§. *II. Allata doctrina impugnatur, & propugnatur.* pag. 331.
§. *III. Aliæ aſſertionis oppugnationes reijciuntur.* pag. 343.
§. *IV. Diuinæ menſæ cum valde irreuerenti habitu obtrudentes ſe, a ſacra Communione eſſe repellendos.* pag. 350.
§. *V. Inſolitam muliebris pectoris nuditatem a*

ſacra

ſacra Communione eſſe arcendam. pag. 363.
§. VI. Eccleſia Mediolanenſis de eadem re ſanctiones. pag. 367.
Qua ratione Confeſſarius, & Sacerdos explicatam doctrinam in vſum reuocare debeant. Cap. III. pag. 371.
Additamenta ſuperioribus Paradoxis, ſingula ſuis quæque locis inſerenda, ex manuſcripta potiſsimùm lucubratione Iacobi Lainij Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu de ornatu, & fuco mulierum excerpta. Cap. IV. pag. 376.

MORA-

MORALIVM PARADOXORVM DE ORNATV MVLIERVM

PRÆLVDIVM

DE VETERVM PATRVM AVCTORITATE,

ET RATIONE IN OPINIONIBVS FVNDANDIS VENERATIONI VT PAR EST, VALDE HABENDA.

ANte quàm, in horum Paradoxorum explicationem ingredior, neceſſe planè habeo in eorum veſtibulo, nonnihil ſubſiſtere, deque ratione diſſerendi in opinionibus ſententijsq; ſciſcendis, ac recipiendis ſartâ tectâ conſeruandâ pauca generatim delibare.

I. *Sacrarũ Scripturarum, ac Patrum auctoritas a nonnullis DD. perperã neglecta.*

Non pauci, qui moralium quæſtionum arbitros ſeſe conſtituunt, atq; inter Theologos irrepere,& cenſeri, cupiunt, ſæpenumero, quamuis diuinarum literarum, priſcorumq; Patrum ſententia perſpicua in controuerſia aliqua exaduerſum obluctetur, nihilominùs, vt neſcio quibus ſuis placitis, nullo fundamento etiam innixis, ſeruiliter ancillentur,ſuaq; dogmata,quæ ſemel imbiberunt, præfractè tueantur, vim planè apertam tam Sacris Codicibus, quàm Patrum monumentis inferre, vtroſq; torquere, eludere, inflectere, luxare, ac traducere, minimè dubitant. Si quam enim Mundi corruptelam, valde vſitatam Scriptura Sacroſancta, & Patres improbant, damnantq;, ij omnem operam, ſtudiumq;, quò hominum gratiam aucupentur, eiuſdem corruptelæ patrocinio ſuſcipiendo impendunt; atq; vt impendant, eandem Scripturam, & Patres ludibrio, quàm religioni, habere malunt, ne dicam, prodere. In quos ſanè, ac pariles, ſtomachum meritò erumpens S. Hieronymus *Epiſt. 103. ad Paulinum*, ſapienter ita expoſtulat. *Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad Scripturas Sanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem.*

II. *Qui non ratione, ſed placito tãtùm ducuntur.*

Ab his verò ſi quis fortè rationem, cur alicui opinioni adhæreant, poſtulet, indignantur; ſi auctoritatem, rident; ſi Doctores, fremunt, ſuum ipſorum ſolum iudicium pro ratione, pro auctoritate, pro Doctoribus abundè ſufficere arbitrantes. In quos, malè ego metuo, ne effatum illud, quod Circumcellionibus, hominibus planè opinioſiſſimis,olim ſolemne erat,primumq; habebatur, vt memorat S. Auguſtinus *Epiſt.*48. *Quod volumus, San-*

ctum eſt, quadret ad amuſſim, honeſtumq; iuſtum, ac ſanctum, ſimulac iucundum, aut conducibile illis videtur, illico ab iiſdem decernatur. At diuina Scriptura aliter dilucidè ſtatuit. nil refert, figuratè loquitur. At Patres agminatim ſecus palàm docent, nihil obeſt. exaggerationi libenter indulgent. At locus tergiuerſationi non eſt, enucleatè Scriptura, & Patres contra cenſent. Quid tum poſtea? non propriè, ſed per metaphoram ita concionantur. At quorſum hæc ludificatio? Nimirum, vbi quid frequenti in more poſitum eſt, ſi Scriptura, ſi Patres id vituperant, ſi carpunt, ſi vetant; carpi, vituperari, vetari inficiantur; illamq; ac iſtos per tropum, & ſchema aliò ſpectare contendunt: vbi autem quidpiam a Scriptura, & Patribus reprehenditur, quod ab hominum conſuetudine longè alienum eſt, tum facilè annuunt, tum nullo negotio dant manus, tum candidè, ac ſeuerè vtroſq; interpretantur. At ſi edita ab alterutris interdicta, a populorum moribus, atq; vſu paulùm abhorrent, illa in vulgatæ licentiæ ſeruitutem trahunt, illa delumbant, illa mangonizant, illa enerrant, illa peruertunt ſimul, atq; euertunt, quò videlicet corruptelarum, & flagitiorum regnum, ſuo Marte, ac patrocinio defenſum, ſecurè perennet. Quæ profectò lues hodie quoq; tam magna in dies capit incrementa, vt ad illud extremum, quod magnus Auguſtinus ſeriò *in Epiſt. ad Galatas*, quondã deplorauit, iam paſſim quàm concitatiſſimè decurratur: *Væ peccatis hominum, quæ ſola, inuſitata horreſcimus!*

III. Quot idcirco reprobat S. Auguſtinus. Sed multo luculentiùs idem S. Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana*, cap. 10. hanc ipſam inſaniam, quæ tum etiam a pleriſq; inſaniebatur, nobis ob oculos hiſce coloribus ponit: *Quoniam procliue eſt humanum genus, non ex momentis ipſius libidinis, ſed potiùs ſuæ conſuetudinis æſtimare peccata, fit plerumq; vt quiſquis hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ ſuæ regionis, & temporis homines vituperare, atq; damnare conſueuerunt; & ea tantùm probanda atq; laudanda, quæ conſuetudo eorum, cum quibus viuit, admittit; eoque contingit, vt ſi quid Scriptura vel præceperit, quod abhorret a conſuetudine audientium; vel quod non abhorret, culpauerit; ſi animum eorum iam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent:* pauloq; poſt: *ſi animum præoccupauerit alicuius erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Hæc inclytus Eccleſiæ Doctor. At huiuſmodi quoq; ludo non Scripturam diuinam tantùm, ſed priſcos etiam Patres eſſe obnoxios, crebro experimento planè compertum eſt; quod ego, vt verum fatear, & indigniſſimè fero, & nullo modo tolerandum exiſtimo. Quid enim? Pugnant interdum inter ſe iudicia hinc vnius è Patribus Sanctiſſimi, grauiſſimiq;, vel plurium, etiam ex eodem ordine, illinc recentioris Auctoris aut Doctoris, mutuoq; in contentionem veniunt: affirmant illi diſertiſſimè, negat iſte rotundiſſimè: tametſi autem nouus Auctor, ſæpe etiam non optimæ notæ, ſed proletarius, ſuam opinionem neq; vlla inſuper ratione, neq; vllo documento, aut teſtimonio fulcit; nihilominùs huic ita ſimpliciter inficianti, indulgentiq; plus fidei, quàm Sancto Patri exertè reclamanti aſſeuerantiq; a nonnullis tribuitur; quo quid peruerſius, rogo, aut iniquius eſſe queat?

IV. A quibus veritas hominum gratia poſt habetur. Quid quòd aliquammulti morales cõtrouerſias ita ſubinde definiunt, vt nõ tam veritati, quàm perſonarum gratiæ vernaliter ancillari videantur, non

non ſecus ac Iuriſconſulti pleriq; auro conducti, iura legum non iuſtitiæ, vel æquitati, ſed clientum cupiditati, & lubentiæ attemperantes? Nam qui nõ rationis defæcatæ præſcripto ducuntur, ſed cæcæ appetitionis impetu abducuntur, non ſolùm veritatem ipſam e tenebris minimè eruunt, ſed in meridie quoq; licèt clarè micantem multâ politicorum fucorum, vulpinorumque reſpectuum caligine obuoluere, ac de Terrarũ Orbe in Cimmeria antra detrudere mirè ſatagunt, quorum ingeniũ Sapientiæ coryphæus Salomon *Prouer.* 28. ad viuum hiſce verbis expingit: *Qui cognoſcit in iudicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccellà panis deſerit veritatem.* Qui enim terrena lucra, vel commoda ſectantur, ſpe cuiuslibet, quanquam exiguę, ſtipis, qualis ſine dubio *buccella panis* eſt, eblandiendæ, veritati ipſi mox terga vertunt, eãq; technis, mæandris, ſpiris, ac laruis abdere, tum inſanis etiã clamoribus obruere penitùs adoriuntur.

V. *Per carnis nẽpe prudentiam.* Hinc complures quoq; viri, qui ſuiſmet dumtaxat oculis ſe ipſos contemplantes, magni etiam ac nimio plus ſe æſtimant; quoniam ea, quæ ſunt hominum, & non Dei, tantummodo ſapiunt, doctrinam omnem, quam tenent, humanis reſpectibus fœdè mancipant; damna animarum non intelligunt, occaſiones peccatorum non percipiunt, corruptelas morum nihili pendunt; vel certè cathedris ſpeculatricibus antea aſſueti, puluerisq;, qui e conſcientijs in ſacra delictorum Confeſſione excutitur, prorſus ignari, fallaci deluduntur ſpecie, alioſq; pariter deludunt, ac fallunt. Quid mirum? *Qui ſecundùm carnem ſunt,* nempe *quæ carnis ſunt ſapiunt,* vt ex Apoſtoli oraculo *Rom.* 8. perſpectum eſt: *Qui verò ſecundùm Spiritũ ſunt, quæ ſunt Spiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniã ſapientia carnis inimica eſt Deo.*

VI. *Qua ſi-xas doctrinas reſigit, peruertitq; , prauas autem opiniones ſerit, ac tuetur.* Hęc videlicet carnis prudentia ipſiſſima illa eſt, quæ in conſcientiæ controuerſijs examinandis, in animarum iudicio ferendo, in foro Poli gubernado faciem cognoſcit; hæc, quæ perſonas hominum intuetur; hæc, quæ pro panis buccella veritatem deſerit; hæc illa, quæ multas opiniones veræ probabilitatis expertes, veluti probabiles, ac tutas venditat; hæc illa, quæ communibus, & certis Doctorum ſententijs ſola auctoritate ſine ratione inueteratam auctoritatem rationum pondere ſubnixam detrahere conatur; hæc illa, quæ regiam viam exploratæ doctrinæ relinquens, per auia, & præcipitia leuiſſimę ſubtilitatis incedit; hæc illa, quæ vires omnes ſollertiæ, eruditionis, induſtriæ, ac ſtudij ad opiniones carni, & ſanguini fauorabiles inuehendas, muniendaſque; ad oppoſitas verò animæ, ac ſpiritui ſalutares conuellendas & labefactandas expromit. In Schola quippe carnis prudentia carnis, magiſtra & patrona carnis, quid, obſecro, niſi carnem doceat? At enim hæc & inimica Deo, & mors eſt, vt paulò ante ex Apoſtolo retuli, cunctiſq; illis, qui huiuſmodi prudentiâ carnis res animarũ metiuntur, ab ipſomet Chriſto Domino iure exprobratur *Matth.* 16. Vadite poſt me Satanæ; ſcandala eſtis mihi, quia non ſapitis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quę hominum.

VII. Quamobrem vt hæc tàm grauia piacula a meis iſtis Paradoxis moralibus arceam quàm maximè, connitar equidem omnibus neruis, & facultatibus, quoad potero, ne vnquam a veterum Patrum ſcitis deſciſcam, ſed vt eorum auctoritatem quàm antiquiſſimam habeam, & cuncta ad rationis libellam, Doctorumque ſuffragia quàm accuratiſſimè exigam.

MORALIVM PARADOXORVM
DISPVTATIO PRIMA
De mulierum Ornatu generatim.

Ornatus quid ſit. O*Rnatus in genere humano,* inquit Silueſter in *Summâ, Verbo, Ornatus,* initio, *eſt adiectio ſiue applicatio ornamenti ad humanam perſonam. Ornamentum autem eſt res extrinſecus adiecta naturalem gratiam augens, vel ingratiam*, ſeu deformitatem *minuens*.

Ego plura in pauca conferens, docebo. Primò, ornatum mulierum moderatum eſſe licitum. Secundò, immoderatum eſſe illicitum. Tertiò, illicitum perſæpe intra venialis culpæ ambitum conſiſtere. Quartò, illicitũ non rarò quoq; mortiferum euadere.

Moderatum ornatum feminis eſſe licitum. Cap. I.

I. Moderatus ornatus licitus eſt. NON eſt, cur mulieres, aut mulierum patroni vereantur, ne moderatum ego ornatum ipſis inuideam, aut ereptum eam. Quin vltro iiſdem hunc ego indulgeo, & grauibus quoq; Sacrarum Scripturarum teſtimoniis munitum, ſtipatumque exhibeo.

II. Vt liquet ex Scripturâ exẽplis. Video enim in primis mulieres, armillas, inaures, annulos, & dextralia ad cultum tabernaculi, vt *Exodi* 35. refertur, contuliſſe, quorum ornamentorum vſum quum diuinus Scriptor minimè improbet, argumento comperto eſt, eum licuiſſe. Video inaures, armillas, monilia argentea, atq; aurea, veſteſq; pretioſas à proco miſſas, vt *Geneſis* 24. traditur, a Rebecca femina ſancta acceptas. Video Noemi ſanctam mulierem, dum Ruth indicaret, quo pacto ipſa ſibi maritum Booz compararet, ita ab hac inſtitutam, *Lauare, & vngere, & induere cultioribus veſtimentis*, vt ſcribitur *Ruth.* 3. Video nobilem illam matronam, quæ *Prou.* 31. tam eximiis laudibus celebratur, ſuo mundo non caruiſſe: *Stragulatam* enim *veſtem fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius.* Video Canticorum Sponſum *cap.* 1. hoc pacto ad ſponſam verba facientem: *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Video Eſtherem Sanctimonia inſignem vnguentis, pigmentis, & aromatibus, vt *Eſt.* 2. narratur, vſam fuiſſe. Video aliam feminam *Ezech.* 16. hæc ab ipſomet Deo verba haurientem: *Vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis &c.* Nam tametſi huiuſmodi ornamenta hoc loco metaphoricè ponantur, nihilominùs ex vſu communi, & e medio, vt rectè Gabriel Aluarez in Iſaiam *cap.* 3. *verſ.* 26. *num.* 89. obſeruat, ſumpta ſunt. Qui quidem vſus ſi foret illicitus, minimè idoneus rebus diuinis ſignificandis fuiſſet. Video quoq; *Sanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de Cælo a Deo paratam: ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, vt Ioannes *Apocal.* 21. commemorat. Video deniq; Iudith viduam Sanctiſſimam, quæ *abſtulit a ſe Cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit*

mitram

mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitq; Sandalia pedibus ſuis, aſſumpſitq; dextrariola, & lilia, inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat; & ideo Dominus in illam banc pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret, vt Iudith 10. ſcribitur.

III. *Et tradit Apoſtolus, & DD. 1. Tim. 2.*

Sed quid opus pluribus exemplis ſacris, quum ipſemet Gentium Apoſtolus explicatè auctor ſit, vt mulieres honeſtè ſe ornent? *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus, ſine ira & diſceptatione: Similiter, & mulieres in habitu ornato: cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe.* Vbi manifeſtò moderatum ornatum mulieribus concedit. Quam Apoſtoli ſanctionem amplectuntur ſine vlla controuerſia omnes Theologi, S. Thomas 2. 2. *q.*169. *art.*2. Caietanus cum omnibus Thomiſtis *ibidem*, S. Antoninus in *Summa par.* 2. *tit.* 4. *cap.* 5. §. 7. *verſ. Demum ſi intendit.* Siluester in *Summa, verbo, ornatus, quæſt.* 2. Angelus in *Summa, eodem verbo, num.* 1. Tabiena in *Summa, ibid. quæſt.* 3. *num* 4. Roſella, *eod. verbo, num.* 5. Piſanella *ibidem, verſ. vtrum mulieres*, Aſtenſis *prima part. lib.* 2. *tit.* 54. *q.* 1. Ioannes de Friburgo *lib.* 3. *Summæ, tit.* 34. *q.* 288. Baptiſta de Salis *in Summa, verbo ornatus, concluſ.* 5. Ioannes Viguerius in *Inſtitutionibus, de virtute temperantiæ cap.* 7. §. 5. *verſ.* 13. Iacobus de Graſſijs. *lib.* 2. *Deciſionum aurearum, cap.* 76. *num.* 6. Nicolaus Aurificus in *Summa, tit.* 3. *cap.* 14. *art.* 11. *verſ. Quinta, ſe la donna.* Ioannes Azor *par.* 3. *Inſtit. lib.* 3. *cap.* 30. *q.* 1. *verſ. Reſpondeo in primis.* Leonardus Leſſius *lib.* 4. *de Iuſt. cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 107. & 108. Vincentius Filliucius *Tract.* 30. *cap.* 10. *num.* 221. *verſ. Quintus, ornare ſe.* Martinus Bonacina, de *Matrimonio, quæſt.* 4. *punct.* 9. *nu.* 25. Martinus Nauarrus in *Summa Latina, cap.* 23. *num.* 18. Emmanuel Sà in *Aphoriſmis, verſ. Ornatus, num.* 2. *fin.* Gabriel Aluarez in Iſaiam *cap.* 3. *verſ.* 26. *num.* 89. Molfeſius in *Summa tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 219. Franciſcus Ghetius in *Teologia morali, verbo ornatus nu.* 2. & 4. Paulus Layman *lib.* 3. *Theol. moral. tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. in fine, *verſ. Simile exemplum*, & cæteri ad vnum omnes, ſed copioſiſſimè, & eruditiſſimè præ reliquis Andreas Tiraquellus in *legem tertiam Connubialem, Gloſ.* 1. *p.* 3. *num.* 16. *vſq; ad* 45. necnon recentiſſimè omnium Hieronymus Sopranis in Dauid tota digreſſione prima.

IV. *Et ratio perſuadet.*

Tam multis verò Sacrarum Scripturarum exemplis, ac ſcitis, conſpirantibusq; Doctorum omnium ſuffragijs apertæ, ac validæ quoq; rationes adſtipulantur. Nam ornatus muliebris per ſe res indifferens eſt, ac proinde bono fine honeſtari poteſt. Quare vbi ille moderatus eſt, feminæ licitè eo vtuntur, tum vt vnaquæq; decus ſui ſtatus tueatur: tum vt nuptæ placeant viris ſuis, tum, vt, quæ viro carent, virorum etiam aſpectibus placeant, quò aliquem eorum ſibi maritum lucrentur per legitimas; & commodas nuptias. Vbi animaduertendum ex S. Thoma *loc. cit.* ad 4. Caiet. *ibi* Nauar. l. c. Leſſio l. c. & alijs paſſim eſt, præter ornatum ad decorum ſtatus retinendum neceſſarium, permitti etiam aliquid amplius ornatus mulieribus ob ſolam pulchritudinem, maritorum gratiâ, quos nempe aut iam habent, aut certè quærunt: qui tamen ornatus, licèt maior ſimpliciter neceſſario, adhuc tamen intra moderatio-

nis

nis limites conſiſtit, adeoq; & licitus meritò exiſtimatur.

V. *Præcipuũ ornamentum feminarũ virtus eſt.*

At hîc minimè prætereundum, præcipuum fœminarum ornamentum, vt non ſolùm veteres Patres, Sed etiam Sapientes quiq; tradunt, eſſe virtutem. Ex Patribus vnum affero Tertullianum, qui *lib. de cultu feminarum* ita egregiè pronuntiat: *Tempora Chriſtianorum ſemper, & nunc vel maximè, non auro, ſed ferro tranſiguntur, ſtolæ Martyrum præparantur, Angeli baiulis ſuſtinentur. Prodite iam vos mulieres ornamentis inſtructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti; caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus, quàm in auro placebitis: veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ: taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Hæc Tertulianus. Ex Ethnicis vnus inſtar omnium ſit Crates, qui Chriſtianis feminis ſecus opinantibus ruborem hoc pacto iure ſanè incutiat: *Ornat mulierem quod honeſtiorem facit; talem verò præſtat non aurum, non ſmaragdus, non coccus; ſed quæcunque grauitatis, moderationis, & pudoris ſpecimen habent.*

Apud Cornelium à Lapide in Iſaiã c.3. ver. 36.

Immoderatum ornatũ feminarum illicitum eſſe. Cap. II.

I. *Immoderatus ornatus illicitus eſt.*

NON loquor de praua intentione, quæ vbi ab honeſtate deflectit, etſi exterior ornatus honeſtiſſimus ſit, dum hunc tamen ad finem improbum refert, ipſum quoq; extrinſecus inficit, ac flagitioſum reddit; ſed de ipſomet externo ornatu immodico dumtaxat, qui tametſi modum excedere probè animaduertitur, tamen voluntariè, ac liberè adhibetur: aioq; articulatè, & rotundè hunc eſſe planè illicitum. Pro qua certa explorataque veritate pugnant perſpicua Sacrarum Scripturarum monumenta, pugnant priſcorum Patrum chirographa, pugnant Doctorum omnium decreta, pugnant pugnaciſſima, atq; incluctabilia argumenta.

Nam primò idem Spiritus Sanctus, qui in Scripturis ſanctis moderatum ornatum probat, ac laudat, vt ſuperiore capite vidimus; in iiſdem immoderatum improbat, ac vituperat; quumque non ſolam animi iniquam affectionem, ſed ipſum etiam externum feminarum cultum redarguat, fatendum neceſſariò eſt, immodicum quoq; earumdem ornatum ab eodem Spiritu Sancto palàm damnari: ſeu illum ornatum, qui ab ipſomet ibidem damnatur, & non ob ſolam prauam intentionem, eſſe immoderatum, adeoq; etiam illicitum: Iſaias in primis *cap. 3.* luculentiſſimè immodicum ipſum ornatum deſcribit, atq; in pœnam delicti auferendum, ſordibuſq; & fœtore commutandum, ita vaticinatur: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpante crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoq; viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* Non eſt porrò dubium, reprehendi hîc a Deo potiſſimum prauam mulierum affectionem, quæ ornamen-

II. *Vt conſtat ex ſcripturis veteris teſtamẽti.*

tis ad faſtum, ad ſuperbiam, & alia peccata abutuntur; ſed ipſum quoq; ornatum vtpotè immoderatum in crimen vocari ex eo vincitur, quòd vbi vulgata habet: *Pulcherrimi quoq; viri tui gladio cadent*; in Hebræo textu eſt: *quia pro pulchritudine*, quod Chaldæus hac ratione exponit: *Hæc pœna pendetur ab eis, quia errauerunt in pulchritudine ſua.* In quem locum Gabriel Aluarez inſignis diuinorum voluminum Interpres, ita præclariſſimè: *Peccârunt nimirum, quam a Deo non acceperant, pulchritudinem quærentes, aut, quam acceperant, augere ſtudentes rationibus, & artibus contra naturæ præſcriptum, & diuinam voluntatem: quæ quidem omnibus in commune feminis moderatum, & honeſtum cultum præſcribit.* Idem Iſaias *cap.* 57. Vrbi Ieroſolymitanæ in idololatriam lapſæ velut meretrici atq; adulteræ immodicum ornatum exprobrat: *Et ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.*

Num. 91. fin.

III. Salomon quoq; ſapientum omniũ ſapientiſſimus *Prou.* 7. eâdem notâ immoderatum ornatum aſpergit. *Et ecce occurrit*, inquit, *illi ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas garrula, & vaga.* Quam ſententiam & verba Theologi, & Summiſtæ capite præcedenti *num.* 3. relati ad immodicum cultum reprobandum nominatim, ac ferè omnes commemorant.

IV. Libro item 4. *Regum, cap.* 9. de Iezabele muliere peſſima diuinus Hiſtoricus ita ſcribit: *Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum.* Quin etiam Iudas *Geneſ.* 38. Thamarem immodicè ornatam contemplatus ex eo ornatu meretricem eſſe ſuſpicatus eſt. Nec vacat myſterio, quod Eccleſiaſticus *cap.* 9. comptam mulierem cauendam his verbis monet; *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias faciem alienam.* Haud ſecus etiam Oſee propheta *cap.* 2. de meretrice ſic loquitur: *Ornabatur inaure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos.*

Sanctus pariter Dauid *pſalm.* 143. manifeſtò nimium mulierum ornatũ perſtringit, quum eum cum templi pretioſis ornamentis contendere non obſcurè innuit. *Filiæ eorum compoſitæ*, inquit, *circumornatæ, vt ſimilitudo templi.* Eſt verò immodicus ornatus nobile ſuperbiæ inſigne, & genuina teſſera, ſi quidem & ab illa oritur, & eandem fouet, augeq; Quocirca modeſtiſſima Regina Eſther *cap.* 14. huiuſmodi ſuperuacaneum ornatum hoc ipſo ſingillatim nomine Deum alloquens hoc pacto deteſtatur: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſtor illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.* Concinit quoq; Ezechiel *cap.* 7. *Ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt.* Addo & illud ex eodem Propheta *cap.* 23. *Circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.* Eſt autem ſtibium, vt notat Tiraquellus in *legem III. Connubial. Gloſ.* 1. *par.* 3. *num.* 1. quod hodie officinæ *Antimonium* vocant, quo mulieres ad curam formæ, & decoris, præſertim oculorum vtebantur, quemadmodum ante Tiraquellum Plinius *lib.* 33. *cap.* 6. & Galenus *lib.* 6. *de ſanitate tuenda* docent, quos idem Tiraquellus *ibid.* laudat. Hæc ex veteri Teſtamento. V.

VI. Ex nouo autem Princeps Apoſtolorum 1. *Petr.* 3. immodicum ornatum a mulieribus hoc modo remouet: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut*

Et docent Petrus, ac Paulus qui etiã

ideo præcipiunt eum caueri.

aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. In quem locum Gloſſa ex Cypriano: *Serico, & purpura indutæ, Chriſtum ſinceré induere non poſſunt: auro, & margaritis adornatæ, & monilibus, ornamenta mentis, & corporis perdiderunt.* Conſentit Doctor Gentium Paulus 1. *Tim.* 2. ita ſanciens: *Volo ſimiliter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera.* Vbi Apoſtolus expreſsè ſicut ornatum moderatum, qui eſt cum verecundia, & ſobrietate, mulieribus concedit; ita immoderatum, qui eſt ſine verecundia, & ſobrietate, nempe in tortis crinibus, in auro, in margaritis, in veſte pretioſa, vt mox ipſemet explicat, diſertè vetat. Quamobrem S. Thomas 2.2. q. 169. *art.* 2. ad 1. fatetur per huiuſmodi verba ſuperfluum ornatum mulieribus ab Apoſtolo eſſe prohibitum, idemq; ſentiunt ſine dubio Thomiſtæ magiſtrum ſecuti. Sed ante hos omnes idipſum S. Hieronymus *Epiſt.* 14. *ad Celantiam*, his verbis docuit: *Apoſtolus non eas iubet ſqualore, ſordibus, & horrentibus pannorum aſſumentis tegi, ſed immoderato, cultui, & nimis exquiſito interdicit ornatui, ſimplicemq; commendat ornatum, atq; habitum.* Neq; ſecus S. Chryſtomus allato hoc Apoſtoli loco 1. Tim. 2. Sic *hom.* 17. in *Matth.* diſputat: *Audi cum eo* (Iſaia ſcilicet) *etiam beatum Paulum, multa illis præcepta ponentem, tum de auri, ac veſtis ornatu, tum de intortis arte crinibus, tum de ipſis quoque delicijs, alijsq; huiuſcemodi eas vehementiùs increpantem.* Eodem modo & S. Cyprianus *de diſciplina. & habitu Virginum* præceptum iiſdem verbis contentum agnoſcit: *Diuitijs tuis*, inquit, *Paulus occurrit, & ad cultum, atque ornatum tuum iuſto fine moderandum ſua voce præſcribit: Sint*, inquit, *mulieres cum verecundia, & pudicitia componentes ſe*; & poſtea, *Item Petrus ad hæc eadem præcepta conſentit.*

VII. Subſcribit quoq; S. Gregorius Romanus, Summus Pontifex, cuius in *homil.* in *Matth. cap.* 11. cenſura exertiſſima hæc planè eſt: *Nemo exiſtimet in luxu, atq; ſtudio pretioſarum veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet: nequaquam Petrus* (Paulus, voluit dicere) *a pretioſarum veſtium appetitu compeſceret dicens*: Non in veſte pretioſa. *Penſate ergo, quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, quo curauit Paſtor Eccleſiæ & feminas prohibere.* Idem ferè alia homilia, nempe 40. *in Euangel.* ita repetit: *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumq; veſtium non putant eſſe peccatum. Quod videlicet ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd Diues, qui torquebatur apud Inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet.* Et paulò poſt: *Quod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quia nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, vbi ab alijs non poſſit videri.* Diuus quoq; Chryſoſtomus eodem planè it verba Pauli 1. *Tim.* 2. iam citata hom. 8. hoc pacto rurſum commentans: In habitu ornato. *Habitum profectò tunicam vndiq; honeſtam, compoſitam ſignificari voluit. Ornatum non exquiſitum intelligas, ſed moderatum: hic enim ornatus habitus eſt; ille autem fœdus.*

VIII. *Immoderatus ornatus damnatur à Tertulliano.*

Nunc ſi à diuinis Scripturis, veterum Patrum explicatione etiam illuſtratis, ad ipſoſmet Patres agminatim inſtructos, & ſuopte nutu quoq; præliantes gradum faciamus, incredibile dictu eſt, quanta ij ſeueritate, quanta acri-

acrimonia, quanto ſpiritus impetu, in ſuperfluum feminarum cultum tonent, excandeſcant, inuehantur, fulmina iaciant. Vnus Tertullianus duos integros hac de re libros, alterum *de Habitu mulierum*, alterum *de cultu feminarum* inſcriptos, ſummæ indignationis pleniſſimos conſcripſit, e quibus pauca dumtaxat libo, atq; hîc ſiſto. In priore libro: *Aiunt*, inquit, *de frontibus draconum gemmas erui. Hoc quoque deerit Chriſtianæ, vt de Serpente cultior fiat: ſic calcabit diaboli caput, dum de capite eius ſuis ceruicibus ornamenta ſtruit*. In eodem libro: *Quis eſt veſtium honor iuſtus de adulterio colorum iniuſtorum? non placet Deo, quod non ipſe produxit, niſi ſi non potuit purpureas, & hyacinthinas oues naſci iubere*. In poſteriore autem de cultu feminarum nihilo leniùs: *Indignum eſt chriſtiano faciem fictam geſtare, cui ſimplicitas indicitur; effigiẽ mentiri, cui linguã non licet: appetere ꝙ datũ non ſit, cui ſtudium pudicitiæ eſt: quomodo præcepta Dei cuſtodietis, lineamẽta Dei non cuſtodientes?* Rurſum idẽ Auctor luxum ornamentorum in feminis adeo execratur, vt ab ipſis Dæmonibus excogitatum, iiſdemque adlitum velit. Nam Dæmones (inquit *cap. 2. de habitu mulierum*) *propriè, & quaſi peculiariter feminis inſtrumẽtum muliebris gloriæ contulerunt*. & *cap. 5. de cultu feminarum*, adhuc vehementiùs: *Diabolus huiuſmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod naſcitur, opus Dei eſt, Ergo quod fingitur, Diaboli negotium eſt.*

IX. *Tum à S. Cypriano quoq;*

Tertullianum S. Cyprianus in libro *de diſciplina, & habitu virginum* palàm ac ſtrennè imitatus, eandem corruptelam ſic execratur: *Angeli Apoſtatæ oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptelæ ſuæ impugnatione docuerunt*. Deinde oſtendẽs per hoc Deo fieri iniuriam, ſubdit: *Feminæ manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit; reformare & transfigurare contendunt, neſcientes, quia Dei opus eſt, omne quod naſcitur; Diaboli quodcunq; mutatur*. Mox id declarat exemplo periti pictoris, qui iure indignatur, ſi quis imperitus opus eius iã perfectum emendare velit: *Tu te exiſtimas*, deinde addit, *impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam? Vt enim impudica circa homines; & incaſta fucis lenocinantibus non ſis; corruptis violatiſque quæ Dei ſunt, peior adultera detineris*. & infra. *Dominus tuus dicit; Non potes facere capillum vnum albũ, aut nigrum: & tu ad vincendum Domini tui vocem vis te eſſe potiorem? Audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos tibi flammeos auſpicaris*. Et paulò poſt: *Non metuis, oro, quæ talis es, ne, quum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat, & ad ſua præmia, & promiſſa venientem remoueat, & excludat? increpans vigore cenſoris, & Iudicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nec imago hæc noſtra eſt: cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti: expugnata eſt mendacio facies: figura corrupta eſt: vultus alienus eſt: Deum videre non poteris: quãdo oculi tui non ſunt, quos Deus fecit; ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos, atq; depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura*.

X. *Nec non à Nazianzeno, & Chryſoſtomo.*

Iiſdẽ prorſus veſtigiis inſiſtit quoq; S. Gregorius Nazianzenus in exhortatione ad Virginem, ſic differens:

Alÿ quidem fucis, & colorum nitoribus imaginem diuinam adulterant, viuæ tabulæ fœdi indices interiorum animi affectuum. Eodem pariter, & S. Chryſoſtomus *hom.* 4. ad *cap.* 1. *Epiſt. ad Timot.* tendit: *Quid artem,* inquit, *conſummato a Deo opificio admouere præſumis? Non tibi ſufficit diuina formatio? An verò velut excellentior opifex diuinum opificium corrigere impia moliris audacia? atq; ad auctoris iniuriam ornaris, vt poſt te greges iuuenum trahas?*

XI. *Tum etiam a S. Auguſtino.* Inſignitè etiam D. Auguſtin⁹ *Epiſt.* 73. Poſſidio, hac de re ipſa conſulenti ad hunc modum reſpondet, totamq; rem breuiter, & doctè definit: *Nolo tamen de ornamentis auri, vel veſtis praproperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neq, coniugati, neq; coniugari cupientes, cogitare debeant, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quæ ſunt mundi, quomodo placeant, vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, niſi quòd capillos nudare feminas, quas etiam velare caput Apoſtolus iubet, nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt; qua non dubito etiã ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt feminæ ornari, ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium.*

XII. *Nec non a Petro Eremita.* Eodem quoq; tenore S. Petrus Eremita ad matrem B. Theodoreti elegantiùs comptam in *Religioſa Patrum hiſtoria cap. 9.* ait: *Si pictor egregius pinxiſſet imaginem, & alius plebeius ei alios colores iniÿceret, pictor ſanè excandeſceret: ita & Deus naturæ noſtræ opifex & pictor iure iraſcitur, quòd eius naturam & ſapientiam accuſetis inſcitiæ, ipſumq; creatorem damnetis imbecillitatis. Nolite ergò Dei corrumpere imaginem, neque tentetis ea addere, quæ ſapienter non dedit.*

XIII. *Et ab aliÿs PP.* Huc etiam trahit S. Cyrillus Alexãdrinus, quod Iſaias *cap.* 3. *verſ.* 16. refert: *Pro eo, quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion.* ita hunc locum enucleans: *Altum ſibi, deq; ſe magnificè ſentire videbantur, propter opulentiam, gloriam, externamq; pulchritudinem, quam ex lapidibus, & auro, & veſte varia conciliãrunt. Etenim in his deſcribit nobis ſermo Propheticus ingenium, & habitũ mulieris voluptariæ, leuis, ornatuq; ſplendido decoratæ, vt ex quibuſdam, omnium demonſtraret ſuperbiam. Incedebant enim,* inquit, *extento collo.* &c.

XIV. Eandem immodici ornatus muliebrem vitioſitatem accerrimè exagitãt S. Ambroſius *lib.* 1. *de Virgin.* S. Baſilius in *cap.* 3. *Iſaiæ*, & *homilia* in *pſalm.* 45. S. Cyprianus, *lib. de bono pudicitiæ*, S. Hieronymus in *vita S. Pauli Eremitæ*, in *Epiſtolis* ad Euſtochium, ad Ruſticum, ad Heliodorum, ad Marcellam, ad Nepotianum, & *Dialog.* 1. *contra Pelagianos*, S. Bernardus *lib.* 3. *de conſiderat.* S. Chryſoſtomus *hom.* 11. & 36. & 41. in Geneſim, *hom.* 50. in *Matth.* 31. 60. & 68. in *Ioan.* 7. in *Epiſt. ad Coloſſ.* 7. in eam ad *Philipp.* & 39. ad *Populum.* Itẽ *hom.* 21. *ad Populũ* pariter, 8. in *Matth.* 28. ad *Hebræos*, & reliqui patres, quos infra *cap.* 6. §. 2. in medium adducam.

XV. *Et a cũctis DD.* Sacrarum ſcripturarum, priſcorumque Patrum teſtatam ſententiã Theologi omnes ac Doctores priore capite enumerati venerantur ac tuentur, præterque eos Didacus Baeza inſuper *lib.* 3. *in Euang. cap.* 4. §. 19. Coſmas Magalianes in 1. *Tim.* 2. *ſect.* 4. *Ann* 7. Didacus Celada in *Iudith. cap.* 10. §. 3. Aloyſius Nouarinus vir doctiſſimus noſtriq; ſeculi decus in *Adag.* *excurſ.* 143. & in *Aquis, excurſ.* 32. Andreas Tiraquellus in 3. *leg. connub. gloſſ.* 1. *part.* 3. *nu.* 1. vſq; ad 16. Ioannes

nes

nes Buſæus in *Arca Medica, verbo, veſtium luxus*. Gabriel Auarez in Iſaiam *cap. 3. Verſ. 26. nu. 91. & ſeq.* Theophilus Raynaudus *de virtutibus, & vitijs, lib. 6. ſect. 2. cap. 18. n. 280. & ſeqq.* Andreas Gelſominius *in Theſauro cœleſti, cap. 12.* Benedictus Fernandius in *Geneſim cap. 2. ſect. 17. nu. 4. & cap. 3. ſect. 19. num. 2.* cuncti etiã Scripturarũ interpretes, ea diuini voluminis loca ſuperiùs cõmemorata penſiculatè ediſſerentes, qui omnes ſuperfluum immodicumq; mulierũ ornatum tanquam vitioſum atq; illicitũ agnoſcunt, carpunt, condemnant.

XVI. *Quemadmodum ratio ĩt euincit.* Ratio item euidens idem planè cõuincit, quia quidquid virtuti opponitur, vitioſum eſt, vt patet, & fatentur omnes. At ſuperfluus vel immodicus mulierum ornatus virtuti temperantiæ opponitur, vt cuncti pariter Doctores, nullo diſcrepante, decernunt. ergo vitioſus eſt, ac proinde etiam illicitus. Et confirmatur I. quia ſi non eſt vitioſus, neq; illicitus; ergo neque immodicus cõtra ſuppoſitionẽ, quod eſt ridiculum. Cõfirmatur II. quia ſicut ornatus moderatus eſt rationi cõſẽtaneus, ac propterea honeſt⁹, ita immoderatus eidem rationi diſſonus, ac proinde inhoneſtus, vitioſus, atq; illicitus. Vnde neceſſariò euidenterq; colligitur, immoderatũ mulierum ornatũ peccatum eſſe, quantum eſt ex ipſa rei natura, ad minimum ſemper veniale. Quum enim quicquid illicitum eſt, peccatum ſit actuale; hoc autem duplex ſit, mortale, aut veniale; fieri nõ poteſt, quin ornatus immodicus, qui illicitus eſt, vt iam probaui; peccatum ſit, ſi non mortale, ſaltem veniale.

XVII. *Fruſtra autem Diana diſſentit.* At huic veritati tam planæ, ac certæ obluctatur apertè Diana vir ſanè doctiſſimus, iuxtàq; humaniſſimus *par. 2. tract. 15. reſolut. 30. Verſ. Adde,* vbi relata opinione Suarij cenſentis eſſe peccatum, ſi ornatus ſit ſuperfluus & maximus; mox ſubdit: *Sed ego puto non peccare, etiamſi eſſet ſuperfluus & maximus, dummodo ſit ſecundùm morem patriæ.*

XVIII. At fruſtra, & ſine vlla prorſus probabilitate Diana ab alijs cunctis diſſentit. I. quia nullam prorſus rationem tolerabilem, cur a cęteris diſcrepet, ſingularemq; opinionem oppoſitam primus inuehat, in medium affert.

XIX. II. quia perſpicuis Scripturæ ſacræ teſtimonijs, quæ ornatum muliebrem immoderatum omnem, vtcunq; etiam vſitatum, palàm damnant, aduerſatur. Certum enim eſt, ſicut nihil poteſt inferior in legem Superioris, ita nullam conſuetudinem, vel præſcriptionem contra ius diuinum, quale eſt, quod ſacris Scripturis continetur, & ab illis explicatur, aut dicitur, quicquam virium habere, vt tradunt Suarez, Reginaldus, Salas, Becanus, Rebellus, & cæteri communiter apud Bonacinam *diſput. 1. de legib quæſt. 1. punct. vlt. §. 3. nu. 8.* Quamobrem Ioannes Viguerius *cap 7. inſtitution. §. 5. ver. 13.* quum loca Petri, & Pauli ſupra expoſita in medium attuliſſet, deinde ſubdit: *Per quæ ſecundùm D. Thomam datur intelligi, quòd ſobrius, & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, inuerecundus, & impudicus. Nec videntur excuſari conſuetudine, ex quo tam diligenter Apoſtoli prohibuerunt.*

XX. III. quia veteribus Patribus vnanimi conſenſu immoderatum ornatum, etiam maximè conſuetum vituperantibus, & exturbare conantibus manifeſtò repugnat. Perſpectiſſimum quippe eſt, immodicum ornatum ab ijſdem Patribus vehementiſſimè reprehendi; non ſolùm eum, qui recenter in aliquam regionem induceretur, ſed multo magis illum quoq;, qui ijs in

 locis,

locis, in quibus verſabantur, tum maximè percrebuerat, longaq; conſuetudine, etſi praua, confirmatus, altas radices iam egerat: quem nihilominùs tanquam grauem correptelam tam ſeuerè criminabantur, & euellere penitùs ſummopere nitebantur, vt ex eorundem monumentis ciuiis compertum eſt. Quis igitur immodicum ornatum quantumcunq; vſitatum, quem Scriptura, & Patres damnant, omni culpa audeat abſoluere? Nemo, opinor, nemo id probabiliter tentauerit. Itane enim Scriptura, & Patres tam ſeriò, tam contentioſè, tam vehementer reprehendunt, quod ne veniale quidem peccatum eſt? Hoc verò falſum, nec minùs abſonum omninò eſt. An effrænes hominum cupiditates tantùm poſſunt, vt conſuetudine roboratæ, quomodocunque tandem exorbitent, ſeipſas vel a leuiſſimo etiā peccato, contra manifeſtas etiam, duraſq; Scripturarum, Patrumq; increpationes, quæ tales conſuetudines, vel potiùs corruptelas maximè deteſtantur, valeant eximere? Hoc verò iterū
XXI. falſum, & ex æquo abſurdum eſt.

IV. quia euidentē rationē propoſitā nullo modo ſoluit. Si enim ornatus eſt immoderatus, vt ſupponitur, & ipſemet Diana, dum ſuperfluum, & maximum culpæ omnis immunem, ſi ſit ſecundùm morem patriæ, arbitratur, concedere cogitur; quomodo is temperantiæ non opponitur, ac propterea etiam vitioſus, illicitus, & peccati ſaltem venialis manifeſtus non eſt?

XXII. V. quia Turrianū 2.2.*tom.* 1.*diſput.* 96. *dub.* 2. *Ver. Ex traditis* aientem, eum ornatum, qui illuſtris ſit, non habere ſpeciem mali, ſi ſit iuxta conſuetudinem patriæ; fruſtra tanquam ſuæ patronum opinionis appellat. Is namq; tantùm vult, ſi ornatus a feminis illuſtribus pro conditione ſtatus earum geſtetur de more, non eſſe immoderatum, ac proinde nec habere ſpeciem mali. Nullo igitur modo audiendus Diana hoc loco eſt, qui a ſententia aperta Scripturarum, Patrum, ac Doctorum omnium, nec non ab explorata ratione, ſine vlla probabilitate diſcedit, eiuſdemq; opinio tanquā improbabilis omninò, ac falſa iure optimo reijcienda. Illa namq; opinio, quæ ſine ratione firma communi ſententiæ opponitur, eſt planè improbabilis, vt conſtat, & doceo preualidè in mea *Trutina opinionum moralium par.* 1. *cap.* 6. *& ſeqq.*

Dices, ornatum, licèt ſuperfluum, & XVIII. *Cuius effugiū etiam intercluditur.*
maximum, eo ipſo quòd vſitatus eſt, deſinere eſſe immoderatum, ac proinde licitum euadere. Sed cōtra eſt, quia repugnat ex terminis, eſſe vſitatum, ſimulq; ſuperfluum, & maximum: & tamen non eſſe immodicum. Vnde enim in tali regione dicitur ſuperfluus & maximus, niſi reſpectu aliarum feminarum, quæ ibi vtuntur ornatu decenti, & moderato? alioqui ſi omnes ſuperfluum & maximū in tali regione adhibēt, ſuperfluꝰ, & maximꝰ reſpectu eiuſdē regionis dici nō poteſt, quū ſuperfluꝰ, & maximꝰ ſupponat neceſſariò aliquē in eadē regione moderatū & decentē, reſpectu cuiꝰ ſuperfluus, & maximus dicatur. At per te omnis ornatus vſitatus fit illicò moderatus, & in tali regione omnes mulieres talē ornatum vſurpant. Ergo is ſuperfluus & maximus dici non poteſt, quum deſit ibi alius ornatus minoris elegantiæ ac pretij, vt ſupponitur. Eademque ratio eſt, ſi omnes matronæ nobiles maximum ornatum induant, quo cæteræ abſtinent: adhuc enim reſpectu nobiliū maximus dici nequit, quū nulla ex nobilibꝰ minùs elegantem ferat. Ergo a contrario vbi reuera pleræque mulieres moderato ornatu contentæ

in-

incedunt, ſuperfluus & maximus re[illegible]ſpectu talis moderationis ab ali[illegible] patus, quanquam vſitatus [illegible] tem[illegible]antiæ aduerſatur [illegible], & immode[illegible]pa vacat, ſaltem veniali. Deinde vel Diana vult diſſentire a communiſſima reliquorum Doctorum ſententia ſuperfluum ornatum culpæ venialis damnante; vel nõ vult diſſentire. Si ſecundum, ergo fruſtra tanquam quid nouum a ſe probari, improbatum ab alijs cunctis præſefert. Si primum, neceſſe eſt, vt ſuperfluum & maximum ornatum ab omni culpa, vbi vſitatus eſt, liberet, vt planum eſt. At enim ſi ornatus hoc ipſo, quòd vſitatus eſt, euadit illico moderatus, ac proinde etiã licitus, vt ſtatuit Diana; iam non diſsẽtit is Auctor ab alijs cunctis Doctoribus, qui etiam omnem moderatum ornatum culpæ omnis expertem pronuntiant. Ergo Diana ab alijs Doctoribus minimè diſsẽtit, vtcunq; diſſentire conetur, aut videatur. Quanquam in eo planè diſcrepat, quòd omnem ornatum etſi maximum, & ſuperfluum valde, dummodo ſit vſitatus, illico moderatum fieri, videtur cenſere, at ſine vlla probabilitate, vt iam oſtendi.

In quibus caſibus ornatus immodicus mulierum ſit venialis. Cap. III.

I. Culpa venialis ex immodico ornatu contingit. NON eſt animus perſequi cunctos, qui accidere poſſunt, caſus in hac materia. Sat erit aliquos minimè controuerſos recenſere.

II. Ob vanam gloriam. I. quod pleræq; ex immodico ornatu inanem gloriam quærant, nonniſi veniale eſt, præciſâ aliâ malâ circumſtantiâ, quanquam hæc eadem labes, etſi ornatus non ſit immoderatus, ſi qua hinc immodicè efferatur, ac ſuperbiat, etiam contrahitur, vt liquet.

III. Ob nimiam ſolicitudinem. II. quòd nimiam ſolicitudinem ornatui comparando impendunt, dũmodo nullum aliud præceptum negligant, veniale dumtaxat pariter eſt.

IV. Ob vanitatẽ nouitatis. III. quòd aliquæ præter morem patriæ, nouum ornatus genus immoderatum introducant, aut vſurpent, dummodo id nullam peccandi occaſionem cæteris præbeat, ſi id faciunt ex animi tantùm leuitate, & vanitate ad oſtendendam pulchritudinem, & corporis elegantiam, non peccant niſi venialiter, vt docet Nauarrus in *Summa cap. 23. num. 18.* & ex eo Baldellus *tom. 1. lib. 3. diſp. 5. num. 19.* & ante hunc Leſſius mox citandus *num. 111.*

V. Ob ambitionẽ laudis de pulchritudine. IV. Mulieres, quæ ſe ſe ornant, nõ vt a viris ſuis concupiſcantur; & quæ nuptæ non ſunt, non vt aliquem maritum legitimè nanciſcantur, ſed vt cenſeantur inter pulchras, & laudentur vt pulchræ tantummodo, peccant venialiter tantùm, vt expreſsè tradit S. Thomas *2. 2. quæſt. 169. art. 2.* Caietanus *ibidem*, Silueſter *verbo, ornatus, quæſt.* 4. Roſella *num. 12.* Fumus *nu. 1.* Nauarrus, *cap. 23. num.* 18. citato, Leſſius *lib. 4. de Iuſt. cap. 4. dub. 14. num. 109.* qui hos omnes Doctores pariter teſtatur. Ratio eſt, quia id per ſe, vt *ibidem* Leſſius rectè philoſophatur, idemq; & reliqui neceſſariò exiſtimant, nõ continet grauem inordinationem, ſed ſolùm iactantiam, & vanam quandam gloriam, quę mortalis non eſt.

VI. Ob exceſſum. V. Exceſſus in hoc ornatu per ſe non eſt peccatum mortale, ſed ſolùm veniale. Ita Doctores paulò ante citati. Quoniam verò Leſſius præclarè hanc concluſionem explicauit, lubet hîc to idem eiuſdem verba repræſentare, quæ ſic habent, *nu. 110. & ſeqq.*

VII. Probatur primò, quia quando aliquid non eſt per ſe malum, ſed indifferens, exceſſus in appetitu, vel vſu illius (ſepoſita omni alia malitia extrinſeca) non eſt niſi peccatum veniale, vt patet in appetitu, & vſu diuitiarum, honorum, voluptatum. Vnde & exceſſus in potu non eſt peccatum mortale, niſi ratione nocumenti, quod infert, priuando vſu rationis &c. Atqui eſſe pulchrum, lautum, ſplendidum in cultu corporis per ſe non eſt malum, ſed indifferens. Ergo inordinatio, quæ eſt in nudo exceſſu iſtorum non eſt mortifera; ſed pertinet ad quotidiana peccata, quæ homines in amandis, vtendiſq; temporalibus plerumq; ſolent committere: difficile enim eſt in huiuſmodi menſuram rationis ſeruare.

VIII. Secundò, quia talis exceſſus neque eſt contra caritatem Dei, neq; proximi, neq; ipſius vtentis. Neq; enim honor Dei læditur, nec proximus, nec ipſe vtens: & poteſt quis cum tali exceſſu ſeruare præcepta Dei, & Eccleſiæ, & ſuæ ſalutis curam gerere. Ergo non eſt peccatum mortiferum.

IX. *Nec fucorum vſus per ſe lethalis eſt.* Tertiò. Non refert, quòd adhibeatur fucus, & varia pigmenta, & ita interueniat quædam fictio, qua intuentes decipiuntur; quia fictio, quando in nullius cedit detrimentum, non eſt mortifera. Deinde, non eſt propriè fictio, niſi id fiat eo fine, vt intuentes putent hunc colorem eſſe natiuum. At plerumq; non eo fine id faciunt, ſed ſolùm vt ſint, & appareant pulchræ, abſtrahendo a cauſa, vnde id proueniat. Vnde etiam fieri poteſt, vt ſine peccato vtantur. Primò, cauſſa tegendæ alicuius maculæ. Secundò, ſi maritus iubeat, nimirum vt vxor inter alias magis decora appareat: etſi enim mariti non cupiant adulterina illa fallacia decipi, vt D. Auguſtinus loquitur, ſæpe tamen vxores ſuas cupiunt ſic ornari. Tertiò, ſi aliqua alia rationabilis cauſſa ſubſit: ſicut Iudith, & Eſther omni genere ornamentorum ſibi pulchritudinem conciliârunt, quam & ipſe Dominus adauxit. Et quamuis fortè aliqui decipiantur, putantes illam pulchritudinem adſcititiam eſſe natiuam, parum id refert: tum quia deceptio non eſt intenta, ſed permiſſa; & vſus iſtorum eſt adeo frequens, vt intuentes facilè illud artis mangonium poſſint ſuſpicari: tum quia etiamſi deceptio eſſet intenta, parum intereſſet, quum ſit innoxia, nec limites mendacij officioſi excedat.

Denique pingere faciem, eiq; varios colores inducere non eſt per ſe malum, ſed indifferens. Similiter per hoc intendere pulchritudinem, & artificio iuuare ac exornare opus naturæ. Ergo nihil hîc eſt mali, niſi ratione exceſſus in affectu, & vſu rei indifferentis: qua in re non eſt peccatum mortiferum, vt oſtenſum eſt. Idem dicendum de vſu comæ adoptiuæ, ſutiliſque capillamenti, vt Tertullianus loquitur. Sicut enim pellibus & crinibus animantium ad ornatum vti licet; ita etiam capillis humanis arte compoſitis. X.

De vſu veſtis pretioſæ, annulorum, catenarum, & aliorum monilium, horumque multititudine, & varietate eadem ferè eſt ratio. Exceſſus enim in his ſolùm eſt peccatum ratione profuſionis opum, & inordinati affectus erga pulchritudinem. Itaque ſicut in his non eſt per ſe peccatum mortale; ita nec in illorum vſu. Hactenus Leſſius. XI. *Neq; veſtis pretioſa.*

Quando contingat immoderatũ ornatum euadere mortalem.

Cap. IV.

I. *Immodicus ornatus interdum mortalis euadit.*

Qvamuis ornatus immodicus per ſe mortalis non ſit, vt paulò ante ex Leſſio probatum eſt; fieri tamen

men poteſt, ac non rarò accidit, vt ratione alterius prauitatis connexæ, culpæ mortali obnoxius ſit, vt cuncti Doctores animaduertunt, notatque idem Leſſius *loc. cit. nu. 112. & 113.*

II. *Primò, Ratione mali finis, vt ſi fiat animo pertrahendi ad libidinem.*

III. *Secundò, Ratione præcepti poſitiui, vt ſi talis exceſſus eſſet vetitus aliqua lege ſub pœna excommunicationis, eaq; ſeruaretur. Quod ſi lex non habeat annexam pœnam, vel ſaltem non grauem, non erit plus quàm veniale. Imò credibile eſt plerasque leges ciuiles de huiuſmodi, quæ paſſim varijs locis habentur, eſſe ſolùm pœnales, & obligare tantùm ad multam.*

IV. *Tertiò, Ratione effectus, vt ſi ornatus eſſet illi cauſa furandi, non ſoluendi debita, non dandi eleemoſynam, quando ſub peccato mortali tenetur.*

V. *Quartò, Ratione affectus, ſi nimirum ita afficiatur ornatu, vt in eo vltimum finem collocet, ſiue vt paratus ſit mortiferè peccare.*

VI. *Quintò, Ratione ſcandali, vt ſi quis vteretur veſte adeo tenui, vel ita conformata, vt per eam pudenda non ſatis tegerentur. Idem enim iudicio morali non tam eſſet pulchritudinem oſtentare, quàm homines directè ad libidinem allicere.*

VII. Hæc etiam ex Leſſio hauſi, quia minimè controuerſa, & à cunctis Doctoribus facilè admittuntur, adeóq; ad ea confirmanda nullis alijs rationibus, aut documentis opus exiſtimo.

VIII. Exceſſus porrò ornamentorum poteſt eſſe vel leuis, vel notabilis: & quidem quum leuis eſt, conſtat ex ſuperiore capite eum ex ſe, præciſa alia praua circumſtantia, eſſe dumtaxat venialem.

IX. *Exceſſus ornamẽtorũ in pretio aut mali prouocatione.* Quod ſi exceſſus notabilis ſit, ſecernendum eſt, an is in magno ornatus pretio, veluti in veſte aurea, in gemmis, in anulis, & in ſimilibus tantùm conſiſtat; an verò, ſiue notabilis, ſiue etiam leuis tantummodò quantum ad pretium ſit, nihilominùs ad libidinem valdè prouocet, quamuis fortaſſe minùs pretioſus. Fieri quippe interdum poteſt, vt veſtis pretioſior, v.g. ex holoſerico nigro minùs ad malum, quàm alia vilior ex laneo panno, ſed coccineo, vel rubro, formâq; ipſa habitus concinniore, luceſcat, vt certis experimentis teſtatum eſt.

X. *Immoderatus valde ornatus in pretio mortalis cenſetur a multis DD.* Quum ornamentorũ exceſſus prioris generis eſt, ex nimio duntaxat pretio, ſi valdè immoderatus eſt, mortalis eum culpæ damnat S. Antoninus 2. *par. Summæ Tit. 4. cap. 5. §. 8.* S. Bernardinus Senenſis *Tom. 1. de Chriſtiana Religione, Serm. 44. art. 1. cap. 2* Angelus *in Summa, verbo, ornatus, nu. 6.* Tabiena *ibidem, num 3. §. 5* Silueſter *ibid. quæſt. 4. circa finem.* Baptiſta de Salis *in Summa ibidem §. quantum verò ad ſecundum,* Suarez *de Caritate diſp. 10. ſect. 3. num 10.* & Filliucius *Tract. 30. cap. 10. num 221.* Quæ ſententia eſt valdè probabilis.

XI. *Probabiliter tamen etiam negatur.* At ego in mitiorem partem inclinandi ſtudio, oppoſitam quoque, quæ, ſepoſita alia prauitate, venialem duntaxat eiuſmodi exceſſum notabilem ſtatuit, eſſe verè probabilem iudico, quam Caietanus 2. 2. q. 169. art. 2 *ad quartum dubium*, ita tradit. *Licèt ſuperfluitas ornatus in precioſis reſpectu perſonæ ſit vitioſa, ſi deſit tamen contemptus, & malus mortaliter finis, & lex; hoc eſt loquendo de ipſa ſuperfluitate ſecundùm ſe, nõ eſt mortale, etiamſi notabilis ſit exceſſus.* Idem ſentit Nauarrus *in ſumma, cap. 23. num. 18.* vbi adducto eodem Caietano *loc. cit.* (quanquam mendosè articulus primus pro ſecundo editus eſt) negat eã feminam mortaliter delinquere, quæ modum in ſe ſe ornanda notabiliter

excedit,

excedit, c . licet ſit contra virtutem non eſt .en magis contra caritatẽ Dei, .ximi, vel aliorum, vel propriã, q prodigalitas, quæ de ſe non eſt rtalis, licèt ſit contra virturem .beralitatis. Idem etiam apertè docet Iacobus de Graſſis *lib. 2. deciſ. aurear. cap. 77. nu. 7.* nec non Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 4. dub. 14. num. 109.* vbi Caietanum, ac Nauarrum huius opinionis patronos ita laudat: *Non peccare mortiferè* (nempe quæ ſe ornant, vt tanquam pulchræ commendentur) *quamuis in eo notabiliter modum excedant, vt Caietanus, & Nauarrus notant.* Rationes copioſiùs nõ affero pro hac ſententiã, quia non hic cardo queſtionis, cuius gratiã hæc Paradoxa elaboraui, eſt, & facilè tum apud relatos Auctores, tum apud alios videri poſſunt.

XII. Quid ſi verò ornamentorum exceſſus poſterioris ſit generis, præciſâque etiam mulieris prauâ intentione, alios ad libidinem notabiliter prouocet? peccabitne lethaliter mulier, quæ huiuſmodi prouocationis ignara non eſt? Huic ego quæſtioni non poſſum integrè, ac ſolidè ſatisfacere, niſi priùs nonnulla fundamenta, a quibus tota ſolutio pendet, interiectis paucis lapidibus, iecero.

Præmunitiones de ſcandalo, & de occaſione remota & proxima. Cap. V.

I. *Doctrina de ſcandalo neceſſariè præmittenda.* QVoniam ſequẽtes de ornatu queſtiones cum doctrinã de ſcandalo, & de occaſionibus tam arcto fœdere coniunctæ ſunt, vt niſi huiuſmodi doctrina bene ſit explorata, ſemperq; præ oculis habeatur, commodè expediri nequeant; cogor omnino in anteceſſum eam hoc loco interſerere. Quod eo lubentius præſto, quo plura documenta ad hanc materiam pertinentia non ſatis ab alijs Auctoribus explicata, & pleraq; etiam confuſa animaduerto.

§. I. Scandali definitio, & diuiſio.

SCandalum, quod idem ſonat, ac offendiculum, definitur communiſſimè a Doctoribus, *dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ,* vt tradit S. Hieronymus *in cap. 15 Matth.* & ex eo reliqui cũcti Theologi hauſerunt, Alexander Alenſis *in ſumm. par. 2. quæſt. 189. mem. 1.* S. Thomas 2. 2. *q. 43. ar. 1.* Caietanus *ibid.* Adrianus *quodlib. 1. art. 1.* Ricardus *in 4. diſt. 38. art. vlt. q. 1.* Durandus *ibid. quæſt. 3.* Maior *ibid. quæſt. vlt.* Summiſtæ *verbo, ſcandalum,* S. Antoninus *par. 2. ſum. Tit. 7. cap. 4. §. 1.* Couarruuias *Relectione, in c. Peccatum de reg. iur. par. 1. num. 5.* Azor *par. 2. lib. 12. cap. 16. q. 1. nu. 1.* Bannez 2. 2. *q. 43. art. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 8. punc 1.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6. num. 1.* Suarez *de Caritate 2. 2. diſp. 10. ſect. 1. num. 1.* Molfeſius *in ſumma, tract. 8. cap. 10. nu. 35.* Tannerus *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 6. dub. 8. num. 95.* Turrianus *2. 2. diſp. 95. num. 1.* Lorca *ibid. in quæſt. 43. n. 2.* Filliucius *tract. 28. cap. 10. nu. 219.* Becanus *2. 2. cap. 27. q. 1. nu. 1.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. nu. 1.* Baſilius Pontius *de Matrimonio lib. 5. cap. 18. num.* Ferdinandus a Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 1. nu. 1.* neq; ego vllum legi, qui diſſentiat. *II. Scãdalũ quid ſit.*

In quâ definitione ſub nomine dicti, factiue comprehenditur quoque quæcunque omiſſio ſeu dicti, ſeu facti, quoties occaſionem ruinæ præbet. Dicitur autem *præbens occaſionem,* & *III. Definitio ſcãdali expenditur.*

non

non cauſſam, vt indicetur, voluntatem a nulla re externa, tanquam a cauſa efficaci ad peccatum impelli, ſed tantùm velut ab occaſione inuitari, ſi velit, quemadmodum prædicti Auctores notāt. Quanquā fatendū ſimul eſt, eū, qui alterum ſuo prauo conſilio ad peccandum mouet, eſſe cauſſam moralem peccati ab illo commiſſi; qui verò id committit, v. g. furatur, furti non tantùm cauſſam moralem eſſe, ſed etiam phyſicam.

IV. Actiuū ſcandalum triplex.

Diuiditur verò ſcandalum generatim in actiuum, & paſſiuum. Actiuū illud eſt, quod iam definitum eſt, nempe *dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ.* Quod tripliciter poteſt contingere. Primò, directè, & formaliter intendendo ruinam ſpirituale proximi, hoc eſt, ex deſiderio, vt proximus patiatur damnū illud ſpirituale; quod eſt Dæmonum proprium ſcandalum actiuum, in hominibus autem rariſſimum eſt, vt relati ſupra Doctores paſſim obſeruant. Secundò, directè, ſed non formaliter, quando ſcilicet volo, quòd proximus violet v. g. caſtitatem, non quia malū eius eſt, ſed quia inde aliquod lucrum ſpero, quod perſæpe accidit. Tertiò, nec formaliter, nec directè, ſed indirectè tantùm, quando v. g. præuideo, quòd ex mea actione proximus facilè occaſionem accipiet peccandi; ego tamen id non intendo; ſed quia poſſé, & deberem ſcandalum illud impedire, pecco peccato ſcandali, ſiue ſpeciali, vt pleriq; putant, ſiue generali, vt pleriq; alij cenſent. Verùm ſicut actiuū ſcandalum triplici hac ratione poteſt contingere, ita difficultas eſt, an nomine dicti, factiue minùs recti intelligatur ſolùm id, quod malum eſt, vel ſaltem mali ſpeciem habet; an verò materia quoq;, & actio ex ſe omnino indifferens, tantumq; ex prauo euentu mala. At quia hæc quæſtio, vt probè ſoluatur, multa alia prærequirit, commodiùs infra §. 6. eam expediemus.

V. Scandalum paſſiuum quid ſit & quale.

Paſſiuum ſcandalum eſt peccatum eius, qui in peccatum ex occaſione ſiue datâ, ſiue acceptâ labitur, vt tradunt omnes. Et quidem ſcandalum paſſiuum aliquando cum actiuo coniungitur, quia nimirum alter occaſionem ruinæ, atq; adeo ſcandalum actiuum dedit; proximusq; hinc in peccatum ruit: aliquando autem, etſi alter ſcandalum actiuum dedit, & peccauit, proximus tamen in virtute conſtans, ſcandalum paſſus non eſt, hoc eſt, paſſiuum ſcandalum non admiſit, nec peccauit: aliquando denique, quamuis alter nullam ruinæ occaſionem, nullūque ſcandalum dedit, proxim⁹ tamen occaſionem ruinæ ſumpſit, merumque ſcandalum paſſiuum admiſit ac deliquit.

VI. Scādalū paſſiuū vel ex ignorantia, vel ex paſſione, vel ex malitia.

Præterea, ſcandalum paſſiuum ſubdiuitur a cunctis Theologis cum Sancto Thoma 1. 2. *q.* 78. in ſcandalum ex ignorantia, ſcandalum ex infirmitate, ſeu ex paſſione, quod puſillorum dicitur, & ſcandalum ex malitia, quod Phariſæorum, ſeu Phariſaicum nuncupatur. Scandalum paſſiuum ex ignorantia illud eſt, quod ex ignoratione rei alicuius, quæ actionem honeſtat, occaſionem cadendi arripit. v. g. aliquis deceptus ſuâ opinione putat hodie eſſe diem Veneris, quum tamen ſit dies Iouis, & quia animaduertit ab alijs comedi carnes, & ipſe quoque carnem edit. Vel certè aliquis ex occulto morbo valde graui, etſi extrinſecus ſanus, & vegetus videatur, in Quadrageſima tamen carnes cum facultate legitimâ comedit. Quam legitimam facultatem, & neceſſitatem aliquis ex domeſticis neſciens, inde occaſionem accipit comedendi pariter carnes, tametſi abſque vlla

C honeſta

honeſta cauſa. Scandalum Paſſiuum ex paſſione eſt, quod *ex impulſu appetitus ſenſitiui* ab aliquo obiecto, v. g. a mulieris ſpecioſa forma curioſè aſpecta irritato contingit, vt ex eodē S. Thoma *quaſtione* illa 78. *cit. art.* 3. colligitur manifeſtò, vbi palàm docet, peccatum ex paſſione, *ex impulſu appetitus ſenſitiui* exiſtere. Vnde, ſi quis ex pulchræ mulieris aſpectu occaſionem ruinæ accipiat, erit peccatum paſſiuum ſcandali ex paſſione.

VII. *Quomodo inter ſe differant.* Differt porrò ſcandalum paſſiuū ex paſſione a ſcandalo paſſiuo ex ignorātia, quòd ſcandalum ex ignorantia, ſtatim atque rei veritas detegitur, manifeſtaturq; ignorāti, euaneſcit, neque culpæ tribuitur iuxta veritatem operanti; ſecus verò ſcandalum ex paſſione. Nam vbi de errore monetur, qui diem Iouis credit diem Veneris, aut putat alterum ſine neceſſitate carnes in Quadrageſima comedere, extra culpam ſunt, qui eo die edunt carnes, & qui ex morbo in Quadrageſima comedit, etiamſi ille perſeueret credendo diem eſſe Veneris, illumq; nullo morbo laborare, adeoq; nec carnibus indigere: vnde ipſe quoq; carnes edit, quia ab alijs edi cernit: ſolique huic peccatum imputatur. At verò quum quis ex paſſione ob occaſionem aſpectæ mulieris delinquit, non ſemper immunis eſt culpæ mulier, quę ſe ei' aſpectui ſponte exponit, teneturq; nonnunquā ſcandalū alterius ex paſſione paſſiuum, ſubtrahendo illi occaſionē, vitare, vt paulò poſt dilucidiùs oſtendam.

VIII. Rursū, ſcandalū ex ignorantia, depulſo errore, frequenter omnino ceſſat, vt quando locuples fides facta eſt, Petrū ob grauē morbum cū legitima facultate in Quadrageſima carnes comedere; nemo plerūq; inde mouetur ad vllū peccatum patrandum; vel ſi quis nihilominùs moueri ſe ſinat, ſcandalum, quod priùs erat puſillorum ex ignorantia, vertitur in Phariſaicum ex mera malitia, quod ſpernendum eſt, vt deinde conſtabit. Scandalum verò ex paſſione, etiamſi qui feminæ pulchræ aſpectu ad peccatum ſolicitatur, certò cognoſcat ipſam feminam ab omni praua intentione abeſſe, iuſtaq; cauſa manendi in eâdem domo niti, non propterea deſinit, ſed magis, magiſque ſæuit. Quod ſanè puſillorum ſcandalum ex ignorantia, & paſſione, vel infirmitate quomodo, & quando ſit declinandum, ex ſubiectis infrà regulis facilè liquebit. Reliquum iam eſt ſcandalum ex malitia, cuius nomine multi Doctores abutuntur, perperāq; cum ſcandalo ex infirmitate, vel paſſione confundunt, atque hinc magna æquiuocatione decepti, varias obligationes vitandi ſcandali paſſiui puſillorum immeritò eliminant. Idcirco accuratè, & penſiculatè ſcandalum ex malitia propriè dictum explicandum eſt, atq; a ſcandalo ex paſſione ſecernendum.

IX. *Peccatū ex malitia multiplex.* In primis, ſcandalum ex malitia tam multiplex eſſe poteſt, quàm peccatum ex malitia. S. Thomas 1. 2. q. 78. cit. ad 3. peccatum malitiæ ſic enucleat. *Dicendum, quòd malitia, ex qua aliquis dicitur peccare, poteſt intelligi malitia habitualis, ſecundùm quod habitus malus a Philoſopho* (lib. 5. Ethic. cap. 1.) *nominatur malitia, ſicut habitus bonus nominatur virtus: & ſecundùm hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Poteſt etiam intelligi malitia actualis, ſiue ipſa mali electio malitia nominetur: & ſic dicitur aliquis ex malitia peccare, in quantum ex mali electione peccat; ſiue etiam malitia dicatur aliqua præcedens culpa, ex qua oritur ſubſequens culpa, ſicut quum aliquis impugnat fraternam gratiam ex inuidia: & tunc idem non eſt cauſſa ſui ipſius, ſed actus interior eſt cauſa actus exte-*

exterioris. In quem locum Caietanus: *oportet ipſum peccare ex ipſa electione mali, non ex ignorantia, nec ex infirmitate, ſed ex ipſa voluntaria electione mali ſcienter præponendo bonum ſibi coniunctum bono coniuncto illius præ amati boni abſentiâ. Præponit enim malitioſè iniuſtus bonum lucri iunctum malo iniuſtitiæ bono iuſtitiæ iuncto abſentiæ lucri: ita quòd electio mali non ex ignorantia aut paſſione eſt malitia, qua peccatur ex induſtria: electio autem quomodolibet mala communis eſt omni peccato perfecto, vt clarè habes inferiùs, art. 4. in reſponſione ad vltimum.*

X. *Fit quã do ſciẽter peccatur.* Vazquez in eundem articulum S. Thomæ, declarat, ac notat *peccatum ex malitia communiter dici peccatum ex certa ſcientia, vt quum quis ſcienter peccat, non quia voluntate directè feratur in peccatum, quatenus peccatum eſt, ſed quia peccat ſciens aliquid eſſe peccatum. Ita definiunt peccatum ex malitia cum S. Thoma in hoc articulo* Caietanus, Conradus, *& recentiores* Thomiſtæ, Alexander 2. p. q. 145. m. 1. Bonauentura in 2. d. 43. a. 3. q. 2. Scotus q. 2. Ricardus a. 1. q. 1. Durandus q. 1. n. 7. & *ad* 2. q. 2. n. 5. Gabriel q. 1. a. 1. *not.* 2. Adrianus *quodl.* 4. a. 1. *non longè à principio*, Corduba *lib.* 2. q. 8. *Addunt tamen huic definitioni* Bonauentura, Ricardus, Durandus, *&* Gabriel *tunc eſſe peccatum ex malitia, quando quis ſcienter, nec ab aliqua paſſione motus peccat* &c. atq; adeo *quum propria voluntate, nec a paſſione allectus, nec ab externo aliquo motus ſcienter peccat.* Quanquam autem aliqua *peculiaria peccata dici ſoleant peccata ex malitia, vt deſperatio, impugnatio veritatis: tamen, vt optimè admonent* Bonauentura, & Ricardus, *hæc peccata non ſunt dicenda ex malitia, ſi paſſione aliqua inſtigante fiant.* *Nulla paſſione incitante.*

Ad hæc S. Thomas eadem *quæſt.* 78.

XI. *Peccatum ex habitu eſt peccatum ex malitia.* *a. 2. docet poſſe contingere, quòd aliquis habens habitum vitioſum, interdum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia; ſed quandocunq; vtitur habitu vitioſo, neceſſe eſt, quòd ex certa malitia peccet: quia vnicuiq; habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conueniens ſecundùm proprium habitum: quia ſic fit ei quodammodo connaturale ſecundùm quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam: hoc autem, quod eſt alicui conueniens ſecundùm habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale: ex quo ſequitur, quòd homo eligat malum ſpirituale, vt adipiſcatur bonum, quod eſt ei ſecundùm habitum conueniens: & hoc eſt ex certa malitia peccare. Vnde manifeſtum eſt, quòd quicunq; peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.* Vazquez in hanc *quæſt. art.* 1. animaduertit S. Thomam rectè in *art.* 2. colligere, *peccatum ex habitu dici peccatum ex malitia,* idq; *vt aduertit Conradus, tam verum eſſe, ſi habitus fuerit in voluntate, quàm ſi fuerit in appetitu; quoniam habitus non eſt naturalis, ſicut paſſio, ſed voluntariè comparatus.*

XII. *Peccatum ex malitia eſt, quã volũtas ex ſe mouetur ad malum* Præterea S. Thomas *ibid. art.* 3. tradit. I. *tunc ſolùm aliquem ex certa malitia peccare, quando ipſa voluntas ex ſeipſa mouetur ad malum,* vt etiam docuerat *art.* 1. II. dupliciter id contingere, vno modo ex diſpoſitione corrupta, quæ vel eſt prauus aliquis habitus acquiſitus ex conſuetudine verſa in naturam; *vel aliqua ægritudinalis habitudo ex parte corporis; ſicut aliquis habens quaſdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter corruptionem naturæ in ipſo:* alio autem modo *ex voluntate per ſe tendente in aliquod malum per remotionem alicuius probibentis*, vt quum quis, ſpe vitæ æternæ, quæ peccatum prohibeat, per deſperationem remota, vel timore Gehennæ, qui pariter peccatum coercebat, per præſumptionem expulſo, ex

certa malitia, quaſi abſq; fræno peccat.

XIII. *Peccatum ex malitia grauius quàm ex paſſione.* Poſtremò S. Thomas *ibid. art.* 4. docet peccatum ex certa malitia eſſe grauius peccato ex paſſione. I. *quia quum ex certa malitia peccatur, motus peccati eſt magis proprius voluntati, quæ ex ſe ipſa in malum mouetur, quàm quando ex paſſione peccatur, quaſi ex quodam extrinſeco impulſu ad peccandum. II. quia paſſio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum citò tranſit,* &c. *Sed habitus, quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. III. quia ille, qui peccat ex certa malitia, eſt malè diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt principium in operabilibus, & ſic eius defectus eſt periculoſior, quàm eius, qui ex paſſione peccat, cuius propoſitum tendit in bonum finem, licèt hoc propoſitum interrumpatur ad horam propter paſſionem; ſemper autem defectus principij eſt peſſimus* Subdit deniq; S. Doctor in reſponſione ad 3. *quòd ille, qui peccat ex paſſione, peccat quidem eligẽs, non tamen ex electione, quia electio non eſt in eo primum peccati principium, ſed inducitur ex paſſione ad eligendum id, quod extra paſſionem exiſtens non eligeret; ſed ille, qui peccat ex certa malitia, ſecundùm ſe eligit malum eo modo, quo dictum eſt* (nempe art. 1. & 2.) *& ideo electio, quæ eſt in ipſo, eſt principium peccati: & propter hoc dicitur ex electione peccare.*

XIV. *Peccatum ex ægritudinali habitudine corporis nõ videtur eſſe ex malitia* Verùm difficile explicatu eſt, quomodo, quod ait S. Doctor. *art.* 3. ſupra relato ille, qui peccat *ex aliqua ægritudinali habitudine ex parte corporis,* verè dicit poſſit ex malitia peccare, quum talis ægritudinalis habitudo ex parte corporis, ſeu naturalis inclinatio ad peccata ſit eadem prorſus, ac paſſio. Neq; enim exponi probabiliter poteſt, S. Thomam loqui de ægritudine animi, quæ ex longa conſuetudine, & habitu contracta eſt, quũ loquatur apertiſſimè de ægritudine corporis, vt bene ibi Vazquez contra nonnullos aduertit, præterquam quòd etiam S. Thomas non exiſtimat in hoc articulo eſſe idem peccare ex habitu, & ex hac naturali ægritudine. Nec ſatisfaciunt Caietanus *ibi*, & Corduba *lib.* 2. *q.* 8. intelligentes S. Thomam de eo, qui peccat ex conſtitutione naturali corrupta; hæc enim eadem eſt, ac infirmitas, & paſſio, vt rectè idem Vazquez *loc. cit.* etiamſi hæc quoq; non ſit vehemens. Nam *ego nõ ſatis intelligo,* ſubdit idem Vazquez, *quomodo hæc naturalis conſtitutio non ſit cauſa alicuius paſſionis excitantis ad peccatum, vt licèt non ſit vehemens, tamen is, qui ex illa peccat, ex infirmitate, & non ex malitia peccare dicatur; ſic enim voluntas non a ſeipſa tantùm, ſed à paſſione mouetur. Quare ſententia S. Thomæ difficilis mihi eſt.*

Ex his manifeſtò liquet, peccatum ex malitia diuerſimodè ſumi. I. pro peccato ex malo habitu, ſeu ex inclinatione vitioſi habitus, vt tradit S. Thomas *art.* 1. *ad* 3. *art.* 2. & 3. vt ſupra *num.* 9. 11. 12. & 13. retuli. II. pro peccato ex electione mali, vt docet idem S. Doctor *art.* 1. *ad* 3. & Caietanus *ibi* & *art.* 3. & 4. ſeu pro peccato ex certa ſcientia, abſq; paſſione, & ſine motione externa, vt bene explanant Caietan. ſupra *n.* 9. adductus, Bonauentura; Ricardus, Durandus, Gabriel Biel, & Gabriel Vazquez *nu.* 10. recenſiti: alioqui non poteſt explicari, quomodo peccatum ex paſſione a peccato ex malitia diſtinguatur. III. pro peccato, quod ex alio peccato oritur, aut potiùs pro eo, ex quo oritur, vt inuidia, ob quam gratia fraterna impugnatur, vt docet *art.* 1. *ad* 3. IV. pro deſperatione, vel impugnatione veritatis, aut præſumptione, vel ſimilibus delictis, vt ſancit *art.* 3. quã- XV. *Peccatum ex malitia diuerſimodè ſumitur*

uis

uis iſta, quoties ex aliqua paſſione inſtigante fiunt, non ſint dicenda peccata ex malitia, vt ſupra *num.* 10. ex Bonauentura, Ricardo, & Vazquez notaui. V. pro naturali inclinatione ad nonnulla peccata, vt eodem *art.* 3 ſtatuit. Sed tale peccatum ex malitia non diſtinguitur a peccato ex paſſione, ſeu ex infirmitate, vt *num.* 14. ex Vazquez obſeruaui. Vnde conſtat, peccatum ex malitia, vt a peccato ex ignorantia, vel ex paſſione ſecernitur, nihil aliud eſſe, quàm peccatum, quod aliquis non ab vlla paſſione allectus, neq; ab aliqua re externa motus, ſcienter ex propria voluntate perpetrat: quod etſi plerunq; ex prauo, ac diuturno habitu contingit, poteſt tamen etiam ſine habitu accidere. Vnde fit, vt quot modis peccatum ex malitia dicitur, totidem etiam ſcandalum ex malitia appelletur: propriè tamen ſcandalum ex malitia illud eſt, quod neq; ab ignorantia, neq; ab infirmitate, neq; ab vlla paſſione, neq; ab aliqua occaſione externa data naſcitur, ſed a propriæ voluntatis peruerſitate, ac nequitia dumtaxat ex certa ſcientia gignitur, vocaturq; a Doctoribus ſcandalum Phariſaicum, aut ſcandalū acceptum, etſi non datum.

Propriè quid ſit

Scādalum ex malitia propriè quid ſit

XVI. Nihilominùs Doctores paſſim peccatum ex malitia in ampliore ſignificatione, non prout a peccato ex paſſione diſtinguitur, ſed prout ad peccatum etiam ex paſſione extenditur, frequenter vſurpant. Aiunt enim pleriq; vt §. 3. videbimus, formoſam puellam pergentem, ad templum, vt Miſſæ ſacrificio die feſto interſit, conſciamq; ſe a nonnullis, vel multis ex plurimis, in quorum oculos incurret, libidinosè appetendam, tametſi ipſa omni praua intentione careat, poſſe licitè ſe conferre ad ſacrum Miſſæ, neq; tale ſcandalum libidinoſæ cupiditatis ei eſſe imputandum, ſed malitiæ tantùm eam prauè appetentium, quum ipſa iuſtam cauſſam habeat audiendæ Miſſæ ex præcepto, atq; ob hanc contemnendi ſcandali paſſiui ex aliena malitia profecti. Atqui certiſſimum planè eſt, non omnes, qui puellam ſpecioſam nequiter concupiſcunt, ſine vlla paſſione, ex mera malitia peccare, ſed permultos ex ſola quoq; paſſione; qui ita a malitioſis differunt, quòd qui ſola paſſione inſtigante delinquunt, extra tentationem paſſionis poſiti, caſtitatem v. g. amant, tueriq; volunt, quanquam deinde ab ebulliente paſſione oppugnati, ac perturbati, tale propoſitum ad horam interrumpunt, vt loquitur S. Thomas *art.* 4. ſupra *citat.* qui certa ex malitia peccant, *malè ſunt diſpoſiti quantum ad ipſum finem*, vt ait idem S. Doctor *ibidem*, ideoq; etiam ſine impulſu paſſionis, ex praua voluntate luxuriari cupiunt. Iam qui formoſam puellam aſpiciunt, & concupiſcunt obſcœnè, non omnes equidem ex ſola malitia, ſed multi quoque ex mera paſſione in huiuſmodi flagitium labuntur. Et tamen Doctores paſſim mulierem ex iuſta cauſſa egredientem domo, euntemq; ad templū, vt præceptum audiendi ſacri die feſto impleat, a culpa liberant, ſcandalumq; eam nequiter appetentium malitiæ dumtaxat eam intuentium, atq; appetentium adſcribunt, etiamſi ex appetentibus prauè pleriq; ſola paſſione ſolicitante in tranſuerſum agantur, ac peccent. Ergo tales Doctores nomine peccati, & ſcandali ex malitia non complectuntur ſolùm illud peccatum, & ſcandalum, quod ſine paſſione, ex mera malitia, & praua voluntate fit, vt complectitur S. Thomas 1. 2. q. 78. & 2. 2. *q.* 43. & Theologi eius aſſeclę, ſed illud quoq;, quod ex paſſione oritur; adeoq; peccatum, & ſcandalum

Amplè ſumitur pro peccato, & ſcandalo et ex paſſione.

ex

ex malitia propriè ſumptum, hoc eſt, Phariſaicum, cum peccato, & ſcandalo ex paſſione, hoc eſt, puſillorum manifeſtè confundunt. In quo ſanè palpabilem equiuocationem committunt complures, dum ſine vllo diſcrimine vtriusq; ſcandali, plerasq; occaſiones peccandi absque vlla legitima cauſſa ſuppeditatas, licitas ſemper pronuntiant. Quam æquiuocationẽ optimè animaduertit Becanus 2. 2. *cap.* 27. *q.* 1. *nu.* 3. notans, malitiam, quæ poſitâ iuſtâ cauſsâ tollitur, eſſe diuerſam a malitia Phariſaica, quæ ſcilicet ex praua tantùm voluntate, ſine paſſione, vt ex boni operis inuidia, vel ex odio alterius, vel ex vitioſo habitu manat: illam autem, quæ ob iuſtam cauſſam operis alteri non imputatur, ex paſſione quoq; frequenter exiſtere.

In quo magna æquiuocatio fit a pleriſq; DD.

XVII. Sed quamuis pleriq; Auctores æquiuocationẽ cõmittant non diſtinguentes ſcandalum Phariſæorum a ſcandalo puſillorum, nec peccatum ex malitia ſola a peccato ex paſſione, vt oſtẽdi; ſumendo tamen peccatum malitię in ampliori ſignificatione, vt extendatur quoq; ad peccatum ex paſſione; manifeſtum eſt, vbi iuſta cauſa alicuius actionis, vel materiæ indifferentis ſuppeditandæ præſto eſt, culpam ipſi ſuppeditanti minimè adſcribi, ſed malitię tantùm re ſuppeditata abutentis, tametſi is ex paſſione dumtaxat peccet: contra autem, ſi iuſta cauſſa deſit, culpam ſuppeditanti etiã tribui. Si enim puella manum viri ſua manu leuitatis duntaxat, & ioci gratiâ tangat, gnara tamen eo tactu illum adulterij crimine flagraturum, peccat ſine dubio lethaliter peccato ſcandali dati; & vir ille non ex malitia, ſed ex occaſione ſibi data, quandoquidem non ex prauo habitu, ſed ex paſſione labitur, peccare dicitur. At ſi hæc eadem puella in flumen lapſa, periclitatur valde, ne ſummergatur, niſi manum eidem viro, quò ſe extrahat, porrigat: etiamſi certum habeat eundem illum deſiderio adulterij ob talem tactum arſurum; poteſt nihilominùs licitè eandem manum eidem viro præbere, nec dicetur propterea ſcandalum dare, aut moraliter cooperari peccato illius, ſed vir ipſe ex propria malitia accipere occaſionem, & peccare; etiamſi ex paſſione tantùm peccet; quia nimirũ puella iuſtam cauſſam habet declinandi grauis periculi mortis, quod magnum incommodum eſt, permittendiq; peccati alieni. En igitur, quomodo eadem actio phyſica indifferens, tactio nempe virilis manus, poſitâ iuſtâ cauſsâ, ab omni ſcandalo dato, & culpa vindicatur; ſublatâ autem, actiui ſcandali, & delicti lethalis rea illico euadit, vt infra §. 3. latiùs monſtrabo.

Iuſta cauſſa tollit ſcandalum, vel peccatũ ex malitia latè sũptũ; ſecus, ſi deſit.

§. II. *Scandalum indirectum ex re indifferente quando oriatur, & quando ceſſet.*

Qvum quidpiam per ſe malum eſt, conſtat, ſi coram alijs fiat, inde ſcandalum actiuum emergere, etſi directè ruina proximi minimè intendatur. Difficultas eſt, quum opus, vel materia per ſe indifferens eſt, qua alter abuſurus proſpicitur. Pro qua enodanda nonnulla fundamenta ſunt ſtabilienda. XVIII.

Certum in primis eſt, quum quis materiam proximam peccandi ex ſe indifferentem alteri præbet, non intendendo eius peccatum, ſed aliud ſpectando, non eſſe id directè ad malũ cooperari. Nemo quippe eſt cauſſa moralis eius, quod neq; mandat, neq; conſulit, neq; intendit, neq; reipſa efficit. At hic neq; mandat, neq; conſulit, neq; intendit, neq; cum altero XIX.

Prabens materiã indifferẽtẽ, & nõ intendẽs peccatum, non cooperatur directè ad malum.

actionem

actionem efficit, in qua peccatum alterius conſiſtit, ſed ſolam materiam abuſus exhibet, vt ſupponitur: in qua ſanè exhibitione peccatum alterius nequaquam ſitum eſt, ſed in actione, qua ipſe materia ſibi exhibita abutitur, vt fusè ac eruditè alijs exprompṫis rationibus probat Valentia 2. 2. *diſp.* 5. q. 21. *pun* 4 *verſ. Nihilominùs ſtatuendum eſt*, ſubſcribitq; Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *num.* 8. nec quiſquam iure diſcrepare poteſt. Quocirca ſi qua cooperatio intercedat, ex qua culpa aliqua ſuppeditantis materiam hanc conſurgat, ea non directa, ſed indirecta tantùm eſſe poteſt.

XX. *Indirecta cooperatio ad malū cenſetur, quū quis poteſt, & debet peccatū alterius vitare.*

Tunc verò indirecta cooperatio alteri abutenti materiâ indifferenti ſuppeditatâ reperitur, quando quis poteſt, & tenetur abutentis peccatum vitare. Nam voluntarium indirectum, vt ex 1. 2. Sancti Thomæ exploratum eſt, vtramq; conditionem requirit. Hîc autem ſubminiſtratio horum indifferentium non intrinſecè per ſe, & ex ſuo obiecto eſt mala, quum ab tali actione, & ſubminiſtratione per ſe, vt ab hoc fit, malitia ſeparari poſſit: ſed ex ſola praua abutentis intentione tota malitia illi adiungitur. neq; abutens ipſe ex vi eiuſmodi ſubminiſtrationis ad peccandum inducitur, ſed ſubminiſtrans permittit tantùm illud malum, quod alter ex praua ſua intentione actioni per ſe non malæ admiſturus eſt. Tunc igitur ſuppeditatio hæc, vel ſubminiſtratio tribuetur culpæ, quādo ſuppeditans, vel ſubminiſtrans poteſt, & tenetur vitare hanc occaſionem ruinæ ſpiritualis proximi, non ſuppeditando, vel ſubminiſtrando illam materiam, vt pote qui eius abuſum indirectè vult, atq; ei indirectè cooperatur. Ita Thomas Sanchez *loc. cit.* n. 9. totidem ferè verbis, Suarez *diſp.* 10. *de Caritate*, ſect. 2. *num.* 9. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. d. ſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 157. *& ſeqq.* cæteriq; paſſim ex communi Theologorum ſententia 1. 2. quæſt. 6.

XXI. *Dicitur quę a nonnullis ſcandalum actiuū ſpeciale; ab alijs verò generale tantùm.*

Qui ſanè abuſus indirectè volitus, & indirecta cooperatio ſcandalū quidem actiuum eſt, ſed num generale tantùm ſit, an verò etiam ſpeciale, valde controuerſum. Quanquam enim Doctores vniuerſi actiuum ſcandalum aliud eſſe generale, aliud ſpeciale fatentur; quid tamen, vel quale vtrumq; ſit, diſcrepant. Siluester, Petrus Soto, Nauarrus, Valentia, & alij adducti a Thoma Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *num.* 2. ſpeciale exiſtimant, quoties probabiliter putandum eſt, fore vt dictum vel factum vnius occaſionem ruinæ alteri præbeat, quamuis præter ſcandalizantis intentionem id accidat. Contra autem Caietanus, Bannez, Enriquez, & alij *ibid. m* recenſiti, decernunt, ſi opere malo occaſio peccati præter ſcandalizantis intentionē detur, non eſſe ſpeciale ſcandali peccatum; Secus verò, ſi opere bono habente mali ſpeciem. Deniq; S. Thomas, Vazquez, Azor, Thomas Sanchez, & alij eo *num* 2. & 3. citati ſtatuunt peculiare, ſeu ſpeciale ſcandali peccatum tunc duntaxat contingere, quando occaſionem ruinæ quis eo affectu animoq; prębet, vt alter in peccatum incidat. Cæterùm etſi Doctores in definiendo, aſſignandoq; ſcandalo generali, & ſpeciali inter ſe diſcrepant: in eo tamen vniuerſi conſentiunt, incitantem ſuo prauo exemplo, præbitaq; occaſione v. g. ad furandum, quanquam non eo animo, vt alter incitatus iacturam boni ſpiritualis patiatur, reum eſſe duplicis peccati, tum proprij furti, ſi furando prauum exemplum, & occaſionem ruinæ dedit, tum alieni, ad quod furando incitat: Solumq; diſcordia in eo eſt, quòd aliqui

Neceſſariò tamen aperiendum in confeſſione ex conſenſu DD. omniū.

hîc

hîc ſcandalū generale dumtaxat agnoſcunt, alij verò etiam ſpeciale: cuncti tamen vno ore pronuntiant, etiamſi generale tantummodo ponatur, nihilominùs in confeſſione neceſſariò aperiendum eſſe non ſolùm proprium peccatum furti, ſed etiam datam cauſſam peccato alterius, etſi forte ſpecies peccati alieni, nempe furti non ſit neceſſariò exprimenda; de quo paulò poſt. Quam Doctorum conſenſionem in generali ſcandalo omnino confitendo diſertè notant Bannez 2. 2. q. 43. a. 4. *dub.* 1. *concl.* 1. Petrus de Ledeſma 2. *Tom. Summ. Tract.* 4. c. 5. *fol.* 303. Azor *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 6. q. 2. 3. & 4. Vazquez 1. 2. *q.* 73. a. 8. *diſp.* 102. *cap.* 3. *n.* 5. Nauarrus *in ſumma, capit.* 6. *num.* 19. & *capit.* 14. *num.* 28. & 29. & *cap. conſideret*, §. *Animaduertere, num.* 9. *de pœnit. diſt.* 5. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *num.* 4 & 6. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 4. *nu.* 157. Omnes quippe Doctores, præbere alteri occaſionem ruinæ, etſi hæc non intendatur, ſiue id ſpeciale ſcandali peccatum, ſiue generale dumtaxat cenſeatur, circumſtantiam ſcandali eſſe in confeſſione detegendam tradunt.

XXII. *Obligatio vitandi ſcandali indirecti ceſſat ob iuſtam cauſſā; vrget verò, quū hæc deeſt.* Iam verò obligatio prædictæ occaſionis vitandæ tota pendet ex ſufficiēti, & legitima cauſſa. Si enim non ſit cauſſa ſufficiens, ac legitima reddens iuſtam miniſtrationem, peccatum erit; ſecus, ſi talis cauſſa adſit. Ratio eſt, quia quum hæ res non ſint ex ſe malæ, ſed indifferentes, & ſola circumſtantia ſcandali generalis præbendo occaſionem ruinæ ſpiritualis proximo, vitiet illarum miniſtrationem, tunc dumtaxat erit mala, quum miniſtrans tenetur id ſcandalum vitare. At hoc pendet ex caſu cogenti, aut nō cogenti. Non enim tenetur quiſpiā cum graui ſuo detrimento eam occaſionem vitare: Siquidem tum moralis impotentia vitandi reputatur: tenetur autem, quando poteſt absq; graui detrimento. Ergo quoties iuſta cauſſa detrimenti proprij vitandi ſubeſt, licebit eam occaſionem ruinæ permittere, miniſtrando res indifferentes abuſuro; ea autem deficiente, nunquā licebit. Et confirmatur, quia quum miniſtratio hæc indifferentium non ſit cooperatio directa, ſed ſi qua eſt, hæc indirecta tantummodo erit, vt ſupra *num.* 19. probaui; tunc ſolùm culpæ tribuenda erit, quando miniſtrans poteſt commodè eam vitare, vt *num.* 20. planum feci. At nequit cōmodè, quando neceſſitate grauis damni vitandi cogitur miniſtrare: poteſt autem commodè, quando ea neceſſitā nō vrget. Ergo tota hæc obligatio vitandi, aut excuſatio prædictæ occaſionis permittendæ ad iuſtæ legitimæque cauſſæ defectum, vel præſidium referri debet. Porrò commodum ipſum, atq; incommodum vitandæ occaſionis, grauene ſit, an leue, ex omnibus circumſtantijs rite penſatis iudicio prudentis æſtimandum eſt. Quę ſanè doctrina, vt minimè dubia eſt, ita dilucidè approbatur a Silueſtro *in ſumma. Verbo, Infidelitas, quæſt.* 4. a Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 10. *punct.* 5. *in fine* a Suarez *de caritate, diſp.* 10. *ſect.* 3. *num.* 3. & *diſp.* 9. *ſect.* 2. *nu.* 5. a Tannero *tom.* 3 *diſp.* 2. *q.* 6. *nu.* 105. & 108. a Coninch *de caritate, diſp.* 32. *num.* 64. a Lorca 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 45. *num.* 6. a Ioanne Sanchez *in ſelectis, diſp.* 46. *num.* 17. *Verſ. Nec obſtat*, a Layman *lib.* 2. *Theolog. tract.* 3. *cap.* 13. *Verſ. Quamobrem in hac ſcandali materia*, & ab alijs communiter.

XXIII. *Applicans ſine cauſſa ſuffi-* Vnde fit, vt ſi quis iubeatur ab alio ſcalam applicare feneſtræ, per quam illum ad furandum aſſenſurum nouit, etiamſi talis applicatio ſcalæ ſit per ſe

materia

ciente a-ſcendē-ti furi &c. pec-cat le-thiferè, & tene-tur re-ſtituere.

materia indifferens, quia tamen cum iniuſta alterius actione coniungitur, neq; qui illam applicat, vllam iuſtam cauſſam eius in tali circumſtantia applicandæ habet, vt ſuppono, peccat mortaliter, diciturque furto alterius indirectè cooperari; & eodem modo homicidio, ſi ad occidendum alterum aſcenſurum ſciebat, vt conſtat apud cunctos Doctores, nemine refragante, teneturq; ad damni compenſationem in ſolidum, vt ex æquo certum etiam eſt, docetque ex communi ſententia Theologorum Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum cap.* 7. *num.* 18. *&* 19. Quam veritatem ſi quis fortè in dubium reuocare auſit, næ is pœnas temerariæ opinionis ab ipſis ſecularibus iudicibus, vbi in horũ manus ob ſimile facinus inciderit, dare cogetur, vel fuſtuario, vel exilio, vel laqueo punitus, fruſtraq; inani prætextu defeſus. Quod

Secus ſi ob graue cauſſam applicat.

ſi ipſe ſcalam applicare noluit, ſed grauibus verberibus, intentatiſq; gutturi gladijs, nec non certæ mortis repetita comminatione ad illam applicandam compulſus eſt, non dicitur cooperari moraliter furto, vel homicidio alterius, ne quidem indirectè, neque ad compenſationem vllius damni tenetur, quia nimirùm habuit iuſtam cauſſam, quò ſcilicet grauia vulnera, ac mortem vitaret, eiuſdem ſcalæ applicandæ, taliſque materiæ ex ſe indifferentis ſuppeditandæ, furtique, vel homicidij ex circumſtãtia coniuncti permittendi, quod ipſe tanto ſuo cum incommodo declinare nõ tenebatur, vt tradunt ijdem Doctores apud eundem Sanchez eo *num.* 18. *cit.* Neque ambigendum eſt, quin in foro etiam externo, ſi probet ſe grauibus verberibus, & præſentaneo mortis periculo ad applicãdam ſcalam fuiſſe adactum, pœnæ omnis immunis ſit euaſurus.

XXIV. *Solus* Ex quibus manifeſtè ſequitur, ad culpam ſcandali dati, vel indirectæ cooperationis peccato alterius diluendam, non ſatis eſſe indifferentis actionis clypeo ſe munire. Nam eodem modo, & prætextu innumeræ aliæ actiones a peccato eximerentur, quæ etſi naturâ ſuâ indifferentes ſint, vbi tamen cauſſa præponderante ſunt deſtitutæ, ab vniuerſis Theologis, vt apud Thomam Sanchez *lib.* 1. *in Decal c.* 6. & 7. Ferdinãdum a Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. nec non apud alios paſſim videre eſt, iure damnantur vel actiui ſcandali, vel illicitæ contra caritatem cooperationis: liquetque vel ſolo applicatæ ſcalæ, qua quis, tametſi ea indifferẽs ex ſua natura ſit, ad furtum, vel homicidiũ abutitur, allato exemplo. Ergo non a ſola actione indifferenti, ſed a cauſſa iuſta, vel iniuſta; a graui, vel leui commodo, aut incõmodo culpa ſcandali, vel cooperationis peccaminoſæ, aut innocentia, atque excuſatio penſanda eſt.

rei indifferẽtis prætextus nõ diluit culpã ſcandali.

§. III. *Scandalum ex actione, vel materia indifferenti emergens, quum perſona particularis ea actione, vel materia abuſura ſpeciatim animaduertitur.*

ETSI ex dictis facile id, quod hîc expendendum propono, colligitur, tamen operæ pretium eſt, ſeparatim ex deſtinato huiuſmodi controuerſiam pertractare, de qua per celebre apud Doctores exemplum extat mulieris, quæ domo egrediens, & conſcia ſe a determinato viro, puta, a Titio fœdè amandam, deſiderandamq; etſi ei non conſentit, illius tamen ſcandalum paſſiuum, & peccatum nequaquam vitat, quum poſſit. Quod enim in hoc caſu ſtatuitur, idem & in cæteris XXV.

ris ſimilibus decernendum. Quando autem indeterminata eſt perſona caſura infrà §. 4. ediſſeram.

Puella conſcia ſe prauè appetēdam a Titio,nō peccat grauiter,ei ſe vidēdā exponēs, etſi neceſſe non habeat, vt tradunt aliqui.

Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6.num. 17.* Bonacina *de Legibus, diſp. 1.quæſt. 4. punc. 1. num. 27. & de Matrimonio, quæſt. 4.punc 9. num. 17.&* Diana *part. 1.Tract. 15. Reſol. 30. §. Tertia opinio.* cenſent feminam conſpectui certi viri ſe offerentem, a quo turpiter ſe appeti nouit; etiamſi nulla neceſſitate,ſed vt ſuæ tantùm voluntati ſatiſfaciat, liberè exeat, atque huc, & illuc diſcurrat; dummodo tamen eum ad ſui amorem prouocare non intendat, neque illius flagitioſo amori conſenſum præbeat, non peccare mortaliter. Ducuntur, quòd ea occaſio potiùs ex propria amantis malitia ſit accepta, quàm a muliere data, quæ iure ſuo, & libertate ſibi cōceſſa vtitur; neque commodè illa priuari poteſt, quin mille ſcrupulis aditum circa egreſſum e domo, ſitne neceſſarius, an non, illico patefaciat.

Pro qua opinione idem Sāchez citat. ibi Caietanum 2. 2. *quæſt. 154. art. 4. fine, & quæſt. 169. art. 2. ad quintum dubium,* Armillam *in ſumma, verbo, ornatus, num. 3.* & *verbo, ſcandalum, num. 3.* nec non Palacios *eodem verbo.*

XXVI. Pro qua tamen opinione non ſtat Caietanus,neq; Armilla.

Sed contra eſt I. quia Caietanus in locis hîc citatis non loquitur de muliere, quæ a determinato viro obſeruato concupiſci ſe nouit, ſed de ea, quæ ab aliquo tantùm indeterminatè amari ſe illicitè compertum habet; neque aliter Armilla ibidem decernit.

At magnum diſcrimen eſt, quum aliquis in particulari peccaturus præuidetur, ac quum generatim tantùm, indefiniteq; lapſurus proſpicitur. Nam, vt idem Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 12.* cuius ipſa verba dabo infra §. 4. *num. 35.* optimè philoſophatur, nō eadem ſemper cauſa ad rerum indifferentium adminiſtrationem abuſuro excuſandam ſufficit, ſed quo hæc magis ad malum abuſum accedit, illa tanto grauior requiritur, & quo hæc minùs, illa tanto leuior ſat eſt. Atqui quum quis generatim tantùm abuſurus metuitur, minùs ad abuſum determinatus reſpectu cognoſcentis eſt, quàm quum Petrus certò abuſurus noſcitur, vt conſtat. II. Nec Caietanus, nec Armilla eo fundamento Sanchez, & aliorum nituntur, ſed longè diuerſo. Neque enim indicant, ad vitandum graue incommodum, ne mille alioqui ſcrupulis femina obnoxia ſit, poſſe exire, quaſi hæc ſat iuſta exeundi, eo ſcandalo paſſiuo non obſtante, cauſſa ſit. Quare in dicto caſu ex vi talis rationis, quum ipſi de aliquo turpiter amante non determinato, ſed indefinito agant, contrarium potiùs arbitrabuntur.

Certè quidem Armilla *loc. cit. verbo, ſcandalum, num. 3.* ita ſcribit: *Mulier ſe amari credens turpiter ab aliquo, non curans de eius ruina, ſi ſine cauſſa offerat ſe aſpectibus eius, licet non intendat eius ruinam, mortaliter peccat.* citatque ibi Silueſtrum, & Arch. Flor. quos Sanchez ſibi aduerſari fatetur, imò & Caietanum. III. Si de re ipſa *Palāq; ea reijcitur.* diſputemus; quum iuſta cauſſa ad ſcādali culpam declinandam, ipſo quoq; Sanchez iudice, vt ſupra *num. 17.* & 22. vidimus, iudice, requiratur, ægrè idem Sanchez, Bonacina, Diana, & alij perſuadebunt, eſſe iuſtam & legitimā illum vitandorū ſcrupulorum prætextum. Nam quū femina egredi domo poſſit duplici titulo vel neceſſitatis, vel vtilitatis, vt infra ex Auctorib[9] oppoſitæ opinionis patebit, vel vt eat ad eccleſiā, vel vt inuiſat vicinas, ne inurbana videatur, vel vt conſulat valetudini: Quę rogo, hîc ſcrupulorum perplexitas, honeſtum quencumque finē

eligendo,

eligendo, qui in tali actione, ne ſit vitioſa (quicquid ſit, an detur actus indifferens in indiuiduo) quęrendus eſt, locum habet? Nulla prorſus. Quod verò hîc malitiam tantùm amaſij criminantur, fruſtra ſunt, vt *num.* 9. 10. 11. 15. & 16. oſtendi. Hæc quippe culpari non poteſt, vbi ſine legitima cauſſa occaſio ei ablata non eſt. Cauſſa autem ſcrupulorum allata legitima non eſt, vt iam innui: ergo &c. Adde quod amaſius ex paſſione ſæpe, non ex malitia delinquit.

XXVII. *Sicut etiā qui culpam totā tribuunt malitia ſpectantis.* Turrianus 2. 2. *Tom.* 1. *diſp.* 96. *dub.* 2. *verſ. Ex traditis*, Becanus 2. 2. *cap.* 27. *q.* 6. *num.* 4. Vaſquez *in opuſculis de* Scandalo *q.* 43. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 27. & Megala 1. *par. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 9. loquentes apertè de aliquo determinato amante puta de Petro vel Paulo, docent, vbi ex alterius malitia ſcandalum ſequitur, non teneri mulierem ad id vitandum manere domi, ſed egredi poſſe vel ſacri audiendi, vel ſui recreandi gratiâ; vbi autem ex proximi fragilitate, vel ignorantia euenit, debere domi ſe continere. At, vt dignoſcatur, an ſcandalum ex malitia, vel ex infirmitate oriatur; adhuc ad cauſſam iuſtam, vel iniuſtam neceſſariò recurrendum eſt, vt ſupra *loc. cit.* latè probaui. Quamobrem,

XXVIII *Puella in dicto caſu exponēs ſe videndā ſine iuſta cauſſa peccat mortiferè.* Multo probabiliùs S. Antoninus in *ſumm.* 2. *par. tit.* 7. *cap.* 4. §. 4. *Verſ. Scandalum occaſionatiuum*, Silueſter *verbo, ſcandalum q.* 2. §. 3. Nauarrus *in Manuali, cap.* 14. *num.* 30. Fillucius *tract.* 28. *cap.* 6. *num.* 232. Baldellus *tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 16. *num.* 12. Zumel 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *diſp.* 4 Azor *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 18. *q.* 12. vbi Maiorem quoque, Tabienam, & Medinam citat, nec non triginta alij Doctores, quos affert, & ſequitur Ioannes Sanchez in *ſelectis diſput.* 37. *num.* 2. tradunt, feminam, quæ credit ſe turpiter ab aliquo appetendam, ſi domo exiens cōſpiciendā ſe præbeat, & tamen ſine iuſta cauſſa neceſſitatis, vel vtilitatis, vt ſuæ volūtati ſatisfaciat, egreditur, libereq; vagatur, peccare mortaliter, quia tenetur quilibet ſpirituali proximi ſaluti conſulere, niſi ex aliqua cauſſa excuſetur. Et hi Auctores ferè omnes, Nauarro, & Azor exceptis, videntur loqui de eo etiam caſu, in quo turpiter amās mulierem non determinatè ei notus, ſed indefinitus eſt. Accedunt Leſſius *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 4. *dub.* 14. *nu.* 113. & Layman *lib.* 2. *Theol. tract.* 3. *cap.* 13. *n.* 10. qui idem ſentiunt, niſi quòd caſum de amaſio determinato turpiter diligente explicant, quem feminæ declinandum, niſi cauſſâ legitimâ nitatur, manifeſtò volunt; ſecus verò, vbi generatim tantùm, ac indefinitè aliquis, aut plures e communitate lapſuri creduntur: atque hoc pacto intelligendos Armillam, Vazquez, Leſſiū & Becanū idē Layman *loc. cit.* contendit. At Caſtro Palao *tom.* 1. *trac.* 6. *diſp.* 6. *punct.* 7. *nu.* 4. Hurtado 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 31. § 404. & Vazquez *loc. cit.* talem diſtinctionem non indicant, etſi in hanc ſententiam veniunt.

XXIX. *Vt omnes conſentiunt* Verùm in hac ſententiarum varietate ſapientiſſimè Ferdinandus a Caſtro Palao *punct.* 7. *cit. num.* 3. *Si res*, inquit, *exactè conſideretur, exiſtimo Authores diſſentire non poſſe. Omnes enim ad liberandam puellam a peccato ſcandali rationem honeſtam excogitare debent, & illa interueniente, eam a mortali excuſant; ceſſante verò cauſſa, eam condemnare debent*. Mox autem ſequenti *num.* 4. ita diſſerit. *Si nulla neceſſitate, vel vtilitate, ſed ſolùm ducta vanitate, aſpectui viri eam turpiter adamantis ſe offerat, peccat mortaliter. Ita expreſsè* Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 6. *n.* 17. Vazquez *quæſt.* 43. *art.* 8. *dub.* 2. *nu.* 27. (quibus addo ego Bonacinam, &

Dianam *locis citatis) & conuenire debent omnes Doctores. Probo, quia ex obligatione caritatis quilibet tenetur vitare ruinam proximi, ſi commodè poſſit. Poteſt autem commodè, quando abſque iactura alicuius rei neceſſariæ, vel vtilis poteſt. Ergo tenetur.*

XXX. Vnde patet, mulierem conſciam ſe ab aliquo determinato viro, vt a Titio, turpiter amari, quando ſponte huius oculis aſpiciendam ſe præbet, quamuis illius obſcœnæ cupiditati non aſſentiatur, neque aſſentiendi probabile periculum in ſe agnoſcat, nihilominùs, quum ſine ſuo graui incommodo aſpectum eiuſmodi, & peccatum lethale proximi vitare queat, mortaliter delinquere, & quidem ex conſenſu Doctorum omniũ, vt bene Caſtro Palao paulò ante adduct⁹ animaduertit. Cæterùm ſi puella iuſtam cauſsã neceſſitatis, vel vtilitatis præſto habet, vt Titium alloquatur, vel ab eo aſpici ſe ſinat, etſi flagitiosè ſe appetendam ab illo non ignoret, immunis culpæ eſt, liciteque poteſt ſe eius oculis intuendam exponere, ipſiuſque ſcandalum paſſiuum, etſi ex paſſione tantùm ſit, & puſillorum, permittere, vt Doctores ſupra relati communiter tradunt. Vſque adeo verum indubitatumque eſt, quod antea *num.* 22. & *ſeqq.* conſtitui, a cauſſa iuſta, & ſufficiente, vel iniuſta, ac inſufficiente pendere, an actio, vel materia indifferens ex ſua natura, ſed cum peccato mortali ipsâmet abutentis coniuncta, liberanda ſit a lethali ſcandalo, an verò damnanda.

§. IV. An occaſio ruinæ ſpiritualis alicui perſonæ generatim & indefinitè ſumptæ, aut pluribus indeterminatè acceptis præbita, rea ſit, vel expers culpæ ſcandali actiui, & mortalis.

EGI ſuperiore §. de puella, quæ compertum habet, ſe a determinato, & particulari viro, ſi oculis eius videndam ſe præbeat, turpiter appetendam. Nunc de eadem diſputo, quę, etſi neſciat, ſe ab vllo nominatim ac ſingulariter deſignato illicitè deſiderari, certò tamen nouit ſe a nonnullis, vel ab aliquo ſaltem in genere & in confuſo, vbi in publicum oculis intuẽtium apparebit, libidinosè concupiſcendam, quamuis quiſnam ille, vel quinam illi in indiuiduo ſint, penitùs ignoret. Quod porrò de priori caſu iam docui, ac de poſteriore iam docebo; idem & de ſimilibus, in quibus eædem conditiones adſunt eædemq; rationes idcirco militant, ſtatuendum omnino, hîc ante denuntio, vt facilè cuiuis, etſi non doctiſſimo, perſpectum eſt. XXXI. *Puella ſciens ab aliquo in genere ſe praui appetendã.*

Segmentum I.

Negans opinio, & prænotiones.

NOnnulli graues Auctores ſentiũt feminam, quæ ſe turpiter appetendam ab aliquo, vel a pluribus etiã indefinitè, & vagè acceptis, ſi domo exeat, atque ab illis aſpiciatur, pro certo habet, non peccare mortaliter, dummodo illius cupiditati prauæ non aſſentiatur, vt apertè tradunt Caietanus 2. 2. *q.* 154. *a.* 4. *fine & quæſt.* 169. *a.* 2. *ad quintum dubium*, Armilla *in Summ.* XXXII. *Nõ peccat, modò id nõ intẽdat, etſi alia cauſſa careat, vt multi docẽt.*

Summ. verbo, ornatus, num. 3. *& verbo ſcandalum, num.* 3. Lorca 1. 2. *tom.* 2. *q.* 73. *a.* 8. Nauarrus *in Manuali cap.* 14. *n.* 31. *lit. D.* § 7. Azor *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 18. *q.* 12. Leſſius *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 4. *dub.* 14. *nu.* 113. Coninch. *de Actibus, ſupernaturalib. diſp.* 18. *n.* 68. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. §. *reſoluitur tertiò* Diana *par.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 31. *Verſ. Sed ego.* Videturque etiam in ſimillimo caſu conſentire omnino Franciſcus Suarez *de penit. diſp* 35. *ſect.* 3. *num.* 10. & Filliucius *tract.* 7. *num.* 40. Fauet etiam Becanus 2. 2. *cap.* 27. *q.* 6. *nu.* 4. Idem a fortiori ſine dubio exiſtimant Thomas Sanchez, Bonacina, & Diana rurſum §. præcedenti *num.* 25. relati, talem mulierem delicti mortalis, etiāſi cōſcia ſit, ſe ab aliquo particulari, & certo viro flagitioſè concupiſcendā, minimè damnantes. Quod fortaſſe etiam volunt Turrianus, Vazquez, & Megala ſupra *num.* 27. adducti, dum aiunt, tum feminam grauiter peccare, quum ſuo egreſſu dat occaſionem delinquendi ex ignorantia, vel ex fragilitate alicui determinato, & noto viro: quaſi ſecus iudicantes, ſi ſcandalū aliquorū in confuſo tantùm & vagè proſpiciat. Adſtipulatur quoq; diſertè Baſilius Pontius *lib.* 5. *de matr. cap.* 18. *n.* 14. vbi ait, non timeri poſſe ſcandalum ex ignorantia, aut infirmitate quando præſumitur ſcandalum duntaxat in vniuerſum, ſcilicet in aliquo homine vagè. Sed hic poſtremus Auctor, quum cæteri omnes recenſiti de peculiari, & ſingulari caſu mulieris loquantur, doctrinam generalem de quolibet ſcandalo ex ignorantia, vel ex infirmitate indefinitè ſolùm præuiſo ſecurè ſpernendo proponit, ac tuetur. Quod diſcrimen, ad vitandas æquiuocationes ſedulò notandum.

XXXIII Verùm etſi pleriq; ex Auctoribus quæſtionem huiuſmodi attigerunt, indicaruntq;, a nullo tamen ex profeſſo tractatam, aut ſolidè probatam, vel ſatis explicatam reperire hactenus potui; quam proinde accuratè excutere, matureq; expendere, vt pote ad multa dubia hinc pullulantia in pluribus materijs, quemadmodum etiam in hac de ornatu mulierum, diſſoluenda planè neceſſariam, ne dum vtilem, pro viribus conabor. Cum eo tamen, vt non tam de particulari caſu mulieris ante commemorato, quàm generatim de quouis ſcandalo indeterminatè ſolùm, ac vagè cognito, ſicut ipſomet in titulo de induſtria propoſui, rem totam expediam. Quod vt faciliùs præſtem, aliqua priùs, quæ minimè diſcriminata, & malè perturbata, errandi anſam præbent, & confuſionem pariunt, obſeruare neceſſe habeo.

Sed hæc quæſtio non bene hactenus a multis examinata eſt.

In primis, quando mulier v. g. iuſtâ ex cauſsâ neceſſitatis, vel vtilitatis domo egreditur, etiamſi aliquos indefinitè ſumptos ex ſuo aſpectu in fœda deſideria lapſuros putat, vacare culpa lethali arbitror, idq; abſq; controuerſia a cunctis Doctoribus admitti cenſeo. Probo efficaciter, quia cuncti Doctores puellam a peccato mortali ſcandali, quando nouit etiam ſe a determinato, & certo viro, vt a Titio malè concupiſcendam, ſi domo exeat, excuſant, quoties iuſtâ cauſsâ neceſſitatis, vel vtilitatis ad exeundum ducitur, vt §. 3. *num.* 29. & 30. vidimus. Ergo, interueniente eadē iuſta cauſſa, eandem puellam omnes pariter Doctores excuſare coguntur, quando domo egreditur, ſibiq; perſuadet aliquē ex multis indefinitè, quem in indiuiduo ignorat, ex ſuo aſpectu lethiferè peccaturum; quum in vtroque caſu eadem ratio eximendi illam a graui culpa adſit, vt euidens eſt. Idemque ſtatuendum, quando non vnus tantùm, XXXIV.

Certum eſt non peccare feminā exeuntē ex cauſſa iuſta, licèt ſe ſciat ab aliquibus indefinitis malè concupiſcēdam.

ſed

ſed plures peccaturi ſiue in indiuiduo, ſiue in genere ſolùm, & vagè, a puella, eadem iuſta cauſſa vtrumque caſum honeſtante, præuidentur, ob eandem

XXXV. rationem, vt conſtat.

Non eadē cauſſa ſufficit excuſāda cuicūq; ſubminiſtratio ni rerū indifferentium abuſuro.

Deinde animaduertendum ex Thoma Sanchez eſt, *lib 1. in Decal. cap. 7. num. 12.* non eandem cauſſam ſemper ſufficere ad rerum indifferentium abuſuro ſubminiſtrationem excuſandam. *Nam quum obligatio illam vitandi conſurgat ex obligatione virtutis, cui peccatum illud proximi, cui ea occaſio datur, opponitur* (vt infra oſtendam) *& obligatio omnium virtutum, non ſit æqualis, ſed quædam aliâ magis obliget* (idemq; ferè accidit, ſi obligatio vitādæ occaſionis peccandi non a virtute particulari oppoſitâ tali peccato, ſed a generali caritate ſolùm deriuetur, vt opinantur nonnulli: nam etiam caritas non æqualem obligationem vitandæ occaſionis imponit, ſed diuerſam, maiorem, vel minorem, prout variæ circumſtantiæ occurrunt) *nec occaſiones ſint pares, quia quædā ſunt magis indifferentes, et remotiùs ſe habent ad malū abuſum; quædā autem proximiùs ad illum accedūt, & maiorem in ſe malitiā continent. Inſuper nec præparatio abuſuri ad malū vſum eſt ſemper æqualis, ſed aliquando magis, aliquando minùs paratus eſt. Nec ſpes fore, vt ipſe deſiſtat a prauo abuſu, eſt ſemper æqualis, me non miniſtrante; ideo non ſemper æqualis cauſſa erit proportionata ad hanc miniſtrationem excuſandam; Sed quandoq; maior, quandoque verò minor neceſſaria erit. Quare nulla certa quantitatis huius cauſſæ regula præſcribi poteſt; ſed ea prudentis arbitrio remittenda eſt. Quò autem id arbitrium prudens ſit, debet attendere tanto maiorem cauſſam requiri, quanto peccatum, ad quod illa miniſtratio occaſionem dat, eſt grauius, & quanto proximiùs attingit illud, ſeu de ſe eſt magis ad malum determinata, & quanto certior eſt effectus peccati, & quando probabilius eſt, fore vt id peccatum impediatur, hoc non miniſtrante. Idq; ſummopere obſeruandum eſt, vrgentiorem cauſſam deſiderari, quæ ſuppeditantem hæc indifferentia excuſet, quando abuſus eſt contra iuſtitiam, & talem, quæ meritò præferri poſſit damno alterius. Et ratio eſt, quia maiori vinculo tenetur quis peccata alterius, quæ ſunt contra iuſtitiam, vitare, quàm, quæ contra ſolam caritatem. Quippe in illis innocens inuitus damnum patitur: in his autem ſolus peccans detrimentum ſpirituale patitur, idq; propriâ voluntate. Quod idem ſpirituale detrimentum ſubit, quando peccat contra iuſtitiam.* Hactenus Thomas Sanchez. Quæ ſunt ita perſpicua, vt a nullo in dubium iure reuocari queant. Quibus etiam conſentaneum omnino eſt, ſi periculum abuſus in aliquo indiuiduo, vt in Titio, ſit prorſus certum, at reſpectu alicuius in confuſo, & indifinitè dubium, atque incertum, non eandem cauſſam ad occaſionem in vtroq; caſu excuſandam requiri, ſed minorem in poſteriore ſatis eſſe, quàm in priore.

Præterea, vt obligatio ſubdtrahendi occaſionem delinquendi proximo, grauiter adſtringat, neceſſe eſt, talem occaſionem grauem, moralem, & proximam eſſe, ac iudicari, vt infra §. 10. & 11. patebit. Iam verò quòd abuſus, & peccatum aliquod proximi ex occurrente occaſione indeterminatè tātùm proſpiciatur, poteſt multipliciter contingere. I. Puella valdè formoſa poteſt prudenter, exiſtimare, ſe ab vno, vel pluribus malè concupiſcendam, generaliſſimè ſine vlla determinatione loci, temporis, vel perſonarum; rata nimirum fore, vt in decurſu totius vitæ ab aliquibus, etſi neſcit, a quibus, quando, vel vbi, turpiter appetatur. II. Poteſt eadem puella pru- XXXVI.

Occaſio peccādi data alicui indefinito varia eſſe poteſt.

denter quoq; iudicare, ſe ab aliquo, certo, a Titio videlicet, quem probè nouit, aliquando illicitè deſiderandam, quanquam ignorat, num hodie, vel poſt menſem, aut annum, vel quo loco. III. Poteſt eadem puella prudenter etiam reputare, ſe a Titio in particulari, & determinata occaſione perſonæ, loci, & temporis, vt in hodierno conuiuio in tali domo fœdè concupiſcendam. Quibus obſeruatis.

Segmentum II.
Duplex Aſſertio.

Quando occaſio peccādi non prævidetur hic & nūc determinata, & proxima, nemo tenetur eam declinare.

XXXVII Aſſero I. Si periculum delinquendi primo, vel ſecundo modo præuideatur in proximo ex occaſione ſuppeditatâ, quòd aliqui nempe, vel Titius aliquando ex ea peccabunt, ſed neſcitur quando, & quinam illi ſint; licèt autem Titius cognoſcatur lapſurus, ignoratur tamen quonam tempore &c. quoties puella in ſingularibus occaſionibus hîc, & nunc tale periculum imminere, vt Titius, vel aliqui indefinitè, delinquant hîc, & nunc, minimè animaduertit, immunem eſſe eandem puellam culpæ lethalis, ſe voluntariè eiuſmodi occaſionibus exponendo. Ratio clara eſt, quia tales occaſiones non ſunt proximæ, ſed remotæ, quas nemo tenetur vitare, vt notum eſt, & infra liquebit. Non eſſe autem proximas, ſed remotas, euidens eſt, quia peccatum, quod futurum præuidetur, non cernitur vllo modo coniunctum cum hodierna occaſione, v. g. conuiuij, vel confabulationis, ſed remotum ſupponitur. Ergo hodierna occaſio reſpectu illius non poteſt eſſe proxima, ſed remota dumtaxat, vt planum eſt. Ergo puella non peccat lethaliter ſimilem occaſionem non declinando. De quo duplici caſu in hac aſſertione explicato loquuntur ſine dubio Auctores *num.* 32. allati, liberantes puellam a mortali delicto, quando ſe a nonnullis indeterminatè tantùm deſiderandam turpiter nouit, quia nimirum tales occaſiones non censētur proximæ, nec peccatū hîc, & nunc ex hac, vel illa ſingulari occaſione pullulaturum timetur, ſed remotū creditur: in quo ſenſu rectè ſanè opinantur, eoſq; ego quoq; laudo, ac ſequor: non poſſunt verò rationabiliter idem docere, quando peccatum mortale ex hac vel illa ſingulari occaſione hîc, & nunc cum determinatione temporis, etſi perſona peccatura determinatè ignoretur, ac indeterminatè ſolùm prænoſcatur, certò, vel probabiliter emerſurum proſpicitur, vt paulò poſt reuincam.

Quum quis indefinitus peccaturus in occaſione determinata, & proxima prævidetur, occaſio ſine graui incommodo ei ſubtrahenda eſt. Et quū æquè certo præſcitur peccaturus ſiue indefinitè, ſiue in ſingulari, æqualis obligatio vrget vi-

Aſſero II. Si periculum delinquendi tertio modo ſupra indicato præuideatur in proximo, quòd aliquis vagè ſumptus, vel plures indefinitè accepti ex occaſione ſuppeditata hîc & nunc determinatè tali tempore, & loco grauiter peccabunt, ream lethalis culpæ fore puellam, v. g. ſi abſq; graui incommodo eam occaſionem poſſit ſubducere, niſi ſubducat: ac proinde, ſi æquè exploratum illi ſit, in hodierno conuiuio, a quo facilè abeſſe poteſt, & ſine vlla nota inurbanitatis illud recuſare, laudabilinſq; domi ſuæ in gynæceo ſe continere, ex ſui aſpectu, & colloquio ſe turpiter appetendam tam certè a noto ſibi Titio in indiuiduo, quàm ab aliquo alio ex conuiuis ignoto ſibi in ſingulari, & indeterminatè tantùm comperto; ex æquo ipſam delinquere in vtroq; caſu; vt autem a peccato immunis euadat, iuſtam cauſſam neceſſitatis, vel vtilitatis illi opus eſſe non minùs in poſteriore, quàm in priore caſu. Hanc concluſionem ita circumſcriptam, & marginatam, vt ſic dicam, a nullo Doctorum

ratio- XXXVIII

tandi ſcādali. ratio nabiliter negari poſſe, non ſolùm arbitror, ſed argumentis quoque, ac Doctorum omnium auctoritate, & ſuffragijs palàm euinco.

XXXIX. *Tum quia æquè ſic exponitur proximus graui periculo delinquendi.* Probo I. Qui ſeipſum periculo proximo lethiferè delinquendi, puta furandi, vel fornicandi ſine legitima cauſſa exponit, peccat mortaliter, vt ſine controuerſia Doctores cuncti decernunt, S. Bonauentura, Ioannes Medina, Caietanus, Armilla, Alphonſus a Caſtro, Nauarrus, Corduba, Alcozer, & Suarez adducti, atq; approbati à Thoma Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 8. num. 1.* vbi ait id eſſe certiſſimum; nec vllus diſſentit. Sed quilibet tenetur ſub mortali abſtinere periculo proximo non ſolùm certi peccati grauis in particulari, ſed cuiuſuis etiam mortalis in genere tantùm committendi, niſi iuſtâ cauſſâ excuſetur. Ergo qui ſine iuſta cauſſa occaſionem delinquendi lethiferè alicui in genere ſolùm, nedum in ſingulari præbet, idque ex æquo nouit, mortaliter peccat. Maior eſt indubitata; Minorem probo I. quia certum eſt eum, qui ſtatuit, ſe aliquod peccatum mortale in genere tantùm patrare, mortaliter delinquere iuxta omnes Theologos. Ergo eodem modo etiam delinquit ſine iuſta cauſſa exponens ſe proximo periculo peccandi lethaliter, quamuis in genere dumtaxat. II. quando conſcientia dictat confusè aliquid eſſe peccatum, non determinatâ materia peculiari, nec vnde deduci poſſit, an mortale, vel veniale ſit; quanuis nonnulli exiſtiment eſſe tantùm veniale, ſi illud agat; alij verò mortale eſſe velint, vt videre eſt apud eundem Thomam Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 11. num. 6.* nemo tamen dubitat, quin mortaliter delinquat, qui aliquid agit, conſcientia proponente id eſſe mortale indefinitè, aut ſaltem cum periculo proximo lethiferè in genere peccandi coniunctum, ſine vllo motiuo venialis dumtaxat culpæ. Nunc primam conſequentiam oſtendo, eodem modo grauiter peccare puellam v. g., quæ ſine iuſta cauſſa exponit proximo periculo delinquendi mortaliter ſeu Petrum in indiuiduo, ſeu aliquem indefinitè e multis, dummodo periculum æquale, & æquè certum hinc, atq; illinc agnoſcatur; tum ex principio lumine naturæ noto. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; tum ex diuino præcepto fraternę caritatis: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*: quod de occaſione peccandi ſubtrahenda proximo, ſine graui incommodo ſaltem, intelligitur, vt explicat Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp. 43. nu. 27. verſ. decipiuntur*, & ego pluribus in meo *Chorearum Speculo lib. 1.* ediſſero: obligatq; ad ſubtrahendā nō ſolùm eam occaſionē, quæ peccati in indiuiduo, ſed in genere etiam dumtaxat anſam præbet; tum quia prædicta puella ex parte ſua eſt ſufficienter determinata ad porrigendam ſine iuſta cauſſa proximo occaſionem propinquam delinquendi in genere, vt ſupponitur.

Probo II. Cuncti Doctores, vt ſupra *num. 29.* notaui, non eximunt a mortali feminam, quæ nulla neceſſitate, vel vtilitate ducta, ſed vanitate tantùm impulſa, aſpectu certi viri, v.g. Titij eam turpiter amantis, talis amoris non ignara quidem, ſed tamen ei non aſſentiens, ſe ſe offert, quia commodè ſine iactura rei neceſſariæ, vel vtilis poteſt ſe huiuſmodi aſpectui ſubducere. Ergo eadem peccabit quoq; lethiferè nō ſe ſubtrahens oculis quàm plurimorum iuuenum, quæ illam iam viro nuptam, ac de feneſtra ſuæ domus deſpectantem reſpiciunt, ex quibus vnum, aut plures indefinitè ſolùm XL. *Tū quia æquè cōmodè caueri poteſt in vtroque caſu peccatum proximi*

quan-

quanquam æquè certò in ſui libidinem arſuros, exploratè nouit. Conſequentia eſt euidens, quia æquè commodè ſine iactura vllius rei neceſſariæ, vel vtilis poteſt ſe ſubtrahere de feneſtra, ne videatur a multis, quàm, ne videatur a Titio, vt ſuppono. Ergo ex caritate ſub mortali tenetur vtramq; ruinam proximi tàm in genere, quàm in ſingulari ſubducere.

XLI. *Tũ quia id euincunt exẽpla diuerſa.* Probo III. Qui in numeroſo conuiuio alios ad bibendum inuitat, præuidens, aliquem conuiuatum indeterminatè inebriandum, peccat mortaliter, vt tradunt Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 3. dub. 4. num. 32.* Valentia 2. 2. *diſp. 9. quæſt. 3. punc. 2. concl. 4.* Reginaldus *lib. 22. cap. vltimo, ſect. 4. num. 58.* & Baldellus *tom. 1. lib. 3. diſp. 30. num. 22.* qui nullius Auctoris diſſentientis mentionem faciunt, nec legi ego, qui diſcordet. Rurſum concionator, qui in concione ait, ſe in tali loco audiſſe in confeſſione tale peccatum, quamuis nullum periculũ adſit fractionis ſigilli, ne quis in ſuſpicionem delinquentis venire queat, tamen peccat mortaliter ob datum ſcandalum etiam, quia plerique imperiti ex auditoribus putant ita violari ſigillum, & ita ipſamet confeſſio odioſa redditur, & ipſimet peccato confeſſoris, & concionatoris inuitari ſe tacitè ad peccandum aliàs, ſibi perſuadent, vt docent Malderus *tract. de ſigillo, cap. 14.* Beia *par. 3. caſu 15.* & Diana *part. 5. reſol. 36. trat. 11.* qui nullum etiam Doctorem contra opinantem commemorant, neq; ego vidi. At vtrumque hoc ſcandalum mortale datum proximo plerumque non eſt reſpectu vllius perſonæ particularis, ſed alicuius, aut plurium indefinitè tantùm. Ergo &c.

XLII. *Præſertim quia* Probo IV. Qui publicè coram alijs multis peccat mortaliter, non curans, an dictum, factumue ſuum afferat alicui eorum periculum probabile grauis ruinæ, tenetur hanc circumſtantiam ſcandali ratione periculi, cui ſe incitandi alios ſuo prauo exemplo expoſuit, aperire in confeſſione, vt explicatè affirmant Bannez 2. 2. *q. 43. a. 4. fine,* Azor *par. 2. lib. 12. cap. 16. quæſt. 3.* Petrus de Ledeſma *tom. 2. ſumm. tract. 4. cap. 5. dub. 3.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6. nu. 7.* & 20. Bonacina *de peccatis, diſp. 2. quæſt. 4. punc. 2. §. vnico, num. 42.* Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 1.* Siluius 2. 2. *q. 43. a. 3. concluſ. 3.* Alphonſus de Leone *de offic. Confeſſor. tract. 1. recollect. 14. num. 9.* & 10. Filliucius *tract. 28. cap. 6. num. 226.* Diana *par. 5. tract. 7. reſol. 3.* Ferdinandus a Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 4. num. 2.* vbi ait peccantem publicè contrahere malitiam ſcandali generalis, quia ad malum incitat, quamuis per accidens nemo fortè mouebitur. At periculum huiuſmodi malo exemplo creatum alijs, non ſolùm perſonas certas, ſed etiam indefinitas reſpicit, vt manifeſtum eſt. Vnde illico ſubdit idem Palao: *Quod autem in particulari neſcias, ad quod peccatum videntes mouendi ſint, & qui ſint mouendi; non obſtat quo minùs determinatam malitiam ſcandali contrahas, ſicuti contraheres, ſi aliquos abſque vlla determinatione perſuaderes, vt peccatum mortale committerent, talis perſuaſio & vna eſt, & vnam malitiam habet, etſi obiectum videatur eſſe nimis commune, & confuſum.* Ergo etiam ſcandali mortalem culpam incurret, qui dicto, vel facto indifferenti alijs indefinitè, ac generatim occaſionem grauis ruinæ ſine iuſta ſuppeditat. Conſequentiam euinco perſpicuè, quia qui blaſphemat coram Titio, gnarus & ipſum

quis peccat corã multis, neſciens quis ſit idcirco ob malũ exemplũ lapſurus.

ſum idcirco ex ſuo prauo exemplo blaſphematurum, peccat peccato ſcādali generalis quoque in ſententia Doctorum omnium, niſi quòd aliqui ſcandalum etiam ſpeciale eſſe contendūt, quod ad præſentē aſſertionē nihil refert. Nec a tali ſcandalo liberatur, ſi blaſphemat coram alijs, preuidens aliquē hinc in aliquod peccatū mortale lapſurum, etiamſi ignoret, quodnam illud, & quiſnam ille ſit, vt docui ex conſenſu pariter omnium, quum nullū diſſentientem viderim. At certum quoque eſt ex conſenſu cunctorum Doctorum, vt *nu.* 29. oſtendi, ſi puella ſine iactura neceſſitatis, vel vtilitatis poteſt vitare aſpectum, & colloquium Titij, a quo turpiter ſe appetendam ſcit, peccare mortaliter, niſi vitet, tametſi tam colloquium, quàm aſpectus ex parte puellæ ſit omnino indifferens naturâ ſuâ. Ergo ſi ex ęquo certum puellæ eſt, aliquem in genere ex conuiuis, ob ſui aſpectum & colloquium indifferens, libidine flagraturum, exploratum etiam eſt, ipſam, quum facilè, & ſine vllo incommodo poſſit vitare idem conuiuium, colloquium, & aſpectum, tam quum ab aliquo particulari noto, quàm ab aliquo indeterminato ignoto malè ſe deſiderandam æqualiter certò nouit, ſi tale conuiuium non vitet; talemque occaſionem non ſubtrahat, lethaliter delinquere, quum nulla prorſus diſparitas aſſignari queat. Sicut enim, etſi colloquium, & conuiuium ſit indifferens, non excuſat tamen puellam, ſi nouit ſe in particulari a Titio fœdè concupiſcendam, quum poſſit commodè talem occaſionem ſubducere: quanquam autem blaſphemia de ſe mala ſit, & ad malum inductiua, non autem eiuſmodi colloquium, tamen peccatum ſcandali mortalis exiſtit nō ſolùm in vno, ſed etiam in altero caſu, & ne fiat quæſtio de nomine, ſi in blaſphemia coram Titio eſt ſcandalum mortale, in colloquio cum Titio pariter in fœda deſideria hinc lapſuro & præuiſo eſt culpa lethalis ſaltem contra caritatem: ita etiam, ſi puella æquè certa, idem periculum libidinoſi deſiderij in aliquo indeterminato ex ſuo colloquio indifferenti imminere, quod æquè facilè declinare poteſt, parem culpam mortalem contrahit ex ſententia omnium, niſi illud declinet.

XLIII *Alia exēpla idem cōuincunt.*

Probo V. Qui nudam Venerem, aut ſimilem obſcœnam imaginem pingunt, atque exponunt, etiamſi talis imago ſit de rebus naturalibus, atq; ex ſe indifferentibus, nihilominùs mortaliter delinquunt, quia alijs, indefinitè licèt acceptis, luxuriæ occaſionem præbent, vt docent Thomas Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp.* 46. *num.* 44 *Filliucius tract.* 30. *cap.* 10 *q.* 5. *num.* 211. & Baldellus *tom.* 1 *lib.* 3. *diſp.* 17. *num.* 10. nec ſcio, qui aliter cenſeat. Haud ſecus peccant etiam lethiferè ob eandem rationem, qui laſciuos libros ſcribunt, publicantque, vt aſſerunt idem Thomas Sanchez *ibid. num.* 43. Alphonſus a Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæretic. pœna, cap.* 15. Filliucius *loc. cit.* & Baldellus *loc. cit. num.* 9. At iſti rei fiunt culpæ mortalis, etſi alijs indeterminatè ſolùm acceptis occaſionem ruinæ præbeant, vt perſpectum eſt. Ergo eiuſdem delicti particeps quoque eſt, qui dicto, vel facto vtcunq; indifferenti occaſionem grauis ruinæ proximo etiam indefinitè ſumpto abſque iuſta cauſa ſuppeditat. Quæ conſequentia *nu.* 42. præcedenti ſatis probata eſt.

XLIV. *Tum quia physicè in vtroque caſu æquè*

Probo VI. Generaliter, & a priori efficaciter. Puella conſcia æquè certò, aliquem ex multis in hodierno conuiuio ex ſui aſpectu, & colloquio lapſurum in lethale crimen, licèt igno-

alieno peccato indirectè cooperatur, qui ſcādalum dat.

ret, quiſnam ſit, & in craſtino conuiuio ex ſui aſpectu, & colloquio Titium peccaturum mortaliter, vt bene nouit: in vtroque caſu materiam indifferentem abuſuro ſubminiſtrat, eodemque modo phyſicè alieno peccato, & ſcandalo paſſiuo alterius indirectè cooperatur. Ergo ad eam excuſandam in vtroque caſu iuſta cauſſa neceſſaria eſt. Ergo ſi iuſta cauſſa in vtroque illi deſit, in vtroque peccat mortaliter. Conſequentia eſt aperta. Antecedens demonſtro, quia quòd Lucretia puella ignoret, vnum ex multis indefinitum, cui occaſionem mali a ſe præberi colloquio, & aſpectu indifferenti probè ſcit, eſſe Semproniū, nihil prorſus impedit, quin eodem modo periculum grauis ruinæ tam Sempronio ignorato, quàm Titio agnito, phyſicè afferat. Nam Lucretiæ notitia interna de Titio in ſcandalum paſſiuum eiuſdem Titij nihil penitùs influit, ſed dicta, & facta externa eiuſdem Lucretiæ, nec non pulchritudo, ornatus, verba, gratia, & aliæ circumſtantiæ exteriores, quibus Titius captus in peccatum labitur; iſque eodem planè modo labitur, ſiue Lucretia ſciat eum labi, aut periclitari, ſiue neſciat: & ſiue etiam directè intendat eum in peccatum impellere, quatenus hoc ipſius quoque malum ſpirituale eſt (quod eſt ſcandalum actiuum formaliſſimum omnium tæterrimum, vt patet) dummodo hanc intentionem peſſimam exteriùs non prodat, quia prodita mali non parum operaretur: ſiue tali intentione prorſus careat, nec de Titij periculo quicquam ſuſpicetur. Adhuc enim cum tota hac Lucretiæ inſcientia, vel malitia tam Sempronius ignoratus, quàm Titius cognitus, eodem modo ſuccumbunt, quia Lucretiæ iiſdem blandimentis externis pulchritudinis, ornatus, verborum, eâdemque pellaciâ titillantur, illaqueantur, ac pereunt.

In ſcandalo enī non attēditur cogitatio interna, ſed occaſio mali externa data.

XLV. *Vt apertè colligitur et ex DD.*

Vnde ſapienter S. Thomas 2.2.*q.*43 *a.*1. ad 1. communiter receptus, explicans, cur in ſcandali definitione nulla mentio cogitationum, vel deſideriorum fiat, rationem ita reddit: *Dicendum, quòd cogitatio, vel concupiſcentia mali latet in corde: vnde non proponitur alteri vt obex diſponens ad ruinam; & propter hoc non poteſt habere ſcandali rationem*. Egregiè quoque Iacobus Vngarellus in hanc ipſam ſententiam, ad Summam Angeli, *verbo, ornatus, num.* 1. *litera C. Verſ. Quæ ſit mortalis*, ſic ſcribit: *Licèt intentio ſit indifferens, tamen adhuc talia ornamenta ſunt illicita. Dicit S. Thomas ſuper Epiſtolam Pauli ad Timotheum*. Ornatus enim prouocat non intentio. *Et Lactantius 3. diuin. inſtitut. cap.*5. *inquit:* nihil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt, quia facta cernuntur, animus non videtur; *hæc igitur, vnde aſpicitur ornamentum, & non intentio; & per exteriora cognoſcuntur interiora: & ſi veſtimenta ſint inhoneſta, & vana: quomodo lingua pudicitiam proferre poteſt?* Hoc ipſum confirmo ex doctiſſimo Baſilio Pontio *lib.* 5. *de matrimonio, cap.* 18. *num.* 5. vbi præclarè ita philoſophatur: *Si opus aliàs ex obiecto, & circumſtantijs non ſit malum, neq; habeat ſpeciem mali, ſed tantùm reddatur malum ex prauo fine operantis, perinde iudicandum de illo eſt, ac ſi non eſſet malum ex fine. Ratio verò eſt, quia qui ſumit occaſionem ſcandali, non ſumit ex prauo fine, qui manet in mente operantis, ſed ſumit ex ipſo opere cum alijs circumſtantijs, ex quibus non habet rationem, aut ſpeciem mali*. Ex quibus omnibus antecedens illud *num.* 44. propoſitum, abunde probatum eſt. Ergo, quum Lucretia peccato tam Sempronij ignorati in indiui-

duo, etſi indefinitè comperti, quàm Titij in ſingulari cogniti, phyſicè, indirectè, & æqualiter cooperetur, æqualiterq; iuſta cauſſa in vtraq; cooperatione careat, & æquè etiam certa ſit ſcandali paſſiui vtriuſq; in vtroq; caſu, vt ſuppono, ex æquo etiam in vtroq; peccat lethiferè. Quæ ſanè ratio videtur mihi conuincens, minimeq; expenſa ab ijs, qui ab hac aſſertione diſſentiunt; ſi qui tamen ab ea ita explicata, & limitata diſſentiunt reuera, quod vix exiſtimo.

Segmentum III.
Secundæ Aſſertionis Patroni.

XLVI. *Nullo prorſus diſcrepant.* PRobo VII. ac poſtremò auctoritate, & ſuffragijs Doctorum, vt puto, omnium, qui rationabiliter diſcordare, aut repugnare non poſſunt. Nam I. Ex cunctis Auctoribus *num.* 32. recenſitis, qui obſtare videntur, nemo prorſus hanc meam ſecundam aſſertionem negat, aut in controuerſiam vocat, neque vllus a mortali culpa eximit feminam, quæ æquè certò ſcit v.g. aliquem indefinitè, in hodierna occaſione oblata, ſui gratiâ mortaliter peccaturum; ac Titium in ſimili occaſione hodierna, ſui etiam gratiâ pari culpa obſtringendum, quum æquè cômodè ſine vlla iactura neceſſitatis, vel vtilitatis vtramq; occaſionem ſubtrahere poſſit, niſi eã ſubtrahat. Quum autem ijdem Auctores feminam excuſant, loquuntur palàm de illa, quæ non apprehendit vllam a ſe occaſionem proximam cuiquam etiam indeterminato ſuppeditari, ſed remotam tantùm iuxta primam aſſertionem; atque adeo ſecundæ aſſertioni nõ aduerſantur, nec aduerſari poſſunt. Neque enim ſunt ita imprudentes (quod nemo ſine ingenti temeritate, magnáq; tantorum virorum iniuriâ dixerit) vt ſomnient, ne dum putent, ſi Lucretia ſolicitetur a lena, vt dormiat cum Titio, ſibi indiuiduo manifeſtato, peccare ipſam mortaliter, ſimul ac liberè, ac plenè conſentit: non autem, ſi lena nullum in ſingulari ipſi nominauit, ſed iuuenem quendam nobilem in cõmuni ſolùm, ac vagè: ac proinde, quum omnes conſentiant, ſi Lucretia ex fida relatione probi viri, aut honeſtæ mulieris, de cuius fide minimè dubitat, nouit ſe prauè deſiderandam a Titio, vbi ſe illi de feneſtra viſendam obtulerit; & nihilominùs abſque iuſta cauſſa neceſſitatis, vel vtilitatis ſe ei offert, lethiferè ſine dubio delinquere: non poſſunt prudenter negare, quin paris criminis ſit rea, ſi cum ijſdem circumſtantijs ſe viſendam offerat, cõſcia ſe appetendam fœdè ab aliquo, vt ex certa admonitione probi viri, de cuius veritate ambigere nequit, cognouit, etſi is perſonam in particulari noluit ipſi detegere, & ipſa ſine ſuo incommodo poteſt ſe ſe ſubducere.

II. Iidem Doctores *num.* 32. relati inficiari nequeunt, quin coram alijs peccans lethiferè, hanc circumſtantiam ſcandali, reſpectu etiam plurium, vel vnius tantùm indefinitè ſumpti neceſſariò aperire debeat in confeſſione, vt *nu.* 42. planum feci, idque ex illis Auctoribus eo *num.* 32. adductis plerique, vt Thomas Sanchez, Bonacina, & Diana enucleatè decernunt, vt eo *num.* 42. docui: ac propterea idem etiam fateri coguntur, quoties aliquis coram alijs quidpiã ait, aut agit, etſi indifferens, vnde præuidet aliquẽ indeterminatè acceptũ grauiter ſcandalizandum, nec vllam iuſtam cauſſam ſcandali paſſiui permittendi habet, vt eodem *num.* 42. probaui; adeoque & ipſi ſecundæ meæ aſſertioni patrocinantur. XLVII.

III. Ex illis ipſis Auctoribus eo *nu.* XLVIII.

32.

32. citatis nonnulli, vt Vazquez, Turrianus, & Megala clarè ſanciunt, feminam, ſi ſcandalum eſt futurum ex infirmitate, vel ignorantia, exire domo non debere, ſecus, ſi ex malitia, nec excipiunt, aut diſcriminant, quum ſcandalum eſt reſpectu ſingularis, vel indeterminati indiuidui, adeoque palàm pro mea ſecunda concluſione ſtant in acie. Thomas autem Sanchez, Bonacina, & Diana *ibidem*, *& num.* 25. relati non diſtinguunt inter ſcandalum indiuidui ſingularis, vel indefiniti, ſed in vtroque peccatum imputandum eſſe malitię concupiſcentium aiunt: rationemque excuſandæ mulieris, non ab aliquo indeterminato lapſuro, ſed aliunde petunt, vt *num.* 25. notaui; qui tamen, quum iuſtam neceſſitatis, vel vtilitatis cauſſam, quo eam legitimè excuſent, aſſignare debeant, vt *num.* 29. obſeruaui, non poſſunt huic aſſertioni repugnare, vt ſatis ex dictis pateſcit.

IV. S. Antoninus, Silueſter, & alij *num.* 28. enumerati, damnantes mortalis delicti mulierem, ſine iuſta cauſſa neceſſitatis, vel vtilitatis, domo egredientem, etſi conſciam ſibi, ſe ab aliquo indefinitè accepto, vel a pluribus turpiter appetendam; perſpicuè hanc aſſertionem ſuſtinent.

XLIX. V. Pro eadem aſſertione pugnant etiam triginta inſuper Doctores, quos affert Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp.* 37. *nu.* 2. vbi diſertè pronuntiat, *mulierem obligari ad non exeundum domo cauſſâ audiendi Miſſam in die haud feſtiuo, ſi timuerit aliquem eius concupiſcentiâ exarſurum; quum tunc audire Miſſam ſit opus conſilij, & non præcepti*; nec diſcriminat ſcandalum, aut peccatum proximi reſpectu indiuidui ſingularis, aut indeterminati; ſed eo præciſè mortalis culpæ ream mulierem indicat, quòd ſine graui incommodo ab opere conſilij tantùm ad cauendum proximi delictum abſtinere potuit; quæ ratio in vtroque caſu ex ęquo militat, vt antea ponderaui. Mox verò idem Ioannes Sanchez in huius doctrinæ confirmationem profert, & citat S. Thomam, Ricardum, Paludanum, Adrianum, Durandum, Almainum, Angelum, Alexandrum, Caſtro. Supplementum Gabrielis, Vazquez, Cordubam, Torres, Salas, Becanum, Vegam, Rodriquez, Lopez, Medinã, Marquez, Zumel, Sa, Graſſium, Roſellam, Hoſtienſem, Raymundum, Tabienam, Suarez, Baſilium de Leon, Maldonatum, Valentiam, & alios iam priùs relatos.

L. VI. Pro hac ipſa aſſertione neceſſariò quoque manifeſtè dimicant cõplures Doctores, qui feminam præ valde immoderato ornatu dante occaſionem grauis ruinæ proximo, mortaliter delinquere aſſeuerant; nec obſcurè innuunt idem ſentiẽdum, etiamſi occaſio ruinæ alicui, vel pluribus vagè ſolùm, & in genere ab illa præbeatur, vt nominatim docent Alenſis, Nicolaus de Auſmo, Baptiſta de Salis, Baptiſta Trouamala, S. Antoninus, Silueſter, Angelus, Iacobus Vngarellus, Tabienſis, Alexander Anglus, Nicolaus Aurificus, Ioannes Herolt, Suarez, Gordonius, Granadus, Mazzinus, Dioniſius Carthuſianus, S. Bernardinus, S. Carolus, S. Thomas, Aſteſanus, Ioannes de Friburgo, Vlricus, Leſſius, Filliucius, Baldellus, Tiraquellus cum multis Iuriſconſultis, quos ego omnes infra *cap.* 7. §. 4. & 5. ſingillatim accurateque citabo, quin plerũque ſyllabatim etiam recitabo. Pro hac etiam concluſione manifeſtiſſimè eſt Cardinalis de Lugo *diſp.* 14. *de pœnit. ſect.* 10. *num.* 162. vbi nonnullas quoque alias rationes, atque inſtantias affert, quas infra §. 13. producam: nec diſ-

ſentiunt Suarez, & Filliucius, vt *ibidẽ* oſtendam.

LI. *Maior cauſſa requiritur, vt excuſetur qui certus eſt de ſcandalo indefinito alterius, quàm qui dubius tãtùm eſt de ſingulari.*

Ex quibus infero, ſi e contrario ſupponamus Lucretiam eſſe omnino certam de probabili periculo a ſe præbendo alicui indeterminato, puta Titio ignorato, deq; huius peccato ob tale periculum omnino ſecuturo; dubiam autem dumtaxat de Sempronio determinatè noto, an lapſurus ſit; maiorem cauſſam requiri, vt ſine peccato poſſit ſe exponere multitudini virorum, in qua vnum ſuo aſpectu caſurum certò ſcit, etſi quis iſte ſit, neſciat, quàm, vt ſe a Sempronio conſpici patiatur. Nam ſuppoſito, quòd æquè commodè vtrumq; conſpectum declinare poſſit, lege caritatis magis tenetur eum vitare, qui ad peccatum proximè magis accedit, vt ſupra *num.* 35. animaduerti, & per ſe liquet. At hîc magis accedit Lucretia in primo caſu, in quo de peccato proximi, quãquam indeterminati, certa eſt, quàm in ſecundo, in quo eſt tantùm dubia. Ergo maiore cauſſa excuſante in eo, quàm in iſto, indiget. Sin autem Lucretia certa ſit de ruina Sempronij, perſonæ determinatæ, ſibiq; notæ; incerta autem, ac dubia tantùm de ruina alicuius indeterminati á ſe in indiuiduo ignorati, minor cauſſa ſufficit, vt poſſit ſe ſine peccato tam oculis huius, quàm illius exponere, vt ex dictis clarè ſequitur. Quare, ſi iuxta Doctores ſupra *num.* 28. quando Sempronia nouit certò, Titium ob ſuum aſpectum, quum ipſa ad viridarium pergit recreationis tantùm gratiâ, qua ſine graui incommodo carere poteſt, lethaliter peccaturum; non eſt tum iuſta cauſſa exeundi domo, præferendaq; eſt ſalus proximi aliàs certò lapſuri eiuſmodi recreationi; fortaſſe iuxta eoſdem Doctores erit ſufficiens ad eandem excuſandam, quando ſolùm dubia eſt de ſcandalo paſſiuo alicuius indefiniti, ſi tali recreatione ſine aliquo incommodo, quanquam non graui, ſed leui dumtaxat reſpectu grauioris, quod requiritur, vt certum alterius delictum poſſit permittere, tametſi in ordine ad excuſandam permiſſionem ruinæ alterius indeterminati etiam, penſatis omnibus, grauis quoque, abſtinere nequit.

Contra autem quum quis certus eſt de ſingulari, dubius autẽ de indefinito.

LII. *Vtcunq; phyſicè minùs certa dicatur cognitio de aliquo indefinito.*

Vbi animaduerto, quanuis nonnemo, ſi ponamus a viro fide digniſſimo monitam Lucretiam, quando domo exit, ipſam turpiter appeti a Titio noto, aut, quum is deeſt, ab aliquo alio in genere, ignorato in ſingulari, eandemque de peccato vtriuſque eſſe æquè certam; contendet fortaſſe cognitionem Lucretiæ de peccato proximi non eſſe phyſicè æquè certam in vtroque caſu, ſed in priore magis diſtinctam, in poſteriore autem confuſã magis; moraliter in ordine ad obligationẽ ſubtrahendæ occaſionis ęquè certam eſſe in vtroque caſu, quicquid ſit, an etiam phyſicè æquè certa ſit.

LIII. *Scandalum vitãdum eſt, etiã quum probabiliter ſolùm timetur.*

Animaduerto præterea, obligationem vitandi ſcandali paſſiui puſillorum, ſubtracta grauis ruinę occaſione, non ſolùm vrgere, quando ſcandalum, & abuſus lethalis rei indifferentis ſuppeditatæ certò præuidetur; ſed etiam quando probabiliter dumtaxat timetur, ſeu poſitiuo dubio, hoc eſt, opinatiuo proſpicitur; quanquam tum minor cauſſa requiritur, vt licitè permittatur, quàm, quum abuſus eſt certus; ſecus autem, vbi dubium de abuſu eſt merè negatiuum, ideſt, ignorantia mali abuſus alterius, licitum eſt miniſtrare indifferentia abſque alia cauſſa concurrente, quum in tali caſu nulla ratio ſufficiens, quæ prudenter malum ſuſpicari ſuadeat, aut rationabiliter dubitare cogat, appareat, vt tanquam rem exploratam, minime-

que

que controuerſam in triplici caſu certitudinis, opinionis, ſeu dubij poſitiui, & dubij negatiui de abuſu rei indifferentis tradit Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *num.* 17. ſine mentione vllius diſcrepantis.

LIV. Regula generalis permittendi ſcandali ex graui incommodo, penſatis omnibus.

Demum animaduerto, varias regulas, quæ de ſcandalo vitando præſcribuntur a Doctoribus, ad hanc omnes reuocari, vt maturè perpendatur, ſimulque comparetur hinc grauitas damni, quod ex omiſſione rei indifferentis emergit, cum grauitate peccati, vel ſcandali, quod ex eius occaſione ab alio admittitur; quumque damnum imminens, niſi alienum delictum permittatur, graue prudenter reputatur, licitè permitti poſſit: Sin autem peccatum a proximo ex rei indifferentis abuſu patrandum notabiliter ſuo in genere excedit quantitatem damni, ex lege caritatis prætermittatur opus, propriumque damnum temporale maiori damno ſpirituali proximi poſtponatur; dummodo ſcandalum ex mera malitia non oriatur. In quo accuratè ponderandum eſt, num damnum noſtrum temporale, quod ſubeundum eſt ad peccatum alterius cauendum, tale ſit, vt prudentis iudicio, penſatis omnibus, notabile, & obligationi peccati alieni vitandi meritò anteponendum exiſtimetur. Tum enim, quum erit huiuſmodi, ſcandalum alterius tutâ conſcientiâ permitti poterit. Quæ regula veriſſima, vniuerſaliſſima, & certiſſima eſt apud omnes Theologos, præſcribiturque nominatim à Valentia *Tom.* 3. 2.2. *diſp.* 3. *q.* 18. *punc.* 4. §. *Tertia regula verſ. Tum quia ſequeretur*, a Suarez *diſp.* 10. *de Caritate ſect.* 3. *num.* 9. *& diſp.* 9. *ſect.* 2. *num.* 5. a Tannero *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 6. *dub.* 8. *num.* 105. *& dub.* 9. *num.* 108. a Coninch *de actibus ſupernat. diſp.* 32. *dub.* 4. *num.* 64. a Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 8. *verſ. Quamobrem in hac ſcandali materia*, & a Lorca 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 45. *num.* 6. vbi ait, ſemper extremam animæ neceſſitatem alterius, grauem, aut leuem, extremæ neceſſitati, graui, vel leui proprij corporis, vel alterius iacturæ temporalis eſſe preferendam.

§. V. *Difficultates Oppoſitæ Diluuntur*:

LV. Obligatio ſubtrahenda rei indifferentis abuſuro per ſcandalum, non tollitur, licèt exhibeatur plurimis nō periclitantibus.

Dices I. nunquam dari, aut eſſe parem obligationem vitandi periculi proximi particularis, & proximi indeterminati; quia quando aduertitur periculum proximum Titij, vna tantùm, & determinata perſona eſt, quæ periclitatur, & propterea huic periculum ſubtrahendum eſt. At quando periculum proximum reſpectu alicuius indefiniti duntaxat eſt, per explicatam doctrinam actio indifferens v.g. inuitandi ad potum non ſolùm à perſona, quæ verè periculum proximum ſubit ebrietatis; ſed etiam a cunctis alijs, quæ minimè periclitantur, abſtinenda eſt, vt patet. Sed id nimis lædit, & grauat libertatem, nimiſq; idcirco oneroſum incommodum eſt. Ergo nemo ad id ſub lethali culpa obligatur. Reſpondeo, quamuis reuera in periculo indefinito actio vel materia indifferens ſubducenda ſit etiam ijs, qui periculo proximo eâ abutendi expoſiti non ſunt, hoc tamen qualecunque incommodum, niſi quid aliud addatur, nequaquam graue a Doctoribus reputari, neque tale, vt ab obligatione ſub mortali talis periculi etiam indefiniti declinandi quēquam cōmuniter eximat, quemadmodum ex allatis ſupra exemplis, atq; ex alijs æquè perſpectis facilè oſtenditur. Nemo enim ex Doctoribus *num.*

41. adductis a mortali excuſat, qui proximum ebrietatis periculum in certo conuiuio alicui indefinito imminens proſpicit, & nihilominùs cunctos indiſcriminatim ad potandum inuitat; etſi in tali caſu ab inuitandis illis etiam, qui extra periculum ſunt, abſtinere teneatur, vt conſtat. Rurſum cõcionator tenetur ſub mortali in concione abſtinere a relatione auditi peccati in Confeſſione in tali loco, ob periculum graue, ne imperiti plerique putent violari ſigillum, etſi reuera violandi nullum ſit periculum: vnde id graue ſcandalum cenſent Doctores eodem *num.* 41. relati. Atqui tale periculum, & ſcandalum reſpicit quoque omnes imperitos non ſolùm definitè ſingulos, ſed etiam indefinitè cunctos, teneturq; concionator talem relationẽ ſupprimere, & ſubtrahere etiam omnibus, qui minimè eâ auditâ periclitantur, vt extra controuerſiam eſt. Tertiò, qui publicè coram alijs delinquit lethiferè, v. g. blaſphemat, non curans, an graue periculum ita alicui ex preſẽtibus afferat blaſphemandi, peccato blaſphemiæ ſuperaddit malitiam mortalem ſcandali, teneturque hanc cauere, & ſubducere cunctis etiam indefinitè, etſi fortè nemo in graue periculum incidet, vt ex Doctoribus ſupra *num.* 42. recenſitis teſtatum eſt. Quartò, qui in venatione, vel aucupio explodens longam fiſtulam, præuidet proximum periculum, ne grauiter lædat aliquem indefinitè ex multis meſſoribus, vel agricolis ibi verſantibus, peccat omnino mortaliter, teneturque talem exploſionem omittere ſub mortali, etiamſi ea vni tantùm indeterminato periculum afferat, reliquis autem cunctis nullum prorſus. Quintò, eâdem ratione qui obligatus v. g. eſt nonnullis gratis epulum, vel prandium præbere, ſi verè dubius eſt tantummodo, nedum probabile putat, aut certò ſcit in aliquo ciborum indefinitè latere venenum, et in quo determinatè lateat, ignorat penitùs, tenetur ſub mortali nullum ex cibis, de quibus dubitat, an aliquis eorum ſit venenatus, illi exhibere, vt certum eſt; etſi reipſa vnus tantùm ipſorum ſit venenatus, & cæteri innoxij. Parque ratio eſt in alijs ſexcentis caſibus. Ergo falſum penitùs eſt, vtcunque in his lædatur libertas, dum obligatur ad cauendum periculum, eorum etiam, qui extra periculum planè ſunt; huiuſmodi qualecunque incommodum cenſeri graue, & ſufficiens abrogandæ obligationi illius vitandi.

LVI. *In ſcandalo attẽditur externa occaſio data, nõ interna intẽtio.*

Ratio autem genuina eſt, quia ſicut qui ſine iuſta cauſſa proximo delinquendi grauiter periculo alterum exponit, quem nouit in particulari, & determinatè periclitaturum, peccat mortaliter, quia eius ſpiritualem ſalutem contemnere conuincitur, huius amittendæ probabili periculo ipſum obijciendo, vt perſpicuum eſt ex communi Doctorum ſententia, quos infra §. 11. enumerabo: ita non ſecus, qui eundem ipſum v. g. Titium pari periculo proximo ſine iuſta cauſſa exponit, ſic exponendo, eius ſalutem ſpiritualem contemnit, etiamſi ipſum periclitari explicitè, & determinatè neſciat, ſed indeterminatè tantùm, & confusè. Eodem enim modo periclitatur Titius amaſius, & in libidinem valde propenſus aſpectu Lydiæ; vel certè in ebrietatem incidit a Sempronio prouocatus ad potum; ſiue tale periculum Lydia, ac Sempronius animaduertant, ſiue omnino neſciant. Cognitio quippe Lydiæ, & Sempronij de periculo Titij, ſeu determinata, & particularis; ſeu indeterminata, & generalis nihil prorſus in ipſum eiuſdem

peri-

periculum influit; id verò, quod ſimile periculum creat, eſt tantùm ipſa inuitatio externa, vel Lydiæ pulchritudo; creat porrò idem periculum eadem inuitatio, vel pulchritudo, etſi Sempronius vel Lydia neſciant, imò etiamſi nolint, vt patet. Ergo idem accidit contemptus ſalutis ſpiritualis alienæ tam in periculo indeterminatæ perſonæ, quàm in periculo certæ, & determinatæ. Ergo & eadem mortalis ſcandali culpa. Vltima conſequentia probatur, quia pari facilitate, & commodo vitari poteſt periculum Titij lethaliter peccandi morale, & proximum, ſiue id determinatè, ſiue indeterminatè cognoſcatur, ſi nihil grauaminis præterea adiungatur, vt manifeſtum eſt. Ergo par in vtroque caſu culpa mortalis, ſi eiuſmodi periculum ſeu definitè, ſeu indefinitè notum, dummodo pari certitudine cognitum non vitetur.

LVII. *Tam in peccatis contra caritatem, quàm contra iuſtitiã.*

Neque obſtat, allata exempla de veneno in cibis indefinitè latente, & de exploſione fiſtulæ cum graui periculo lædendi alicuius indeterminati opponi iuſtitiæ; actiones autem ſcandaloſas caritati. Nam etſi hinc ſequitur, longè maiorem & vrgentiorem cauſſam requiri ad actiones indifferẽtes, ex quibus damnum proximi contra iuſtitiam oritur, excuſandas; quàm quum abuſus eſt ſolùm contra caritatem, vt vnà cũ Azor bene notat Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 7. *num.* 12. quem ſupra *num.* 35. retuli; id tamen diſcrimen totum nihil prorſus impedit, quin reuera periculum proximum grauis damni contra iuſtitiam actione per ſe indifferenti explodendæ fiſtulæ v. g. alteri creetur ex æquo, ſiue definitè, ſiue indefinitè perſona lędenda cognoſcatur, ac creatur proximum periculum lethalis delicti alteri contra caritatem, ſiue talis perſona periclitans determinatè pariter, vel indeterminatè ſit nota, vt planum eſt, adeoque producta exempla adhuc vrgent. Fit enim comparatio non ſanè abuſus contra iuſtitiam cum abuſu contra caritatem, in quo eſt aperta diſparitas; ſed notitiæ particularis, atque expreſſæ cum notitia generali & confuſa, & huiuſmodi duplex notitia eiuſdem prorſus rationis eſt tã in abuſu contra iuſtitiam, quàm in abuſu contra caritatem, vt perſpicuum eſt.

LVIII. *Ceſſatio perpetua ab actione aliàs indifferẽti ob lethalem abuſum alterius indefinitè ſolũ noti non eſt graue incõmodum excuſãs permiſſionem ſcandali.*

Dices II. quamuis ceſſare vna vice ab actione indifferenti ob lethalem abuſum alicuius, indeterminatè tantùm noti, non graue incommodum videri poſſit, tamen ceſſare perpetuò a ſimili actione ob indefinitum alicuius abuſum, videtur ſemper graue omnino incommodum, quia quoties grauamen omittendæ actionis indifferentis non magis vni actioni, quàm alteri, ſed vniuerſalitati actionum omniũ imponitur, ſemper graui incommodo eſt; ac proinde nemo ad id ſubeundũ tenetur ex caritate, ne vna quidem vice. Reſpondeo talem regulam, & exceptionem non minùs eſſe falſam, quàm improbabilem, & a nullo Doctorum probatam. I. quia ex ea ſequitur, neminem obligari ad vllam legem merè humanam obſeruandam. Hoc eſt autem delirium omnino Hæreticum, vt liquet. Ergo & id, vnde oritur. Sequelam demonſtro, quia nullus cum graui ſuo incommodo tenetur ad leges etiam Eccleſiaſticas, quæ humanę duntaxat ſunt, obſeruandas, vt patet in lege ieiunij, officij diuini, non loquendi cum excommunicatis vitandis &c. quas nemo cum graui incommodo tęnetur obſeruare, vt compertum eſt. At quælibet lex purè humana ſeu iubens, ſeu vetans, actioni indifferenti vel ceſſationi pari-

Alioqui aboleretur omnis obligatio legũ humanarum.

 ter

ter indifferenti grauamen imponit,& non magis vni, quàm alteri, ſed vniuerſalitati actionum, vel ceſſationum omnium, vt patet. Ergo iuxta dictam regulam, id incommodum graue eſt. quumque non magis vni actioni,quàm alteri ſit adiunctum, in ſingulis actionibus, vel ceſſationibus vrget. Ergo nemo tenetur ad vllam talem actionem, vel ceſſationem a lege præceptam, cui graue incommodum ſemper annexum eſt. Quę ſequela ſicuti oſtēſa ſatis eſt, ita longè abſurdiſſima etiam eſt.

LIX. *Et tolleretur obligatio ſubducēda occaſionis mali particulari etiam perſona.*

II. Quia hinc etiam ſequitur, ob eundem prætextum eximi omnes non ſolùm ab obligatione ſubtrahendæ actionis indifferentis alicui abuſuro indefinitè dumtaxat cognito, ſed etiā ab onere eiuſdem actionis ſubducendæ Titio ſingulari, vel alijs certis perſonis nunquam defuturis, ſemperque periclitaturis, tum particulariter etiā ſemper ac determinatè notis; ac proinde, quanuis Titius nôrit Sempronium, quo cum prandet, vel cœnat cotidie, quoties illum ad potandum inuitat, ſingulis vicibus, ſemperque inebriari; nec ipſe Titius habeat vllam aliam iuſtam cauſam illum ſic inuitandi, nunquam tamen eum peccare mortaliter peccato ſcandali generalis; at hoc eſt falſum omnino, & contra communem ſententiam ſine vllo fundamento rationabili ex voluntaria tantùm imaginatione fictum. Ergo & illud, vnde deducitur. Sequelam, quia cætera plana ſunt, probo, quia grauamen non inuitandi Sempronij ad potum non magis imponitur hodiernæ, cœnę v. g. quā craſtinæ, aut alijs cū eodem, atque adeo vniuerſalitati omnium cœnarum cum eodem pariter Sempronio. Ergo hinc iuxta traditā regulā emergit graue incommodū, & nō magis pro vna, quàm ꝓ alia cœna. Ergo Titius ad id vel in vna tolerandum non tenetur. Ergo etſi quotidie Sempronium ad bibendum cum proximo ebrietatis periculo præuiſo inuitet, nunquam delinquit mortaliter, quod abſonum æquè, ac falſum eſt. Ergo e contrario ſicut non obſtante tali ſomniato incommodo, ſub mortali tenetur Titius in ſingulis vicibus, in quibus notat periculum proximum ebrietatis in Sempronio, ab hoc inuitando ad potum ſemper deſiſtere ex communi, & non controuerſa ſententia, quia id graue incommodum æſtimatione Sapientum Doctorum minimè cenſetur; ita ſub eadem culpa lethali tenetur quoque Titius abſtinere ab inuitatione potatoria in ſingulis, & omnibus conuiuijs, vel in alijs occaſionibus determinatis, & certis, in quibus periculum proximum peccandi lethaliter ex ſua inuitatione in aliquo indeterminatè etiam dumtaxat cognito animaduertit, quia ex prudentum iudicio huiuſmodi incommodum pariter graue non eſt, vt ſupra probatum eſt: qui enim in conuiuio conuiuas omnes ad potum inuitat, tam facilè poteſt omittere penitùs omnem inuitationem, ſi noſcat aliquem indefinitè ſolùm inebriandum; ac ſi determinatè ſciat Sempronium lapſurum in tale peccatum. Adde etiam faciliùs omitti omnem inuitationem, quàm aliquem certum tantummodo, vt Sempronium, excludi; ſiquidem huiuſmodi manifeſta excluſio valde foret odioſa, adeoque graui admodum incommodo obnoxia.

LX. *Tum etiam vitanda omnis occaſionis proxima peccandi grauiter.*

III. Quia ex eadem regula vel prętextu ſequitur quoque, ſi Titius experimento didicit, ſe, quoties oculos liberè in fœmina qualiſcunque pulchritudinis figit, incidere ſemper in lethalem eius concupiſcentiam, vel certè adeo frequenter, vt vix immunis elabatur;

elabatur; ac propterea exponere ſe proximæ occaſioni, & periculo delinquendi lethaliter iuxta receptiſſimam huius definitionem infra §. 10. ex profeſſo examinandam; nihilominùs nunquam peccare mortaliter, etiamſi pergat eodem modo exponere ſe tali occaſioni proximæ, fixo obtutu mulieres aſpiciendo voluntariè, ac liberè: ſed tum ſolùm, atque eo dumtaxat, quum turpiter eas concupiſcit. Id verò falsũ, & temerariũ eſt. Ergo & antecedens. Sequelã euinco, quia ex vna parte fas eſt, proximæ lethaliter peccandi occaſioni, ac periculo, ex cauſſa graui, ſeu ex graui incõmodo ſe exponere, vt docent S. Thomas, Sotus, Nauarrus, Corduba, Caietanus, Armilla, Caſtro, Enriquez, Suarez citati, & probati a Thoma Sanchez *lib.* 1. *Decal. c.* 8. *n.* 3. cæteriq; Doctores cõmuniter; vt infra §. 11. liquebit; ex alia verò parte iuxta prædictam regulam graue admodum incommodum eſt abſtinere ſemper ab obtutu fixo mulierum formoſarum, quia tale grauamen non imponitur magis vni aſpectui fixo, quàm alteri, ſed toti vniuerſalitati aſpectuum fixorum in formoſarum vultibus; ideoque nimis graue incommodum eſt, quod nemo tenetur ſubire, ne vna quidem vice. Minorem iam patefacio, quia iuxta talem regulam nullus vnquam peccaret mortaliter proximo lethiferè delinquendi periculo, & occaſioni ſine vlla alia vrgente cauſſa ſe exponendo, quia ſemper idem prætextus grauis incommodi, quòd obligatio abſtinendi imponitur vniuerſalitati occaſionum proximarum, & non vni magis, quàm alteri, &c. ſemper excuſaret, quod eſſe contra manifeſtas Scripturas ſacras, & Doctores Catholicos omnes erroneũ, & temerarium nemo Theologia vel leuiter tinctus ignorat.

IV. Quia inde ſequitur pariter eũ, qui fiſtulam venando explodit cum animaduerſo proximo periculo grauiter lædendi aliquem ibi agentem, ſiue indeterminatè tantummodo cognitum, ſiue determinatè etiam, minimè peccare mortiferè, ſi tale periculum notet ſingulis diebus, ac vicibus, quibus in tali loco venatur, & explodit; quia hîc etiam grauamen imponitur vniuerſalitati exploſionum in tali loco, & non vni magis, quàm alteri, adeoque graue incommodum hinc naſcitur, quod ab obligatione eximit: niſi fortè negetur, huiuſmodi incommodum, quia damnum contra iuſtitiam in alterum inde redundat, ad excuſandam exploſionem ſufficere; etſi ſufficere concedatur ad excuſanda illa, vnde abuſus contra caritatem dumtaxat emanat. Sed quanquam id diſcrimen ego quoque agnoſco, proboque, voluntariè tamen & fruſtra doctrina prædictæ Regulæ ſolis contra caritatem corruptelis mancipatur, cæteris contra iuſtitiam adimitur. LXI.

V. Denique plerique Doctores ex citatis ſupra *num.* 28. vt Leſſius, & Layman, opinantur feminam, quæ nouit, ſe a Titio v. g. malè concupiſci, etſi non teneatur ſemper a ſacro, quo eius peccatum vitet, abſtinere, quia id foret nimis graue incommodum: teneri tamen vna, vel altera vice, quia id leue incommodum ſit. Ergo prædicta regula repugnat his quoque Auctoribus, qui volunt peccari grauiter a femina ſaltem aliquando, ſi non declinet peccatum proximi determinatè noti; licèt ſemper peccari negent, & meritò, quia nimis graue ei onus eſſet, ſi exire domo ad ſuas honeſtas actiones peragendas perpetuò prohiberetur. At ſecus eſt de alijs caſibus, in quibus nullæ honeſtæ actiones impediuntur, ſed immodica valde ornamenta, planè illicita, LXII.

cita, multorumque ſcelerum illicia, ac fomenta ſine incommodo auferuntur, vt deincens meliùs eluceſcet.

LXIII. Dices III. cum Baſilio Pontio *lib. 5. de Matrimonio, cap. 18. num. 14. quando ſcandalum præſumitur oriundũ in aliquo homine particulari, tunc inſpiciendum eſſe, an oriatur ex ignorantia, fragilitate, aut malitia, & habet in eo caſu locum ea conſideratio diuiſionis ſcandali. At quando tantùm præſumitur ſcandalum in vniuerſum, ſcilicet in aliquo homine vagè, vt ſolet accidere in publicis conuentibus, non poteſt timeri ſcandalum ex ignorantia, aut fragilitate, ſed ex malitia. Ideo autem timeri non poteſt ex ignorantia, aut infirmitate, quia vt hoc timeatur, cognoſci debet qualitas, et conditio perſonæ: vt autem timeatur peccatum ex malitia, non eſt neceſſe cognoſci perſonam aliquam in particulari, ſed ſatis probabiliter timeri poteſt in publico cõuentu hominum, & mulierum futura aliqua peccata ex prauo habitu, qui eſt in pluribus hominibus, & hoc eſt peccatum ex malitia.*

LXIIII At huiuſmodi ſententia negans ſcãdalum ex ignorantia, aut infirmitate in aliquo homine vagè præſumi poſſe, vt noua mihi omnino eſt, neque apud vllum Doctorem obſeruata, vnde a Pontio ipſo ſine alio etiam Auctore profertur; ita ſine fundamento probabili aſſeritur, manifeſteque, vt palã falſa, refellitur. Nam Pontium ego interrogo, quando Titius qualitatem, & conditionem perſonæ particularis, nempe Lucretiæ, vel Lucretia Titij cognoſcit, animaduertitque ſcandalo paſſiuo ex infirmitate, aut ex ignorantia ipſam, vel ipſum eſſe obnoxiũ; tale ſcandalum, vel ſcandali periculum gigniturne a cognitione Titij, aut Lucretiæ de eo? vel abſque illa aliunde exiſtit? Non primum, vt euidens eſt, quia ſcandalum ex infirmitate, non a cognitione, ſed a paſſione naſcitur, vt cum S. Thoma vniuerſi Theologi ſanciunt; ac ſupra §. 3. notaui, nec ipſemet Pontius eodem illo *cap.* 18. diſſentit: paſſio autem ex aſpectu Lucretiæ ſpecioſiſſimæ puellæ eodem modo ſolicitat Titium ad libidinem, ſiue hoc Lucretia ſciat, aut Titij qualitatem, & conditionem noſcat, ſiue ignoret, vt clarum eſt. Ergo ſcandalum paſſiuum ex infirmitate in publico conuentu, in quo adeſt etiam Titius, & Lucretia, adeſt in eodem Titio, etiamſi id neſciat Lucretia, & eius qualitatem, & conditionem ignoret. Confirmoque ad hominem demonſtratiuè, quia ipſemet Pontius *ibidem nu.* 5. vt iam ſupra *num.* 45. retuli, optimè vna cum omnibus Doctoribus negat, opus, aliàs indifferens, atq; ex prauo tantùm fine operantis redditum malum, cenſendum eſſe malum, docetq; *perinde iudicandum de illo eſſe, ac ſi non eſſet malum ex fine; quia qui ſumit occaſionem ſcandali, non ſumit ex prauo fine, qui manet in mente operantis, ſed ſumit ex ipſo opere cum alijs circumſtantijs, ex quibus non habet rationem, aut ſpeciem mali.* Egregiè. Sicut igitur ſcandalum paſſiuum Titij ſumptum ex aſpectu Lucretiæ non ſumitur ex prauo Lucretiæ aſpicientis fine, ſed ex eius pulchritudine, & alijs circumſtantijs externis, quibus paſſio, & infirmitas Titij ad libidinem incitatur, & perit: ſic etiam idem ſcandalum paſſiuum Titij non paritur à notitia Lucretiæ de conditione, & qualitate Titij, ſed a paſſione Titij per aſpectum Lucretiæ incitata, vt notum, atq; indubitatum eſt. Ergo tale ſcandalum ex infirmitate adeſt in Titio concurrente ad publicum conuentum, etſi Lucretia, eidem præſens, id neſcit. Scandalum quoque ex ignorantia, v. g.

Scandalum ex ignorantia quoque vel ex paſſione in aliquo homine indefinito præſumi iure poteſt, nedum ex malitia

Sempronij putantis Epiſcopatum Simoniacè comparatum a Caio; quem tamen iuſtiſſimè obtinuit; eodem modo in Sempronio, & in aliâ turbâ ignarâ veritatis, remanet, ſiue id Caius ſciat, ſiue neſciat; ſiue conditionē etiā Sempronij compertā, ſiue incompertam habeat, vt planum eſt. Ergo, quum tam ſcandalum paſſiuum ex paſſione, ſeu infirmitate, vel ex ignorantia in multitudine virorum, & mulierum confluentium, quàm ſcandalum paſſiuum ex malitia non a cognitione alterius de qualitate & conditione ſcandalizati deriuetur, independenter a tali cognitione exiſtit vtrumque in ipſamet multitudine, ac proinde aliūde, quàm ab huiuſmodi cognitione, ingignitur, nempe ex opere ipſo externo, tùm ex paſſione, ignorantia, & malitia. Vnde vtraque pars interrogationis ſupra obiectæ liquet.

LXV. *Imò iure timeri in numeroſo concurſu virorum, ac mulierum & debet.* Ex qua infero, ergo, quum tam ſcandalum ex infirmitate, vel ex ignorantia, quàm ſcandalum ex malitia præexiſtat in publicis conuentibus independenter a notitia ipſius, prudenter omnino, ac meritò non ſolùm id, ſed illud quoque in concurſu numeroſo virorum, & mulierum timeri frequenter etiam debet, nedum poteſt. Conſequentia hæc vltima probatur. I. quia nulla ratio, cur non poſſit, aut non debeat, aſſignari poteſt; fruſtraq; omnino Pontius, ſine vlla probatione, ac merè voluntariè aſſumit id, quod in quæſtione eſt, peccatum ex infirmitate, vel ex ignorantia non poſſe abſq; cognitione perſonæ particularis ſcandalizandæ, & eius conditionis, timeri; poſſe autem peccatum ex malitia. II. quia ſicut plerique ex viris, ac feminis delinquunt ex prauo habitu, adeoque ex malitia; ita etiam complures peccant vel ex ignorantia, vel ex infirmitate; præſertim qui aliquoties in anno Sacramenta frequentant, vt experimentis non dubijs extra controuerſiam eſt; Ergo ſicut ſcandalum ex malitia in publicis illis conuentibus iure timetur, ita etiam ſcandalum, ſeu peccatum ex infirmitate, vel ex ignorantia in ijſdem meritò timeri poteſt, ac debet. III. quia nemo repente, & primo veluti ſaltu fit peſſimus, neque prima vice ſtatim euadit malitioſus, ſed paulatim, donec ſæpenumero lapſus, de paſſione, & infirmitate degenerat in malitiam, vt perſpectum eſt. Ergo in publicis illis conuentibus ſcandalum quoque ex paſſione, vel ex infirmitate iure timetur. IV. quia ſcandalum, aut peccatum ex ignorantia, vel ex paſſione, aut ex infirmitate reſpectu alicuius indefiniti ex ingenti virorum ac mulierum turba eiuſdem conditionis, faciliùs, ac certiùs ex natura rei, cæteris paribus, præſumitur, quàm reſpectu Titij determinati eiuſdem etiam qualitatis; quandoquidem longè pronius, ac certius eſt, aliquem indeterminatum ex centum iuuenibus æquè ad Venerem propenſis, ex aſpectu Lucretiæ præ infirmitate, & paſſione hîc, & nunc libidinis flammis corripi, quàm Titium vnum ex illis, perſonam particularem paris conditionis, vt conſtat.

LXVI. *Pontius autem falsò, & improbabiliter, ſibique cõtrarius diſſentit.* Vnde liquet diſparitatem a Pontio allatam eſſe euidenter falſam, ipſumq; Pontium; hinc rectè cum omnibus Doctoribus ſancientem, ſcandali occaſionem non ſumi ex prauo fine, qui manet in mente; illinc perperam aientem ex ſingulari ſua opinione ſine alio Auctore, non poſſe timeri ſcandalum ex ignorantia, vel ex infirmitate in aliquo indiuiduo vago, cuius cõditio ſingularis ignoratur; in his dictis ſibimet, mediatè ſaltem aduerſari, vt ſupra oſtendi: ac proinde in quo ſibimet non conſtat, ſed obluctatur, non

poſſe

poſſe eundem Pontium auctoritate, ad probabilitatem ſuæ opinioni huic ſingulari conciliandam potiri, vt palàm eſt: & conſequenter non poſſe etiam probabiliter inficiari, quominùs peccatum, ſcandalumue ex ignorantia, vel ex infirmitate, quanuis indeterminatè ſolùm, ac vagè, in publicis conuentibus prudenter timendũ ſit, & ex graui etiam obligatione, quoties legitima cauſſa, quæ eius permiſſionem excuſet, deeſt, neceſſariò vitandum. Idemque planè & de alijs Auctoribus, ſi qui fortè aſſertioni ſecundæ ſupra probatæ repugnant, ſtatuendum exiſtimo; quum ijdem alijs doctrinis communibus ſcandalum indefinitum, & vagum apertè admittentibus ſubſcribant; ſi negent feminam æquè certam ob ſui aſpectum de lapſu alicuius indefiniti, ac de ruina Titij ob eandem occaſionem, in priore caſu ream eſſe lethalis criminis, etſi concedant eſſe in poſteriore; eos ſibimet in huiuſmodi pronuntiatis non conſentire, ſed aduerſari; ac propterea in quo ſibimet aduerſantur, non poſſe fundare probabilem opinionem de femina culpæ grauis experte in priore caſu, vt perſpicuum eſt, & iam §. IV. abunde patefeci.

Doctores verò, qui diſcrepant, quum ſibi non conſtent, probabilitate carent.

LXVII. At nego eos diſſentire, nego eos ſibimet aduerſari, aioque illos, quum feminam conſciam de lapſu Titij damnant mortalis delicti, abſoluunt verò proſpicientem peccatum alicuius indefiniti, neceſſariò ſupponere, non eſſe parem in vtroque caſu occaſionem, ſed in priore proximam, in poſteriore remotam; vel notitiam de ſcandalo proximi paſſiuo eſſe inæqualem nempe in primo certam, in ſecundo incertam, dubiamque; aut in illo cauſſam ſufficientem permittendi alieni peccati adeſſe, in illo autem nequaquam; atque in hoc ſenſu eoſdem meæ aſſertioni primæ, vt iam §. 4. notaui, veliſicare. Neque verò temerè Doctores illos hoc pacto exponendos ego iudico, ſed meritiſſimò; quandóquidem, vbi verba alicuius Auctoris ad ſenſum legitimum, commodumque reuocari poſſunt, neque circumſtantiæ adiectæ aliud indicant, recta ratio, & iura omnia iubent in eo ſenſu apto eſſe intelligenda, non autem in abſurdo, multoque magis hac etiam ratione præſumendum eſſe, viros illos doctiſſimos, quum feminam indefiniti ſcandali conſciam a graui culpa eximunt, de remota dumtaxat occaſione, aut de cognitione talis ſcandali minùs comperta, vel de iuſta cauſſa eius permittendi loqui, vt in prima mea aſſertione illos interpretatus ſu; ne alioqui ſecummet manifeſtè digladientur, quod minimè profectò de tot, ac tantis viris cenſendum eſt.

Sed tamen re vera nõ diſcrepant.

LXVIII. Monuerim tamen, etſi, quando tẽpus futuri ſcandali paſſiui omnino indeterminatum eſt, reſpectu eius iam occaſio proxima nequaquam ſit; vbi tamen tempus, & cætera adiuncta, quanquàm diu poſt futura, determinata præuidentur, ſecus poſſe contingere. Nam ſi proſpicio aliquem ſiue determinatum, vt Titium, ſiue indeterminatum, in conuiuio poſt biennium futuro, tali die, ac loco, mea inuitatione ad bibendum, tum inebriandum; ſicut in vtroq; caſu, ſi iuſta cauſſa carebo, eiuſmodi inuitatione abſtinere tenebor; ſic nunc quoque conſenſu in illam inuitationem tum futuram, quia ea reputatur prudenter occaſio proxima alienæ ebrietatis, abſtinere teneor, vt planum eſt.

Occaſio proxima peccandi poteſt eſſe præſens, & futura.

§. VI.

§. VI. *Quid ſit ſcandalum actiuū, datum, & acceptum.*

LXIX. *Varia de ſcandalo actiuo, dato, & accepto æquiuocationes explicāda.*

ETiamſi ex hactenus diſputatis, quid ſint hæc, quæ iam excutienda propono, ſatis dilucèſcat: tamen quia non pauci Doctorum huiuſmodi nomina non ſine magna æquiuocatione vſurpant, atq; hinc anſam varias obligationes in materia ſcandali eludendi arripiunt; neque talem æquiuocationem, atque eluſionem obſeruatam explicatamque ab vllo cerno; iſta omnia diligentiùs hoc loco diſcriminanda, atque ex deſtinato explananda, ne qua deinceps ambiguitas ſequentes quæſtiones remoretur, exiſtimo.

Segmentum I. *Diuerſa Auctorum ſententiæ.*

LXX. *Scandalum actiuum eſt id, q vel malum eſt, vel mali ſpeciē habet.*

SCandalum actiuum eſſe, ac definiri: *Dictum vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ*; iam ſupra *num. 2. & ſeqq.* animaduerti. At quidnam ſit ipſum dictum, factumue minùs rectum, diuerſimodè Auctores ediſſerunt. S. Thomas 2. 2. *q.* 43. a. 1. ad 2. interpretatur id eſſe, *quod habet aliquem rectitudinis defectum, vel quia eſt ſecundùm ſe malum, ſicut peccatum; vel quia habet ſpeciem mali; ſicut quum aliquis recumbit in Idolo. Quamuis enim hoc ſecundùm ſe non ſit peccatum, ſi aliquis hoc non corrupta intentione faciat, tamen, quia habet quandam ſpeciem mali, vel ſimilitudinem venerationis Idoli, poteſt alteri præbere occaſionem ruinæ.* Quā S. Doctoris interpretationem ſequuntur Caietanus *ib*, S. Antoninus *par. 2. Summæ, tit. 7. cap. 4. §. 1.* Silueſter *in Summa, verbo, ſcandalum, initio,* Armilla, *eodem verbo, num. 1.* Bannez 2. 2. *q.* 43. a. 1. cæterique Thomiſtæ, quibus quoque conſentiunt Becanus 2. 2. *cap. 27. q. 1. nu. 1.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 1.* Baſilius Pontius *lib. 5. de Matrimonio, cap. 18. num. 3. & 4.* Ferdinandus a Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 1. num. 1.* Thomas Tamburinus *in methodo expeditæ confeſſionis, lib. 2. cap. 1. §. 7. nu. 101.* Emmanuel Sa, *verbo, ſcandalum, num. 1.* & alij. Becanus *loc. cit.* aliud exemplum ſcandali habentis ſpeciem mali affert, eius nimirum, qui ex iuſta cauſſa, vel diſpenſatione carnem in die prohibito comedit, vel quidpiam aliud licitum coram alijs id eſſe licitum ipſi ignorantibus facit. Layman *loc. cit.* tale etiam ſcandalum eſſe ait, quum Sacerdos, aut Clericus feminam populo ſuſpectam domi ſuæ retinet, quamuis neque cum ea peccet, neque adſit peccandi periculum, quam proinde ſub mortali tenetur amandare, vt colligitur ex Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 14. de reformat.* docetque Petrus Sotus *de vita Sacerdotum, lect. 4.* Sa, *verbo, Clericus, nu. 27.* & alij. Quocirca Auctores huiuſmodi, ſi dictum, vel factum non eſt per ſe malum, neque ſpeciem mali habet, negant rotundè eſſe ſcandalum actiuum.

LXXI. *Imò id etiam, quod licèt ſit ſe indifferens, ratione tamen mali effectus malum eſt.*

Contra verò alij ſcandalum actiuum cenſent dictum, vel factum, non ſolùm, quod per ſe malum eſt, aut mali ſpeciem præfert; ſed etiam quod, etſi naturâ ſuâ omnino indifferens eſt, tamen ratione praui effectus, ruinæ ſcilicet proximi, malum redditur, vt disertè tradit Valentia 2. 2. *diſp. 3. q. 8. pun. 1.* Ioannes Salas 1. 2. *tom. 2. tract. 13 diſp. 5. ſect. 15. n. 135.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal' cap. 6. n. 1* Suarez *diſp. 10. de Caritate, ſect. 3. num. 8.* Filliucius *tract. 28. cap. 10. num. 219.* Bonacinâ *de legibus, diſp. 2. q. 4. punc. 2. §. vnico, num. 17.* Turrianus 2. 2.

diſp. 95. dub. 1. Mendoza *ibidem diſp. 173. ſect. 8. §. 6.* Diana *par. 5. tract. 7. reſol. 2* nec diffiteri poteſt Silueſter, etſi ſupra obductus eſt; quum *ibid. quæſt. 2. num 4. §. 3.* damnet mortalis mulierem, *quæ credit ſe turpiter ab aliquo amari, ſi non curans de eius ruina, ſine cauſſa efferat ſe eius aſpectibus, licèt non intendat eius ruinam*; ac tale peccatum ſcandalum actiuum per accidens eſſe decernit. Ideínque prorſus ſentit etiam Armilla *loc. cit. num. 3.* vnde Valentia *loc cit.* ſtatuit *ſcandali rationem eſſe in actu, qui non ſit vndequaque prauus, ſed tantum habeat ſpeciem mali, aut qui dumtaxat ratione effectus, ſcilicet ruinæ alterius malus ſit, licèt alioqui per ſe omnino ſit bonus*. Verùm diſſidium de hac controuerſia inter Auctores primæ, & ſecundæ ſententiæ de ſolo nomine eſt, quum in re omnino conueniant omnes, nec diſcrepare poſſint, vt paulò poſt reuincam.

LXXII. *Scandalum actiuum datum.* Porrò ſcandalum, ſicut in actiuum, & paſſiuum diuiditur, quemadmodũ §. 1. notaui; ita & in datum, & acceptum diſtribuitur. Scandalum actiuum datum aiunt eſſe, quando dictum, factumue minùs rectum in ſe malum eſt, vel mali ſpeciem habet; paſſiuum autem, acceptumque, quando neque malum in ſe eſt, neque mali ſpeciem habet, præterque operantis intentionem ſequitur; atque id duplex eſſe, tum Phariſaicum ex mera malitia, tum puſillorum ex infirmitate, vel ignorantia, vt arbitrantur Turrianus, Becanus, Layman *nu. 70. & 71.* relati, Lorca *2.2. q. 43. n. 2.* & alij. Rurſũ, ſcandalũ paſſiuũ tam Phariſaicũ, quàm puſillorum, aliud eſt paſſiuum merè, quod ſcilicet nullo modo ex dicto, factoue bono, carenteque omni ſpecie mali oritur: aliud paſſiuum mixtè, quod nempe ex actiuo habente ſaltem mali ſpeciem naſcitur. Verùm Thomas Sanchez, Valentia, Filliucius, Bonacina *num. 71.* adducti, Azor *par. 2. lib. 12. cap. 16 q. 1.* & alij opinantur, ſcandalum actiuum datum, datamque occaſionem ruinæ eſſe, non ſolùm quando dictum, factumue malum eſt, aut mali ſpeciem præfert, ſed etiam, quando minùs illud rectum eſt ex malo tantùm effectu, qui inde emergit, cui ſine iuſta cauſſa occaſio præbetur; ſcandalumq; huiuſmodi non eſſe reſpectu puſillorũ merè paſſiuum, ſed mixtum, paſſiuum videlicet ab actiuo deriuatum; Quare iuxta hanc ſententiam eadem quæſtio eſt, an ſcandalum actiuum vitandum ſit? ac; an ſcandalum paſſiuum puſillorum ſit declinandum? quum enim hoc ab illo naſcatur, caritas obligat ad illud fugiendum, ne hoc ſequatur: quanquam interdum id minimè oriatur præ virtute ſolida proximi, etſi illud datum reipſa ſit,

Scandalum paſſiuũ puſillorum, vel Phariſaicum.

Segmentum II.

Nullam eſſe in hac re Auctorum diſcordiam.

Auctores omnes, etſi verbis hic diſſentire videntur, re ipſa tamen cõſentiunt.

NIhilominus tota hæc Auctorum diſſenſio de ſolo nomine, vt indicaui, ac de modo loquendi eſt, quando quidem in re ipſa diſcordare non poſſunt, prioresq; cum poſterioribus conuenire neceſſariò coguntur, vt iam demonſtro. Nam

I. S. Thomas, eiuſq; aſſeclæ ſub ſcandalo habente tantùm ſpeciem mali, ſcandalum quoq;, quod ratione mali dumtaxat effectus tale eſt, neceſſariò, ac palàm comprehendunt. Quoties enim iuſta cauſſa agendi quidpiã indifferens, vnde peccatum in alio ſequi cernitur, deeſt, iam ipſa actio indifferens, quum commodè omitti poſſit, ac proinde etiam debeat, ſpeciem mali omnino induit. Sicut enim qui

Sub ſcandalo enim habente mali ſpeciem cõtinetur etiam id quod ex malo effectu dumtaxat malum eſt.

in

in idolo recumbit (quod eſt S. Doctoris exemplum *loc. cit.* a reliquis probatum) etſi ſecundùm ſe id peccatum non ſit, tamen quia habet ſimilitudinem venerationis Idoli, dicitur ſpeciem mali habere, ac alijs præbere: ita qui ſine neceſſitate v. g. applicans ſcalam aſcenſuro ad furandum, vel occidendum, talium facinorum minimè inſcius, quanquam hæc nequaquam intendit, neq; applicatio ſcalæ ſecundùm ſe peccatum eſt; quia tamen habet ſimilitudinem cooperantis furto, vel homicidio, eodem modo dicitur habere ſpeciem mali, & alijs præbere.

LXXIV Confirmatur I. Scandalum actiuum ob ſolam ſpeciem mali, ſi iuſta cauſſa interuenit, deſinit eſſe ſcandalum, maliq; ſpecies, poſt ſublatam admonitione ignorantiam, omnino ceſſat. Vnde liquet, ex defectu iuſtæ cauſſæ ſcandalum manare, eâq; exiſtente tolli. Ergo non ſecus, quum quid indifferens dicitur, vel fit, vnde proximus grauis ruinæ occaſionem ſumit, deeſtq; iuſta cauſſa illud dicendi, agendiue, quædam mali ſpecies tale dictum, factumue inficit.

LXXV. Confirmatur II. ex S. Thoma 2. 2. *q.* 43. *a.* 1. ad 2. *cit.* vbi ſcandalum duplex, aliud ſecundùm ſe malum, aliud mali ſolùm ſpeciem habens aſſignat; generatim enim ait, ſcandalum actiuum, nempe dictum, vel factum minùs rectum, eſſe id, *quod habet aliquem rectitudinis defectum.* At quum quis aliquid indifferens, vnde proximum lethaliter peccaturum proſpicit, ſine iuſtâ cauſsâ huius permittendi dicit, vel facit, nemo ex Doctoribus rationabiliter negare poteſt, quin tale factum, aut dictum, licèt ex ſe indifferens, tamen *aliquem rectitudinis defectum habeat.* Ergo quum ſit in ſe indifferens, adeoque non poſſit ex ſe malum eſſe, in tali caſu habebit ſpeciem mali; ac proinde erit altera ſpecies ſcandali actiui iuxta mentem, & verba S. Thomæ, eiuſque ſectatorum.

Confirmatur III. ex eodem S. Doctore *ibid. art.* 1. ad 4. vbi ſcandalo per ſe, & actiuo, quod eſt, *quum aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati*; opponit ſcandalum per accidens, affirmatque ſcandalum per accidens eſſe, *quod eſt alteri cauſſa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis malè diſpoſitus ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum, puta, quum aliquis inuidet bonis aliorum. Et tunc ille, qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantum in ſe eſt; ſed alius ſumit occaſionem ſecundùm illud ad Rom.* 7. occaſione autem accepta &c. LXXVI Vbi S. Thomas ſcandalum per accidens vocat dumtaxat, agnoſcitque, quod ex prauâ diſpoſitione & malo habitu eſt, nempe ex mera malitia, & Phariſaicum, quod non ex conditione operis, ſed ex malo fine gignitur, vt §. 1. vidimus: ac proinde ſcandalum puſillorum complectitur ſub nomine ſcandali actiui per ſe habentis ſimilitudinem peccati. Quum enim puſillorum ſcandalum ſit iuxta D. Thomã, & cunctos Doctores vel ſcandalum actiuum per ſe, vel ſcandalum per accidens, vt patet: S. Doctor verò ſolùm ſcandalum Phariſaicum ex mera malitia habeat pro ſcandalo per accidens; neceſſe eſt, vt ſcandalum puſillorum reputet ſcandalum per ſe, atq; actiuum. Atqui ſcandalum puſillorum, quod ex infirmitate, & paſſione eſt, non ſolùm ex opere malo, vel habente ſimilitudinem, ſiue ſpeciem mali, ſed etiam ex actione, & materia indifferente oritur, vt compertum eſt. Ergo ſcandalum puſillorũ ex opere indifferente quoque eſt ſcandalum per ſe atque

actiuum iuxta S. Thomam. Sed id nequit cõprehendi ſub ſcandalo actiuo, quod peccatum eſt. Ergo conprehenditur ſub eo, quod peccati habet ſpeciem, ſiue ſimilitudinem, vt conſtat.

LXXVII Confirmatur IV. quia quum S. Thomas eo *art. 1. ad 4. cit.* ſcandalum per accidens vocat illud, quod ſequitur *præter intentionem operantis; & præter conditionem operis*, de ea perſona loquitur, quæ ex iuſta cauſſa quidpiam vel bonum, vel indifferens dicens, vel faciens, abuſum alterius licitè permittit. In quo caſu verè, *qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantum in ſe eſt; ſed alius ſumit occaſionem*. At quando ſine iuſta cauſſa aliquid indifferens quidem, ſed tamen cum ruina alterius coniunctum præuidens dicit, vel facit, iam tale dictum factumue non amplius manet indifferens, ſed mali ſpeciem præ ſe fert: adeoque ſcandalum huiuſmodi euadit actiuum, continetur que ſub ſcandalo per ſe, habente dumtaxat ſpeciem mali. Ex quibus clarè efficitur, actionem quoque indifferentem, ratione ruinæ proximi redditam malam, ad ſcandalum actiuum, quod mali ſpeciem tantùm gerit, ex S. Thoma, & cæteris eius aſſeclis *nu.* 70. relatis, neceſſariò, ac apertè pertinere: nec Auctores inter ſe diſcordare.

LXXVIII II. principaliter. Idem S. Doctor eâ *quæſt.* 43. a. 4. aliter accipiens ſcãdalum actiuum per accidens, nempe, quod non eſt ex directa intentione; tale ſcandalum actiuum per accidens pronuntiat eſſe peccatum mortale, *ſiue quando committit actum peccati mortalis; ſiue quando contemnit ſalutem proximi, vt ſi pro ea conſeruanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit*. Eodemque modo S. Antoninus *par. 2. Summ. tit. 7. cap. 4. §. ſcandalum occaſionatiuum*. Silueſter *verbo, ſcandalum, quæſt. 2. num. 2.* Armilla *ibid. num. 3.* ac reliqui Thomiſtæ loquuntur, nec poſſunt reliqui Doctores prioris ſententiæ *num.* 70. & 72. recenſiti, iure diſſentire, Nam apud cunctos exploratum eſt, qui aliquid pro conſeruanda proximi ſalute, ne peccet lethaliter, ſine vlla iactura neceſſitatis, vel vtilitatis poteſt omittere, nec tamen omittit, contemnere grauiter ſalutẽ proximi, adeoq; & mortaliter delinquere. At, quod omitti facilè poteſt, ſæpe eſt res indifferens, nec mala, nec mali ſpeciem habens; & tamen, niſi omittatur, reum mortalis ſcandali actiui per accidens, quando prædicto modo ſalus proximi contemnitur, reddit. Ergo iuxta Doctores etiam prioris ſententiæ, & cæteros omnes datur ſcandalum actiuum per accidens ex opere indifferente, neque malo, neque habente ſpeciem mali; ac proinde Auctores cuncti inter ſe conueniunt.

III. S. Thomas 2. 2. *q.* 43. *cit. art.* 7. Caietanus *ibidem*, & triginta ſeptẽ Doctores, quos Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp. 37. num* 2. enumerat, cum ſententia omnino communi, vt teſtatur Tannerus *tom 3. diſp 2. q. 6. dub. 8. num.* 111. in quibus nominatim etiam S. Antoninus, Sa, Becanus, Layman, Baſilius Pontius, ſeu de Leon, ab eodem Sanchez recenſentur, ſubſcribuntque Silueſter *in Summa, verbo, ſcandalum, quæſt. 3. §. 2. &* Armilla *ibid. num.* 5. nec refragari poſſunt Caſtro Palao, & Tamburinus, & quoquot pro priore ſententia *nu.* 70. & 72. relati ſunt, aut referri poſſunt. Hi, inquam, omnes tradunt, ad puſillorum ſcandalum ex ignorantia, vel infirmitate vitandum, bona ſpiritualia ad ſalutem minimè neceſaria quãdoque omittenda, vel differenda, nedum actiones merè indifferentes, omniſque LXXIX

niſque ſpeciei, ac ſimilitudinis peccati, aut mali expertes: alioqui talis ſcandali reatum incurri. Rurſum idem S. Thomas *ibid. articulo* 8. Caietanus *ibid.* Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 8. *punc.* 4. *regula* 3. *Verſ. Quartò ſequitur*, Suarez *de Caritate*, *diſp.* 10. *ſect.* 3. *n.* 10. Tannerus *loc. cit. n.* 116. Regius *par.* 3. *Euang. Dilucid. lib.* 5. *cap.* 10. *Theor.* 3. *nu.* 5. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. vnà cum S. Antonino, & Paludano, quos adducit, nec non Filliucius *Tract.* 28. *cap.* 10. *nu.* 236. Coninch *de Caritate, diſp.* 32. *dubit.* 4. *num.* 67. Silueſter *verbo, ſcandalum, quæſt.* 4. Armilla *ibid. num.* 6 Sa *eodem verbo*, *num.* 3. & abſque vlla Doctorum controuerſia cæteri omnes decernunt, aliquod dãnum bonorum temporalium ex proprijs ad idem puſillorum ſcandalum impediendum eſſe ſubeundum, & niſi ſubeatur, culpam ſcandali huiuſmodi ab eo, qui ſine iuſta cauſſa recuſat id ſubire, certò contrahi. Siue autem, qui bona temporalia non negligit pro ruina proximi cauendâ, aut bona ſpiritualia ſaluti non neceſſaria minimè dimittit, quũ debet, ad puſillorũ ſcandalũ declinandũ, dicatur reuera ſcandalum actiuum dare, ſiue non; ad rẽ nihil refert, quũ Doctores vniuerſi conſentiant, peccare eum tũ grauiter contra caritatem. Ergo adhuc in omniũ ſententia veriſſimum eſt, miniſtrare rem alioqui indifferentem ad peccatum nefas eſſe, ſi iuſta cauſſa deſit, quandoquidem etiam peccatum eſt non dimittere ſine legitima etiam cauſſâ bona ſpiritualia non neceſſaria ſaluti, & temporalia propria, quum quis facilè poteſt, ac debet. Ergo Auctores primæ ſententiæ, qui id negare non poſſunt; ne ſibimet aduerſentur, ſub nomine dicti, vel facti habentis ſpeciem, vel ſimilitudinem mali neceſſariò comprehẽdunt id etiam, quod ex prauo tantùm euentu ſpeciem, & ſimilitudinem mali induit, etiamſi ex ſe indifferens ſit; ac proinde cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ reipsâ conueniunt.

§. IV. Præbere alteri occaſionem ruinæ, hanc non intendendo, ſcandali eſſe circumſtantiam in confeſſione neceſſariò manifeſtandam; quoties abſque iuſtâ cauſſâ occaſio præbita eſt, Doctores omnes affirmant, etſi in eo diſcrepent, quòd alij ſcandalum eſſe generale dumtaxat volunt, alij verò ſpeciale etiam agnoſcunt, vt ſupra §. 2. *num.* 21. obſeruaui. Ergo miniſtrare rem indifferentem citra cauſſam iuſtam proximo abuſuro, adhuc ex omnium conſenſu peccatum eſt in confeſſione detegendum; ſiue deinde tale peccatum dicatur ſcandalum actiuum, & datum, ſiue non, ſiue tantùm contra caritatem proximi; ſeu ſcandalum per ſe, ſeu per accidens; ſeu actio ex ſe mala ſit, ſeu mali ſpeciem præferens, ſeu aliàs indifferens; ſiue adſit intentio peccati alieni directa, ſiue tantùm indirecta; ſiue ſcandalum generale ponatur, ſiue ſpeciale; vt ex dictis, & ijs, quæ Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. toto cap.* 7. diſputat, planiſſimum eſt. Ergo adhuc Auctores primæ ſententiæ non diſſentiunt in re ab Auctoribus ſecundæ ſententiæ. LXXX.

Confirmatur, & explicatur magis, quia, quicquid ſit de modo diuerſo loquendi Doctorum, certum apud omnes eſt, etſi dictum, factumue malum non ſit, nec mali ſpeciem gerat; ſi tamen proximus ex eo lapſurus mortiferè præuidetur, neque cauſſa vlla iuſta permittendi alieni peccati ex illo ſecuturi adeſt, peccari lethaliter. *Omnes fatentur*, inquit Coninch *diſp.* 32. *de carit.* dub. 5. num. 45. *qui ſuo facto, ſiue aliàs malo, ſiue indifferenti, dat* LXXXI.

ſponte, ſiue ſciens, ſine iuſta cauſſa, alteri occaſionem peccandi mortaliter, ex eo contrahere nouam malitiam mortalem in confeſſione exprimendã. Quod etiam ex eo conuinco, quia alioqui, ſi opus indifferens abſque alia cauſſa legitima, ſemper a culpa ſcandali puſillorum, aut à peccato alieno ex eo orto, quomodocunq; id appelletur, eximeret; ſequeretur, ſi ex meo dicto, factoue indifferenti proſpicerem integram prouinciam caſuram in hereſim, imò & totum mundum damnandum, me, quanuis nulla iuſta cauſſa tot ſcelerum permittendorum fulciret; omnis delicti mortalis, eiuſmodi dictum, factumue minimè vitando, fore planè immunem; quod nemo ſine ingenti temeritate aſſeuerare poteſt, vt indubitatum eſt. At, qui in ſimilibus caſibus delinquit lethaliter, idcirco ita delinquit, quia licèt alieno peccato mortali non aſſentiatur directè, vt ſuppono; tamen ei aliquatenus moralitér cooperatur ipſo dicto, vel facto: aliàs, niſi illi aliquo modo cooperaretur, minimè peccaret; cooperatur autem indirectè tantùm, quia commodè poteſt, & tenetur illud vitare, vt pariter conſtat. Sed aliter ei non cooperatur, niſi ei præbendo materiam, vel occaſionem peccati, vt liquet ex ipſamet ſuppoſitione. Ergo præbet alteri occaſionem peccati. Ergo committit ſcandalum actiuum, & datum, quod in ſententia omnium aliud non eſt, quàm ſine iuſta cauſſa præbere alteri occaſionem peccati, ſeu ruinæ. Ergo huiuſmodi ſcandalum dicitur ſcandalum per ſe, iuxtaque S. Thomam, & omnes Auctores, in eo, quod mali ſpeciem habet, comprehenditur; Vnde conſtat, eoſdémet Doctores, qui negant factũ dictumue, niſi malum ſit, aut mali ſpeciem præ ſe ferat, eſſe ſcandalum actiuum; reipſa deinde ſancire peccatum lethale eſſe, abſque legitima cauſſa neceſſitatis, vel vtilitatis, ſuppeditare occaſionem, vel materiam indifferentem abuſuro &c. atque ita cum alijs, ſublatâ omni controuerſiâ, & diſſenſione, conuenire.

Ex quibus colligitur, ſcandalum actiuum, & datum eſſe non ſolùm opus per ſe malum, vel mali ſpeciem habens; ſed etiam vtcunq; per ſe indifferens, quando ex eo ruina proximi, etſi non intenta, ſequitur; & hæc, ſine iuſta cauſſa dicto, factoue indifferente non abſtinendo, permittitur: contra autem ſcandalum paſſiuum puſillorum eſſe acceptum tantùm, & non datum, neq; actiuum, quando ex legitima cauſſa occaſio, vel materia indifferens ſubminiſtrata eſt: quum verò hæc eadem ſine cauſſa ſufficiente ſubminiſtrata eſt, eſſe non ſolùm ex parte proximi ſcandalum paſſiuum, acceptumq; puſillorum, ſed etiam ex parte operantis ſcandalum actiuum, & datum. In qua ſignificatione, quia Doctores omnes reipſa, vt probaui, conueniunt, ego deinceps nomen ſcandali actiui, & dati, paſſiuiq; & accepti, ad omnes æquiuocationes tollendas, iure optimo vſurpabo. LXXXII

Scãdalum actiuum, & datũ quodnã ſit.

Et ſcãdalum paſsiuũ puſillorum acceptum.

Segmentum III.
Soluuntur obiectiones.

SED obijcies I. Malum, quod tale eſt ex ſola ſpecie mali, ſolet per ſe ab aliqua lege ſemper eſſe prohibitũ, vt edere carnes die Veneris ex iuſta cauſa neceſſitatis coram ijs, qui hanc ignorant, quum alioqui ſit vetitum, ſimilitudinem peccati ingerit; ſecus autem eſſe de dicto, factoue merè indifferenti, & malo ex abuſu tantũ proximi. Reſpondeo ſubminiſtrare occaſionẽ aut materiã indifferentem abuſui alterius, quoties iuſta cauſſa deeſt, etiam pro- LXXXIII

Sine caſsa præbere materiã indifferentem abuſuro vetatur a lege ſaltem caritatis.

pro-

prohiberi a præcepto caritatis, & cuiuſque virtutis ſingularis, & eſſe illicitum; quamuis ex iuſta cauſſa reddatur licitum, ſicut quoq; manducare ex iuſta cauſſa die Veneris carnes euadit licitum.

L. XXXIV. Obijcies II. eſſe magnam inter vtrumq; caſum differentiam, quia quum res indifferens, maliq; ſpecie omni carens, mala ſit ex malo dumtaxat euentu; qui eâ abutitur ad malum, non ſolet animaduertere vllam culpã ſuppeditantis illam ſine cauſſa legitimâ: at, quum res mali ſpeciem habet; qui hinc in peccatum labitur, animaduertit, malè agere eum, qui cum ea mali ſpecie operatur, putatq; illum quoq; perperam facere. Reſpondeo ſcandali actiui formalem rationem ſitam eſſe in occaſione ruinæ dicto factoue, abſq; iuſta cauſſa, alteri præbendâ, vt liquet ex eius definitione, cui accidentale omnino eſt, eum, qui ſcandalum patitur, noſſe, aut ignorare peccari, vel non peccari ab illo, qui eiuſmodi ſcandalum præbet. Nam ſi quis obſcœnè loquens ob malum etiam finẽ (quod eſt per ſe malum, ne dum mali ſpecie præditum) animaduertit a ſe dari occaſionem ſimilis flagitij alteri, quanquam is, quum eo fœdo ſermone ineſcatus, in idem crimen ruit, nihil penitùs de culpa eius, qui talem ipſi occaſionem præbet, cogitat, non idcirco immunis ille eſt ſcandali actiui dati, vt exploratum eſt. Ergo non ſecus reus ſimilis actiui ſcandali dati erit etiam, qui ſine legitima cauſſa occaſionem, vel materiam indifferentem, maliq; ſpecie orbatam mortaliter abuſuro ſuppeditat; tametſi abutens ipsâ de ſuppeditantis ſcelere nihil ſecum reputet.

Scandalo actiuo accidentale eſt ſciri, vel ignorari a ſcandalizato ſcandalizantem peccare, vel non peccare.

L. XXXV. Quinimò neq; ſcandali actiui dati expers eſt, qui id præbet, etiamſi qui ſcandalum patitur, minimè animaduertat culpam non ſolùm præbentis, ſed neq; ſuam accipientis, ac patientis, nullamq; prorſus notitiam de alterutrâ, vel vtrâq; habeat. Nam ſi quis abſq; iuſta cauſſa vinum largè alteri ſubminiſtrans, præuidet ipſum paulatim, atq; inaduertenter, vel ad ſummum cum ſemiplena aduertentia inebriandum, atq; in ebrietate blaſphematurum, fornicaturum, occiſurum; quamuis talis ebrius careat mortali culpa non ſolùm horum ſcelerum, ſed etiam ipſiuſmet ebrietatis non ſufficienter animaduerſæ; imò ſi nullam omnino habuit aduertentiam, omni etiam delicto veniali vacet; nihilominùs extra controuerſiam eſt, ac certũ, ſcandali actiui dati, ebrietatis, & cæterorum peccatorum, quæ in eadem ebrietate ſecutura fuerunt præuiſa, aut præuidentur, eſſe reum illum, qui tale vinum alteri ſine iuſta cauſa ſubminiſtrat.

Imò licèt ſcãdalizatus ſuã culpam nõ animaduertat, neque ſcãdalizantis.

L. XXXVI. Confirmo I. quia mortiferè pariter delinquit, qui ſtultum, ſtultamq; omni vſu rationis deſtitutos, ac ſolutos ad mutuam copulam incitat, teneturq; in confeſſione eaſdem circumſtantias fateri, perinde ac ſi vterq; incitatus rationis compos fuiſſet, vt cum Soto, Veracruz, vtroque Ledeſma, Ludouico Lopez, & Henriquez docet in terminis Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp 23. num. 6.* probatque, quia *Suadens acceſſum ad coniugatam ignaro coniugij, reus eſt adulterij, quia reuera is concubitus eâ affectus eſt circumſtantiâ non ignoratâ à ſuadente, quamuis accedens ab ea excuſetur ratione ignorantiæ.* Confirmo II. quia eodem modo inducere alium ad iurandum, quod ipſe putat verum, ſed tamen inducens ſcit eſſe falſum, mortale ſacrilegium eſt, tametſi iurans falſum, ob ignorantiam, inaduertentiam, ac bonam fidem immunis ſit omnis culpæ, vt idem

Inducẽs ſtultos ſolutos ad copulã, peccat mortiferè.

Et qui inducit ad periurium, etſi eius ignaros.

idem Thomas Sanchez *lib 3. in Decal. cap. 8. nu. 10.* cenſet, oſtenditq; ſimul cum Azor *par. 1. lib. 11. cap. 11. q. 2.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de iuramento, lib. 3. cap. 14. num. 8.* quibus adſtipulatur etiam Bonacina *de legibus diſp. 4. q. 1. pun. 11. num. 3.* In quibus, & paribus caſibus ad ſcandali actiui dati malitiam contrahendam ſatis eſt inducere ad peccatum, vel huius occaſionem dicto factoue minùs recto, etſi aliàs indifferente, abſq; iuſta cauſſa alteri præbere; quicquid ſit de aduertentia, vel ignorantia eius, qui datâ occaſione labitur, aut de crimine eā præbentis. Et ratio primaria, & radicalis eſt, quia in ſcandalo non ſpectatur aduertentia ſcandalizati de culpa ſcandalizantis; neque ignorantia inuincibilis illius, ſed dictum ipſum, factumue minùs rectum ſine iuſta cauſſa editum, quod hîc, & nunc ruinæ occaſionem præbet.

L XXXVII. *Contradictio Baſilij Pontij notatur, ac refellitur.* Ex quibus obſeruo, ac reijcio manifeſtam Baſilij Pontij contradictionem, qui *lib. 5. de matrimonio, cap. 18. num. 3. & 4.* Sic de ſcandalo ſcribit: *Actiuum eſt dictum, vel factum minùs rectum præbens alteri occaſionem ruinæ. Dicitur autem minùs rectum, vel quia in ſe malum eſt, vel quia habet ſpeciem mali. Paſſiuum eſt peccatum eius, qui ſcandalizatur. Hoc autem eſt in duplici differentia. Nam vel oriri poteſt ex ſcandolo actiuo, quod eſt dictum, vel factum minùs rectum in altero, & in hoc caſu ſcandalum paſſiuum coniungitur cum actiuo, ex eo enim naſcitur. Vel poteſt ſcandalum paſſiuum oriri ex opere bono alterius non habente ſpeciem mali, eſto ſcandalum paſſiuum tantùm, & non dicitur occaſio præberi, ſed ſumi. Quæ doctrina colligitur ex* D. Thoma *q. 43. a. 1. & amplectuntur communiter alij. Hoc autem ſcandalum paſſiuum tantùm adhuc triplex eſt; nam vel naſcitur ex malitia, vel infirmitate, vel ignorantia.* En hîc perſpicuè aſſerit, quum *ſcandalum paſſiuum tantummodo eſt, ortum ex opere bono alterius non habente ſpeciem mali; non dici occaſionem præberi, ſed ſumi.* At ecce paulò poſt *ibidem eodem cap. 18. num. 17.* ſimibet euidentiſſimè contradicit, non ſemel, ſed bis hiſce totidem verbis, ex S. Gregorio, & Gregorio Valentia ſic rectè decernens: *Quotieſcunq; ſcandalum paſſiuum proximi ortum habet ex ignorantia, vel infirmitate, ſi opus noſtrum non eſt in præcepto, ſed tantùm vtile ſpiritualiter, vel temporaliter, quod neque eſt malum, neq; habet ſpeciem mali, omittendum eſt, aut differendum, aliàs dicetur eo opere præbere occaſionem ſcandali.* Vbi meridiana luce clariùs Pontius concedit, præberi occaſionem ſcandali, quando ſcandalum paſſiuum oritur ex ignorantia, vel infirmitate, opuſque noſtrum neque eſt malum, neq; ſpeciem mali habet, quod priùs *num. 3.* negauit. Quam contradictionem mox idem Pontius *eodem num. 17.* ita repetit, & confirmat. *Quod ſi adhuc poſt admonitionem perſeueret ſcandalum ex paſſione, vel infirmitate, quod contingere poteſt; deſiſtendum erit ab opere* (nempe carente etiam mali ſpecie, de quo nominatim loquitur) *aliàs præbere dicetur occaſionem ruinæ, & ſcandali, & ei imputabitur peccatum.*

Iam verò quoties idem Auctor varius eſt, ſecumque pugnat, præferendum eſſe, quod poſteriore loco ex profeſſo non minùs, quàm priore, tradit, communiter ſanciunt Doctores, vt bene Paſqualigus *deciſ. 12.* ex Gloſſa, Neuizzano, & Riminaldo obſeruat. Vnde quod Pontius *num. 17.* affirmat poſteriùs, pro legitima ipſius ſententia accipiendum, reuocatumq; & improbatum cēſendum, quod exaduerſum L XXXVIII *Cuius poſteriori dicto ſtandū eſt, vt pote verò, ac legitimo.*

uerſum priùs *num. 3.* docuerat. Et quidem quod ſecundo loco *num. 17.* ſtatuit, veriſſimum eſt; quod autem primo *num. 3.* falſum omnino, vt ſupra demonſtraui. Neque Pontius priori ſuo dicto *num. 3.* vllam probabilitatē ex ſua auctoritate conflare poteſt, cui, ipſemet omnium primus paulò poſt contradicit, & quidem iure optimo, communiſſimâ Doctorum ſententiâ munitus, illud videlicet penitùs euertens. Neque S. Thomas a Pontio eo *num. 3.* appellatus, obſtat, quem, & alios nonnullos nomine dicti factiue præferentis ſpeciem mali complecti etiam quicquid malum eſt ex prauo tantùm abuſu alterius, etſi aliàs per ſe indifferens omnino ſit, iam ſupra abūde planum feci.

L XXVIX. *Tamburini dictū cautè accipiendū.* Hinc cum grano ſalis legendum, & recipiendum eſt, quod ait Thomas Tamburinus, *in Methodo expeditæ confeſſionis, lib. 2. cap. 1. §. 17. num.* 101. vbi quum dixiſſet, *Quando quis, nec intendit ruinam proximi ſpiritualem, nec eius lapſum, nec eo fine aliquod malum, ſeu ſpeciem mali habens patrat, quanuis præuideat, fore vt ex ſuo facto alij decidant; dicitur ſcandalum indirectum, & non directè volitum:* continuò ſubdit; *nam ſi bonum, ſeu non malum, nec ſpeciem mali ex ſe habens facias, ex quo alij cauſſam peccandi ſumant, quanuis tamen id præuideas, non peccas: quum ipſis tunc, ipſorumq; malitiæ imputetur, ſi peccent.* Hoc, inquam, cum grano ſalis, ſanoq; modo interpretandum ita eſt, vt nomine ſcandali habentis ſpeciem mali tantùm, intelligat quoque Tamburinus, vt complures alij Doctores etiam intelligunt, quemadmodum ſupra oſtendi, dictum factumue, ex ſe quidem indifferens, ſed ratione praui abuſus ſine cauſſa ſufficiente alteri permiſſi, inordinatum, & minùs rectum. Quum verò iuſta cauſſa tibi ſuppetit, tum certè peccatum alterius tibi non imputari. Quæ doctrina proba, atque expedita eſt, & in hoc ſenſu Tamburinum vnà cum pleriſque alijs Doctoribus locutum arbitror. Vel Tamburinus negans te peccare, ſi opus non eſt malū, nec mali ſpeciem habet, etſi cares cauſſa, negat ſolùm te peccare peccato ſcandali, vt nonnulli loquuntur, etiamſi nō neget te peccare contra caritatē, quod omnes tradunt, neq; ipſe probabiliter inficiari poteſt. Et ſic etiā non obſtat. Quod ſi quis eum ſine vlla moderatione ampliſſimè explicaret, quaſi vellet; ſi quis dicat, faciatque quidpiam omnino indifferens, præuideatque proximum inde grauiter peccaturum, immunem eſſe omnis culpæ, etiamſi nullam cauſſam iuſtam neceſſitatis, vel vtilitatis ad illud dicendum, vel faciēdum habeat, ſed commodè vtrumque omittere poſſit; falleretur omnino, & improbabiliter iudicaret, tum quia ſine vllo fundamento probabili cunctis Doctoribus aduerſaretur: tum quia in nomine malitiæ æquiuocaret apertè, quum plures non ex malitia, ſed ex paſſione, infirmitate, vel ignorantiâ, ob occaſionem peccent: tum quia ſi nomen malitiæ extendatur etiam ad paſſionem, quando iuſta cauſſa deeſt, non imputatur culpa ſoli paſſioni, ſed etiam operanti, vt §. 2. vidimus: tum quia neceſſariò liberaret etiam a culpa omni puellam, quæ gnara, ſe a Titio turpiter appeti, ſine vlla neceſſitate, vel vtilitate eius oculis ſe offert; quam tamen, licèt prauæ eius intentioni non aſſentiatur, mortalis delicti Doctores vniuerſi damnant: tum quia etiam omnis culpæ expertem pronuntiaret neceſſariò eum, qui ſuo dicto factoue indifferenti præuidens alios abuſuros ad totam prouinciam hæreſi inficiendam, etſi facilè poteſt illo abſtinere,

nere, tamen non abſtinet. Quæ & alia pleraque huius notæ ſupra iam ſatis expenſa, ab omni planè probabilitate ſunt aliena, vt compertum eſt. Idcirco vellem ego compendia caſuũ conſcientiæ non adeo breuia, & ieiuna perſæpe, ne imperiti anſam allucinandi ex his arriperent, vt faciunt frequẽtiſſimè: vnde cuperem etiam, Tamburinus *loc. cit.* illis verbis: *quanuis tamen id præuideas, non peccas,* addidiſſet neceſſariam conditionem, dummodo ex iuſta cauſſa id agas; ne alioquin non pauci errandi palàm occaſionem hinc ſumant.

§. VII. *Generales regulæ de ſcandalo vitando, aut permittendo aſſignantur.*

ABſolutis varijs quæſtionibus, quæ ad naturam, ac diuiſionem ſcandali ediſſerendam pertinent; operæ pretium nunc eſt, regulas de eodem a Doctoribus traditas obſeruare, breuiterque explanare; tametſi nonnullas iam non ſemel vſurpaui: omiſſis tamen in præſens longis probationibus, indicatiſq; breuiter Auctoribus, apud quos eę videri poſſunt.

XC. *Actiuũ ſcandalum ex ſe mortale eſt.*

I. Regula. Quodlibet ſcandalum actiuum, ſiue actiuum per ſe ſit cum expreſſa intentione mala, ſiue ex opere inductiuo per ſe ad malum, ſiue actiuum per accidens, quia etſi quis alterius ruinam explicitè non intendit; neque opus natura ſua ordinatum ad talem ruinam agit, tamen poteſt ac debet eam, abſtinendo eiuſmodi opere, impedire: ex ſuo genere ſemper lethale ſcelus eſt: quia nimirum ex ſuo genere opponitur caritati, cuius præceptum ex natura ſua ſub mortali obligat, quanquam ex leuitate materiæ violatio euadat venialis. Quæ regula certa eſt, extraque controuerſiam, præſcribiturque a S. Thoma 2. 2. q. 43. *a.* 2. ab Alenſe *par.* 2. *q. vlt.* 1. *m.* 2. a S. Antonino 2. *p. tit.* 7. *cap.* 4. § 4. ab Adriano *in* 4. *de Confeſſione q.* 4. a Gabriele *in* 4. *diſt.* 38. q. 2. *a.* 2. a Maiore *ibid. q. vlt.* a Silueſtro, *verbo, ſcandalum, q.* 2. a Nauarro *in Manuali, cap.* 6. *num.* 19. a Bannez, & Victoria 2. 2. *q.* 43. *a.* 2. a Valentia *ibid. diſ.* 3. *q.* 18. *punc.* 2. a Suarez *de Carit. diſp.* 10. *ſect.* 1. *nu.* 4. a Coninch *ibid. diſp.* 32. *dub.* 4. *nu.* 34. a Filliucio *tract.* 28. *cap.* 10. *num.* 221. & a Tannero *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 6. *dub.* 8. *num.* 96. Neque vllum vidi, qui repugnet. At multo dilucidiùs hæc ipſa regula a Thoma Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *num.* 1. a Coninch *loc. cit.* a Turriano 2. 2. *diſp.* 95. *dub.* 5. a Becano 2. 2. *cap.* 27. *q.* 2. *num.* 7. & ab alijs vna cum S. Thoma ita proponitur. Scandalum, quando actiuum eſt, inducitque ad mortale, & ſufficiẽs aduertentia habetur, ſemper mortale eſt; quando verò ad veniale, aut ſufficiens aduertentia deeſt, veniale dumtaxat.

Quando nempe ad mortale inducit, ſecus eſt veniale.

XCI. *Mortale ſcandalum actiuũ fit, quũ ſine cauſſa iuſta prebetur occaſio probabilis ruina.*

II. Regula. Tum mortale ſcandalum actiuum accidit, quum penſatis omnibus circumſtantijs tam operantis, quàm adſtantium, coram quibus dictum, factumue edendum eſt, probabiliter iudicari poteſt illud fore ruinæ lethalis occaſionem alicui ex intuentibus, aut audientibus, & tamen abſque legitima cauſſa eiuſmodi dictum, factumue editur: Sin autem probabiliter non timetur ſimilis ruina, non eſt mortale. Ita Vazquez 1. 2. *q.* 73. *a.* 8. *diſp.* 102. *cap.* 3. *num.* 5. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 18. *punc.* 2. *colum.* 4. *Verſ. Quo pacto ſine dubit.* Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *Summ. tract.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. Nauarrus *in cap. conſideret,* §. *Animaduertere, num.* 9. *de Pœnit. diſt.* 5. Bannez 2. 2. *q.* 43. *art.*

4. Tho-

4. Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 6. num. 7.* Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 1. nu. 3.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 6. §. Non ſemper*.

XCII. *Ad ſcādalum puſillorum vitandum præſtāda omnia, quæ citra culpam poſſunt.*

III. Regula. Ad ſcandalum actiuū, & paſſiuum puſillorum omnia illa præſtanda, vel omittenda ſunt, quæ citra culpam præſtari, vel omitti poſſunt. Sancit hanc Regulam S. Gregorius *homil. 7* in Ezech. hiſce verbis; *in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus*. Idem ijſdem verbis repetit S. Beda *in cap. 9. Marci,* referturque *in cap. qui ſcandalizauerit. Extra. de reg. iur.* Sequitur Valentia 2. 2. *diſp. 3. q. 18. punc. 4. §. tertia regula,* Vincentius Regius *par. 3. Euangelic. Dilucidat. lib. 5. cap. 10. theor. 3. num. 1.* Filliucius *tract. 28. c. 10. num. 235.* tantundemque communiter a Doctoribus aſſeritur, dum in hac materia ſententiam Gloſſæ *in cap. 15. Matthæi aientis: dimittendum eſſe propter ſcandalum omne, quod poteſt prætermitti, ſaluâ triplici veritate, ſcilicet vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ;* paſſim amplectuntur, quæ fugam ab omni peccato in humanis actionibus, vt explicat Valentia *loc. cit.* probatque huiuſmodi regulam, præſcribit. Dixi *ſine peccato*, quia quoties actio, vel omiſſio in talibus circumſtantijs lethaliter praua eſt, vel intrinſecè mala, neutra licita eſt, vt adducti Doctores cum S. Thoma *q. 43. cit. a. 7.* docent, ac demonſtrant. Verùm quia hæc regula nimis ampla videtur, facileque ex ea inferri poſſet, pro vnius puſilli ſcandalo culpaque mortali vitando iacturam omnium facultatum, famæ, & vitæ etiam eſſe faciendam, quum abſque peccato fieri poteſt; quod falſum eſt, temperanda neceſſariò eſt ex ſequentibus regulis.

XCIII. IV. Regula. Qui poteſt non ſolùm ſine peccato, ſed etiam abſque ſuo graui incommodo (quod eſt moraliter poſſe: Vnde regula prædicta S. Gregorij de ſcandalo, quando poſſumus, vitando, intelligitur, vt notat Valentia *loc. cit. §. eſt autem aduertendum,* & Regius *loc. cit.* quando moraliter abſq; magno incommodo poſſumus) impedire ſcandalum actiuum, & paſſiuum lethale, cui proximus per actiuum exponitur, neque id impedit, mortiferè delinquit. Hæc regula indubitata eſt, aperteque eruitur ex Suarez de caritate *diſp. 10. ſect. 4. num. 4.* vbi afferens S. Thomam, Nauarrum, Silueſtrum, Adrianum, & S. Antoninū, teſtatur communem eſſe concluſionem; aitque, ſcandali culpam ab eo committi, qui donat, aut vendit res indifferentes, quum præuidet aliquem ijs abuſurum, quanuis iſtæ non ſint intrinſecè malæ, ſi abſque magno incōmodo materiam peccandi poteſt illi ſubducere. Conſentiunt quoq; Valentia *tom. 3. diſp. 3. q. 18. punc. 4. regula 3. §. itaque oportet,* Coninch 2. 2. *diſp. 32. dub. 4. n. 59.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 8. § aſſertio III.* Nec reperi, qui diſcordet. Ratio eſt, vt ijdē Doctores ſtatuunt, quia vnuſquiſque ex caritate tenetur, ſi commodè poteſt, proximi delictum graue vitare.

Et ſine graui incommodo, aliàs peccatur lethiferè.

XCIV. *Puſillorū ſcandalum vitandū eſt cum aliquo damno temporali.*

V. Regula. Ad ſcandalum actiuū, & paſſiuum puſillorū vitandū, aliquod bonorum temporaliū damnum ſubeūdum eſt, vt S. Thomas, Caietanus, Valentia, Suarez, Regius, Coninch, Tannerus, Filliucius, Layman, S. Antoninus, & Paludanus, quos ſupra §. 6. *num. 79.* citaui, nec non Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 18. num. 17.* tradunt, nec ſcio, qui repugnet. Dixi tamen *aliquod damnum,* quia nemo tenetur, vt ijdem Doctores obſeruant, ad impediendum vnius, vel paucorum ſcandalum iacturam bonorum omniū temporalium facere, quia id nimis

graue onus foret: Notant tamen iidem Auctores, præſertim Caietanus, & Filliucius *loco cit.* nec non Tannerus *loco cit. num.* 118. *&* 119. Eccleſiam ad puſillorum damnum cauendum, negligere decimarum exactionem cum graui damno temporali, vbi ea in vſu non eſt, quemadmodum in Italia.

Eccleſia alicubi negligit decimas, vt vitet ſcandalum puſillorũ.

XCV. VI. Regula. Ad ſcandalum actiuum, & paſſiuum puſillorum auferendum, non ſolùm aliquod temporale damnũ tolerandum eſt, ſed etiam ſpirituale, eorum tamen bonorum tãtummodo, quæ ſaluti æternæ minimè ſunt neceſſaria; vt cenſet S. Thomas, Tannerus, Layman, compluresq; alij, quos §. 6. *num.* 79 recenſui; tum Pontius quoq; *loco cit.* communiſq; apud Doctores ſententia eſt, teſte eodem Tannero *loco cit. num.* 111. nec quiſquam iure obluctari poteſt. Vnde animaduertit Valentia *tom.* 3. *diſp* 3. *q.* 18. *punc.* 4. §. *tertio ſequitur*, & Layman, *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. § *Reſoluitur ſecundò* obligari aliquem ad differendum ingreſſum in Religionem, quando ipſius opera in ſeculo ad ſcandalum, & peccata proximi impedienda eſt neceſſaria, quæ ipſe ſuo exemplo, atque auctoritate auertit: non tamen teneri in totum prætermittere Religionis ingreſſum, quia id in grauiſſimum ſpirituale detrimentum ei cederet. Niſi fortè in caſu, vt commune, & grauiſſimum ſcandalum arceret, quod vel in fide, vel moribus integræ alicuius communitatis immineret; in quo ſanè euentu non poſſet ille ſeculum deſerere, vt *ibid.* probat idem Valentia.

Imò cũ aliqua etiam iactura bonorum ſpiritualiũ, quæ ſaluti neceſſaria nõ ſunt.

Ingreſſus in Religionem aliquando differendus.

XCVI. VII. Regula. Exceptâ grauiſſimâ neceſſitate, non licet coram alijs quidpiam agere, quod per ſe reſpectu communis imbecillitatis humanæ inductiuum eſt ad peccatum, quanquam illud alioqui per ſe malum non ſit: quia qui ita operatur, cenſetur ſecundùm moralem hominum æſtimationem inuitare alios ad peccandum, eiq; horum culpa adſcribitur. Quæ regula a Coninch. 2. 2. *diſp.* 32. *dub.* 4. *num.* 65. habetur pro tam explorata, vt nullam inſuper probationem eius afferat, neq; vllius controuerſiæ hac de re inter Doctores mentionem inijciat, referenſq; pro ea Caietanum 2. 2. q. 89. a. 2. *ad primum dubium*, & Nauarrum *in Manuali cap.* 23 *num.* 19. hoc dumtaxat exemplo ab ipſis mutuato illam illuſtrat: *Si quis coram alijs ita incedat, vt pudenda appareant:* aut ſi quis libros notabiliter laſciuos publicaret, quia hi valde ad libidinem incitant. Vbi obſeruandum eſt, nomine librorum laſciuorum hoc loco nequaquam illos intelligi, qui dictis, factiſue ad laſciuiam directè incitant, quia hi iam non eſſent ampliùs per ſe indifferentes, de quibus tamen ſolis regula præſens, & eius Doctores loquuntur; ſed mali forent intrinſecè, de quibus hîc ijdẽ non agunt; ſed illos amatorios libros deſignari, qui res amatorias pertractantes, etiãſi libidinem directè perſuadere non satagant, nihilominùs mollibus illis lubriciſq; narrationibus, ac figmentis valde ad illam inflammant, tametſi res, & verba per ſe, non mala, ſed indifferentia videantur. Suarez *diſp.* 10. *de Carit. ſect.* 4. *nu.* 6. ſic eandem regulam ſciſcit: *Quando res ſunt tales, vt ex inſtitutione ſua, vel ex vſu, aut lege ſint prohibita, vel deſtinata ad malum finem, in hoc tempore, & loco, ita vt moraliter ſemper probabiliter timeatur prauus vſus: non licet eas tradere alteri, niſi in particulari conſtet ceſſare periculũ praui vſus.* Nulloq; Auctore citato, ſubdit idem Suarez, huiuſmodi concluſionem ſecundùm omnes partes eſſe communem, ipſamq; confirmat,

Quod inductiuum eſt ad peccatum, etſi per ſe malũ non eſt, illicitũ eſt extra grauiſſimã neceſſitatem.

mat, vt Coninch, quia id moraliter ſit præbere occaſionem peccati, & ſcandalum cooperationis. Aſſentitur etiam Diana *par. 2. tract. 15. reſol. 65. §. His ita*, relato eodem Coninch *diſp. 18. dub. 13. num. 217.* Approbat quoque eandem Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 8. num. 3.* vnà cum Nauarro *cap. 17. in enchiridio, num. 36.* & Sa *verbo, peccatum, num.* 10. Vnde liquet, nefas eſſe vendere venenum, niſi ijs, quos præſumitur eo non abuſuros, vt docent Salon 2. 2. q. 77. a. 4. *controu. 6. Coroll. 3.* Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 340. &* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 1. n. 17.*

Non licet vendere venenum abuſuris.

Cũ vita & bonorum ſpiritualiũ ſaluti non neceſſariorum iactura cauẽdũ ſcandalũ magnæ multitudinis.

XCVII. VIII. Regula. Quando rationabiliter iudicaretur, ex aliquo opere, aliàs bono etiam, magnam hominum multitudinem in aliqua communitate vel ex infirmitate, vel ex ignorantia inducendam in grauia peccata, omittendum illud eſt, etiam cum vitæ iactura, & bonorum ſpiritualium quoque, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria, vt docet Valentia 2. 2. *diſp. 3. q. 18. punc. 4. §. Nam ad tuendam*, & Coninch *ibid. diſp. 32. dub. 4. num. 66.* & quidem ſine mentione vllius inter Auctores diſcrepantiæ: quorum alter autumat etiam ſtatum Religioſum, vt periclitanti communitati ſuccurratur, quando aliud remedium non ſuppetit, eſſe ex obligatione relinquendum; quod ipſum ſentit quoq; idem Valentia, vt ſupra *num. 95.* indicaui.

Scandalum verò vnius vel duorum, cũ aliquo incõmodo ſpirituali, vel temporali.

XCVIII. IX. Regula. Quando ex opere meo alioqui non malo, nec inductiuo ad peccatum, probabiliter credo vnum, vel duos ad peccandum inducendos, teneor illud prætermittere, cum aliquo meo etiam incommodo ſpirituali, vel temporali, eò maiore, quò grauiùs, aut maiore damnationis æternæ periculo alter peccaturus eſt. Non obligor tamen ad illud omittendum cum vitæ iactura, aut cum graui alio famæ, vel bonorum temporalium detrimento; vt rectè idem Valentia *loc. cit. §. Tertia regula*, & Coninch *ibid. num. 67.* ſine vllo diſſidij inter Doctores veſtigio.

Phariſaicum ſcandalum non eſt cum aliquo incõmodo declinandũ; ſecus autem, ſi nullum ſit incõmodum.

X. Regula. Pro ſcandalo paſſiuo ex malitia, ſeu Phariſaico vitando neceſſe non eſt quicquam facere, aut omittere cum aliquo damno ſpirituali, aut temporali, vt tradit S. Thomas 2. 2. q. 43. a. 7. & 8. Caietanus *ibi*, Pontius *lib. 5. de matrimonio cap. 18. num. 15.* vnà cum Vaſquez, quem citat, nec non Valentia *loc. cit. §. Quarta regula*, omneſque Theologi, vt notat idem Valentia. At ſi quis abſque vllo damno proprio, vel ferè ſine vllo, huiuſmodi ſcandalum ex mera malitia, & Phariſaicum impedire poſſet, teneretur vtique, vt *ibidem* ſancit, Valentia, Suarez, *diſp. 10 de carit. ſect. 3. num. 9.* Lorca 2. 2. *quæſt. 49. num. 9.* Regius *par. 3. Euangelic. Dilucid. lib. 5. c. 10. Theor. 3. n. 6.* Tannerus *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 6 dub. 8. num. 110.* Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 7. Aſſertio III.* XCIX.

Præcepta diuina etiam, quin & naturalia affirmatiua aliquãdo, quò ſcandalum puſillorum vitetur, ceſſant.

XI. Regula. Quando præcepta non ſolùm humana, ſed diuina etiam, quin & affirmatiua ipſiuſmet legis ſeu iuris naturalis, ſine ſcandalo puſillorum impleri nequeunt, deſinunt interdum obligare. Ita S. Thomas, Ricardus, Adrianus, Couarruuias, Valentia, Angelus, Nauarrus, Enriquez, quos affert, & ſequitur Coninch. 2. 2. *diſp. 32. dub. 4. num. 62.* Conſentiunt Medina, vterq; Sotus, Canus, Maior, & Alexander, quos recenſet Turrianus 2. 2. *diſp. 96. dub. 1. §. Tertio docet*; quibus addo Bannez 2. 2. *q. 43. a. 8. concluſ. 2. 3. & 4.* Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 66. ſect. 4. & diſp. 68. ſect. 5. tum de Caritate, diſp. 10. ſect. 3.* C.

num. 9. Layman *lib. 2 tract. 3. cap. 13. num. 9. & 10.* nec non Tannerum *tom. 3. diſp. 2. q. 6. dub. 9. num. 120.* qui fidem facit hanc Regulam eſſe inter Doctores communem.

CI. *Etſi id negent pleriq;* At non vſque adeo certa eſt, vt plerique non refragentur. Nam contrariam planè ſententiam palàm tuentur Vaſquez *1.2. diſp. 162. num. 17.* Becanus *2. 2. cap. 27. q. 5. num. 4.* Turrianus *loc. cit. verſ. Tertio abſolutè dicendum*, Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 12. num. 3.* vnà cum S. Antonino *3. par. tit. 8. cap. 4. §. 5.* Nauarro *in Summa, cap. 14. num. 44. verſ. 27.* Baſilio Pontio *lib. 5. de matrimonio, cap. 18. §. 2. num. 7. & ſeqq.* & ante hos Silueſter, Paludanus, Durandus, & Armilla citati a Coninch *loco cit.* qui omnes negant vllum præceptum diuinum, vel humanum pro ſcandalo paſſiuo puſillorum cauendo negligendum eſſe.

CII. *Sed fruſtra ob meram æquiuocationẽ.* Verùm poſteriores hi Doctores vel fruſtra a prioribus diſcedunt, vel ex mera æquiuocatione in contrariam opinionem concedunt. Quam æquiuocationem vt tollam, aio, quando præceptum ſcandali vitandi, aliudque præceptum diuinum, aut humanum obſeruandum ſimul concurrunt, neq; vtriq; ſimul ſatisfieri poteſt, alterutrum neceſſariò ceſſare, atq; adeo eſſe omittẽdum; nec ſemper alia præcepta in concurſu cum præcepto de fugiẽdo ſcandalo præualere, ſed interdum deſinere, & illud vrgere; interdum verò e contrariò illud ceſſare, & hæc vigere: atque hanc doctrinam tam eſſe ratam fixamque, vt in controuerſiam ne ab Auctoribus quidem poſterioribus reuocari queat. Nam ſuppoſitâ alterius præcepti obligatione perſeuerante, quæcunq; iſta ſit, certum omnino eſt, nunquam fas eſſe culpam vllam contra illud, ipſum violando, vt vitetur puſilli ſcandalum, admittere. At non hæc lis eſt, neque hoc quæritur; ſed petitur, inueſtigaturque, an vbi duo præcepta, vnum declinandi ſcandali puſillorum, aliud iuris diuini, vel humani exequendi confluunt; detur ne vnquam caſus poſſit, in quo deſinat obligatio aliorum præceptorum, ac ſola obligatio vitandi ſcandali locum habeat, vt ſignanter notauit Suarez *ſect. illa 3. de carit. num. 9.* Quod certè iure negari nequit; & nullo etiam negotio euincitur.

CIII. *Vt euincitur.* I. Quippe affirmatiua præcepta naturalis legis ex S. Thoma 2. 2. q. 33. a. 2. a cunctis recepto non ſemper omnique tempore obligant, ſed exiſtẽtibus duntaxat quibuſdam circumſtantijs ad obligationem ex eis contrahendam neceſſarijs. Quod etiam partim accidit in præceptis humanis negatiuis, quæ communiter minimè obligant, quando ſine graui incommodo, & damno obſeruari nequeunt, vt paſſim ſanciunt Doctores. Vnde carnes in die aliàs vetito comedere, quando abſque graui vitæ periculo abſtinere non poſſum, licitum vtique eſt: neq; vllus contemptus, vnde reddi queat illicitum, interuenit, vt ſuppono. Ergo, quando ſimilia præcepta abſque graui proximi ſcandalo impleri nequeunt, deſinunt etiam obligare. Conſequentia patet, quia vna ex neceſſarijs conditionibus ad huiuſmodi obligationes contrahendas eſt, ne graue proximi ſcandalum præponderans adſit. Nam ſi non teneor illa præcepta cum graui meo incommodo etiam temporali exequi, quia vna ex conditionibus ad obligationem incurrendam eſt, vt abſit tale graue incommodum; multò minùs teneor eadem implere cum graui ſcandalo paſſiuo, & ruina multorum, quã alioqui teneor etiam aliquando vitare

re

re cum graui incommodo proprio, vt differre ingreſſum Religionis ad arcenda plura peccata in pluribus, vt ſupra *num.* 95. vidimus, quia vna quoq; ex neceſſarijs conditionibus ad eorundem præceptorum obligationem eſt, vt abſit graue proximi ſcandalum, & ruina. Quæ ratio meo intellectui vim infert planè ineluctabilem. Nam Deus vult, obligatq; me, vt præferam ſalutem proximi meo graui incommodo differendo v. g. ingreſsũ Religionis; non obligat autem cum graui meo incommodo ad obſeruanda ſemper ſua diuina præcepta, vel humana; ſed indulget, vt die Dominico in graui neceſſitate v. g. morbi poſſim omittere ſacrum, vel ob magnam paupertatem ad leuandam famem, ſeruiles labores obeam: atque adeo vt ita meum graue commodum, vel incommodum executioni præceptorũ, etiam ſuorum ſibinde anteponam, vt liquet. Ergo multo magis indulget etiam Deus, vt potiùs vitem graue ſcandalum proximi aliquando, quàm aliquod eius quoque præceptum impleam, ſiquidem fugam ſcandali vult a me præferri interdum magno meo incommodo, quod tamen patitur ſuis præceptis anteponi; atque adeo multo magis quoque fugam ſcandali ijſdē ante haberi nonnunquam patietur; ſeu, vt magis propriè loquar, multò magis Deus indulget, vt obligatio legum, & præceptorum, etiam ſuorum aliquando potiùs ceſſet, quàm ſcandali paſſiui puſillorum vitandi. Idemq; & de naturæ præceptis conſtat. Prælatus enim, & Superior iure naturali tenetur punire ſubditos delinquentes; & tamen non tenetur, quando ſine graui aliorum perturbatione, & ſcandalo non poteſt eos punire, vt S. Thomas 2. 2. *q.* 43. *a.* 7. communiter probatus decernit.

Alij Doctores alia exempla, & inſtantias ex præceptis diuinis, & naturalibus promunt. Bannez *loc. cit concluſ.* 3. Si quis in domum alterius in extrema neceſſitate corporali poſiti ingredi nequit, vt ei largiatur eleemoſynam, quin multa ſcandala inde oriātur; ſtatuit, poſſe illam omittere. S. Thomas in 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *a.* 3. & *quæſt.* 4. *ad* 5. Coninch *loc. cit. nu.* 71. cum Adriano *in* 4. *de Confeſſ. qæſt.* 4. Maiore *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 5. Nauarro *in Summa. cap.* 7. *nu.* 4. Silueſtro, *verbo, Confeſſio* 1. *q.* 18. Cano *Relect. de Pænit. par.* 5. Medina *quæſt.* 10. *de Confeſſione*, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 2. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. docent, ſi qua mulier cōſcia, certum confeſſarium ex tali peccato a ſe manifeſtato in cōfeſſione in mortalis ſcandali crimen pro ſua infirmitate lapſurum, debere eiuſmodi peccatum tacere, ſatiſq; tũ eſſe, vt cætera detegat; etſi ea confeſſio non ex obligatione, ſed ſupererogatione peragatur, modò alius confeſſarius tum deſit. Quod ſanè delictum multo magis illa diſſimulare teneretur, ſi graue periculum, ne ab eodem in ipſamet confeſſione ſolicitaretur ad libidinem, imminere proſpiceret. Ratio eſt, inquit Medina, quia lex naturalis caritatis de vitando proximi ſcandalo præfertur legi diuinæ poſitiuæ de integritate confeſſionis, & obligatio huius deſinit, ceditque illi. Bannez, & Tannerus *loc. cit.* quod ad humana præcepta attinet, pronuntiāt vxorem non teneri ieiunio, quando ex eo reddita macilenta occaſionem ſcandali præbet.

II. Idem extorqueo conuellendo præcipuum Aduerſariorum fundamētum iam indicatum. Nam ſecundùm ipſos, vt ponderat ex Vazquez Pontius *loc. cit. num.* 9. præceptum ſcandali

CIV. Et exēplis alijs docetur.

Vt ſcādalum puſillorũ vitetur, omittenda aliquādo eleemoſyna.

Et tacendum in confeſſione graue crimen, vt confeſſarij ruina caueatur.

CV. Fundamentũ verò cōtrarium euertitur.

dali paſſiui alterius vitandi quò obliget, requirit, ne tum occurrat etiam aliquod præceptum poſitiuum implendum. Priùs quippe vnuſquiſque ſaluti propriæ, quàm alienæ, debet proſpicere. Eſſet autem peruerſus ordo, ſi aliquis omitteret præceptum ſibi primariè impoſitum, vt exequeretur ſecundarium dumtaxat cauendo ruinam proximi. At hoc fundamentum nullum eſt, vt pote apertâ æquiuocatione ſubnixum; quaſi verò præceptum aliquod, ſubtrahendo occaſionem ruinæ proximo, vitandoque ipſius ſcandalum paſſiuum ex infirmitate, violaretur, ſaluſq; propria negligeretur, & alienæ poſthaberetur; Imò ſaluti proximi conſulendo, quum opus eſt, ceſſante alio præcepto, aliàs vrgente, tum maximè ſaluti etiam propriæ conſulo, nullumq; præceptum frango. Vnde ſic inſtantiam allatam inculco. Per te non ligat præceptum vitandi ſcandali paſſiui proximi, niſi adſit hæc circumſtantia, ne interim occurrat aliquod præceptũ poſitiuum obſeruandum. At hoc non me obligat, quoties nequeo ſine magno incommodo illud exequi, & tamen aliquando teneor pati magnum incommodum, vt vitem alterius ſcandalum v. g. præuidet aliquis ex opere etiam bono magnam hominum multitudinem ex infirmitate in grauia peccata inducendam, totamque vrbem in hæreſim lapſuram, certum eſt, eum teneri abſtinere eiuſmodi opere, etiam cum vitæ iactura, & bonorum quoq; ſpiritualium, quæ ſaluti non ſunt neceſſaria, vt ſupra *num.* 97. citra cuiuſquam diſſentionem animaduerti. Quę ſanè iactura grauiſſimum vtiq; incommodum eſt; at comparatione longè grauiorum malorum, quæ eo impediuntur, penſatis omnibus, ne graue quidem exiſtimatur, ſed leue, iuxta regulam *num.* 54. ſupra defixam. Si igitur graue incommodum proprium eximit me a præcepto poſitiuo v.g. audiendi Sacri, quia in pago vnicum eſt, & ego debeo domum cuſtodire à furibus, vel ægroto adeſſe; & non eximit me aliquando ab obligatione vitandi ſcandali paſſiui aliorum, euidens eſt, pręceptum ſcãdali paſſiui aliorum vitandi ſtrictiùs interdũ obligare, quàm aliquod aliud præceptũ poſitiuum. Ergo ſi hoc cum eo concurrat, hoc obligare deſinet. Conſequentia eſt perſpicua, quia in concurſu præceptorum incompatibilium ſemper id, quod minùs ſtrictè obligat, deſinit obligare.

CVI. III. Quando immineret alicui mors corporalis, dimittendum eſſet præceptum de audienda Miſſa. Ergo ſi alicui imminet graue periculum animæ per ſcandalum paſſiuum, aliquando dimittẽdum eſt aliquod aliud præceptum, quod minùs obligat. Reſpondet I. Pontius *loco cit. num.* 10 eſſe diſparitatem, quia in primo caſu inuitus damnum vitæ temporalis patitur, & ideo recta ratio exigit, vt ei ſuccurratur omiſſo precepto poſitiuo, in ſecundo autem caſu qui ſcandalizatur, patitur damnum ſpirituale ſciens, & volens, & ideo recta ratio non poſtulat, vt eius vitandi gratiâ præceptũ poſitiuum negligatur. Sed contra eſt. I. quia etſi damnum ſpirituale patientis ſcandalum ſit voluntarium, tamen aliquando vitandum adhuc eſt, etiam cum vitæ iactura, & alijs præceptis minùs vrgentibus præferendum, vt paulò ante probaui. II. Si poſſum ſine graui incommodo impedire alium, ne ſeipſum ex deſperatione interficiat, teneor vtiq; impediendi gratiâ omittere etiã Sacrum in die feſtiuo, etiamſi mors ſit illi voluntaria, vt liquet. Rurſum, ſi quis ex maxima paſſione totas ſuas facultates vnâ vice prodigat, ac dilapi-

Ad vitandum puſillorũ ſcandalũ, deſinit aliquando præceptũ audiendæ Miſſæ.

Etſi ſcãdalũ alteri ſit volũtarium, adhuc tamen vitandũ eſt omittendo alia præcepta nõ obligantia.

dilapidet, vnde in grauiſſimam corporis, & animæ neceſſitatem certò caſurus ſit; teneor etiam cum Sacri omiſſione in die præcepti illum impedire, ſi poſſum; tametſi ſciens, & volens ipſe tale damnum ſibimet inferat. Ergo allata diſparitas nulla eſt.

CVII. *Obligatio vitandi ſcandali eſt etiã primaria.* Reſpondet II. idem Pontius *ibidem*, in caſu primo concurrere duas obligationes primarias, vnam audiendi Miſſam, aliam ſubueniendi proximo, & hanc, veluti fortiorem præualere. at obligationem vitandi alieni peccati eſſe tantùm ſecundariam iuxta ea, quę *num.* 4 dixerat. Sed contra eſt, quia iam ea, quæ illo *num* 9. dixit, ſupra *num.* 105. euerti. Deinde, fruſtra ait, obligationem vitandi ſcandali alterius eſſe ſecundariam tantùm, quum ſit æquè primaria, ac præceptum audiendæ Miſſæ; tametſi ob aliquam circumſtantiam deſinat obligare; quod probo ad hominem apertiſſimè, quia etſi obligatio audiendæ Miſſæ cedit fortiori obligationi ſubueniendi ægrotanti, non idcirco tamen deſinit eſſe primaria, vt idem Pontius fatetur. Ergo quamuis obligatio vitandi alieni peccati aliquando cedat obligationi grauiori ſtrictioris præcepti, non propterea eſt ſecundaria, perperamq; & ſine fundamento, mereq; voluntariè id fingitur. At aliquando obligatio vitandi grauiſſimi ſcandali plurimorum eſt longè maior, quàm audiendæ Miſſæ v. g. & cum iactura etiam vitæ interdum exequenda, vt ſupra oſtendi. Ergo hæc erit tum primaria quoq;, & alteri, etſi etiam primariæ de audienda Miſſa, tamen minùs graui, neceſſariò præferenda. Ergo in concurſu præcepti de vitando ſcandalo aliorum cum alijs præceptis, aliquando alia præcepta ceſſant obligare.

CVIII. Ex quibus ſatis prior meæ aſſertionis pars conſtat. Nunc poſterior, quam Auctores vtriuſq; ſententię concedunt, *Aliquãdo alia præcepta praualẽt præcepto de cauẽdo ſcandalo.* facilè explanatur. Nam, vt bene tradit Coninch *loc. cit. num.* 64. vnà cum Couarruuia, quem affert, prædicta Regula non eſt omnino vniuerſalis, neque ſemper vera. Qui enim nouit ſuum Parochum in ſtatu peccati mortalis eſſe, præuidetque, ſi ab ipſo ſumat in Paſchate Sacramenta, peccaturum illum denuo lethiferè, non ideo, ſi alio miniſtro careat, debet abſtinere confeſſione, & communione, ne ei peccandi occaſionem præbeat. Subdit deinde prudenter idem Coninch, ad diſcernendum, quando vnum præceptum ceſſet obligare, & quando vrgeat, partem vtramq; diligenter expendendam; hinc, quàm grauiter præceptum obliget, quantumq; in talibus circumſtãtijs bono communi, vel meę ſpirituali vtilitati expediat illud exequi; illinc verò, quàm graue ſit ſcandalum imminens; atq; ex duobus malis ſemper minùs eſſe eligendum. Vnde nullo negotio diluuntur, quæ contra obducuntur.

CIX. *Scandalũ Phariſaicũ negligẽdum.* Obijcies I. S. Baſilium *interrog.* 64. *in Regulis* aientem, *quotieſcunque in his, quæ ex mandato vel fiunt, vel dicuntur, homines offenſionem incurrunt*; toties ſcandalum eſſe negligendum. Reſpondeo S. Baſilium expreſsè loqui de ſcandalo Phariſaico tantùm; ſubdit enim ſtatim in memoriam reuocandum illud Chriſti Domini reſponſum *de huiuſmodi hominibus*, datum diſcipulis interrogantibus; *Scis, quòd Phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? Sic enim illis reſpondit. Sinite illos, cæci ſunt &c.* At mea aſſertio loquitur de ſcandalo paſſiuo non Phariſæorum, ſed puſillorum, adeoque S. Baſilius ei non obluctatur.

CX. *Nec obſtat Innocẽtius III.* Obijcies II. ex Pontio *loc. cit. num.* 8. Innocentium III. *in cap. de noui operis nuntiatione*. præcipientem vniuer-

sè, non eſſe violandum vllum præceptum ob ſcandalum paſſiuum aliorum declinandum. Reſpondeo id eſſe veriſſimum. At præceptum poſitiuum, quando vrget grauior obligatio vitandi ſcandali paſſiui non violatur, ſed deſinit obligare, vt antea explicaui. Neq; reſponſio Pontificis remanet incerta, aut ſuperuacua, quum rectè doceat generaliter, quæ ſine peccato mortali omitti nequeunt; non eſſe pro vitando ſcandalo omittenda: at quando obligatio ſcandali vitandi ſtrictior eſt, deſinitque minor alterius præcepti, omiſſio operis inculpata eſt. Definire autem in ſingulis circumſtantijs, quandonam vnum pręceptum fortius ſit altero, non ſinebat Pontificem ipſamet materia tam vaſta non breui reſponſo expedienda, ſed vix longo tractatu.

CXI. *Nec ideò Miſſa mihi omittenda eſt, ne ab alio omittenda.*

Obijcies III. ex Turriano, & Palao ex dictis ſequi, poſſe me die feſto, & debere Sacrum omittere, quando alioqui meus hoſtis, ſi ego interſim, illud omittet. Reſpondeo negando ſequelam, quia in tali caſu non ceſſat mea obligatio audiendi Sacri, quādoquidem, penſatis omnibus, minus inconueniens eſt pro me, vt meus hoſtis omittat ſacrum, quàm ego; & quoniā vnum duntaxat, idemq; prorſus præceptum obligat me, & proximum ad audiendam Miſſam, neq; adeſt vlla ratio, aut malum proximi præponderans, cui vt occurram, ceſſet in me obligatio eius audiendæ; ſicut quando ea omittitur, vt grauiſſima mala proximi, & peccata caueantur. Vnde nonnulli Doctores ex relatis §. 4. cenſent eam aliquoties, ſemel aut bis eſſe omittendam mulieri, vt vitet nonnullorum hominum laſciua deſideria &c. etiam in die feſtiuo; quia hoc malum præponderat. Hinc idem Caſtro Palao huc tandem deſcendit, *loc. cit. nu. 4. verſ. Ad ſecundum fateor*, maiorem obligationē eſſe attendendam; adeoq; docet etiam pro ſeruanda vita temporali proximi Miſſam in die præcepti eſſe negligendam, quia illius ſeruandæ obligatio grauior eſt, quàm huius audiendæ. Fruſtra tamen, & ſine vlla ratione idem Palao negat extare obligationem directam, & primariam conſeruandæ vitæ ſpiritualis proximo ſubtractâ ei peccandi occaſione, vel materia, ſicut extat conſeruandæ ei vitæ temporalis: quum præceptum caritatis, *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, quando ſine graui incommodo poſſum vitare notabile illius damnum ſpirituale, quale eſt peccatum mortale, directè me obliget ad illud vitandum, ne dum ad temporale.

Obligatio conſeruādæ vitæ ſpiritualis proximo eſt etiā primaria, & directa.

§. VIII. *An ius, & titulus propriæ libertatis tuendæ abſq; alia iuſta cauſſa eximat ab obligatione vitandi ſcandali paſſiui puſillorum.*

NOnnulli ex Auctoribus ſolius libertatis conſeruandæ prætextu varias obligationes ſine alia legitima cauſſa elidunt; ſed planè immeritò, & nulla probabilitatis ſpecie. Contra quos

CXII. *Solum ius tuendæ libertatis nō elidit obligationem vitandi ſcandali, quia hæc eſt in poſſeſſione, non illa.*

Aſſero diſertiſſimè, ius, titulum, vel vſum propriæ libertatis, ſi nihil aliud addatur, non ſatis eſſe, vt aliquem à culpa ſcandali actiui, & paſſiui ex infirmitate, vel ignorantia, aut peccaminoſæ cooperationis liberet. Ratio primaria, & radicalis eſt, quia ſicut vbi nulla eſt lex certa, quæ libertatem reſtringat, ibi ſemper poſſeſſio ſtat pro libertate: ita, vbi lex clara, & certa in legitima poſſeſſione eſt, ibi obligatio ipſi libertati imponitur, libertatiſq; anterior poſſeſſio a poſteriore, & nouā talis legis obligatione tam certò euertitur, vt nemo eiuſdem libertatis

bertatis ſeruandæ nomine tantùm ſe a lege exequenda vindicare queat. Atqui naturalis, & diuina lex caritatis de non dando ſcandalo, deq; peccato proximi ex ignorãtia, vel ex infirmitate, ſubtractâ ei occaſione, cauendo, nec non de vitanda cooperatione delictis aliorum, etiam indirectâ, omnino certa, & clara eſt, & poſſeſſione minimè controuerſâ gaudet. Ergo nemo ſolo libertatis prætextu a tali lege poteſt ſe ſubducere; ſed neceſſaria prætereà eſt grauis cauſſa, ſeu graue incommodum, ab incommodo coercitæ libertatis, quæ huiuſmodi legis oneri obnoxia eſt, diſtinctum, præ quo eadem lex ampliùs non obligare cenſeatur.

CXIII. *In dubio negatiuo melior eſt cõditio poſſidentis.*

Confirmatur I. quia in dubio proprio, hoc eſt, negatiuo melior eſt conditio poſſidentis, in omni planè materia, ſine vlla exceptione, vt Thomas Sanchez *lib. 2. de matrimon. diſp. 41. num. 32. & libro 1. in Decal. cap. 10. num. 11.* Ioannes Sanchez *diſp. 42. num. 7.* nec non Caſtro Palao *tom. 1. tract. 1. diſp. 3. punc. 6. num. 5.* plurimique alij Doctores ab ijs relati, multis, ac validis rationibus planum faciunt. Vnde fit, vt *ſi præceptum eſt in poſſeſſione obligandi, tunc melior ſit conditio præcepti, ſi quæ illi fauendum*, quemadmodum idem Ioannes Sanchez *ibid. num. 17.* ſcribit; & *ſi præceptum eſt in poſſeſſione obligandi, libertas non erit in poßeſſione:* vt obſeruat alter Sanchez *diſp. 41. de matrim. cit. num. 41.* At exploratum prorſus eſt, præceptum caritatis de vitando ſcandalo paſſiuo ex infirmitate, vel ignorantia, quando commodè poteſt, eſſe in legitima poſſeſſione obligandi libertatem. Quanquam verò nonnulli Doctores conditionem poſſidentis extra materiam iuſtitiæ negent in dubio eſſe meliorem; in præſenti tamen caſu nemo eſt, qui poſſit rationabiliter diſcordare, quandoquidem hic aduerſus certam, & iuſtam obligationem a caritatis præcepto de vitando puſillorum ſcandalo paſſiuo impoſitam nullum adeſt dubium, neque vlla ratio. Ergo iuxta omnes Doctores conditio præcepti de eodem ſcandalo puſillorum vitando legitimè poſſidentis melior eſt, illudq; exequendum. Ergo ſolus prætextus libertatis conſeruandæ non ſufficit ad deobligandum, ſed aliqua alia iuſta cauſſa requiritur.

Etſi hic nullum dubium aduerſetur præceſſio vitandi ſcãdali.

CXIV. *Si ius ſolum libertatis præualeret, tolleretur obligatio cuiuſuis præcepti obſeruãdi.*

Confirmatur II. quia, ſi ſolus titulus libertatis propriæ tuendæ ad obligationem præcepti de cauendo puſillorum ſcandalo abolendam ſatis eſſet, hinc omnis obligatio cuiuſcunq; præcepti obſeruandi penitùs tolleretur, quum quælibet obligatio præcepti ſemper libertati ſit onerosa, atq; hanc reſtringat. Tolli autem per hunc prætextum omnem obligationem ſeruandi cuiuſuis præcepti, nemo ſine hæreſi affirmare poteſt, vt patet. Ergo idem prætextus libertatis tuendæ non ſufficit ad deobligandum ab executione præcepti de vitando ſcandalo puſillorum, ſed aliqua alia iuſta cauſſa eſt neceſſaria.

CXV.

Hinc I. qui inuitat alios ad bibendum, præuidens aliquem inebriandũ, peccat mortaliter, vt ſupra *num. 41.* abſque Doctorum controuerſia notaui; neque a tali peccato eum eximit ius tuendæ libertatis, quæ ab obligatione abſtinendi ſimili inuitatione læditur. Hinc II. Tabernarij vendentes vinum potatoribus, tametſi animaduertunt probabiliter aliquem ex eis inebriandum, delinquunt etiam lethiferè, tenenturque perdere illud lucrum vendendi vini immoderati, quanuis inde eorum libertas grauetur, vt cum Caietano, Valentia, Ro-

Tabernarij vẽdentes vinũ in ebriãdis peccant mortiferè.

driquez, Emmanuele Sa, docet Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. nu. 33.* Tabiena *in Summa, verbo, ebrietas*; Reginaldus *lib. 22. c. vlt. ſect. 4. n. 56.* & Baldellus *lib. 3. de vitijs, & peccatis, tom. 1. diſp. 30. num. 22.* Hinc III. Quanuis oſcula, & tactus non obſcœni inter mares, & feminas, ob conſuetudinem regionis liciti dicantur ab Auctoribus pleriſque, etſi alter eorum prauâ intentione duci cognoſcatur, ſi fiant in publico; addunt tamen ijdem Doctores, quum priuatim fiunt, & cōmodè vitari poſſunt, ſub mortali ex præcepto caritatis eſſe vitanda, vt infra *cap. 7. §. 17. num.* 198 monſtrabo. Nec a tali obligatione liberat, quòd hæc libertati proprię oſculandi, & tangendi incommodet. Hinc IV. Si qua femina formoſa vellet noctu ſola otiari in domus veſtibulo, certa ſe ab aliquo ex tranſeuntibus impudicè tangendam, ſine periculo tamen proprij conſenſus, adhuc lethiferè delinqueret, neque excuſaretur prætextu libertatis, ne teneatur eiuſmodi occaſionem proximo ſubducere.

CXVI. Vnde Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 3. num. 64.* loquens de tactibus per ſe licitis, ſed ex abuſu alterius ſolùm illicitis, ſapienter pronuntiat: *lege caritatis, ne videlicet alter peccet, tenetur huiuſmodi contactus, ſi commodè poteſt, declinare.* Subſcribuntq; cæteri Doctores *cap. 7. §. 17. cit. num.* 198. referendi. Thomas quoque Sancez *lib. 1. in Decal. cap. 6. num.* 17. rectè ſtatuens, ſi mulier datâ operâ amaſij turpis oculis ſe aſpiciendam abſque vlla neceſſitate offerret, ſed quadam vanitate ducta, nec turpis amoris alterius ignara, etſi illum non intenderet; mox ſubdit; *neſcio eam culpâ mortali liberare*; rationemque illico adiungit: *quia aliud eſt ſuâ ſe quocunq; eundi libertate priuare, quod commode, & abſq; anxietate, ac ad ſcrupuloſ aditu præſtare nequit* (ſic ille opinatur, quem ſupra *num.* 26. refelli) *aliud autem datâ operâ ſe ius aſpectui offerre; quod facillimo negotio vitare poteſt, nec in illa oblatione aliquid vtilitatis eſt.* Idem quoque cum Vazquez *opuſ. de ſcandalo q. 43. a. 8. dub. 2. nu.* 27. aſſeuerat etiam Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 7. num. 4. quia ex obligatione caritatis quilibet tenetur vitare ruinam proximi, ſi commodè poſſit; poteſt autem commodè, quando abſq; iactura alicuius rei neceſſariæ, vel vtilis poteſt. Ergo tenetur.* Mox verò *num.* 5. ſibi ita obijcit: *Dices, priuari libertate, & iure, quod habet, hac, & illac diſcurrendi. Ergo ſemper adeſt iuſta cauſſa excuſans*: Reſpondetque ſtatim, *ſi in huiuſmodi curſu aliquis honeſtus finis adeſſet; qui non eſt ſolùm exercitium libertatis, vt pote commune actibus bonis, & malis: fateor, non debere ob malitiam adoleſcentis priuari; quia priuatur aliqua re ſibi vtili, & neceſſaria: at priuari curſu impertinenti, & otioſo, non debet femina, vt moleſtum reputare; & licèt illa reputet moleſtum, non obinde excuſari poteſt a ſcandalo, quia non habet honeſtam cauſſam excuſationis: non enim eſt honeſta couſſa, quam ipſa de ſe vitare tenetur.*

Ex quibus manifeſtò colligitur, vt quis ab obligatione præcepti de puſillorum cauendo ſcandalo eximatur, etiam quum dictum, factumue per ſe indifferens eſt, non ſatis eſſe ſolum ius, titulumque non amittendæ, aut imminuendæ libertatis, ſed aliam cauſſam a libertatis iure diſtinctam, ac iuſtam, nempe aliquod graue incommodū iudicio prudētis eſtimatū, alioqui ſubeundū, eſſe neceſſariam. Idcirco debitor quoque, quando in ſoluendo debito damnum lōgè maius, quàm creditor, dilata ſolutione, patitur, po- CXVII.

Ad obligationē vitandi ſcandali tollēdā alia grauis cauſſa, præter ius libertatis, neceſſaria eſt.

teſt ſolutionem differre, quia ad hanc non tenetur cum tanto ſuo incommodo, vt communiter ſanciunt Doctores apud Leſſium *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 16. *dub* 1. *num.* 15. vſque ad 34. Ac proinde Auctores, quum feminam ſe offerentem aſpectui impuri adoleſcentis, cui tamen non aſſentitur, etſi non ignara ſit eius praui deſiderij, a mortali culpa liberant tuendæ propriæ libertatis prætextu, intelligendi ſunt ſano modo loqui de aliquo alio incommodo notabili diſtincto ab onere, & obligatione implendi alicuius præcepti, aliàs aperte reijciuntur, & conuincuntur ex dictis.

Puella ſolo libertatis prætextu nequit a reatu ſcandali liberari.

CXVIII. *Nec diſſentit Diana.* Quamobrem benignè interpretandum iudico, quod eruditiſſimus Diana *par.* 2. *tract.* 15 *reſolut.* 30. §. *tertia opinio,* quum prudenter vnà cum Thoma Sanchez *num.* 17. *cit.* Vazquez, Hurtado, Bonacina, & Caſtro Palao ſupra *num.* 28. & 29. recenſitis aſſeueráſſet, mulierem deditâ operâ aſpectui amaſij, a quo turpiter ſe appeti nouit, etſi id illa non intendat, exponentem abſque vlla neceſſitate, vel vtilitate, peccare mortiferè; confeſtim poſtea ſic excipit: *Secus autem, ſi hoc faciat, vt diximus, non ſolùm propter aliquam neceſſitatem, ſeu vtilitatem, ſed etiam propter hoc ſolùm, ne videlicet ſe priuet ſuâ libertate, & iure exeundi domo.* Hoc, inquam, ſic humaniter accipiendum eſt, mulierem non peccare, quando gnara flagitioſi deſiderij alterius, quod ipſa non intendit, neque ſtudioſè ſe eius oculis videndam præbet, vtitur iure ſuæ libertatis, domo exiens, ne alioqui onere intolerabili remanendi ſemper domi, quaſi domeſtico carceri continenter addicta, grauetur; ac proinde licitè proximi delictum permittit. In quo planè ſenſu Dianam loqui; mihi omnino perſuadeo: neque ego diſſentio. Nam obligatio non exeundi vnquam domo, vel certè per lógum tempus, graue prorſus incommodum eſt, idque a ſolo libertatis exercitio planè diuerſum, vt conſtat; adeoq; meritò excuſat, & Diana a ſuperiore doctrina omnium Doctorũ minimè diſcrepat.

Quod ſi quis, præter eius mentem, prædicta verba eò etiam extenderet, CXIX. vt eadem mulier in eodem caſu ex hoc præcisè titulo exercendæ ſuæ libertatis in ſe ſe offerendâ aſpectui impuri hominis, dummodo huius ruinam nõ intendat, delicti mortalis cenſeatur immunis, etſi aliud incommodũ non immineat, profectò nouam ſine vllo probabili fundamento opinionem extruderet, ipſique etiam Dianæ repugnaret. Et quidem quod ad nouam opinionem attinet ſine fundamento probabilitatis, manifeſtè probatur I. quia eſt contra Doctores omnes, neq; ratione vllâ munita, nec contrariorum argumentorum ſolutione tentatâ ne dum probabili ſubnixa, ac proinde omnino improbabilis, vt oſtendo in mea *opinionum moralium Trutina par.* 1. *cap.* 10. 11. & 12. II. quia exercitium merum libertatis cum ruina graui alterius coniunctum, nihil habet vtilitatis, & ſine graui incommodo eiuſdem libertatis in præſenti caſu facillimè, & ſine vllo periculo, vel perplexitate ſcrupulorum omitti poteſt, vt euidens eſt. Ergo præceptum caritatis ex generali regula a cunctis Doctoribus probata obſtringente ſemper ad faciendum, vel abſtinendum, quando ſine graui incommodo fieri, vel abſtineri poteſt, in tali caſu ſub graui culpa obligat ad pretermittendum eiuſmodi exercitium. III. quia poſſeſſio præcepti de puſillorum ſcandalo vitando eſt certa. Ergo obligatio etiam libertatis ad illud exequendum pariter certa, quum hæc ſint correlatiua indubitata:

Perperamque aliter exponeretur.

dubitata: & eo ipſo, quod præceptum in poſſeſſione certâ eſt, compedes obligationis libertati inijcit. IV. quia ſi is ſolus libertatis titulus feminam in dicto caſu legitimè excuſaret, eodem prorſus nomine, ac prætextu obligationes cæterorum omnium præceptorum, ſiue alia præterea iuſta cauſſa, eluderentur, ac delerentur, quod nullo modo dici, nec in Catholica Eccleſia tolerari poteſt. Quod autem ad Dianam ſpectat, hæc eadem opinio illi quoq; aduerſaretur, quum *ibidem* ſtatuat, mulierem lethiferè delinquere, quando ſine neceſſitate, ex ſola vanitate, deditâ operâ offert ſe oculis alicuius, a quo fœdè ſe appeti ſcit, licèt id non intendat. Nam ad crimen huiuſmodi excuſandum ſemper illa titulum honeſtum iuxta talem ſententiam in promptu haberet, præbere nempe ſe ex induſtria aſpiciendam alteri, vt in hoc ſuam libertatem exerceat, neque ipſam, ſubducendo ſe, lædat, aut imminuat. Atque ita nunquam daretur caſus, in quo ea delinqueret, contra quàm idem Diana *ibid.* aſſerit.

CXX. *Iuſta cauſſa tolli peccatum ſcandali actiui* Quamobrem in materia ſcandali omnis dubij reſolutio huc demum vltimò reuocatur, vt cauſſæ æquitas maturè expendatur. Quoties enim iuſta cauſſa aliquid indifferens alteri miniſtrandi, aut ab eo petendi, mihi ſuppetit, etſi eũ proſpicio tali re indifferenti abuſurũ lethaliter; tametſi id ei adminiſtro, vel ab illo peto, nequaquã pecco, modò id non intendã; neq; ſcandalũ do, ſed ille accipit, atq; ex ſua malitia, vtcunque etiam ex paſſione ſuccumbat, peccare dicitur: ſecus verò omnino, vbi ſine iuſta cauſſa rem indifferentem abuſuro non ignarus ſuppedito. *Quæ ſemper præ oculis habẽda.* Quæ ſanè doctrina indubitata niſi præ oculis in huiuſmodi materia habeatur, atque ad iuſtam, vel iniuſtam cauſam, tanquam ad anchoram, ſolumque confugiatur, ſed contra aliquid malitię alterius, vel libertati tribuatur, vel danti occaſionem vitio vertatur; ſemper petetur principium, talique effugio cuncta actiui ſcandali dati delicta nullo negotio excuſari, alteriuſque malitiæ imputari poterunt. Quod ſicuti falſiſſimum eſt, ita omnibus Doctoribus omnino aduerſatur.

§. IX. *Cui virtuti opponatur peccatum ſcandali, & quomodo in confeſſione ſit aperiendum:*

HAnc ego quæſtionem ex parte ſpeculatiuam, qui moralia Paradoxa, quò in vſum reuocentur, adorno, omnino prætermitterem, niſi eſſet cum praxi etiam coniuncta; ac proinde non leui brachio tractanda.

Segmentum I.

Refertur prima ſententia.

CXXI. *Quum proxim' indirectè ſolũ inducitur ad peccatũ, peccari ſolùm peccato ſcandali contra caritatẽ, non verò contra peculiarem aliã virtutẽ.* CArdinalis de Lugo *tomo de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. § 2. num. 157. & num. 159.* exiſtimat, quum quis directè, & formaliter ruinam proximi intendit, hoc eſt, ex deſiderio, vt proximus patiatur damnum illud ſpirituale; vel directè, ſed non formaliter, vult a proximo peccatum committi, non quia eius malum eſt, ſed ob aliquod lucrum, vel commodum, quod inde ſperat, aut quærit; peccatum huiuſmodi inductionis eſſe peccatum contra ſcandali, ac tali in ſcandalo explicandam eſſe in Confeſſione ſpeciem peccati, ad quam proximus inducitur (de quo nullum video eſſe dubium inter Auctores) quum verò quis præuidens ex ſua actione proximum facilè accepturum occaſionem peccandi, quod etſi non intendat, poteſt tamen, & debet

debet impedire, & tamen non impedit, tunc ſatisfieri explicando malitiam ſcandali, licèt non explicetur ſpecies peccati, ad quod proximus induci poterat.

CXXII Ratio eſt (ſubdit *ibid. num.* 161. idem Cardinalis) *quia licèt quælibet virtus poſſit non ſolùm obligare directè ad eam amplectendam, ſed etiam indirectè, ne in alijs eam impediam: non tamen obligat me ad procurandum poſitiuè, quòd alij eam amplectantur. Iuſtitia v.g. obligat me, ne procurem, quòd alius furetur; tamen non me obligat, vt procurem, ne alij furentur, niſi fortè ex peculiari officio ad id tenear: Caſtitas obligat me indirectè, ne alios inducam ad luxuriam; non tamen, vt poſitiuè procurem alios eſſe caſtos: nam licèt affectus erga caſtitatem poſſit ad id etiam inclinare, non tamen obligare, vt notauit bene* P. Conich. *dictâ diſp.* 28. (de caritate) *Quamuis ergo peccet contra obligationem caſtitatis, qui proximo luxuriam conſulit: non tamen peccat vllo modo contra caſtitatem, qui proximi luxuriam non impedit; & ideo qui laſciuum non corripit, peccat quidem contra caritatem, non verò contra virtutem caſtitatis. Sic ergo nec peccat contra iuſtitiam, ſi præuidens, præter intentionem tuam alium ex tua intemperantia inducendum eſſe ad furandum, id non impedias: quia iuſtitia obligat quidem te ne procures alios furari, non tamen vt eorum furta impedias, & ad hunc finem abſtineas ab intemperantia*. Ergo tota hæc obligatio erit in te ex ſola caritate erga proximum, qua teneris eius malum impedire, non verò ex obligatione talis, vel talis virtutis particularis, vt mox *nu.* 162. infert.

CXXIII Confirmatur I. ex eodem Cardinali *ibid. num.* 153. & 154. quia quum quis non tenetur ex obligatione iuſtitiæ impedire proximi malum & detrimentum ſpirituale, tenetur ſolùm, ſi commodè poteſt, ex caritate illud impedire. Ergo ſi non impediat, peccat ſolùm contra caritatem, non autem contra aliam particularem virtutem, quam proximus ſcandalizatus violauit: ac proinde non eſt neceſſariò explicanda ſpecies peccati, ad quam ille inducitur; quum ea materialiter ſe habeat ad malitiam ſcandali, quod eſt ſolùm contra caritatem. Conſequentia patet, quia alia peccata oppoſita caritati erga proximum non variantur ſpecie pro varietate ſpecifica illius mali, quod proximo afferunt. Vnde omittens correctionem proximi, ad quam ex caritate præciſè, & non ex officio, tenetur, quando poteſt, & debet illum corrigere, non tenetur in confeſſione explicare ſpeciem peccati, quod in proximo vitandum erat per correctionem fraternam; ſed ſufficit dicere ſe omiſiſſe correctionem debitam cum graui detrimento ſpirituali ſui proximi: quia ad debitum caritatis, cui ſoli aduerſatur illa omiſsio correctionis, per accidens & materialiter ſe habet, quòd detrimentum proximi ſit hoc, vel illud peccatum.

Confirmatur II. ex eodem Lugo *ibid. num.* 162. quia ex oppoſita opinione ſequeretur in ſupradicto caſu, quando præuides ex tua intemperantia Petrum præter intentionem tuam inducendum ad furtum: ſi tunc non ſolùm peccas contra temperantiã, ſed etiam contra iuſtitiam, fore te obligatum ad reſtitutionem, ſi quidem ex iuſtitia tenebaris abſtinere ab illo peccato intemperantiæ. Conſequens autem negatur ab Auctoribus illius opinionis. Ergo &c. CXXIV

Refert porrò Cardinalis de Lugo *num.* 159 pro iam expoſita ſua opinione Nauarrum *in Summa cap.* 6. *nu.* CXXV.

16.

16. aientem, tum explicandam eſſe ſpeciem peccati, ad quam proximus inducitur, quando directè intenditur peccatum proximi: quando vero non intenditur directè, non apponentem talem obligationem; ſed ſolùm obligationem confitendi peccatum ſcandali. Deinde *num.* 160. adducit Suarez *diſp.* 10. *de carit. ſect.* 2. *num* 9. afferentem duas reſponſiones obiecto argumento vrgenti duplicem malitiæ ſpeciem, alteram ſcandali contra caritatem; alteram illius ſpeciei peccati, ad quam proximus inducitur: aſſirmantemq; priùs, *me teneri ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur, ex obligatione caritatis, non iuſtitiæ, vel alterius ſimilis virtutis.* Etſi autem Suarez poſtea *num.* 10. ſubdit, poſſe concedi duas illas ſpecies malitiæ in peccato ſcandali, priorem tamen reſponſionem non reijcit. Denique *num.* 159 infert, hoc ipſum concedi debere a Coninch 2. 2. *diſp.* 32. *de carit. dub.* 56. in ſententia eorum, qui circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem negant confitendas, ſiquidem ibi idcirco ait confitendum peccatum, ad quod proximus inducitur, quia eſt circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem ſcandali. Sed præter hos Auctores citatos a Lugo, idem quoque planiſsimè docet Salas 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 5. *ſect.* 15. *num.* 134. conſentitque recentiſſimè, qui Tomum Cardinalis de Lugo *de pœnitentia* in compendium magna ex parte redegit, Thomas Tamburinus *lib.* 2. *Methodi expeditæ confeſſionis, cap.* 1. §. 17. *num.* 105. Quanquam is non tam conſentit, quàm ait ſolùm: *Reſpondent aliqui non eſſe*, citato in margine de Lugo, nec refellit.

Segmentum II.
Altera ſententia oppoſita, & communis defenditur.

COntrariam tamen ſententiam aſſeuerantem peccare illum, qui ſuo exemplo alium ad peccandum inducit, etſi indirectè ſolùm, eadem ſpeciè peccati, qua peccat is, cui malum exemplum præbetur, tradunt Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap* 6. *num.* 3. & 4. nec non *cap.* 7. *nu.* 10. Vazquez 1. 2. *q.* 73. *diſp.* 102. *cap.* 3. *num* 5. & *cap.* 7. *num.* 35. tum *quæſt.* 73. *art.* 8. *Verſ. Deinde obſeruandum eſt*, Coninch *diſp.* 32. *cit. dub.* 5. *num.* 56. quos ſolos pro huiuſmodi ſententia producit Cardinalis de Lugo *diſp.* 16 *cit. ſect.* 4. *n.* 158. Pro eadem tamen a Coninch *ibidem* refertur Lorca 2. 2. *q.* 43. *a.* 8. *diſp.* 56. At Cardinalis de Lugo ait ab hoc dici tantùm, confitendam eſſe circumſtantiam ſcandali, an verò debeat explicari ſpecies peccati, ad quod proximus inducitur, nihil dici. Verùm Lorca non obſcurè pro hac ſententia ſtare videtur, dum *ibidem*, quum *num.* 6. dixiſſet, *ſiue ſcandalum actiuum indirectè volitum ſit circumſtantia mutans ſpeciem, ſiue non, eſſe in confeſſione explicandum*, deinde *nu.* 10. ſubdit eſſe *verum, & indubitatum, eum, qui inducit mulierem, vel quemcunque alium ad peccandum, reum eſſe peccati illius, & nocumenti ſpiritualis, quod incurrit, ſiue illud ſit diuerſum peccatum, ſiue circumſtantia eiuſdem. Nec refert concedere duo peccata in eo euentu potiùs, quàm peccatum, & circumſtantiam; vel duo peccata ſpecie potiùs, quàm duo numero.* Siue autem inductio ſit directa, ſiue indirecta tantùm, certum eſt eam a Lorca ibi damnari ſcandali actiui ſpecialis, aperiendamque in Confeſſione aſſeri; XXVI. *Qui ſuo exemplo occaſio eſt alteri peccandi, peccat eadē ſpecie peccati.*

quum-

quumque concedat tum duo peccata ſpecie diſtincta interuenire, neceſſariò ſentit peccati ſpeciem, ad quam proximus indirectè etiam inducitur, in Confeſſione eſſe detegendam.

CXXVII Sed præter hos Doctores ab eodem Cardinali commemoratos, plerique alij hanc ipſam ſententiam manifeſtè tuentur, Azor *par. 1. lib. 4. cap. 20. q. 6. fin.* Paludanus *in 4. diſt. 38. q. 6. a. 3. concl. 3.* ſupplementum Gabrielis *q. 2. a. 2. concluſ. 3. 8. & 9.* Caietanus *2. 2. q. 43. art. 1.* & quæſt. 53 ibid. *a. 2. Verſ. In reſponſione ad tertium, poſt medium.* Armilla *in Summa, verbo ſcandalum, num. 1.* Angelus *verbo eodem, num. 2.* quos, præter Azorium, recenſet Vazquez eo *cap. 7. num. 23. cit.* quibus Bonacina quoq; adſtipulatur *diſp. 2. de peccatis q. 4. pun. 2. §. vnico, num. 12.* Baſilius Pontius *lib. 5. de matrimonio, cap. 18. num. 11.* Ferdinandus a Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 3. num. 1. 2. 3.* indicat etiam Medina 1. 2. *q. 72. a. 2.* & expreſſiùs Graffis *lib. 2. cap. 68. num. 7.* teſte Salas *num. 134. cit.* qui etſi propoſito dubio, *an inducere ad fornicationem, non ſolùm ſit peccatum ſcandali, ſed etiam contra caſtitatem*, reſpondet negatiuè, tamen continuò poſt, quum pro ſua reſponſione negatiua nullum prorſus Auctorem citet (adeo ſingularis, & ſolitaria talis eius opinio ne ab ipſo quidem potuit vllo alio patrono donari) ſubdit oppoſitum eiuſdem opinionis teneri a multis recentioribus, quos etiam nominat, & iam ſupra retuli; additque eſſe valde probabile, quod etiam multo fuſiùs probat, quàm alteram partem; fruſtra autem refert Vazquez 1. 2. *diſp. 102. cap. 7. & 8.* quum talis diſputatio 102. nonniſi ſeptem capitibus cõſtet. Fauet quoque Bannez 2. 2. *q. 43. art. 4. dub. 1.* quatenus ait, hanc ſcandali circumſtantiam ſemper eſſe confitendam. Suarez etiam *loc. cit.* aiẽs poſſe concedi duas malitias ſpecie diuerſas in peccato ſcandali, idque probans, apertè patrocinatur. Ferdinandus autem a Caſtro Palao *loc. cit.* hanc ſententiam tam ratam fixamque eſſe cenſet, vt de ea ita diſertè pronuntiare non dubitet: *Etiam eſt certum, ſi tuo exemplo alium ad peccandum incites, ſpecialem malitiam contrahere neceſſariò in confeſſione manifeſtandam, quia ſaltem indirectè vis proximi peccatum, illiuſque es cauſſa moralis. Ex quo mihi videtur pro certo habendum te peccare illâ ſpecie peccati, qua peccat is, cui malum exemplum præbes.* Subijcitq; Palao nihil referre, etiamſi Salas *loc. cit.* contra teneat.

Quam adeo communem ſententiã CXXVIII ego quoque omnino amplector, eodemque gradu, ac idem Palao, pro certa habendam puto, nec breuiter, vt ab alijs factum cerno, ſed fuſè, ac copiosè pertractandam mihi exiſtimo. Nec me fugit, aliquos ex eius patronis litigare, vnumne, an duo peccata ſint, vnum, ad quod proximus inducitur, vt furtum; alterum caritati, vel correctioni fraternæ oppoſitum: quicquid enim de hoc ſit, ſatis ad id, quod modò quæro, eſt, conuenire cunctos huius ſententię Doctores ſpeciem peccati, ad quã proximus indirectè quoq; inducitur, in Confeſſione neceſſariò exprimendum ab inducente, quoties ad mortale inducit.

Probo I. ex Vazquez 1. 2. *diſp. 102. cit. cap. 6. in fine*, ex quo reliqui hanc eandem rationem deſumpſerunt; quia vnaquæque virtus non ſolum actus ſibi contrarios prohibet, ſed etiam occaſiones omnes peccandi in tali materia; & quidem ſub proprio motiuo, vt caſtitas lectionem turpium librorum, periculoſã cum feminis conuerſationem, &c.

Quia quauis virtus vetat præberi etiã alteri occaſionẽ oppoſiti vitij.

&c. quatenus tales occaſiones bono, quod in ipſo caſtitatis motiuo ſitum eſt, repugnant, nec ſolùm quælibet virtus vetat, ne quis ſponte in ſimiles occaſiones actuum oppoſitorum incurrat; ſed etiam, ne quis talem occaſionem alteri in eadem materia præbeat. Ergo, qui abſque ſufficiente cauſſa eam alteri præbet, peccat contra illam virtutem, quæ talem occaſionem prohibet; & conſequenter, ſi materia eſt grauis, delinquit mortaliter, teneturque tale peccatum virtuti particulari, vt caſtitati, contrarium, in confeſſione exprimere. Conſequentia eſt clara. Antecedens oſtendo, quia etiamſi habitus caſtitatis, quo volo alteri bonum caſtitatis, ponatur ſpecie morali diſtinctus ab habitu, quo volo bonum caſtitatis mihi, vt latè explicat, & tuetur Cardinalis de Lugo *diſp. 3. de pœnit. ſect. 2. nu. 28. & ſeq.* adhuc tamen talis habitus ita diſtinctus non ſolùm inclinat, ſed etiam obligat ad non præbendam alteri occaſionem violãdæ caſtitatis: quamuis enim nemo ex tali motiuo, præciſâ aliâ obligatione, teneatur ad procurandam poſitiuè, aut poſitiuè volendam alteri caſtitatem; tenetur tamen abſtinere ab iniuria, vt ita dicam, alienæ caſtitatis, ſubtrahendo illi, quando commodè poteſt, eius violandæ occaſionem. Sicut etiam, licèt non teneat ex iuſtitia procurare poſitiuè alteri lucrum iuſtum in mercatura, teneor tamen ex iuſtitia negatiuè ſubducere ei, quando commodè poſſum, occaſionem proximam illius perdendi. Vnde, ſicut teneor, ſubtractâ cõmodè occaſione, ex iuſtitia non lædere ius alterius, quod habet ad iuſtum lucrum, ne quis non ſolùm directè, & iniuſtè illud impediat, ſed etiam, ne quis ſibi grauem illius amittendi occaſionem, quam facilè vitare poteſt, præbeat: ſic etiam ex motiuo caſtitatis teneor, ſubtractâ commodè occaſione alteri huius violandæ, non lædere ius illius, quod habet, non ſolùm, ne quis directè illam lædat, ſed etiam, ne grauem eius lædendæ occaſionem ipſi ſuppeditet. Quæ obligatio vitandæ occaſionis ex præcepto cuiuſque virtutis, non ſolùm ſibi, ſed etiam alteri, deinceps multo magis confirmabitur.

Probo II. quia, quando præuideo aliquem ex occaſione mei peccati, v.g. furti peccaturum mortiferè, etſi quâ ſpecie peccati ſit peccaturus, neſcio; teneor ex communi omnium ſententia circumſtantiam hanc ſcãdali, qualecunque id ſit, aut appelletur, in confeſſione aperire, vt ſupra *num.* 42. vidimus. Sufficienter autem talis circumſtantia exprimitur dicendo, dedi alteri occaſionem peccati mortalis meo peccato mortali furti; vt patet. Ergo ſi præuideo Titium ex occaſione mei furti furaturum, teneor explicare in confeſſione non ſolùm meum furtum, ſed Titij quoque, cuius fui cauſſa moralis. Conſequentia patet, quia in priore caſu licèt non intendam ruinam proximi directè, vt ſuppono, indirectè tamen pecco grauiter contra ſolam caritatem, ſeu correctionem fraternam, quum huius motiuum dumtaxat, ita ſalutem proximi negligendo, violem, nec aliud aſſignari poſſit, contra quod peccem, vt liquet, in poſteriore autem caſu longè aliter, quàm in priore ſum cauſſa moralis alieni peccati, nempe non ſolùm alicuius indefiniti, ſed particularis etiam, nempè furti, quod ſingulari ter animaduerto ex meo furto ſecuturum, debuiſſemque vitare alienum etiam cauendo proprium. Ergo quum diuerſo valde modo cooperer indirectè, peccato generali in primo caſu, quàm CXXIX.

Et diuerſè occaſio mortalis culpæ indefinita in ſcandalo indirecto eſt voluntaria, ac peccati ſingularis.

in

in ſecundo, furto alterius particulari; non ſatisfacio in ſecundo, dicendo tantùm: dedi occaſionem meo furto, alteri grauis peccati, ſed debeo quoq; exprimere peccatum furti alieni, ad quod indirectè induxi proximum.

CXXX. *Et alieni peccati ſpecialis es cauſſa moralis indirecta, et voluntaria.* Probo III. quia certum eſt, quomodocunq; inducas, & pertrahas proximum, etiam indirectè dumtaxat, ad peccandum, ſiue opere aliàs bono, ſiue de ſe malo; te peccati eius, ad quod illum indirectè pertrahis, reum eſſe, ſiquidem eiuſmodi peccati es cauſſa moralis, vt ſolidè probat Valentia 2.2. *diſp.* 3.q.18. *punc* 2. Vazquez 1.2.q.73. *diſp.* 102. *cap.* 1. *nu.* 1. & 2. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *num.* 2. Lorca 2.2. q.43. a. 8. *diſp.* 56. *num.* 6. aſſerens non poſſe contrarium ſine temeritate affirmari, & Caſtro Palao *Tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *pun.* 3. *num.* 2. annuens eſſe improbabile. Atqui non potes eſſe cauſſa moralis alieni furti, niſi id ſit tibi voluntarium, ſaltem indirectè, vt liquet. Ergo quum tuo opere ſeu aliàs bono, ſeu de ſe malo ſis cauſſa moralis indirecta non tantùm alieni peccati indefiniti, ſed etiam furti in ſpecie, id teneris in confeſſione planè explicare. Conſequentia eſt explorata, quia omnes illas ſpecies peccatorum teneris in Confeſſione exponere, quæ tibi ſunt voluntariæ, ſaltem indirectè, quarumue moralis es cauſſa, ſaltem indirecta, vt compertum eſt. Et confirmo, quia ſi tuo opere bono, vel malo intendis directè alterum inducere ad furãdum, teneris in ſententia omnium exprimere in cõfeſſione inductionem proximi ad furtum. Ergo eandem etiam teneris exprimere, etſi ea ſit indirecta tantummodo. Conſequentia conſtat, quia ad contrahendam culpam, extra controuerſiam eſt ex 1. 2. q. 6. ſatis eſſe voluntarium indirectum. Vnde, qui vult vindictam iniuriæ, etſi non velit directè offenſam Dei, imò licèt poſitiuè vellet Deum vindictâ non offendi, nihilominùs Deum ea vindicta indirectè offendit, vt planum eſt. Ergo, etſi tuo furto indirectè tantùm velis furtum alterius ex tuo ortum; adhuc illius cauſſa moralis indirecta es; quod ſufficit ad eam culpam contrahendam, nec non ad obligationem talis furti indirectè voliti neceſſariò explicandi ſubeundam; ſiue deinde tale ſcandalum ſpeciale ſit, ſiue generale tantummodo, quod nihil refert ad obligationem confitendi variandam.

CXXXI. *Obligatio leuis tantùm ſubtrahenda occaſionis peccandi aliјs cõtra ſingulares virtutes perperã aſſeritur.* Dices I. ex Coninch 2. 2. *diſp.* 32. *dub.* 5. *nu.* 46. Si peccatum, ad quod quis ſuo facto præter ſuam intentionem alterum inducit, *eſſet præcisè contra caſtitatem, aut temperantiam, aut ſimilem virtutem, nec vllo modo Deo diſpliceret, aut proximo peccanti, aut alteri vllum malum inferret: ipſe præcisè per hoc, quòd hunc ſuo facto ad peccatum induceret, aut nullo modo, aut nonniſi leuiter peccaret. nam etſi eiuſmodi virtutes grauiter nos obligent, vt vitia ipſis contraria nullo modo committamus, ſiue per nos, ſiue per alios, hæc ijs ſuadendo aut mandando: tamen vt ſummum ex aliqua decentia nos obligant, vt ea in alijs impediamus, aut ne ſimus ijs præter intentionem occaſio ea committendi*. Sed contra eſt I. quia fruſtra, & ſine fundamento aſſeritur leuis tantùm obligatio ſubtrahendæ proximo occaſionis in dicto caſu peccandi contra ſingulas virtutes. II. quia ratio directè, vel indirectè voliti, non reddit præcisè culpam grauem, aut leuem; neq; ex eo quòd quid indirectè ſolùm ſit voluntarium, illico veniale ſolùm eſt, vt indubitatum eſt, nec abſq; temeritate negari poteſt; alioquì nulla eſſet Dei offenſa mortalis in

peccatis, quando ea indirectè tantùm eſt voluntaria; neque eſſet delictum lethale præbere ſine vlla cauſſa alteri occaſionem indifferentem peccandi mortiferè nõ intendendo directè peccatum alterius: quod ab omnibus Doctoribus velut manifeſtè falſum, abſonumq; exploditur. Ergo ſicut quum vis directè, vt alter tuo exemplo furti furetur ſummam notabilem, reus es furti mortalis, etiam alieni, debeſq; id in Cõfeſſione explicare; ita a tali reatu, & obligatione non eximeris per hoc præciſè, quòd indirectè ſolùm intendas furtum alienum præbendo tuo facto etiam indifferenti grauem occaſionem proximo illius committendi. III. quia in dicto caſu, quòd fornicatio Deo non diſpliceret, nec proximo, aut alteri malum vllum inferret, leuiter peccare tantùm meritò dici poſſet, etiam qui directè alterũ ad peccatum induceret: Poſito enim, quòd peccatum ipſum Deo non diſpliceret; nec proximo, aut alteri malum vllum inferret; non apparet vnde inductio directa foret mortalis, vel certè ſuppoſitio ipſa in ſe repugnat; ſi namq; fornicatio licèt non diſpliceret Deo, nec malum vllum cuiquam inferret, adhuc grauiter a caſtitate foret prohibita; adhuc mala eſſet etiã ſubiecto. Ergo perperam ſupponitur eſſe innoxia.

C XXXII *Nec tamen qui non corripit furẽ, peccat contra iuſtitiã.*

Dices II. cum eodem Coninch *ibid. diſp.* 28. *dub.* 2. *nu.* 11. Si vnaquæque virtus nos obligat, vt eius honeſtatem conſeruemus etiam in alijs, & contrarium vitiũ fugiamus; ſequeretur eum, qui quum facilè poſſit, non corripit furem, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. Sed contra eſt, quia ſequela eſt apertè falſa, & diſparitas palpabilis, quia aliud eſt, quòd tenear poſitiuè furem corripere; aliud quòd tenear non cooperari indirectè eius furto, nec præbere illi meo facto grauem occaſionem furandi. Ad primum nulla virtus præter caritatem, præciſo alio debito, vel officio, quenquam obligat. Ad ſecundum quælibet virtus obligat, etiam iuſtitia, vt paulò poſt fuſiùs monſtrabo.

C XXXIII. *Si indirecta inductio ad certam peccati ſpeciem nõ eſſet rea talis ſpecies, applicans ſcalam feneſtræ aſcendẽti ad furandũ, non peccaret cõtra iuſtitiã.*

Probo IV. quia certum ex communi Doctorum conſenſu eſt, eum, qui conſcius furti, vel homicidij imminentis, quod tamen directè non intendit, abſq; cauſſa legitima ſcalam applicat feneſtræ, per quam fur, vel homicida aſcendit, peccare lethiferè contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, vt ſupra *num.* 23. notaui. At ſi iuſtitia non vetat grauiter, ne quis alteri occaſionem proximam furandi, vel necandi præbeat (ſiue talis iuſtitia ſit eadem morali ſpecie, ac illa, qua in me actus contrarios ipſi deuito; ſiue diuerſa, nihil prorſus intereſt) nequit explicari, quomodo in dicto caſu applicans ſcalam feneſtræ peccet contra iuſtitiam. Sicut enim iuſtitia prohibet præberi alteri occaſionem furandi, ita etiam prohibet exhiberi abſque graui cauſſa materiam indifferentem abuſuro ad furtum, qualis eſt applicatio ſcalæ, de qua eadem ratio eſt, ac de occaſione proxima. Ergo quum per te Iuſtitia nõ prohibeat præberi alteri occaſionem, aut materiam indifferentem furandi, vel certè leuiter tantùm id vetet, applicans ſcalam in eo caſu non peccabit, ſaltem grauiter, contra iuſtitiam, quod eſt abſurdum, & a nullo Doctorum ſuſtinetur, vt eodem *nu.* 23. animaduerti. Ergo abſurdum eſt etiam id, vnde ſequitur. Ergo, ſicut in hoc caſu teneris explicare in confeſſione furtum, vel homicidium alterius, cui tu facto occaſionem, & materiam indifferẽtem abſq; iuſta cauſſa ſuppeditaſti; ita teneris etiam in cæteris ſimilibus caſibus exprimere in Confeſſione pariter fornicationẽ v. g.

alterius, cui tuo etiam facto occaſionem, vel materiam indifferentem præbuiſti; neque ſecus in his, quàm in illo, fornicatio alterius indirectè tibi eſt voluntaria; ſicut indirectè quoque volitum furtum alterius, vel homicidium; Eademque prorſus ratio tam in vno, quàm in reliquis caſibus militat, neque vlla diſparitas ſolida afferri poteſt.

C XXXIV. *Indirectè ſolùm inducēs ad malū, adhuc cauſſa moralis eſt peccati ſpecialis alterius.*

Confirmatur I. ex dictis, quia ſi tuo facto directè intendis alterum inducere ad fornicationem, peccas grauiter contra caſtitatem, debeſque id in Confeſſione manifeſtare, vt omnes Doctores ſtatuunt (quicquid ſit, an etiam contra caritatem, vel correptionem fraternam ſimul pecces) Ergo etiamſi directè non intendas inducere alterum ad fornicationem, ſed tamen præuideas eum ex tuo facto lapſurum, occaſionemque fornicationis a te abſque cauſſa iuſta ipſi præberi, quandoquidem facilè eam ſubtrahere potes, vt ſuppono; atque adeo etiam debes, vt certum eſt; indirectè es cauſſa moralis alienæ fornicationis. Conſequentia eſt legitima ex regula certa *num.* 20. tradita: quum enim poſſis, & debeas ſubducere occaſionem, ne alter non ſolùm non peccet grauiter in genere, ſed ne fornicetur etiam in ſpecie; niſi ſubducas, indirectè fornicatio alterius eſt tibi voluntaria, tuq; indirectè illius cauſſa moralis es: ac prinde in Confeſſione etiam teneris exprimere datam a te occaſionem fornicandi &c.

C XXXV. *Et magis interdum peccato alieno cooperatur, quā directè intendens illud.*

Confirmatur pręterea, quia ſi factū, vel dictum tuum non præbeat occaſionem fornicandi, niſi leuem admodum; tu tamen directè intendas eiuſmodi facto, vel dicto alterum inducere ad fornicandum, etſi pręuideas eum minimè conſenſurum; alio autem facto, vel dicto grauem fornicandi occaſionem ſine iuſta cauſſa præbeas alteri; quem certò proſpicis eſſe etiam lapſurum, tametſi id tu directè non intendis; certum eſt, te fornicationi alterius in ſecundo caſu, etſi tua intentio de ea fornicatione alterius ſit tantùm indirecta, cooperari multo magis, & eſſe moralem illius cauſſam multo magis, quàm in primo. nam quod fornicandi occaſionem præbet, non eſt tua intentio directa, vel indirecta in mente deliteſcens, ſed factum, vel dictum externum, vt ſupra *num.* 44. & 45. probaui: in ſecundo autem caſu ſuppono occaſionem grauem fornicandi a tuo facto, vel dicto præberi alteri, non vero in primo; vnde multo magis in ſecundo cooperatis fornicationi alterius, multoque magis cauſſa moralis illius indirectè es, quàm in primo. Ergo in ſecundo caſu etiam fornicatio alterius, vt ſpeciale vitium, ne dum vt peccatum, & malum in genere, imputatur tibi indirectè ad culpam, vt liquet. Ergo teneris in ſecundo etiam caſu exprimere alterius fornicationem in Confeſſione, etſi indirectè ſolùm ad eam inducis exteriùs, ne dum in primo eandem directè intendens.

C XXXVI. *Quod ſi indirecta inductio non repugnat particulari virtuti, nec etiam directa.*

Confirmatur III. quia ſi, quum alius tuâ fornicatione ad fornicandum, preter tuam directam intentionem, inductus eſt, non teneris exprimere in confeſſione fornicationem alterius, ſed tuam dumtaxat, & alterius peccatum mortale in genere tantùm; nec teneris etiam, licèt directè intendas, vt alter tuâ fornicatione ad fornicandum inducatur. Conſequens autem eſt euidenter falſum, & contra omnes planè Doctores, manifeſteque contra ipſummet Eminentiſſimum Theologum. Ergo & antecedens; Sequelam antecedentis probo; quia quum habitus caſtitatis, quo bonum caſtitatis

quis ſibimet vult, ſpecie morali diſtinctus ab eo habitu, quo quis alteri vult bonum caſtitatis, ponatur a Cardinali de Lugo, vt dixi, *diſp. 3. de pœnit. ſect. 2. num. 28. cit.* & ab alijs: quando aliquis directè intendit ſuâ fornicatione alterum ad fornicandum incitare, peccat grauiter contra diuerſam ſpecie caſtitatem, quàm quum ipſemet tantùm fornicatur ſine vlla intentione alienæ fornicationis, imò etiam cum efficaci deſiderio, ne quis ſua fornicatione ad fornicandum alliciatur. Ergo peccat etiam grauiter contra eandem diuerſam caſtitatem, quando alterum inducit indirectè ſolùm, ſuâ nempe fornicatione ad fornicandum. Conſequentia patet, quia ſi talis indirecta inductio non repugnat caſtitati ſpeciei diuerſę, non poteſt ratio aſſignari, cur eidem repugnet directa inductio. Eadem quippe eſt ratio directi, & indirecti, vbi adeſt debitum, & facultas aliquid agendi, vel omittendi, vt cuncti Doctores in 1.2. q. 6. tradunt, & iam ſupra *num.* 20. notaui. Ergo ſi teneris non inducere directâ intentione alterum ad fornicandum, teneris etiam abſtinere indirectâ quoq; inductione; vel ſi non teneris hanc indirectam vitare, nec teneris vitare directam; & ſi indirecta non repugnat caſtitati diuerſæ, neque etiam repugnat directa. At certiſſimum per omnes Doctores eſt, directâ inductionem alterius ad fornicandum repugnare caſtitati, & quidem grauiter. Ergo eidem caſtitati, nempe diuerſæ ſpeciei, repugnat quoque indirecta tantùm alterius inductio ad fornicandum, & quidem etiam grauiter, quum ſola ratio indirecti culpam de graui in leuem, aut repugnantiam grauem in leuem minimè mutet, vt ſupra *num.* 131. oſtendi: ac proinde in Confeſſione vtraque inductio, explicata ſpecie peccati, ad quam alterius quis vel directè, vel indirectè ſolùm induxit, neceſſariò aperienda eſt.

Probo V. quia, ſi qui facto vel dicto præbet ſine cauſſa iuſta grauem occaſionem proximo blaſphemandi v. g. vel fornicandi, nullo modo peccat contra religionem aut caſtitatem; neque religio, vel caſtitas grauiter prohibet dari a me talem occaſionem alteri, ſed caritas dumtaxat generalis, vel correptio fraterna, aut miſericordia id grauiter vetat; ſequeretur, ſi quis, ex probabili Doctorum opinione negante concluſionem, quæ ex duabus præmiſſis reuelatis deducitur, eſſe de fide; vt videre eſt apud Cardinalem de Lugo *diſp. 1. de fide ſect.* 13. §. 2. in confertiſſima concione dicat, probabilem eſſe ſententiam aientem non eſſe de fide Chriſtum fuiſſe, aut eſſe riſibilem; præuidens ex tali ſuo dicto omnes auditores, & integros populos lapſuros præter ſuam intentionem in hæreſim, credituroſque Chriſtum nõ eſſe, aut fuiſſe hominem, quia dè fide non ſit, eſſe riſibilem iuxta probabilem opinionem; ſed tantùm Theologicâ veritate id conſtet, ſequeretur, inquam, hunc nihil peccare contra fidem, ſed tantùm contra caritatem, ſatisfacereque, ſi in confeſſione explicet dumtaxat occaſionem peccandi grauiter, pluribus alijs a ſe datam. Conſequens verò eſt planè falſum, abſonumque. Ergo & antecedens. Sequela maioris ad hominem eſt ineluctabilis, quia, ſi per te caſtitas, quæ me obligat ad vitandam luxuriam, & huius occaſiones proximas, non me obligat ad ſubtrahendam proximo probabilem, proximamq; occaſionem luxuriandi, ſed ad hoc ſola caritas me adigit; neque fides, quæ me obligat ad cauendas oppoſitas hæreſes, & harum occaſiones proximas; obligat me

C XXXVII *Nec indirecta inductio ad hæreſim, religioni opponeretur, nec contra fidẽ peccaret.*

ad ſubtrahendas proximo occaſiones proximas hæreſium, ſed ſola caritas me ad hoc cogit, vt ex paritate rationis, & caſus manifeſtum eſt. Ergo ſi in tali caſu fides non obligat, non poteſt peccare contra fidem, qui e ſuo dicto cernit plurimos lapſuros in hæreſim, nec tamen eo dicto, quod facilè poteſt omittere, abſtinet, ſed contra caritatem ſolùm delinquit, adeoque ſat eſt, vt in confeſſione dicat, a ſe datam pluribus occaſionem grauiter peccandi. Nullam quippe diſparitatem hîc ſomniare licet. Minor etiam eſt, vt puto, extra controuerſiam, quia tribunal Inquiſitionis hunc omnino puniret tanquam reum violatæ fidei diuinæ indirectè, non ex ſola præſumptione, ſed ex indirecta cooperatione hereſi aliorum. Eodem etiam modo ſi quis magnus Dynaſta rebellet contra ſuum Regem, præuidens ſuo prauo exemplo præter ſuam intentionem contra eandem pariter integram prouinciam rebellaturam; præter ſuum peccatum infidelitatis ob rebellionem propriã, peccat etiam contra fidelitatem ſpecie morali vtrunque diſtinctam, ob indirectam cooperationem rebellioni aliorum e ſuo exemplo ſecutæ, vt ex dictis neceſſariò deducitur. Vnde prima conſequentia eſt in confeſſo: ac propterea fatendum eſt, peccatum hæreſis, ad quod quis indirectè ſolùm etiam inducit, in confeſſione eſſe detegendum; eandemque rationem tenendã in ſimili inductione aperienda.

C XXXVIII. *Quorũ omnium aſſignatur ratio a priori.* Ratio autem horum omnium a priori illa eſt, a Vazquez, vt ſupra retuli, indicata; quia quælibet virtus prohibet, *ne occaſionem alteri præbeamus peccandi in eadem materia*. Eſto autem, vt docet Cardinalis de Lugo, ſit ſpecies virtutis moraliter diuerſa ea, qua volo v. g. caſtitatem mihi, ab illa, qua volo caſtitatem alteri, ſintq; huiuſmodi duæ caſtitates ſpecie morali diſtinctæ inter ſe. At ſicut prior caſtitas obligat me ad vitandam non ſolùm libidinem, ſed libidinis etiam occaſiones proximas mihi; ita poſterior caſtitas, etſi non me obligat ad procurandam poſitiuè caſtitatem alteri, obligat tamen me negatiuè, ne alios ſeu directâ intentione, ſeu indirectè tantùm, facto, vel dicto, oblataue occaſione, vel materia indifferente, ad libidinem inducam: ſeu, ne alios directè ad luxuriam incitem, neue alijs occaſiones proximas luxurianui præbeam, atq; ita indirectè eos ad libidinem impellam. Ergo qui abſq; vrgenti cauſſa dat alijs occaſionem luxuriandi, etſi non peccat contra priorem caſtitatem, adhuc tamen peccat contra ſecundam, & poſteriorem caſtitatem, teneturque in confeſſione hanc culpam manifeſtare, dicendo, dedi occaſionem violandæ caſtitatis alteri. Quod enim vna caſtitas ſpecie morali ab altera differat, nihil prorſus quantum ad obligationem vtriuslibet confitendæ refert, quum neceſſe non ſit iſtas ſubtilitates Theologicas, & ſpecies atomas in confeſſione diſcriminare, ſed ſufficiat indicare genericam caſtitatem, quæ vtramque illam ſpeciem continet. Ex quibus nullo negotio diluo cuncta, quæ ſupra ex Cardinali de Lugo obduxi.

Segmentum III.
Difficultates allatæ expediuntur.

IN primis principalis illa ratio *num.* 119. ſupra ab eodem eminentiſſimo Theologo allata minimè efficax eſt, neque concludit, quia quælibet virtus licèt me non obliget ad poſitiuè procurandum, vt alij eandem amplectantur, obligat tamen me negatiuè, non ſolùm, ne alios ab illa directè C XXXIX. *Æquiuocatio diſſlatur.*

retraham,

retraham, ſed etiam ne occaſionem grauem ab eadem deflectendi alijs præbeam; quod nunquam idem Theologus impugnauit. Fateor equidem vltro etiam, non peccare vllo modo contra caſtitatem eum, qui proximi luxuriam non impedit, etiamſi poſſit, illum corripiendo: ſed tantùm contra caritatem. At longè diuerſus caſus eſt, impedire poſitiuè alterum, ne luxurietur; ac dare alteri occaſionem luxuriandi: ad illud enim nulla caſtitas obligat, ſed tantùm caritas; ad hoc verò obligat vtique caſtitas illa, quæ vetat dari talem occaſionem luxuriandi alteri. Eademque ratio eſt etiam de iuſtitia, quæ non obligat ſanè me (præciſo alio debito) ad impediendа aliorum furta poſitiuè; ſed tamen obligat me negatiuè, ne alijs præbeam poſitiuè occaſionem grauem furandi, quam ſi præbeo nihilominùs, pecco ſine dubio contra iuſtitiam, vt ſatis ſupra declaraui, ac probaui.

CXL. *Reuinciturq; palàm.* Confirmo hoc ipſum ad hominẽ, vt mihi videtur, manifeſtiſſimè; quia idemmet Cardinalis de Lugo, qui ſententiam oppoſitam fulcire operosè ſtuduit, eadem *diſp.* 14. *de pœnit. ſect.* 10. *num.* 150. diſertè fatetur, *ex obligatione vitandi peccatum ſequi videri obligationem vitandi ea, quæ tali neceſſitate ſecum trahunt peccatum, ſaltem quando moraliter poſſumus eas occaſiones vitare*. Et infra *num.* 157. *ibid.* refellens Ioannem Sanchez, dilucidè ſcribit: *Obligatio enim non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter, cui obligationi non ſatisfacit, qui, quum poſſit, non vult relinquere occaſionem proximam*. At certum eſt eum, qui furtum v. g. directè, vel indirectè etiam dumtaxat vult, exponendo ſe proximæ occaſioni furandi, peccare contra iuſtitiam, & teneri in confeſſione exprimere talem ſpeciem peccati, cuius occaſioni proximæ temerè ſe expoſuit, licèt ſic furtum indirectè ſolùm intendat. Ergò ſicut qui alterum directè ad furandum inducit, ſecundùm omnes peccat contra iuſtitiam, ne dum contra caritatem, debetque hanc ſpeciem delicti in confeſſione explicare: ita etiam qui ſuo furto v.g. dat alteri proximam occaſionem furandi, etſi eius furtum non intendat directè, ſed indirectè tantùm, peccat item contra iuſtitiam; debetque talem peccati ſpeciem in confeſſione aperire: eademque ratio eſt, quum proximum directè inducit, vel indirectè ſolùm, occaſione proximâ ſuppeditatâ, ad luxuriam, ad blaſphemiam, ad hæreſim, & ad cætera peccata: idque idem Theologus eminentiſſimus iure inficiari non poteſt. Conſequentia eſt plana, quia quilibet obligatur abſtinere directa inductione proximi ad peccatum mortale, vt indubitatum eſt. At ſicut per eundem Cardinalem *obligatio non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter*: Et quiſque tenetur non inducere directè proximum ad peccatum mortale: ita talis obligatio non inducendi directè alterum v. g. ad laſciuiam affert ſecum obligationem ſubtrahendi illi periculum proximum laſciuiæ, vt ex dictis verbis Theologi præſtantiſſimi clarè deducitur. Ergo ſi quis tale periculum alteri, quum facilè poſſit, non ſubtrahit, peccat omnino contra caſtitatem, & ita in alijs caſibus contra alias particulares virtutes, teneturque in confeſſione ſpecies oppoſitorum delictorum manifeſtare. Hinc.

Ad I. confirmationem nego rotundè antecedens. Nam, etſi quis non teneatur ex obligatione iuſtitiæ im- CXLI. *Licèt correctio*

pedire

nō obliget, niſi ex caritate, ſecus tamen eſt de occaſione peccādi ſubtrahenda.

pedire poſitiuè malum proximi ſpirituale, ſed ſolùm ex caritate, vt corripiendo illum, tamen tenetur etiam ex obligatione particularium virtutum negatiuè, ne cuiquam det occaſionem in vlla earum materia peccandi, adeoque licèt non teneatur impedire poſitiuè v. g. luxuriam alienam, tenetur tamen negatiuè, ſubtrahendo videlicet alijs occaſionem eius, ne ipſe vllam huiuſmodi præbeat. Vnde ſi antecedens de obligatione impediendi poſitiuè tantùm intelligatur, facile illud concedo. Sed nego tum conſequentiam, quia adhuc vrget obligatio explicandæ virtutis particularis alienæ, cuius quis violandæ immeritò dedit occaſionem, vt iam oſtendi.

Ad probationem verò conſequentiæ concedo, peccata oppoſita caritati erga proximum, non variari ſpecie pro diuerſitate ſpecificâ mali, quod proximo afferunt; atque adeo qui correctionem proximi omittit, ad quam ex officio non tenetur, non teneri explicare in confeſſione ſpeciem peccati, quod per correctionem illi vitandum erat, Secus tamen eſt, quando abſque cauſſa poſitiuè das grauem occaſionem alijs violandi particulares virtutes, quam debes omittere: ac proinde ſi non omittis, teneris talem culpam contra quamlibet earum in confeſſione aperire, vt ſupra monſtraui.

CXLII. *Si prauo tuo exēplo inducis indirectè aliū ad furandum, peccas quidem etiam contra iuſtitiā,*

Ad II. Confirmationem nego ſequelam. Quanquam enim, ſi conſilio, vel mandato cauſſa fuiſti alieni damni, vt furti, vel homicidij, non ſolùm peccaſti contra iuſtitiam, ſed etiam teneris ad reſtitutionem, quia tunc directè cooperatus fuiſti furto, vel homicidio. Item, ſi ſubminiſtraſti materiam, vt gladium, ſcalam, aliamque actionem furto, vel homicidio concurrentem abſque iuſta cauſſa, vt tradunt Valentia, Sotus, Aragon, Salon, Bannez, Ledeſma, Carbonius, & Manuel, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 7. n. 19.* conſentitque Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 3. num. 2.* Secus tamen, ſi ſolùm prauo exemplo ad furtum indirectè alium induxiſti; licèt enim peccaris contra iuſtitiam, non tamen teneris ad reſtitutionem; quia tale iniuſtitiæ crimen non perfectum, ſed imperfectum, & reductiuum eſt; neque is, cui damnum illatum eſt, habet ius te obligādi abſtinere ab actione, ex qua alius tertius ſumit occaſionem malum inferendi: peccas tamen contra iuſtitiam, quia ad hoc peccatum ſufficit, ſi indirectè malum proximi intendas, ſeu occaſionem illius dederis: ſicuti, ſi abſque cauſſa iuſta induceres aliquem, vt tibi ſub vſuris mutuum daret, peccares ſanè contra iuſtitiam, (quicquid reclamet Salas *loc. cit.* omnino fruſtra) non quia tibi facias iniuriam, nemo enim ſe lædere poteſt, vt inquit Philoſophus *lib. 5. Ethic cap. 6.* ſed quia es occaſio, vt alius tibi faciat; at non teneris reſtituere, quia tibi obligari non poteras. Ergo bene poteris prauo exemplo contra iuſtitiam peccare, quin obligeris reſtituere. Ita Caſtro Palao *loc. cit.* cum Vazquez 1. 2. *tom. 1. diſp.* 102. *cap. 7. num.* 21. Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 6 num. 5.* Suarez *de Carit. diſp.* 10 *ſect. 2. num.* 10. Bonacina *de Reſtitut. diſp. 1. q. 2. & diſp. 2. de peccatis q. 4. §. vnico num.* 40. & alij. Neque obſtat Ariſtoteles *loc. cit.* negans eiuſdem ad ſeipſum eſſe iuſtitiam, quia nemo ſe lædere poteſt: nam, vt bene Vazquez *loc. cit.* ita hoc intelligendum eſt, vt nemo in ſeipſum peccet contra iuſtitiam, inferendo ſibi damnum per ſeipſum; non tamen repugnat aliquem

ſed tamen nō teneris ad reſtitutionē.

Nec obeſt Philoſophus

peccare

peccare contra iuſtitiam in ſeipſum, & criminis iniuſtitiæ reum eſſe, dando alteri occaſionem, vt ſibi inferat iniuriam. Qui autem alterum inducit, vt inductus ſeipſum occidat, vel qui occidit petentem ſe ab eo occidi, peccat etiam contra iuſtitiam, vt rectè probat Salas *num.* illo 134. ſupra relato.

CXLIII. *Redditurque clarum diſcrimen.* Sed confirmo inſuper allatam doctrinam, ac diſparitatem ex differentia notabili, quæ inter furtum ex ſola occaſione alieni furti factum, & furtum per ſcalę adminiſtrationem commiſſum, intercedit. Nam in illo caſu ſcala ipſa, etſi natura ſua indifferens, ſicut ipſa etiam adminiſtratio, concurrit proximè, & phyſicè, ad furtum, atque in id verè, realiter, & phyſicè influit; malum verò exemplum tui furti, etſi hinc alterius furtum oriturum præuidens, nec tamen intendens, indirectè hoc etiam velle cenſeris; ſicut etiam indirectè vult furtum, qui ſcalam ſine iuſta cauſſa furi exhibet; adeoque furtum tuum in furtum alterius moraliter influit, & quidem proximè, vt proxima occaſio, quod ſatis eſt ad iniuſtitiæ reatum incurrendum; nihilominùs non influit in id realiter, & phyſicè; nec phyſicè concurrit proximè, ſed ad ſummum remotè; imò nec remotè, loquendo de concurſu phyſico; neque eſt inſtrumentum furti alieni, vt eſt ſcala ſuppeditata furi: ac proinde quum in ſecundo caſu imperfecta tantùm iniuſtitia adſit; in primo autem perfecta; in hoc teneris reſtituere, in illo nequaquam. Quanquam autem, qui conſilium furandi dat, non eſt niſi cauſſa moralis ſecuti furti, tamen ad reſtiturionem idcirco tenetur, quia directè vult furtum alterius, & damnum tertij, eidemque non ſolùm cooperatur vtcunque, ſed etiam Auctorem ſe præbet; ſecus autem de eo eſt, qui indirectè tantùm illius cauſſa moralis eſt, imperfectéque iuſtitiam violat. Quod validè præterea oſtendo ad hominem. Nam quum quis furatur, directè intendens alium inducere ſuo furto ad furandum; certum eſt ex omnibus Doctoribus, etiam Cardinali de Lugo aſſentiente, & approbante, eum peccare contra iuſtitiam, tenerique in confeſſione talem ſpeciem iniuſtitiæ, ad quam voluit inducere, explicare; & tamen conſtat, eodem quoque Cardinali annuente, non obligari ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia in hoc caſu furans, licèt præbeat occaſionem alieno furto, non eſt tamen cauſſa efficax eiuſdem furti; intentio enim interna furti alieni non influit efficaciter in idem furtum, vt liquet; proprium verò furtum non eſt eiuſdem furti alieni cauſſa efficax, qualis eſt conſulens, vel mandans, vel exequens, ſed occaſio dumtaxat, quæ non eſt efficax illius cauſſa, ſed inefficax ſolum, & imperfecta. Ergo non repugnat peccari contra iuſtitiam etiam exteriùs, & tamen non oriri inde obligationem reſtituendi ſecuto damno. Nam furtum externum ordinatum, & intentum directè ad furtum alienum alliciendum, aduerſatur exteriùs aliquo ſaltem modo iuſtitiæ prohibenti, ne procurem, quòd alius furetur. Ergo etiam quum quis furando non intendit niſi indirectè alienum furtum, licèt peccet contra iuſtitiam, vt probaui; adhuc tamen non tenetur ad reſtitutionem damni, quia non eſt cauſſa efficax illius, ſed inefficax tantùm, & imperfecta, occaſio dũtaxat, & non vera, & perfecta cauſſa. Imò multo minùs tenetur etiã per te in ſecũdo caſu reſtituere, quàm in primo, quum in hoc intentio furti alieni indirecta ſolùm, in illo autem directa interueniat.

Neque

C XLIV. *Duplex temperantia, & caſtitas.* Neque vrget, quod obijcit Salas *loc. cit.* temperantiam, cuius pars eſt caſtitas, non eſſe ad alterum, ſed ad ſeipſum; alioqui in Angelis bonis eſſet caſtitas, & in malis luxuria: nam diuerſa moraliter ſpecies caſtitatis, & temperantiæ eſt, quæ procuratur alijs, obligatque, ne poſitiuum impedimentum exercendæ talis virtutis, vel poſitiua occaſio illius amittendæ alteri objiciatur, ab ea, qua talis virtus a quouis ſibi comparatur, vt ſupra indicaui; taliſque caſtitas vtique in Angelis bonis eſt, quia nos ad caſtitatem alliciunt, & occaſiones huius perdendæ a nobis arcent; contra verò luxuria in Dæmonibus, quia nos ad luxuriam incitant, occaſioneſque, luxuriandi operosè ingerunt.

CXLV. *In ſcandalo indirecto duplex virtus violatur.* Quod verò ad vnam, alteramue malitiam attinet, exiſtimo ego cum Suarez *diſp.* 10. *de carit. ſect.* 2. *num.* 10. Lorca *diſp.* 56. *cit. num.* 10. & alijs probabilius eſſe, in ſcandalo, etiam indirecto, duplicem exiſtere; vnam quidem vitij particularis, vt luxuriæ, ad quam proximus indirectè quoque inducitur; alteram autem peccati generalis contra bonum ſpirituale proximi; illam aduerſari virtuti particulari oppoſitæ, vt caſtitati; hanc caritati generali erga proximum, vel miſericordiæ, vel beneficentiæ, vel correptioni fraternæ: In ordine autem ad Confeſſionem ſatis eſſe, ſi exprimas ſpeciem peccati, cuius occaſionem abſque iuſta cauſſa præbuiſti. Nam virtus particularis caſtitas obligat te ad non conijciendum proximũ in grauem occaſionem eius amittendæ, vt pateſeci: caritas verò &c. tanquam virtus generalis obligat te ad non dandam eiuſmodi occaſionem, & ita ad vitandum proximi peccatum, non ſanè quatenus luxuria v.g. & huius occaſio caſtitati opponitur (id quippe cauet maxime eadem virtus particularis, nempe caſtitas) ſed quatenus tantùm talis occaſio, & peccatum, quod caſtitati repugnat, nimirum luxuria, cedit in damnum ſpirituale proximi. Sed in Confeſſione dum ais, datam a te grauem occaſionem luxuriæ proximo; ſufficienter indicas etiam malitiam cõtra caritatem fraternam, quum huiuſmodi generalis malitia oppoſita caritati proximi ſatis in quolibet vitio particulari contra caritatem proximi intelligatur. Dum enim fateris datam ſine cauſſa iuſta a te occaſionem luxuriæ alteri, hoc ipſo manifeſtas, te fuiſſe indirectè cauſſam moralem alienę luxurię, & conſequenter etiam ſpiritualis damni, ac ruinæ proximi, quod tanquam genus in ſpecie ſatis in ipſa luxuria percipitur, atq; exprimitur.

C XLVI. *Coninch immeritò arguitur incõſequẽtiæ a Cardinali de Lugo.* Deniq; Cardinalis de Lugo ea *diſp.* 16. *de Pœniten. ſect.* 4. *num.* 159. arguit inconſequentiæ Coninch, ipſumq; ſuæ opinioni neceſſariò adhærere probat ex eo, quia 2. 2. *diſp.* 32. *dub.* 5. *num.* 56. decernit, explicandam ſpeciem peccati, ad quod proximus inducitur, eo quòd eſt circumſtantia aggrauans intra eadem ſpeciem ſcandali; ac proinde cogi ipſum fateri, nõ eſſe eam ſpeciem peccati, ad quod proximus inducitur, in ſententia negantium tales circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem eſſe confitendas, vlteriùs exprimendam. *Circumſtantia vni opinioni aggrauãs, alteri eſt mutans ſpeciẽ; nec miſceri debet.* Sed contra eſt, quia illatio deducta ab Eminẽtiſſimo Theologo nequaquam tenet, neq; Coninch in ſuas partes trahit. Nam etſi Coninch ſpeciem peccati, ad quod proximus inducitur, neceſſariò exprimendam ſancit, quia ſit circumſtãtia aggrauans intra eandem ſpeciem; hinc tamen non ſequitur, poſſe diſſimulari in ſententia negantium tales circumſtantias aggrauantes

intra eandem ſpeciem eſſe detegendas. Vt enim optimè notauit Suarez *de pœnit. tom. 4. in 3. par. diſp. 22. ſect. 3. num. 13.* & cum eo pleriq; alij, cauendum maximè, ne duæ opiniones probabiles, altera aiens, altera negans, huiuſmodi circumſtantias aggrauantes eſſe fatendas, mutuò miſceantur, atq; ex ijs aliquid omnino improbabile, atq; ab vtraq; ſententia reiectum inferatur. Quippe inter Auctores in Concluſione ſæpe nulla eſt diuerſitas, etſi in principijs ſummopere diſcrepent. Ex eo namque quod aliqua circumſtantia iudicium morale notabiliter variat, fatentur Doctores vtriuſq; ſententiæ eſſe confitēdam, quamuis ex diuerſis principijs; hi, quia notabiliter aggrauat, & mutat iudicium; illi, quia ſpeciem mutat. v. g. inceſtus cum Matre, circumſtantia eſt neceſſariò manifeſtanda ex conſenſu Doctorum vtriuſq; opinionis, ſed vna opinio putat hanc circumſtantiam notabiliter ſolùm aggrauare, altera autem mutare ſpeciem, vel addere ſpecificam malitiam. Iam ſi quis ab vna ſententia maiorem, ab alia verò minorem hoc pacto ſumeret: *Circumſtantia ſolùm notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem non eſt confitenda, vt docet prior ſententia; Sed inceſtus cum matre eſt circumſtantia notabiliter ſolùm aggrauans, vt docet poſterior ſententia. Ergo non eſt confitenda*: is per huiuſmodi ratiocinationem deduceret concluſionem falſam in vtraq; ſententia, nempe circumſtantiam matris inceſtatæ non eſſe exprimendam, vt egregiè animaduertit Franciſcus Picolomineus vir doctiſſimus, & olim Theologiæ profeſſor Romæ, ac magiſter meus *in tractatu de pœnit. quæſt. 7. art. 10. num. 5.* Vnde Suarez *loc. cit.* diſertè, ac ſapienter pronuntiat, *quamuis hæ duæ ſententiæ in communi aſſertione multum inter ſe differant, deſcendendo tamen ad particulares caſus, ſeu circumſtantias non multum diſcrepare.* Atqui hoc ipſo prorſus incommodo laborat illatio Cardinalis de Lugo ſupra adducta contra Coninch. Nam etſi is inductionē ad peccatum ſpeciemque peccati, ad quam quis etiam indirectè ſolùm inductus eſt, confitendam vult, quia ſit circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem; perperam tamen hinc infertur, cogi eum concedere non eſſe eam confitendam iuxta oppoſitam ſententiam negantium circumſtantias tantùm aggrauantes eſſe explicādas: hæc enim ſentētia eiuſmodi inductionem, etiam indirectam dumtaxat non habet pro circumſtantia ſolùm aggrauante, ſed pro circumſtantia mutante ſpeciem, ſeu pro malitia ſpecificè diuerſa. Vnde Vazquez, & alij, qui circumſtantias tantùm aggrauantes inficiantur eſſe fatendas, aſſerunt tamen inductionem etiam indirectam, & ſpeciem peccati, ad quam indirectè quoq; aliquis inductus eſt, eſſe manifeſtandam, vt ſupra *num. 126.* & 127. vidimus: ac proinde illatio illa contra Coninch nulla planè eſt.

CXLVII Opponit præterea idem Cardinalis eo *num. 150.* eidem Coninch, quia licèt demus debere explicari circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem: hæc tamen circumſtantia non eſt ſemper notabiliter aggrauans; ſed aliquando notabiliter diminuens, quum nempe proximus inducitur ſcandalo alterius indirectò ad minimum peccatum mortale. At neq; id incommodat ipſi Coninch, qui grauitatem circumſtantiæ a grauitate peccati particularis intra eandem ſpeciem, ad quod proximus inducitur, nequaquam metitur, quum talis grauitas materialiter hîc ſe habeat; ſed à di-

Fruſtra rurſum idē Coninch impugnatur.

Grauitas enim circumſtantia fatenda eſt etiā in minimo peccato mortali.

diuerſitate ſpecifica, quæ etiã in minima ſpecię peccati mortalis exiſtit. Ait enim *diſp. 32. dub. 5. num. 56. cit. quia varia peccata diuerſiſſimè caritati Dei, et proximi repugnant: Cõfeſſarius nõ ſatis ipſius ſcandali grauitatem, ſiue malitiam intelliget, niſi pœnitens explicet ſpeciem peccati, ad quod alterũ induxit.*

C XLVIII *Neque tamẽ in omiſſione correctionis fraternæ ſunt explicandæ ſpecies peccatorũ, quæ correcta nõ ſunt.*

Denique obijcit idem Cardinalis *ibid.* eidem Coninch, ſi ideo explicanda eſt ſpecies peccati alieni ex meo orti, quia aggrauat meum ſcandalum; eodem modo in omiſſione correctionis fraternæ fore explicandas ſpecies peccati, quod in proximo meo non corrigo, quum etiam maior grauitas illius peccati magis aggrauet omiſſionem correctionis. Vnde ſi omittas correctionem hominis varijs vitiorum generibus obruti, deberes in confeſſione explicare omnes ſpecies peccatorum, quæ ille habet. Sed contra eſt I. quia huiuſmodi obiectio non tàm ipſum Coninch ſingulariter, quàm cæteros omnes Doctores, qui circumſtantias aggrauantes tantùm in eadem ſpecie exponendas in confeſſione probabiliſſimè iudicant, oppugnat, vt liquet. II. Hæc quoque oppugnatio qualiſcunque, ab iiſdem Doctoribus non operosè ſoluitur. Negatur enim ſequela, quia grauitas peccatorum, quæ opponuntur caritati erga proximum, non variatur ſpecie pro varietate ſpecifica illius mali, quod proximo afferunt, vt probat idem Cardinalis de Lugo *ibid. num.* 154. & ſupra iam tetigi: & in omiſſione correctionis fraternæ materialiter prorſus ſe habet, vt idem Theologus *ibid.* fatetur: vtcunque autem aggrauet, Auctores huius ſententiæ negant notabiliter aggrauare, atque adeo neque confitendam exiſtimant. Secus verò eſt de indirecta inductione v. g. ad furtum, cui occaſio poſitiuè data eſt, & formaliter ex parte operantis ſe habet, ac tenet, ſemperque, quoties cauſſa iuſta excuſans deeſt, notabiliter aggrauat. Quocirca nihil eorum, quæ obducit idem Cardinalis, reuera ipſi Coninch officit.

Nihilominùs ego eundem Coninch neſcio a manifeſta contradictione vindicare. Nam ea *diſp. 32. dub. 5. num.* 46. diſertè affirmat eum, qui ſine iuſta cauſſa dat alteri ſponte occaſionem delinquendi lethiferè, quum peccatũ alterius directè nõ intendit, peccare tantùm contra caritatẽ, non autem contra aliam virtutem particularem: infra verò *num.* 56. palàm docet: eum, qui induxit alium ad peccandum, etiam præter ſuam intentionem directam, ſed indirectè ſolùm ipſis verbis, vel factis, *teneri exprimere in confeſſione, ad quod peccatum ipſum induxerit.* Neque enim ad id teneretur, niſi ipſe, qui tali peccato dat occaſionem, contra oppoſitam virtutem aliquo modo, & quidem grauiter delinqueret, vt ſupra iam ſatis probaui. CXLIX *Contradictio Coninch notatur.*

Poſtremò Suarez ea *diſp. 10. de carit. ſect. 2. num. 9.* a Cardinali de Lugo pro ſua opinione adductus, tanquam qui eam referat, neque improbet; ita *num.* 10. immediatè poſt ſubijcit. *Poſſumus reſpondere affirmatiuè, & admittere omnes ſequelas, quia non facilè intelligitur, aliquem eſſe cauſſam moralem aliqua ratione actus, v. g. intemperantiæ in proximo, & non contrahere inde malitiam intemperãtiæ:* moxque reſpondet omnibus obiectis: vnde non obſcurè priorem modum reſpondendi negantem diuerſas malitias in dicto caſu videtur reijcere. CL. *Suarez p ſecunda tantùm ſententia eſt.*

Quamobrem, quum ſpeciem peccati alieni, ad quod quis indirectè etiam tantummodo proximum induxit, neceſſario in confeſſione eſſe explicandam tam multi, graueſque Do- CLI. *Quam certũ eſſe videtur.*

ctores decernant, totque, ac tam validæ rationes ſupra a me allatæ idem perſuadeant: pro contraria autem opinione ſolum Nauarrum, qui hanc ſupponit vtcunque, ſed nullo argumento confirmat; nec non Salas, & Cardinalem de Lugo, ſtare cernam; fundamentum verò oppoſitum æquiuocationi apertæ, non diſcriminanti obligationem abſtinendi a poſitiuo obſtaculo alienæ virtutis ab obligatione poſitiuè procurandi virtutem proximi, obnoxium animaduertam; vt ſupra oſtendi; non audeo equidem a cõmuni ſententia diſcedere, ſubſcriboque Caſtro Palao ſupra *num.* 127. relato aſſeueranti: *ſibi videri pro certo habendum te peccare illa ſpecie peccati, qua peccat is, cui malum exemplum prabes*; & conſequenter talem ſpeciem exprimendam eſſe in confeſſione. Idem quippe & ego omnino arbitror.

§. X. *Quæ ſit occaſio peccandi remota, & quænam proxima.*

QVoniam actiui ſcandali malitia in occaſione ruinæ ſpiritualis, ſiue peccandi, alteri præbendâ, ſita eſt, vt antea patefeci; ſicut de ſcandalo iam ſatis pro meo inſtituto diſceptaui; ita nunc reliquum eſt, vt pro eius complemento, de occaſione etiam delinquendi nonnulla perſpicuo in lumine collocem.

Segmentum I.
Definitio occaſionis proximæ.

CLII. Occaſio peccãdi proxima, e qua vix ſine peccato raui

ORdior ab occaſione proxima, ex qua mox de remota conſtabit ſine controuerſia. Martinus Nauarrus *in Manuali, cap. 3. num. 5. littera A, in fine* quærens, quænam ſint occaſiones propinquæ; ingenuè fatetur *malle ſe audire alium optimè reſpondentem, quàm reſpondere. Quia nemo, quem viderim, id pro dignitate definit: & ſufficiens eius determinatio eſt difficilis.* Mox verò infra, *littera D.* ſic pronuntiat: *Occaſio propinqua (a qua neceſſariò ſe debet abſtinere pœnitens, & ſtatuere ſe nunquam ea vſurum, vt abſolui poſſit) eſt omnis illa, & ſola, quæ eſt peccatum mortale, aut talis occaſio peculiaris, qua credit, aut debet credere confeſſarius, vel pœnitens nunquam, vel rarò ſe vſurum ea ſine peccato mortali, bene perpenſis eius circumſtantijs.* Quam Nauarri definitionem, ſeu deſcriptionem aliqui deinde Doctores reipſa amplexi ſunt, occaſionem propinquam, ſeu proximam eam ſtatuentes, *quæ ſemper ferè ad peccandum impellit, aut qua homo nunquam, aut rarò ſine peccato mortali vtitur*, quemadmodum cenſent Ludouicus Beia *par. 2. caſu 3.* Reginaldus *de officio pœnit. cap. 4. ſect. 1. num. 5.* Bonacina *de Matrimonio q. 4. punc. 14. num. 11.* Graffis *lib. 1. Deciſion. cap. 28. num. 4.* & Layman *lib. 5. Theol. tract. 6. cap. 4. num. 9.* addens eam talem videri, quam *ſpectatis omnibus circumſtantijs, difficulter, & vix aliquis euitaturus putatur.* Cardinalis de Lugo *de pœnit. diſp. 14. ſect. 10. num. 150.* vbi numero præcedenti communem definitionem, quam mox ſubdam, retulit; continuò monet ab *alijs addi, occaſionem proximam eſſe, qua nunquam, vel ferè nunquam vtitur homo conſideratis circumſtantijs abſque peccato nouo, vt qui detinet concubinam domi, rarò, vel nunquam deſinet cum illa peccare oblata occaſione.* Quod totidem ferè verbis, deſcribit etiam Thomas Tamburinus *lib. 3. Methodi expeditæ confeſſionis, cap. 3. §. 1. num. 2.* *aliquis eu audit. ſola cẽſenda.*

CLIII. Imò illa quoq;

Alij verò Doctores eam quoque occaſionem propinquam, ſeu proximam

in qua quis frequenter peccat mortiferè, vel probabile periculū ſic peccandi adit, vel præbet.

mam exiſtimant, vnde probabile lethaliter delinquendi periculum exiſtit. Silueſter *verbo, occaſio*, talem eſſe decernit: *quando ſine cauſſa quis dat occaſionem talem, ex qua probabiliter credit aliquem inde peccaturum mortaliter*. Eodem recidit etiam Suarez *tom. 4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 2. num. 4.* ſanciens; *ad iudicandum, quòd aliqua ſit moralis occaſio proxima, neceſſarium eſſe, vt vel ex ſuo genere talis ſit, quæ frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum; vel certè vt experimento conſtet in hoc homine habere talem effectum*. Idem tradit quoque Corduba *in Summa, quæſt. 4. pag. 19.* quem refert vnà cum Suarez *loc. cit.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 8. num. 1.* ſequiturque totidem omnino verbis; tum Coninch *de pœnitentia, diſp. 8. dub. 17. num. 134* Ludouicus Lopez *par. 1. inſtructorij, c. 20. verſ. vndecima propoſitio*. Tannerus *Tom. 3. diſp. 6. quæſt. 3. dub. 5. & tom. 4. diſp. 6. quæſt. 9. nu. 106.* & Ioannes Præpoſitus *in 3. par. de Pœnit. quæſt. 10. dubio vnico, num. 2.* ex Suarez, quem adducit, ac probat. Adſtipulatur etiam Cardinalis de Lugo *loc. cit. num. 149. verſ. Supponendum itaq; eſt*; nec non Thomas Tamburinus *loc. cit. num. 1.* Hoc ipſum ſentit quoque Caietanus *in Summa, verbo, Periculum peccandi*, vbi quum negaſſet eſſe ex ſuo genere mortale *ire ad locū, vbi eſt periculū peccandi mortaliter propter aſpectū, perſuaſiones &c.* ſtatim ita excipit: *Ex conditione verò perſonæ fragilis menſurare ſe tenetur, qui fragilitatis propriæ conſcius dubitat de caſu. Etſi experientia teſte didicit ſe non ſubſiſtere in huiuſmodi, ſed ſtatim, aut quaſi ſtatim cadere, nulla neceſſitate vincatur. vt illuc eat &c.* ac proinde pro hac ſententia producitur a Tannero *loc. cit.* & a Lopez *loc. cit.* priuſque ab Armilla, *verbo, periculū*, vbi mortale eſſe pronuntiat, *quum quis eò it, vbi eſt periculum peccandi mortaliter, & timet peccare, vel propter aſpectum, vel perſuaſiones &c.* Etſi autem mortale non ſit ex ſuo genere, eſſe tamen *ex conditione perſonæ, quæ ſcit ſe fragilem, & dubitat cadere: eo maximè ſi per experientiam nouit ſe pro talibus cecidiſſe*. Tantundem pariter opinatur Ioannes Sanchez occaſionem proximam illam reputans, *in ſelectis, diſp. 10. num. 1. qua ſtante difficile ſatis ſit a peccando abſtinere*. Quæ definitio, vel deſcriptio e S. Gregorio Papa relato in *cap. Negotium, de Pœnit. diſt. 5.* deſumpta eſt, vbi prò occaſione proxima illam habet, *qua non poſſumus, aut non ſine magna difficultate, vti ſine peccato*, vt refert Nauarrus, & Cardinalis de Lugo *locis citatis*. At textus geminus ex homilia 24. in Euang. ſic habet: *ſunt enim pleraq; negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt*. Quod non ita accipiendum eſt, vt communiter monent Doctores, & nominatim Cardinalis de Lugo *loc. cit.* quaſi aliqua negotia eo quòd peccandi periculis ſint obnoxia, neceſſariò eſſent deſerenda, quum S. Leo Papa *in cap. Qualitas 2. & in cap. contrarium de pœnit. diſt. 5.* negotiationem, aut malitiam affirmet difficilè ſine peccato exerceri, nec libera eſſe a laqueis diaboli: (ſed non ait, *difficillimè*, vt memorat idem de Lugo) & tamen certum eſt, nō obligari mercatorem, aut militem ad relinquenda hæc officia. Vnde S. Ioannes Baptiſta non iuſſit milites abdicare ſe militia, ſed obſeruare leges illius ſtatus, vt teſtatur S. Lucas *cap. 3.* Sed tantùm hinc colligitur eam occaſionem exiſtimandam eſſe proximam, quæ ſæpenumero in peccatū præcipitat, adeoq; difficile abſque culpa vitatur, quod neceſſariò conſequitur. Subdit porrò rationem Cardinalis de Lugo, *quòd*

inter

inter illam, & peccatum nihil videtur mediare, propter quandam coniunctionem neceſſariam moraliter, quam videtur habere cum peccato.

Segmentum II.
Certa regula occaſionis proximæ aſſignatur.

CLIV. Doctores tamen utri'q; ſentẽtiæ cõueniũt inter ſe.

VErùm, etſi Doctores ſupra enumerati in occaſione proxima definiẽda non conuenire inter ſe videantur, reipſa tamen omnes cõſentire, nec iure diſcrepare poſſe mihi perſuadeo. Quæ ſanè veritas, quoniam paulò tenebricoſior eſt, & a nullo, quòd ſciam, animaduerſa, ne dum ex profeſſo tractata; accuratè hoc loco emedullanda, atq; in apertam lucẽ euocanda eſt; præſertim quia permagni momenti eſt ad infinitam prope ſiluam flagitiorum ex occaſionibus proximis temerè admiſſis pullulantium neceſsariò cædendam. Sed denuntio in anteceſſum, aliud eſſe occaſionem peccandi eſſe proximam; aliud iuſtam cauſſam ſuppetere illius non vitandæ; neque illam deſinere, etiamſi hæc præſto ſit. Hinc.

CLV. Occaſio, ex qua vix, vel rarò, vel ferè nũquam ſine mortali culpa euaditur, proxima eſt.

Dico I. conſtare inter omnes Doctores, occaſionem illam, ex qua ſeu homines communiter, ſeu aliqui ob circumſtantias particulares, nunquã, aut rarò, aut vix, aut ferè nunquam ſine peccato mortali euadunt, eſſe propinquam, ſeu proximam. Probo euidenter, quia ita definitur a Doctoribus priori loco *num.* 152. adductis: poſteriores verò Doctores *num.* 153. recenſiti, occaſionem proximam eſſe indicant illam quoque, ob quam aliquis frequenter, vel ſæpe in culpam lethalem labitur, etiamſi non ſemper, nec ferè ſemper ſuccumbat. Ergo multò magis ij proximam occaſionẽ cenſent, in qua homo ſemper, aut ferè ſemper mortiferè delinquit; vel nunquam, aut ferè nunquam, vel rarò, aut vix ſine graui culpa ab ea diſcedit. Ergo poſteriores Doctores cum prioribus in hoc puncto conueniunt, neq; vlla eſt inter eos controuerſia, vt patet.

CLVI. Itẽ qua frequẽter ſolũ in mortale præcipitat.

Dico II. certum, etiam eſſe, ad occaſionem proximam conſtituendam, reddendamue, neceſſe non eſſe, vt quis ob illam ſemper, aut ferè ſemper mortiferè peccet; vel nunquam, aut ferè nunquam; vel rarò, aut vix paris delicti immunis ſit: Sed ſatis planè eſſe, vt frequenter, aut ſæpe ſimili crimine obſtringatur; ipſamque peccandi frequentiam prudentis iudicio neceſſariè eſſe definiendam. Poſterior pars in confeſſo eſt, quia nulla alia certa regula, quàm iudicium prudentis, hîc aſſignari poteſt. Priorem autem partem oſtendo.

Tũ quia frequẽs lapſus reddit temerariũ exponentẽ ſe tali periculo.

I. Certum eſt, occaſionem proximam delinquendi mortiferè, vbi iuſtà cauſſa non excuſat, ſub mortali eſſe vitandam, vt infra notabo, & ex diſputatis ſatis dilucet. Certum item idcirco lethiferè peccare eum, qui ſine iuſta cauſſa occaſioni proximæ peccandi grauiter ſe exponit, quia imprudenter, & temerè huiuſmodi periculum adit. Sed imprudenter quoque ac temerè quilibet agit, qui in occaſionem, in qua ipſe, vel cæteri paſſim, etſi non ſemper, aut ferè ſemper mortiferè deliquerunt, ſæpe tamen, vel frequenter lethiferè ceciderunt, ſponte, abſque iuſta cauſſa, ſe conijcit. Ergo occaſio proxima eſt illa quoque, in qua mortalis culpa, etſi non ſemper, nec ferè ſemper, ſæpe tamen, aut frequenter contrahitur. Maior eſt conſpicua. Conſequentia etiam explorata. Nam qui ſine cauſſa iuſta occaſioni proximæ v. g. fornicandi ſe exponit, etiamſi reipſa poſtea non

for-

fornicetur, tamen delinquit mortaliter, vt tradunt omnes; ſi verò etiam fornicetur; tempuſque inter fornicationem, & deliberationem adeundi tali periculi, moraliter etiam interruptum eſt, duo peccata mortalia cōmittit; vnum autem tantummodo, ſi fornicetur, & occaſio fuit ſolùm remota, vt compertum eſt. Suppoſito autem, quòd imprudenter, & temerè quis occaſioni, in qua frequenter homines, vel ipſe, lethaliter peccant, ſe exponat, certum eſt lethiferè hunc delinquere ita ſe exponendo. Atqui nullo modo delinqueret ſe ita exponendo, ſi talis occaſio foret tantùm remota, vt paulò poſt obſeruabo. Ergo quum nihilominùs peccet lethaliter in hoc caſu, vt iam iam liquebit, neceſſe omnino eſt, talem etiam occaſionem, in qua frequens culpa grauis accidit, eſſe proximam.

CLVII. Minorem, in qua ſolà eſt difficultas, euinco I. quia ſi quis ex feminæ aſpectu millies repetito, alternis vicibus lapſus eſt, alternis verò ſtetit; atq; ita quingenties ſuccubuit periculo, quingenties euaſit, ſemper promiſcuè, ſemel cadens, ſemelque vincens; imprudenter planè, ac temerè eiuſmodi feminam, e cuius aſpectu tam frequenter lapſus eſt, poſt intuetur, ſi quidem ruinam prudenter, ac meritò timere debet, vt patet. At in hoc caſu is reuera dici non poteſt vix euaſiſſe occaſionem, vel vix ferè ſine lethali delicto; nec, nunquam, aut ferè nunquam citra parem culpam ab illa diſceſſiſſe, nec ſemper, aut ferè ſemper in illa peccaſſe; nec raro ſine mortali in ea ſe geſſiſſe: quum ex mille vicibus quingentæ ſine lapſu non ſinant locum eſſe hiſce tam amplis conditionibus *ſemper, ferè ſemper; nunquam, vix, rarò,* vt manifeſtum eſt. Ergo imprudenter, & temerè quis ſe exponit occaſioni, in qua frequentem ſolùm ruinam quoque animaduertit, II. quia ſi tabellarius curſor per aliquam viam iter faciens; millies a latronibus ſpoliatus, millieſque tutus præteriit, alternis ſemper vicibus ſemel ſpoliatus, ſemelque tutus; indubitatum eſt, quoties per aliam viam periculi expertem poteſt tranſire, imprudenter, & temerè ſe committere alteri periculoſæ; ac, ſi denuo ſpolietur, reum fore damni illati, atque ad eius compenſationem Dominis, qui eum miſerunt, teneri. Neque dubium eſt, quin pauciores quoque vices, quàm medietas, ad morale, ſeu probabile periculum conflandum ſufficiant, vt ſi centies v. g. e quingentis vicibus idem curſor interpolatè eodem modo fuiſſet ſpoliatus, adhuc illac, manentibus iiſdem circumſtantiis, probabile periculum adire, imprudenterque & temerè ſe ei exponere diceretur. Ergo in his, & ſimilibus caſibus certū eſt, eū, qui ita ſe exponit periculo graui peccandi lethaliter, peccare mortiferè, quia imprudenter, & temerè ſe illi exponit: & conſequenter talem occaſionem, in qua frequens etiā dumtaxat culpa mortalis coniuncta notata eſt, eſſe proximam; alioqui nemo ſe illi exponendo, etiam abſque vlla cauſſa, imprudenter, ac temerè ageret, nec peccaret, vt perſpicuum eſt.

II. Certum omnino eſt, vt quis peccet lethiferè ſeu peccato ſcandali actiui generalis, vel ſpecialis; ſeu aliter contra caritatem; ſatis eſſe, vt proximum abſque iuſta cauſſa periculo probabili delinquendi mortaliter exponat. Sed huiuſmodi periculum creatur quoque ex ſola frequentia delinquendi, idemque realiter eſt, ac ipſa occaſio cum frequenti lapſu mortali ſociata. Ergo frequens quoque lapſus dum- *CLVIII* *Tū quia frequentia labēdi exponit proximum probabilis delinquendi mortiferè periculo.*

dumtaxat ſatis eſt ad reddendam occaſionem proximam. Maiorem probo, quia etſi Doctores communiter ad obligationem correctionis fraternæ contrahendam requirant, & meritò, *vt moraliter aliquo modo conſtet, proximum tale peccatum, quod ſtatuimus corripere, commiſiſſe*, vt contra Adrianum, & alios cenſentes etiam ſolum dubium peccati commiſſi ſufficere, docent Alenſis *in ſumm. lib. 2. tit. 6. cap. 4.* Sotus *de tegendo ſecreto, memb. 2. q. 2. concluſ.* 4 Gerſon *tract. 24. de vita ſpirituali*, Nauarrus *in manuali, cap. 24. nu. 12.* Lorca *2.2. diſp. 44. num. 4.* Coninch *ibid. diſp. 28. de carit. dub. 6. num. 87.* & alij: quum verò nullum eſt periculum morale, ne proximus recidat in aliud mortale ſcelus, nec tum adeſt præceptum confitendi, aut communicandi, negant vrgere præceptum correptionis, modò abſit etiam periculum moriendi in eo peccato: nihilominùs quoties imminet probabile periculum, ne in lethale crimen relabatur, adſintque reliquæ circumſtantiæ, teneri quemlibet correptionis præcepto, Doctores cuncti ſine cõtrouerſia decernunt, vt videre eſt apud Suarez *de caritate, diſput. 7. ſect. 3. nu. 3.* Becanum *2. 2. cap. 21.* Coninch *loc. cit. num. 115.* vſque ad 122. & alios paſſim. Ergo, ſi ad obligationẽ correctionis fraternæ, quum cæteræ circumſtantiæ concurrunt, ſatis eſt periculum probabile recidendi in lethale crimen, multo magis ſufficit ad incurrendam ſimilem culpam exponere proximum periculo probabili peccandi mortaliter; nimirum quia præceptum correptionis valde odioſum eſt, multaſque conditiones, quò obliget, exigit, quæ ægrè ſimul coeunt; ſubtrahere autem occaſionem peccandi non eſt odioſum, ſed fauorabile, facileque fieri poteſt. Minor principalis ſyllogiſmi liquet, quia, etſi periculũ probabile imminere queat, licèt etiã non præcedat in aliquo homine frequentia ruinæ ſpiritualis, vt ſi cui viro principi, qui nunquam antea indignatus ſit paulò vehementiùs, atrox fiat iniuria ab homine plebeio, periculum ſanè probabile eſt, ne valde grauiter excandeſcat: tamen vbi quis frequenter deliquit, periculum omnino probabile eſt, ne oblata eâdem occaſione, nullaque circumſtantiâ ex præcedentibus variatâ, ſimiliter delinquat, vt patet. Conſequentia principalis etiam aperta eſt, quia niſi frequentia lapſus ſat eſſet ad proximam occaſionem gignendam, non poſſet aſſignari ratio, cur grauiter in dictis caſibus peccaretur, vt ſupra oſtendi.

Obligatio n. correctionis fraternæ vrget, quum adeſt periculum probabile relabendi.

III. Quicumque animaduertit ex ſuo facto, vel omiſſione probabile periculum damni grauis proximo imminere, mortiferè peccat negligens debitam diligentiam ad vitandum eiuſmodi damnum, vt ex communi Doctorum conſenſu tradit Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 7. num. 27. 28. 29. & 30.* Vnde Gregorius IX. *cap. vlt. de iniurijs*, *Nec ignorantia*, inquit, *te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere.* Hic enim Tò *veriſimiliter*, idem eſt ac *probabiliter*, probabileque periculum deſignat. Sic etiam Stephanus V. *cap. conſuluiſti 2. q. 5.* homicidij reos illos parentes denuntiat, qui infantes in proprio lecto cum periculo eos ſuffocandi detinent; quod tamen periculum non eſt niſi probabile ex frequentia ſuffocationis, quæ ſolet contingere; etſi etiam ſæpe non accidat. Ergo &c. CLIX.

Tũ quia id euincitur ex probabili periculo grauis dãni creato alijs.

IV. Miniſter Sacramentorum, negligens ſponte formam, vel materiam certam, ac tutam, eligenſque probabilem CLX.

Vt patet ex varijs exẽplis.

bilem

bilem, peccat mortaliter, quia probabili periculo proximum exponit carendi fructu, v. g. Euchariſtiæ (quicquid ſit, num contra religionem etiã, an ſolùm contra caritatem delinquat) vt ſentiunt Vaſquez, Villalobus, Antonius Perez, vterq; Sanchez, Sayrus, Granadus, Pontius, Arriaga, Breſſerus, Baldellus, Stephanus Spinula, & Cardinalis de Lugo, quos ſingillatim refero in mea *Trutina opinionum moralium, par. 3. cap. 7. §. 3. nu.* 58. Medicus pariter tenetur adhibere ægroto remedium certum, relicto probabili, peccatq; mortaliter, ſi hoc illi præfert, quia ſalutem ægroti periculo probabili exponit, vt Doctores omnes tradunt, nullo diſcrepante, quemadmodum in eadem *Trutina ibid. cap.* 1. §. 2. *num.* 2. patefacio. Item, pictor effigiem amicæ pingens amaſio, quem probabiliter ea abuſurum credit, peccat mortaliter, niſi iuſtâ cauſſâ excuſetur, vt ſanciunt Azor *par. 2. lib. 12. quæſt.* 9. & Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. nu.* 40. Delinquunt quoque lethiferè tabernarij, qui tantum vini ita largè ſuppeditant, vt aliquem ex eo probabiliter inebriandum exiſtiment, vt tradit idem Sanchez *ibid. num.* 33. vnà cum Caietano, Valentia, & Rodriquez, quos citat. At in tot hiſce caſibus periculum probabile non eſt extremum, vt vix aliter accidat, ſed graue tantùm, quia ſæpe, & frequenter euenit. Ergo &c.

CLXI. Et ex alijs documentis. V. Tum ſcandalum actiuum mortale accidit, quum probabiliter iudicari poteſt, dictum, factumue eſſe alicui occaſionem ruinæ lethalis, & abſq; cauſſa legitima ſit, vt ex Vaſquez, Valentia, Nauarro, Layman, & alijs ſupra *num.* 91. docui. Certum verò eſt, probabiliter ita iudicari poſſe, quum periculum ipſum non eſt etiam, niſi probabile. Vnde Silueſter *verbo ludus, quæſt.* 2. ait, choreas eſſe mortales ratione *probabilis periculi animæ ſuæ, vel alterius*, idemque ſtatuunt Armilla, *verbo, Chorea, num.* 4. Nauarrus *in Summa, cap. 23. num.* 123. Azor *par. 3. lib. 3. cap. 26. quæſt.* 1. Filliucius *tract. 30. cap. 10. quæſt. 10. nu.* 223. Viualdus *in Candelabro aureo, cap. 14. num.* 39. Sed tale periculum, & ſcandalum probabile etiam eſt illud, quod frequenter ſolùm contingit. Ergo id ſat etiam eſt ad occaſionem proximã conſtituendam, vtſupra iam probaui.

CLXII. Occaſio ex frequenti ruina ſit alicui proxima etiã, ne dũ alijs. Ex quibus perſpectum eſt, ad occaſionem proximam alijs datam reddendam, ſatis eſſe periculum probabile, ſolamque frequẽtiam notabilem peccandi, etſi non ſemper, nec ferè ſemper peccetur. Vnde euidenter infero, eandem frequentiam notabilem ſufficere etiam, vt quilibet ſibi quoque talem occaſionem eſſe proximam, cẽſere, & vitare etiam, ſi commodè poſſit, teneatur. Nam ex cunctis Theologis compertiſſimum eſt, quemlibet precepto caritatis, aut ſingularis alterius virtutis multo magis ad declinandum proprium peccatum, huiuſque periculum, quàm peccatum alterius, vel periculum peccati alieni, obligari. Quocirca S. Thomas 2. 2. *q.* 26. *a.* 4. communiſque Doctorum ſententia, vt teſtatur Tannerus *tom. 3. diſp. 2. q. 3. dub. 3. num.* 51. decernit, caritatem, quantum ad bona ſpiritualia, ſemper magis inclinare quemuis ad ſeipſum amandum, quàm proximum, cæteris paribus, vt idem Tannerus *ibid.* latè demonſtrat; & *num.* 53. vnà cum S. Auguſtino *in pſ.* 5. D. Thoma *loc. cit.* conſenſuque Doctorum omnium diſertè pronuntiat, quod ad vitandum peccatum attinet, vnumquemque teneri ſeipſum potiùs, quàm proximum, amare; neque fas eſſe ſalutem etiam

totius Mundi vel vnico peccato veniali admiſſo procurare. Ergo, quum periculum probabile delinquendi lethiferè ex ſola etiam frequentia labendi conflatum, ſatis ſit ad occaſionem proximam alijs reddendam, vt iam euici; multo magis ſufficit ad eandem quoque vnicuique proximam conſtituendam.

C LXIII. *Vt clarius adhuc euicitur.* Confirmo hoc ipſum perſpicuè, quia exponere ſeipſum abſque iuſta cauſſa, morali, proximoque periculo peccandi mortiferè, mortale ſcelus eſt iuxta certiſſimam Doctorũ omnium ſententiam antea ſæpius indicatam, & a Thoma Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 8. *num.* 1 ex S. Bonauentura, Caietano, Armilla, Caſtro, Nauarro, Corduba, Alcozer, & Suarez traditam, vulgatoque oraculo *Eccleſ.* 3. corroboratam: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui tale periculum proximum non ſolùm eſt extremum, in quo ſemper peccatum patratur, aut ferè ſemper; aut vix ſine peccato in eo quis verſatur; ſed etiam graue, & probabile frequenti etiam ruina dumtaxat comitatum. Vnde Sanchez vnà cum omnibus receptiſſimam, indubitatáq; ſententiam cunctorum Doctorum probat, *quia ſalutem ſpiritualem temere comincitur, ſe tam probabili eius amittendæ periculo obijciens*; tum infra *num.* 4. *Atq; in hoc probabili peccandi mortaliter periculo fatendæ ſunt circumſtantiæ illius peccati, cuius periculo ſe expoſuit.* Ergo frequentia peccandi notabilis, quamuis nõ extrema, ſatis eſt ad occaſionem proximam conſtituendam.

Segmentum III.

Concordes eſſe Doctores in occaſione proxima definienda.

Dico III. Auctores *num* 152. relatos non poſſe rationabiliter, aut probabiliter ab Auctoribus *num.* 153. recenſitis reipſa diſſentire. Nam ipſemet Nauarrus, qui primus illam occaſionis proximæ definitionem innexit, cæterique eo *num.* 152. enumerati, eidem ſubſcripſerunt; vbi *cap.* 3. *in ſumm. num.* 5. *lit.* D. dixit, proximam occaſionem habendam, qua aliquis nunquam, aut raró abſq; peccato mortali ſe vſurum putat: mox hanc definitionem interpretans, ac probans ſubdit; *quòd nemo poteſt abſolui, niſi ſtatuat ſaltem virtualiter, nunquam ſe in poſterum peccaturum mortaliter, & conſequenter vitaturum occaſionem, quæ ex ſe ſit mortifera, aut peculiaris eiuſmodi, quam credit probabiliter peccati mortalis cauſſam ſibi fore: iuxta illud:* Qui amat periculum; peribit in illo. *Eccleſ.* 3. Ecce. Occaſionem ſub mortali vitandam; & conſequenter proximam, illam etiam, quæ cum probabili tantùm periculo labendi mortiferè coniuncta eſt, agnoſcit idem Nauarrus, agnoſcereque coguntur & cæteri omnes ſupra *num.* 152. adducti, qui eius veſtigijs inſtiterunt, nullamque rationem, aut fundamentũ præterea attulerunt. Layman verò *lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. *verſ. Non ſemper*, explicatè docet peccati ſcandalum tum etiam committi, *quando probabile periculum eſt, alterum quoque ad peccandum commouendum*; nec quiſquam reliquorum diſſentit, adeoque omnes cum Auctoribus *num.* 153. citatis conueniunt. C LXIV.

Deinde, omnes Doctores, illi etiam *num.* 152. producti, in varijs caſibus particu- CLXV.

particularibus ad culpam lethalem incurrendam, ſtatuunt, probabile periculum vel grauis damni temporalis, vel grauis ruinæ ſpiritualis, ſibi, vel alijs abſq; legitima cauſſa exhibitum, ſufficere, vt ex eorum ſingulorum monumentis cuique inſpicienti, ac legenti manifeſtum eſt. Nominatim verò ita cenſeri a Nauarro, Layman, & de Lugo iam ſupra *num.* 160. 161. & 164. citatis eorum locis, oſtendi: Reſtant ex enumeratis eo *num.* 152. Graffis, Bonacina, Reginaldus, Beia, & Tamburinus. Et Graffis quidem euidenter conſpirat cum Auctoribus *num.* 153. prolatis, quandoquidem, quum *lib.* 1. *Deciſ. cap.* 28 *cit. num.* 8. dixiſſet: qui *ex commoditate cohabitationis copulantur, ſæpe non poßunt abſolui, niſi ſeparent cohabitationem propter periculum recidiui*: mox infra *num.* 13. tale periculum eſſe etiam dumtaxat probabile, & ex frequentia notabili relabendi ortum, ita perſpicuè declarat: *Scilicet quando frequenter, & ſæpe de præterito tales cohabitantes peccaſſent, Sed ſi rarò bis, ter, vel quater in anno repentina libidine, non continuata intentione corrupta copulaſſent, & poſt pœnituißent, tunc eßent abſoluendi*. Bonacina autem (vt omittam plurima alia exempla) *Diſp.* 2. *de legib. q.* 4. *punc.* 9. *num.* 19. negat fas eſſe, in Sacramentorum adminiſtratione ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore, circa eorum validitatem, etſi nulla ſententia certa ex alterutra parte adſit; quia hoc pacto exponitur ſuſcipiens periculo carẽdi fructu gratiæ, quale in præſenti caſu non poteſt eſſe, niſi probabile, vt patet ex ipſamet hypotheſi. Tum infra *ibidem num.* 22. disertè tradit, Medicum teneri pharmacum tutum, & certum, itemq; probabilius, ſi deſit certum, relicto minùs probabili, eligere, quod etiam ſancit Reginaldus *lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 99. *quia alioqui imprudenter ageret in re tanti momenti, ſalutem ægri in diſcrimen adducendo*: quod probabile tantùm, quale eſſe ipſummet etiam remedium ſupponitur, eſſe poteſt. Beia item *par.* 4. *caſu* 5. negat licere cum probabili dumtaxat iuriſdictionis opinione ſacramenta adminiſtrare, ob periculum etiam, ne irrita euadant: quod tamen periculum nullius planè momenti eſt, minimeque morale, vt probo in mea *Opinionum Trutina, par.* 3. *cap.* 7. §. 1. Multo magis igitur, ſi periculum adſit probabile irritationis, negare cogitur idem Beia, fas eſſe ſic illa adminiſtrare. Reliquus eſt Tamburinus, qui etiã dare manus compellitur, tum quia ipſe de ſuo nihil affirmat eo *num.* 2. ſed ex Cardinali de Lugo, quem refert, tantùm deſcribit, quod ait; atq; adeo, quum idem Cardinalis periculum etiam probabile dumtaxat ad mortalem culpam contrahendum interdum ſufficere fateatur; ne ipſe quidem tergiuerſari poteſt; tum quia nullum fundamentum, vel rationem, aut textum ad ſingularem ſententiam probandam depromit; ac proinde nihil illi probabilitatis inſuper poteſt adiungere; imò quum ea ſit contra communem opinionem *num.* 153. expoſitam, ſi eiuſmodi ſententia huic oppoſita, probabilis aliunde non eſſet, ipſemet Tamburinus ſola ſua auctoritate, nullo textu vel argumento in medium allato, probabilitate eam donare contra communem, nequaquã poſſet, vt in mea *Trutina opinionum par.* 1. *cap.* 8 & 10. oſtendo: tum denique quia idem Tamburinus vnà cum cæteris Doctoribus inficiari probabiliter nequit, quin probabile periculum notabilis damni temporalis, vel ſpiritualis ad lethale crimen incurrendum

dum ſit ſatis. Vnde ſic arguo. Vel tales Auctores deſcribentes occaſionem proximam, quæ nunquam, aut rarò ſine peccato mortali vitatur, negant eſſe proximam eam, in qua frequenter ſolùm ſimilis culpa accidit; vel hanc etiam admittunt eſſe proximam. Si ſecundum, habeo intentum, vt palàm eſt: Si primum, ergo, dum in varijs caſibus particularibus concedunt ad mortalis delicti reatum ſubeundum, periculum probabile damni temporalis, vel ſpiritualis ſufficere, ſibimet euidenter contradicunt; ſiquidem periculum ex frequentia notabili peccandi natum, probabile etiam duntaxat eſt, quodque frequenti lapſui obnoxium eſt, neceſſariò quoque probabile eſt. Ergo, quum id ad culpam mortalem contrahendam ſatis ſit in multis caſibus, vt ijdem docent; non requiritur, vt nunquam, aut rarò ſine mortali tale periculum vitetur, vt ijdem aſſerunt. Ergo quum hoc vtrũq; ijdem affirment, apertè ſibi contradicunt.

C LXVI. Confirmo eandem contradictionē efficaciter, quia Doctores, omnes, vt *num. 163.* obſeruaui, tradunt lethale crimen eſſe exponere ſeipſum periculo proximo delinquendi mortiferè, nulla cauſſa excuſante; redduntque huius dicti, & doctrinæ rationem, *quia ſalutem ſpiritualem contemnere conuincitur, ſe tam probabili eius amittendæ periculo obijciens*: addoque ego, quod neceſſariò conſequens eſt, quia hoc pacto ipſummet peccatum mortale, cuius admittendi periculo graui, ideſt, probabili ſponte ſe exponit, interpretatiuè velle meritò cenſetur. Atqui interpretatiuè velle peccatum mortale, & ſuam ſalutem ſpiritualem contemnere conuincitur non ſolùm, qui periculo extremo, in quo ferè ſemper peccatur; ſed etiam qui graui, & probabili, in quo frequenter tantùm culpa lethalis contrahitur, abſq; cauſſa ſe obijcit, vt antea reuici; liquetq; vel ex hac inſtantia, quòd Aduocatus duplicem viam litis ſui clientis iuſtè promouendi habens, illamque, quam ſemper tutam, & victoriæ certam expertus eſt, negligens; alteramque, in qua frequenter cauſſa in ijsdem circumſtantijs cecidit, eligens, iudicio omnium prudentum, periculo graui, & probabili amittendæ litis temerè & culpabiliter ſe obijcere, eiuſque iacturam tacitè velle: atque ita ſui clientis iuſti commodum ſpernere diceretur; & in vtroque foro ad damni compenſationem eidem clienti ex Doctorum omnium conſenſu teneretur. Ergo ijdem Doctores ſtatuentes, peccari lethaliter periculo etiam probabili ſolùm ex notabili delinquendi frequentia temerè adito, ſibimet contradicunt exigentes ad mortale ſcelus ob occaſionem proximam incurrendum tale periculum eſſe extremum, in quo ferè ſemper peccetur. Ergo eiuſmodi Doctores, quum ſibi ita contradicant, & ab illa occaſionis proximæ definitione adeo ſtrictè ſumpta, vt ea dumtaxat proxima reputetur, quæ nunquam, aut rarò ſine culpa lethali vitatur, vel ſuperatur, ipſimet in eius applicatione multis caſibus particularibus manifeſtè diſcedant; carent planè omni auctoritate vllius probabilitatis illi definitioni tam rigidæ conciliandæ; præſertim quum nulla ratione, aut textu illam probent. Ergo vt tales Doctores a tam euidenti contradictione liberentur, & tantorum virorum doctrinæ atque exiſtimationi conſulatur, fatendum eſt, eos reipſa in dicta definitione cum Doctoribus *num.* 153. adductis conuenire.

Tandem idem etiam extorqueo ex eo, quia caritas, & præcepta homini- C LXVII.

bus

bus impoſita, non obligant niſi humano modo; ideſt, non ſanè ad exquiſitam, & metaphyſicam diligentiam in eorum executione adhibendam, ſed ad humanam, & moralem; alioquin intolerabilia eſſent, & ſupra humanas vires, &c. vt optimè demonſtrat Cardinalis de Lugo *diſp. 7. de pœnit. ſect.* 13. Ergo quilibet tenetur ſub mortali vitare illam etiam occaſionem peccandi lethiferè, quæ licèt non ſit extrema, cum peccato graui ſemper, aut ferè ſemper connexa, eſt tamen cum hoc ſæpe coniuncta. Conſequentia patet, quia quum abſque graui incommodo vitari queat, vt ſuppono (alioqui cum graui incommodo nemo ſemper tenetur proximam etiam extremam declinare, vt ſupra non ſemel innui, & poſtea clariùs docebo) vt quis teneatur eam vitare, non adigitur ad diligentiam metaphyſicam, ſed ad moralem tantùm: vitare quippe occaſionem lethiferè peccandi frequenti ruinæ expoſitam, non eſt diligentia extraordinaria, aut metaphyſica, ſed humana ſolùm, & moralis, vt euidens eſt. Ergo quiuis ad hanc tenetur, & quidem ex Doctorum omnium conſenſu, niſi quòd nonnulli ad maiorem diligentiam quoq; in varijs caſibus obligant, vt videre eſt apud eundem de Lugo *loc. cit.* Ergo rurſum Doctores *num.* 152. relati, ne ſibi aduerſentur, conſentire coguntur cum Doctoribus *num.* 153. productis.

C LXVIII. Quamobrem iure optimo Ludouicus Lopez eodem *num.* 153. citatus ex Caietano ſancit, probatque ad proximam occaſionem ſub mortali deſerendam ſatis eſſe, ſi quis *aliquoties ex tali peculiari occaſione ſe cecidiſſe* animaduertit, neque vllo modo requiri, vt ſe ferè ſemper peccaſſe expertus ſit. Nec minùs ſapienter Tannerus propinquam occaſionem *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 5. num. 106. cenſendam eſſe*, pronuntiat ex Caietano itē, & Lopez, *quam in particulari aliquo caſu, probabile eſt aliquem non ſuperaturum ſine peccato mortali, ſiue aliàs rarò, ſiue frequenter oblatâ tali occaſione peccare ſoleat.* Doctores verò *num.* 152. enumerati, ne ſecum palàm pugnent, vt docui, non rigidè, & ſtrictè, quum ad proximam occaſionem requirunt, vt peccetur ſemper, aut ferè ſemper, vel nunquam, aut rarò ſine peccato graui illa vincatur; ſed benignè, & lato modo interpretandi neceſſariò ſunt, perinde ac ſi *ſemper ferè*, vel *rarò*, aut, *vix*, idem ac *frequenter*, ac *ſæpe* valeret: vſitatâ videlicet loquendi formâ, qua dicitur aliquid notum toti ciuitati, etiam maximæ, quia in eius partibus primoribus complures illud ſciunt, etiamſi fortè dimidia vrbis pars, & fortè maior illud ipſum ignoret.

Sed animaduertendum eſt ſupradictam repetiti actus frequentiam, ad exiſtimandum probabile periculum, ſeu occaſionem proximam non eſſe in ſingulis hominibus ſemper attendendam; ſed plerumque ſatis etiam eſſe, ſi ea in alijs ſæpenumero cum graui lapſu coniungi ſoleat: vnde ſignanter in eius definitione *num.* 153. allatâ dicitur, *vt vel ex ſuo genere talis ſit, quæ frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum.* Quocirca, etſi Titius v.g. nunquam cum vlla concubuit; nihilominùs ſi adultus cum adulta & iam corrupta, ſponte, ac nulla neceſſitate impulſus, concumbat, dicitur ſeſe occaſioni proximæ, ſeu periculo probabili fornicationis temerè expoſuiſſe, atque hac de cauſſa peccaſſe mortaliter; licèt deinde fortè nulla etiam fornicatio reipſa ſucceſſerit, vt apud omnes exploratum eſt: quia nimirum virum in eodem C LXIX. *Frequētia peccādi ad occaſionem pro ximam conſtituēdam nō ſemper in ſingulis hominibus eſt attendenda.*

lecto

lecto cubare cum fœmina, res plena aleæ eſt, frequenterque alios ita concumbentes in fornicationes, aut in tactus obſcoenos &c. precipitat. Eademque ratio in ſimilibus exemplis militat, in quibus frequentia repetiti actus non eſt neceſſariò reſpectu alicuius ſingularis, qui eam expertus ſit, ſed reſpectu plurium indefinitè, quibus ita contigit, vt conſtat. Addo etiam occaſionem proximam ſub mortali vitandam eſſe illam quoque, quæ extra propriam domum ſeu habitationem cum frequenti lapſu, ſeu cum probabili delinquendi mortiferè periculo coniuncta eſt. Tum quia ratio formalis conſtitutiua occaſionis proximæ delinquendi lethiferè in frequentia peccandi mortaliter, periculoque probabili incidendi in mortale ob talem occaſionem ſita eſt, vt ex dictis liquet: ſimilis autem frequentia, & periculum probabile mortaliter peccandi ex occaſione, non tantùm domi, ſed foris etiam accidit, vt notum eſt. Tum quia nullus Doctorum ab occaſione proxima delinquendi vllam excipit ex eo tantùm, quòd extra domum habitationis alicui contingat. Tum quia frequenter blaſphemans in ludo chartarum, tam verſatur in occaſione proxima blaſphemandi; ſiue domi ſuæ cum alijs, ſiue in alienis ædibus cum iiſdem ludat, ſiuè æquè frequenter in ludo tàm extra domum, quàm in domo ſua blaſphemet, vt manifeſtum eſt, eademque ratio militat quoque in cæteris omnibus ſimilibus caſibus.

Conſtituit verò illam etſi extra propriam habitationem accidat.

CLXX. Ex qua enucleata diſceptatione de occaſione propinqua, ſeu proxima dilucet planiſſimè, quænam ſit occaſio remota; illa nempe, præ qua homo non ſemper, nec ferè ſemper, nec ſæpè in mortale crimen labitur; vocaturq; propter ea remota, vt rectè Cardinalis de Lugo *diſp. 14. de pœnit. ſect.* 10. *num.* 149. *cit.* obſeruat, quia non videtur ita cum peccato coniuncta, ſed longinqua, quatenus mediat maior libertas hominis, ex qua ſequitur peccatum. Qua ratione quælibet creatura occaſio remota peccati meritò appellari poteſt, quandoquidem *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*, vt legimus *Sap.* 14. concinitque S. Auguſtinus relatus *in cap. de occidendis*, 23. *q.* 5. & S. Thomas 2. 2. *q.* 43. *a.* 1. *argum.* 4 *& in eius ſolutione.*

Quanā ſit occaſio remota.

§. XI. *Qualis obligatio ſit vitandæ occaſionis peccandi remotæ, & proximæ.*

SVperuacanea non immeritò hæc quæſtio videri poteſt, quum antea non ſemel, ſi non profligata omninò, certè quidem indicata, & deciſa eſt. Nihilominùs hîc breuiter ita eſt reguſtanda, vt auctario quoque non pœnitendo ſimul donetur.

Segmentum I.

Regulæ de occaſionibus vitandis præſcribuntur.

I. REgula communis, & vniuerſalis eſt, eum, qui in occaſione CLXXI
peccandi grauiter ſolùm remota hæret, non delinquere lethiferè, adeoq; poſſe, licèt in ea permanere velit, abſolui, vt notant, ac tradunt Nauarrus *in Summ. cap.* 3. *num.* 5. *lit. A.* Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *num.* 2. addens, *ita ab vniuerſis ſupponi*, Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *num.* 108. Lopez *in inſtruct. par.* 1. *cap.* 20. Cardinalis de Lugo *ſect.* 10. *cit. num.* 150 Tamburinus *in Methodo expedita confeſſionis, lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. *num.* 3. cæterique omnes. Ratio eſt, quia vt bene

Occaſio peccādi grauiter, ſi remota tantùm eſt, non eſt neceſſariò dimittenda.

Nauarrus

Nauarrus *loc. cit.* & alij paſſim, deberemus alioqui omnes de hoc Mundo exire, quemadmodum ait Paulus 1. *Corint.* 5. ſi remotis occaſionibus peccandi abſtinendum neceſſariò foret, *ſi quidem quicquid ferè in eo eſt, poteſt eſſe occaſio peccandi; quia poteſt eſſe talis occaſio valetudo, & morbus, diuitiæ & paupertas, habere, & non habere vxorem, parentes, filios, conſanguineos, pax, & bellum, proſpera, & aduerſa: ecquid non?* Quæ ſanè regula certa eſt, extraque omnem controuerſiam.

C LXXII. *Occaſio proxima peccati venialis non eſt neceſſariò ſemper deſerẽda.*

II. Regula pariter explorata, neminem obligari ad occaſiones proximas peccati venialis perpetuò vitandas, vt bene idem Nauarrus *loc. cit.* quia quum propoſitum nunquam venialiter peccandi non ſit ad obtinendam abſolutionem Sacramentalem neceſſarium, neque erit neceſſarium propoſitum abſtinendi occaſionibus eiuſdem culpæ venialis, argum. a maiori iuxta *Clement.* 1. *de reliq. & venerat.*

C LXXIII. *Opus ex ſe indifferens, ob moralẽ periculũ cadendi in mortale trãſit in lethalẽ: eu occaſio proxima mortalis culpa ſub mortali vitãda eſt.*

III. Regula apud cunctos etiam Doctores indubitata eſt, vt antea ſæpius innui; opus ex ſe veniale, aut indifferens, in mortale tranſire, ſi operans occaſioni ita proximæ exponatur, vt eum in morali ac proximo peccandi mortaliter periculo conſtituat. Ita S. Bonauentura *in 4. diſt. 17. par. 3. a. 2. q. 1.* Caietanus, & Armilla *in Summa, verbo, periculum*, Nauarrus *loc. cit. num. 5. littera D. & cap. Negotium, de pœnit. diſt. 5. num. 8.* Corduba *in Summa, quæſt. 4. fol. 19.* Alcozer *in Summa, cap. 7.* Suarez *tom. 4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 2 in fine*, Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 8. num. 1.* Siluester *in Summa*, Verbo, *concubinarius*, Ludouicus Lopez *in inſtruct. par. 1. cap. 20.* Tannerus *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 9. num. 108.* Angelus *verbo, occaſio*, Toletus *lib. 3. cap. 18 num. 5.* Graffis *lib. 1. Deciſ. aurear. cap. 28. num 3. & 4.* Sà, *verbo, peccatum, num. 6.* Ioannes Sanchez *diſp. 10. num. 6.* aiens id *ab vniuerſitate Doctorum relinqui indubitatum*, Cardinalis de Lugo *diſp. 14. de pœnit. ſect. 10. num. 150.* Thomas Tamburinus *loc. cit. num. 5.* & reliqui omnes.

C LXXIV.

Cõſtat porrò hæc regula ex eo oraculo *Eccleſ. 3.* iam indicato: *qui amat periculum, peribit in illo.* nec non ex illo Chriſti præcepto *Matth. 5.* vt ponderat Tannerus *loc. cit. num. 109. Quod ſi oculus tuus, vel manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te &c. proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in Gehennam.* Perinde ac ſi diceret. *Si quis tibi*, inquit Tannerus, *tam carus eſt, quàm oculus, vel tàm vtilis, quàm pes, vel manus; ſcandalum verò tibi præbeat, & propinqua peccandi occaſio ſit, fuge eum, & deuita.* Ratio verò eſt, tum quia ſalutem ſpiritualem contemnit, qui abſque cauſſa exponit ſe probabili eius amittendæ periculo: tum quia qui vult abſque cauſſa in tali periculo manere, propoſito efficaci non peccandi videtur carere. *Ex eo enim, quòd qui vult cauſſam* (vt egregiè Ioannes Sanchez *num. 6. cit.* philoſophatur) *Ex qua neceſſariò, aut regulariter ſequitur effectus, cupit effectum virtualiter; vt D. Thomas 1. 2. q. 6. & cum illo cæteri Doctores tanquam primum ædificio de voluntario, & inuoluntario iaciunt fundamentum. Illum verò, cuius voluntas virtualiter in peccatum tendit, incapacem futurum abſolutionis, nemo ambigit. At quis non videat, potentem facilè eijcere* occaſionem proximam, v. g. *concubinam, ante quam ad confitendum accederet, & non eijcientem, periculo*

manifeſto

manifeſto ſe exponere, poſt factam confeſſionem, non expellendi? Quod ſanè periculum experientia teſtatur clarè interuenire, quum pluries in animo repellendi, & propoſito in alijs confeſſionibus defecerit. Quid enim aliud eſt periculo efficiendi aliquid ſe exponere, niſi id attentare, in quo ſæpe quis cecidit? At periculo non eijciendi concubinam ſe exponere, peccatum mortiferum eſt, quum hoc modo aliquis ſe exponat periculo cupiendi cauſſam, ex qua regulariter effectus mortiferi prodeunt, fornicationes ſcilicet. Et qui periculo ſe exponit cupiendi cauſſam, ex quâ peccata emanant, periculum amandi peccata non effugiet. Indubitatum autem eſt, non mereri illum abſolutionis beneficium, qui periculo in peccata prolabendi ſe ſubiecit abſq; legitima cauſſa.

C LXXV. *Nec propoſitum eijciendi concubinam verum poteſt eſſe, quando coniungitur cum manifeſto periculo non repellendi, etſi pœnitenti videatur verum adducere. Quonam enim [illegible] verum propoſitum eijciendi habebit pœnitens, dum ex alia parte voluntariè periculo manifeſto infringendi propoſitum ſe ſubijcit? Et conſtat ex cap.* legatur 24. q. 2. *vbi Gelaſius Papa admonet Fauſtum abſoluendos non fore, qui in errore, & occaſione peccandi ſuâ culpâ immerſi ſunt, & ex cap.* Satisfactio, de pœnit. diſt. 3. *deſumpto ex Auguſtino*, lib. de Dogmat. Eccleſ. cap. 54. *qui ait*: Satisfactio pœnitentiç eſt peccatorum cauſſas excidere, neq; earum ſuggeſtionibus aditum indulgere. *& ibi Gloſſa, verbo.* cauſſas, *ait*, radices vitiorum, nec ſufficit ramos incidere, & opportunitates, vel occaſiones peccandi, *iuxta* cap. valet, diſt. 81. *cuius hæc ſunt verba*: Valet interdum conuerſis pro animæ ſalutæ mutatio loci: plerumq; enim, dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum eſt enim indè etiam corporaliter auelli, vbi quiſq; illecebris deſeruiuit. Nam locus vbi quiſq; prauè vixit, hoc in aſpectu mentis apponit, quod ſæpe ibi cogitauit, vel geſſit.

Subdit poſtea idẽ Ioannes Sanchez conſultò pro hac parte à ſe Auctores, quos poſſet vltra centum, non adduci: *eo quòd vniuerſitas Doctorum non fore pœnitentem abſoluendum iudicet.*

IV. Regula etiam rata ac fixa eſt, quoties res ita mutatæ ſunt, vel ea cautio adhibetur, vt ceſſet periculum, occaſionẽ proximam, quæ priùs erat, deſinere, moraliterque ſublatam cenſeri; quia quum tota ratio culpæ ex periculo ſumatur, quomodocunque id auferatur, & illa ſimul tota eliditur: vt prudenter obſeruant Alcozer, & Corduba *loc. cit.* Nauarrus *in ſumma, c. 3. n. 5.* Tanner. *tom. 4. diſp. 6. q. 9. n. 3.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap* 8. *n. 2.* Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *nu.* 8. *in fine*, Thomas Tamburinus *loc. cit. nu. 6.* & alij. Vnde quando pœnitens extraordinarium dolorem peccati, & propoſitum eius cauendi oſtendit, vt lacrymarum copiam, ſuſpiria ingentia, &c. ipſa occaſio, quæ erat proxima, moraliter ceſſare exiſtimatur, vt prædicti Auctores animaduertunt. C LXXVI.

Ceſſãte periculo probabili peccãdi grauiter, occaſio proxima tollitur.

V. Regula eſt, quando grauis cauſſa exponendi ſe periculo, ſeu occaſioni proximæ delinquẽdi mortiferè vrget, non ſemper peccare eum, qui ſe illi exponit. I. quia tunc eiuſmodi periculum non eſt moraliter voluntarium: quum moraliter loquendo, id eſt, ſine graui incommodo vitari nequeat, vt egregiè S. Baſilius *in Conſtit. Monaſt. cap* 4. *pag.* 489. ſic tradit: *Qui vrgenti aliqua cauſſa, & neceſſitate ſe periculo obijcit, vel permittit ſe eſſe in illo, quum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud ſubire, & ideo magis prouidebit Deus, ne in illo pereat.* II. quia *in cap. conſultationi, de frigidis* permittuntur coniugati, quorum coniugium eſt occultè nullum, habitare ſimul tanquam fratres, licèt adſit tactuum periculum, ratione videlicet ſcandali, & propriæ C LXXVII

Vrgẽnte graui cauſſa, nõ ſemper peccat exponẽs ſe occaſioni proximæ mortiferè delinquendi.

infamiæ

infamiæ vitandæ. III. quia interdum obſtat ius tertij, vel innocentis, quod violare nefas eſt, vt quis ſe a malo, quod aliter poteſt redimere, tueatur. Vnde filijfamilias ſub poteſtate parentum conſtituti, cogendi non ſunt e domo eorum, quò periculoſum aliorum conſortium vitent, aufugere. IV. Quia, vt tenearis vitare occaſionem peccandi, debet ea eſſe vitabilis notabiliter faciliùs, quàm peccatum poſitâ occaſione, vt egregiè ratiocinatur recentior Theologus diſertiſſimus; nam alioqui lex prohibens talem occaſionem, afferret maiorem peccandi occaſionem; adeoque daret maiorem peccandi occaſionem, vt tolleret minorem peccandi occaſionem, quod eſſet facere ridiculam ipsã legem. Hinc non obligatur filius familias deſerere domum paternam, in qua habet proximam peccandi occaſionem, non ſolùm ne alioqui lædat ius tertij, nempe parentum, ſed etiam quia multo difficilius eſt eam deſerere, quàm, poſitâ eâ occaſione, vitare peccatum. Graue porrò incommodum, quod a delicto excuſat non diſcedentem ab occaſione proxima, eſt grauis infamia, vel notabile detrimentum ſpirituale, aut temporale, vel aliquod ſcandalum. Quam regulam ſanciunt S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 9. *in fine corporis*, Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 6. *concluſ.* 2. Nauarrus *in Summa, cap.* 3. *num.* 5. *litera E.* Corduba *quæſt.* 4. *pag.* 19. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 32. *ſect.* 2. *in fine* & 4. Enriquez *lib.* 4. *de pœnit. cap.* 24. *num.* 4. Caietanus, & Armilla *in Summa, Verbo, Periculum*, Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. cap.* 17. quos profert, ac ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 8. *num.* 3. Conſentiunt quoque Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *num.* 106. Bonacina *quæſt.* 4. *de matrimonio, punct.* 14. *num.* 11. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 5. *num.* 60. & *tom.* 2. *q.* 74. *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 17. *n.* 105. & 106. Item *tract.* 3. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *num.* 32. Seraphinus *in Additio. ad* Acunnam *de Confeſſ. ſolicitan. quæſt.* 19. *num.* 17. Baſilius de Leon *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 35. *num.* 4. Sa, *Verbo, peccatum, num.* 6. Coriolanus *de Caſib. reſeru. par.* 1. *ſect.* 2. *art.* 14. Ioſeph *de ortu Parochi, cap.* 10. *num.* 34. Antonius Fernandez *in inſtructione confeſſorum, docum.* 6. Veia *par.* 3. *caſu* 9. *ante finem*, Ludouicus Lopez *par.* 1. *cap.* 19. *vſque ad* 26. Toletus *lib.* 5. *Summ. cap.* 13. *num.* 5. & 6. Graffius *lib.* 1. *deciſ. aurear. cap.* 28. *a num.* 2. Silueſter, *Verbo, Concubinarius, num.* 2. & *Verbo, Abſolutio, num.* 12. Rodriquez *lib.* 1. *Sum. cap.* 202. §. *auiſo para los Confeſſores*, Vega 1. *par. Summ. cap.* 6. *caſ.* 2. S. Antoninus 3. *par. tit.* 17. *cap.* 20. Ledeſma *in Summa de Sacramen. pœnit. poſt* 6. *concluſ.* Azor *par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. *in fine*, Medina *in Summ. cap.* 13. *caſu* 9. Vitualdus, *de abſolutione, num.* 89. & *deinceps*, Anglicus *Flor. de Confeſſ. diffic.* 4. *concluſ.* 6. Ægidius *de Sacram. Pœnit. diſp.* 2. *dub.* 14. *in fine*, Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 8. *num.* 19. quos omnes recenſet, approbatque Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *num.* 8. Adſtipulatur etiam Diana *par* p. *tract.* 2. *miſcellan. reſol.* 47. Cardinalis de Lugo *diſp.* 14 *de pœnit ſect.* 10. *num.* 152. Thomas Tamburinus *lib.* 3. *Methodi expeditæ Confeſſionis, cap.* 3. §. 3. *num.* 8. cæterique communiter. Dixi autem, *non ſemper peccare* eum, qui ex cauſſa graui occaſionem peccandi mortiferè non relinquit: quia num cauſſa grauis perpetuò excuſet: §. 12. ex profeſſo indagandum eſt.

Segmentum II.

Obiectiones reijciuntur, legitimæque excuſationes tolerandi occaſiones proximas indicantur.

CL XXVIII. *Fruſtra diſſẽtiẽte Ferro.* Nihilominùs contra hanc tam communem ſententiam Michael Ferro Manrique *par. 2. quæſt. moralium, & Vicarialium, quæſt. 119. nu. 3. 4. 5. 6. & 7.* cenſet *occaſionem proximam peccati fugiendam eſſe in conſcientia, & abſolutionem denegandam, etiamſi magnum detrimentum adſit in vita, honore, & diuitijs.* Quod ipſe probat I. quia de duobus detrimentis minus eligendũ eſt: animæ verò detrimentum in occaſione proxima peccati, maius eſt detrimento vitæ corporalis, opum, vel honoris, quia illud ad Gehennam trahit, atq; æternũ eſt; hoc autem temporale, & finitum. Ergo id potiùs eligendum, quàm peccatum, vel occaſio peccati. Sed contra eſt, quia etſi vita potiùs, ne dum honor, & diuitiæ, ſit profundenda, quàm peccatum aliquod mortale committendum; tamen quum quis occaſionem peccandi ad vitandum damnum temporale non deſerit, non eligit ipſum peccatum, nec præfert minus bonum maiori, aut maius malum minori. Nam, electa occaſione peccandi, adhuc poteſt, ſi velit, non peccare, proponitque ſe non peccaturum, adeoque non eligit maius animæ detrimentum, quod ſibi cauendum ſtatuit, licèt eius periculum adeat. Deinde idem Manrique *ibid. num. 9.* concedit filiumfamilias, qui non poteſt ſine ſcandalo exire de domo patris, quum artem, vel officium non habeat; nec concubinam expellere, quia ipſe in aliena domo nihil diſponit, non teneri talem occaſionem relinquere: multoque magis idem fateri cogitur, ſi occaſio peccati grauis proxima oriatur ex ſorore ipſa, vel matre. Atqui hîc etiam idem argumentum maioris damni ſpiritualis ex occaſione peccati, quàm temporalis ex eius fuga obijci eodem modo poteſt. Ergo ſicut in hoc caſu id non obſtat, eodem Manrique annuente, ita neque in reliquis, in quibus par eſt ratio. Probat II. quia alioqui ſequeretur temporalia priùs eſſe diligenda, quàm ipſummet Deum. Sed contra eſt, quia id fruſtra dicitur, & ſine vlla probatione iactatur. Eſſe autem etiam falſum, iam ex præcedenti inſtantia liquet. Probat III. quia hinc anſa arriperetur excuſandi omnes occaſiones proximas lethiferè delinquendi. Sed contra eſt, quia hoc etiam ſine vlla probatione aſſumitur, multique caſus contingunt, in quibus occaſiones proximæ peccandi grauiter ſine graui incommodo declinari poſſunt, ſuntque tum ſub mortali ex conſenſu omnium cauendæ. In eo autem Manrique decipitur euidenter, quòd ſententiam ab occaſione proxima cum graui incommodo relinquenda deobligantem, quia Diana ab eo ibi reiectus (ſed fruſtra) ea *reſolut.* 47. nullum Auctorem eius patronum protulit, carere omnino Auctore alio, præter ipſum Dianam, exiſtimare videtur: quum tamen tam multiplici, tamque graui Doctorum agmine illa circumſepiatur, vt oſtendi.

C LXXIX *Etſi peccatũ ſit min' volibile, quã Infernus, non tamen permiſſio peccati.* At vrgebis adhuc; ſi ſcires ex diuina reuelatione te damnandum morte æterna, niſi paternam domum deſeras; tenereris certè ſaltem ex caritate erga teipſum illam cum grauiſſimo etiam detrimento tẽporali deſerere. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ iacturam faciat? Maius autem malum eſt peccatum mortale, quàm

Infer-

Infernus ipſe, aut carentia beatitudinis æternæ. Ergo quum occaſio proxima afferat ſecum ferè certam ruinam in peccatum mortale, teneris hanc etiam cum graui damno temporali relinquere. Reſpondeo cum Cardinali de Lugo *loc. cit. nu.* 154. quoniam peccatum, etiam veniale, maius malum eſt, quàm carentia beatitudinis, aut quàm Infernus ipſe; ex allata inſtantia ſequi, veniale quoque cum grauiſſimo detrimento temporali fore vitandum; quod eſt abſurdum: inſtantiam autem eſſe inanem, quia peccatum, etſi maius ſit malum, hoc eſt, minùs volibile per voluntatem actiuam, & practicam; non tamen per voluntatem ſpeculatiuam, & permiſſiuam. Nam licèt debeam potiùs non velle peccare, quàm non velle mortem, vel Infernum: non tamen debeo magis non permittere peccatum, quàm mortem, vel Infernum: quia peccatum non refundit tantam malitiam in voluntatem ſui permiſſiuam quàm in voluntatem cauſſatiuam. Vnde quamuis non liceat procurare homicidium, ex quo ſequitur magnũ Reipublicæ bonum; licebit tamen eius occaſionem permittere propter illud bonum. Confirmatur, quia ſi peccatum eſſet magis ſecundùm ſe odibile quocunque odio, quàm carentia ſalutis æternæ; non poſſet Deus ex amore erga Petrum v. g. velle permittere eius peccatum, quod eſt medium ad ſalutem: nam vellet illi permittere maius malum, vt vitaret minus; ſcilicet carentiam ſalutis; quod ſanè ſignum non eſſet beneuolentiæ, & amoris. Maius ergo bonum Petri eſt, quòd ſaluetur, quàm quòd vitet hoc peccatum, licèt Petrus ipſe non poſſit nec pro ſalute conſequenda illud committere, vt luculenter docet, & pluribus exemplis planum facit idem Cardinalis de Lugo *diſp. 5. de pœnit. ſect. 3. num. 33. & ſeqq.*

Sed vrgebis præterea; lex amicitiæ violatur ab eo, qui dat venenum, ex quo certiſſimè ſequitur mors amici. Ergo & ab eo, qui ponit occaſionem, quæ certiſſimè afferat offenſam grauem, & malum Dei. Reſpondeo cum eodem Cardinali de Lugo *diſp. 14. de pœnit. ſect. 10. cit. num.* 155. hinc etiam ſequi, quòd teneamur occaſionem peccati alieni cum graui detrimento ſemper vitare, & impedire: Nam id etiam eſt offenſa grauis, & malum Dei. Quod tamen falſum eſt. Nimirum quia lex amicitiæ obligat quidem nos, ne cooperemur poſitiuè ad malum amici: Vnde non poſſumus illi dare venenum, quia hoc eſſet cooperari, & tunc cauſſaremus illud malum. Non tamen obligat ſemper ad impediendum malum amici: nam cum graui detrimento non teneor ſemper impedire malum proximi, licèt aliquando tenear v. g. in extrema proximi neceſſitate. Vnde licèt ſcirem meum in vrbem aduentum fore occaſionem mortis amici, non teneor cum grauiſſimo meo detrimento impedire illud malum: ſed poſſum illud permittere; cum animi tamen dolore propter amicum, quem diligo. Hoc autem à fortiori magis habet locum in caſu præſenti, quò malum peccati Deo nihil incommodi intrinſecum affert, aut felicitatis minuit, ſed totum illud in eius gloriam extrinſecam poſtea conuertetur. CLXXX. *Nec violatur amicitia permittẽdo peccatum amici.*

Verùm etſi quis ab occaſione proximà peccandi deſerenda, quando ſine graui incommodo nequit, plerumque excuſatur, vti docui; dum tamen in ea manet, tenetur omnino alia remedia ad cauendum peccatum iuxta prudentis Confeſſarij præſcriptum, adhibere, vt decernunt ſupradicti Do- CLXXXI. *Manens ex graui cauſſa in occaſione proxima tenetur adhibere*

remedia alia ad cauēdū peccatū.

ctores, ſiguanterque Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 9. *num.* 110. & Cardinalis de Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 10. *cit. nu.* 152. *proteſtando nimirum complici, ſe etiam ſeriò pœnitere, & , vt idem etiam ipſe faciat, rogando : item clam citra ſui infamiam procurando, vt complex ad peccandum alliciens domo pellatur, vel, vt pœnitens ipſe aliò mittatur, vitando interim conſortium eius, quantum fieri poterit* (præſertim ſine arbitris, ac præſentia alterius) *aliaque efficacia remedia aduersùs lapſum diligentiùs adhibendo : quæ quidem ſi prædicti pœnitentes adhibere contemnunt, abſoluendi non erunt.*

CL XXXII Perſona ad malum ſolicitata debent ab ijs fugere.

Vxor tamen (ſubdit eodem loco Tannerus *num.* 110. *cit.* vnà cum Nauarro *in Manual. cap.* 16. *num.*27. quibus ego quoque aſſentior) ſi alia ratione nequeat viro ad crimen ſolicitanti obſiſtere, tenetur fugere, quum maritus cauſſam lapſus ei præbens, atque ita iniuriam inferens, hoc ipſo ius ſuũ perdat, vt cum communi docet etiam Ludouicus Lopez *in Inſtructor. par.* 1. *cap.* 78. Idem facere poſſet mancipiũ, ſi pari modo Domino obluctari non poſſet, rogatuſque Dominus, vt vendatur, abnueret, quia fas cuique eſt, vim vi repellere; ſecus verò, ſi tales perſonæ ab alijs præter voluntatem mariti, vel Domini, ad peccatum inducerentur, vt bene Nauarrus, & Tannerus *loc. cit.* ſimilique in caſu docent S. Thomas 2. 2. *q.* 101. a. 4. ad 1. & ad 3. Caietanus *ibi.* Thomas Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 20. Tabiena *verbo, pietas. num.* 2. Armilla *ibid.* & Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *num.* 9. aientes filiumfamilias non teneri Religionem non ingredi, adhuc parentibus in magna neceſſitate exiſtentibus, ſi ab ijs ad peccatum prouocetur : ſi tamen ab vno tantùm parentum prouocetur, minimè tenetur ingredi, vt rectè idem Ioannes Sanchez *ibid.* contra alterum Sanchez *loc. cit.* quia parens innocẽs non eſt priuandus iure ſuſtentationis ob periculum filij.

CL XXXIII. Manens in proxima peccādi occaſione, quatuor cōditionibus cō currētibus abſolui poteſt.

Cæterùm, quoties quatuor hæ conditiones concurrunt, I. vera pœnitudo de peccatis commiſſis. II. verum propoſitum non peccandi, etiam quũ in occaſionem proximam inciderit. III. prudens perſuaſio, quòd peccaturus non ſit, quanuis durante illa occaſione, ſibique oblata. IV. rationabilis cauſſa talis occaſionis non relinquendæ; quilibet meritò excuſari poteſt, quo minùs eam occaſionem proximam vitare teneatur, vt omniũ primus, quòd ſciam, dilucidè cenſuit Nauarrus *in Manuali cap.* 3. *num.* 5. *littera* E. cuius doctrinam poſtea amplexi ſunt Enriquez *lib.* 6. *cap.*24. *num.* 4. Ludouicus Lopez *loc. cit. cap.* 19. & 20. Graffis *par.* 1. *Deciſ. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 2. Beia *caſu* 39. Sa, *verbo, abſolutio, & verbo, peccatum, num.* 6. Tannerus *loc. cit. num.* 111. idemq; reipſa ſenſit priùs etiam Caietanus *in Summa, verbo, periculum*, nec non Armilla *ibidem*; coguntur que fateri omnes Doctores, quotquot proximam delinquendi mortaliter occaſionem, quando ſine graui incommodo vitari nequit, negant eſſe ſub mortali fugiendam, quos ſupra *nu* 177. recenſui. Quanuis verò hæc Nauarri doctrina a tot, ac tã magnis viris probata; nonnullis adhuc minimè arrideat: reuera tamen de reipſa ſecũdùm ſe nulla poteſt eſſe difficultas, vt rectè Tannerus *loc. cit. num.* 111. Quippe hoc ipſo, quòd pœnitens, atque adeo etiam Confeſſarius, prudẽter ſibi perſuadent peccatum illud denuo commiſſum non iri, etiam manente illa occaſione, ſiue quia nouo remedio de peccato illo cauendo prouiſum eſt; ſiue quia pœnitens per morbum debilitatus

tatus

tatus non ita ampliùs vexatur, hoc ipſo, inquam, occaſio illa deſinit eſſe propinqua, vt compertum eſt. Ergo non magis iam declinanda eſt, quàm quæuis remota. Imò Caietanus, & Sa *loc cit.* nec non Nauarrus *in Summa cap. 3. num. 5. lit.* C. iuxta Innocentium receptum in *cap. omnis, de pœnit. & remiſſ* putant fieri poſſe, vt quis ob vrgentem neceſſitatem, v.g. ob mortis, vel infamiæ periculum excuſetur, quo minùs teneatur peccandi periculum vitare, quamuis timeat, ne cadat, aut de hac re dubitet; quod etiam non videri improbabile iudicat Tannerus *num.* 111 *cit.* modò habeat firmum propoſitum reſiſtendi, & cæteræ cautelæ adhibeantur, vt ſupra dictum eſt: quicquid ſecus exiſtimet Lopez *cap* 20. *tit.* Ratio eſt, quia vrgens neceſſitas immunem culpæ reddit manentem in occaſione etiam proxima; & quia timor, vel dubium, ne in peccatum labar, niſi præceſſit frequentia peccandi, non efficit occaſionem proximam.

Timor, vel dubiũ relabēdi nõ efficit ſẽ per occaſionẽ ꝓximam.

Segmentum III.

Falſi prætextus occaſionum retinendarum confutantur.

CL XXXIV

Sæpe peccãtes ex cõuerſatione mulierũ extra domũ, abſolui poſſe docẽt nõnulli.

DEnique Nauarrus *in Manuali, c. 3. num. 5. cit. lit.* F. ſubdit: *quòd rectè faciunt multi ſancti Confeſſarij abſoluendo multos adoleſcentes, qui verſantur inter mulieres, emendo, vendendo, laborando, & conuerſando abſque cohabitatione illarum in eadem domo; licèt non ſtatuant ſe perpetuò abſtinere ab occaſione peccandi, quam id ipſis præbet, quamuis ſæpius peccent voluntate, verb s, aut tactibus impudicis, & etiam copulâ. Quia occaſio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, nõ eſt ex ſe peccatum mortiferum, neque eiuſmodi, vt ferè ſemper faciat peccare mortaliter eos, qui ea vtuntur, & per conſequens prædicta definitio occaſionis propinquæ non conuenit illi.* Quã Nauarri doctrinam referunt, ac ſequuntur Beia *par. 2. caſu 3.* Cardinalis de Lugo *diſp. 14. de Pœnit. ſect. 10. num.* 150. Thomas Tamburinus *lib. 3. Methodi expeditæ Confeſſionis, cap. 3. §. 2. num.* 4. quin Beia idem affirmat, etiamſi tales adoleſcentes in eiuſmodi occaſionibus peccent *ſæpiſſime* mortaliter, ne dum ſæpe.

CL XXXV.

Quòd tamen falſũ eſt, niſi ex graui cauſſa excuſētur, quo minùs tales occaſiones nes deſerant.

At mihi hæc aſſertio perdifficilis eſt, niſi aliter temperetur. Nam vel Titius adoleſcẽs in eiuſmodi occaſione expertus eſt ſe frequenter deliquiſſe lethiferè; vel non. ſi non, facilè concedi poteſt, talem occaſionem non eſſe illi proximam; nec aliunde etiam ex ſuo genere talis eſt, vt homines in culpam mortalem inducere ſoleat. Sin autem delinquendi frequentiam expertus eſt, hæc ſanè ad occaſionem proximam peccandi ei conflandam ſufficit, vt §. 10. ex omnium Doctorũ ſententia demonſtraui. Ergo, niſi vrgenti cauſſa, hoc eſt, graui incommodo ingruente, ſi eam relinquat, excuſetur, peccat mortaliter in eam ſe conijciendo, vt in hoc §. 11. ſupra ex conſenſu pariter cunctorum Doctorum patefeci.

CL XXXVI.

Occaſio enim ꝓxima mortalis illa quoque eſt, in qua frequẽter etiã tãtũmodo peccatur.

Confirmo I. ad hominem efficaciter, quia Nauarrus doctrinæ huius primus Auctor *cap. 3. Manualis, nu. 5. litera* D. *cit.* negat poſſe abſolui eum, qui non ſtatuit vitaturum ſe *occaſionem, quæ ex ſe ſit mortifera, aut peculiaris eiuſmodi, quam credit probabiliter peccati mortalis cauſſam ſibi fore*; vt ſupra etiam retuli. At Titius in prædicto caſu, quum expertus ſit, ſe frequenter peccaſſe in tali occaſione mortiferè, cogitur credere probabiliter, manentibus iiſdem circumſtantijs, eam ſibi peccati lethalis cauſſam fore

mo-

moralem, aliterque credens, improbabiliter planè, imprudenter ac temerè iudicaret, adeoque minimè excuſaretur. Ergo ea occaſio eſt proxima,& Titius non eſt iuxta Nauarrum,& eius aſſeclas, niſi ſtatuat ſe eam vitaturum, abſoluendus; ac proinde, ſi abſque legitima cauſa in ea hæreat, peccat mortaliter. Cardinalis etiam de Lugu (idemque & de Thoma Tamburino dico, qui *loc. cit.* nihil de ſuo, ſed tantùm ex eodem Cardinali deſcribit) *ſect.* 10. *cit. num.* 164. reijciens Suarium, id abſurdi ſequi ait, *eum, qui experitur, ſe in ludo frequenter blaſphemare, & peierare, non teneri vitare ludum*. Ergo ſicut is, qui expertus eſt, ſe in ludo frequenter peierare, tenetur per Cardinalem de Lugo illum vitare, ita etiam Titius eam occaſionem cōuerſandi cum feminis abſque cohabitatione, in qua quoq; frequenter, aut ſæpe ſe mortaliter peccaſſe expertus eſt, tenetur declinare: *frequenter* autē, ac *ſæpe* idē ſignificare, ex Grammaticis notum eſt. Ergo etſi frequenter ſolùm, ſeu ſæpe, & non ſemper, nec ferè ſemper ille blaſphemet in ludo, vel Titius concupiſcat impurè feminas, quibuſcum verſatur, adhuc vterq; iuxta eundem Cardinalem in proxima occaſione eſt; ac proinde ad proximam non requiritur, vt ferè ſemper præcipitet. Ergo huiuſmodi Auctor, qui vnum affirmat,& alterum negat in pari omnino caſu, parum conſequenter loquitur. Ergo dicta occaſio non eſt remota,ſed proxima, alioqui non foret neceſſariò relinquenda.

CLXXXVII. *Nec occaſio proxima ob graue incommodum, ſi deſera-*

Confirmo II. quia occaſio peccādi ex conditione particulari perſonæ non euadit remota eo quòd ſine graui incommodo declinari non poſſit, ſed graue incommodum efficit, vt etiamſi ea ſit proxima, non imputetur culpæ illam non deuitare, vt manifeſtum eſt,

tur, fit remota.

nec quiſquam probabiliter negare poteſt. Filius enim familias, qui ob graue detrimentum nequit domum paternam deſerere, non idcirco eſt ſine occaſione proxima inceſtus, quem ſæpius cum affine, vel cognata committit, creſcitque in dies relabendi periculum; ſed ipſum graue detrimentum eum in eadem perſeuerantem domo excuſat a crimine non vitatæ occaſionis. Vel igitur Titius patitur graue incommodum, ſi deſerat talem occaſionem emendi, vendendi, laborandi, & conuerſandi cum mulieribus ſine cohabitatione &c. vel expers eſt ſimilis incommodi. Si ſecundum, quum occaſio ex frequentia delinquēdi grauiter, ſit ſufficienter proxima, tenetur eâ abſtinere, vt probatum eſt. Si primum, excuſatur quidem eam non deſerens; at non propterea ea ſit remota. Ergo perperam talis occaſio a dictis Auctoribus vocatur remota. Ergo ſi nihilominùs Titius in eo caſu excuſandus, aliunde, nempe a graui incommodo, quod alioqui ſubiret, nō autem ab occaſione remota, excuſandus eſt; quod ſanè indicauit Beia *loc. cit.* ſubdens, *maximè ſi ſubeſt aliqua cauſſa notabilis non abſtinendi ab ea*; in eo tamen a vero aberrans, quòd illud *maximè* addit, ita nimirum innuēs, etſi deſit cauſſa, adhuc tamen abſolui poſſe, quia occaſio ſit tantùm remota, quod iam refutaui.

Cardinalis etiam de Lugo *loc. cit.* CLXXXVIII
num. 151. excuſans adoleſcentem cum feminis conuerſando ſæpe peccantem mortaliter, probat ex eo, quia *ad tollendam talem occaſionem oporteret pœnitentem in eremum abire, vt omni commercio cum feminis liber eſſet*. Sed contra eſt, quia hæc duo, quæ idem Theologus aſſerit, occaſionem eam, licèt ſæpe in mortale impellat, eſſe remotam, & ſecedendum in eremum,

Occaſio remota, nō benè colligitur ex ſeceſſu aliās neceſſario in eremum.

quò

quò declinetur, ægrè ſimul ſubſiſtunt. Nam quanuis verum ſit, ſi cunctę peccandi occaſiones remotæ, forent neceſſariò vitandæ, ſecedendum tum cuique in eremum, imò & de hoc Mũdo demigrandum, vt ait Apoſtolus; quæſtio tamen modò eſt, an conuerſatio cum feminis ſit occaſio remota, vel proxima: quam non bene probat ille eſſe remotam ex eo, quia abeundũ alioqui eſſet in eremum, vt vitaretur: nam plurimi etiam ex cohabitatione cum feminis in ijſdem ædibus, quas ſine grauiſſimo detrimento nequeunt relinquere, ferè ſemper ob tales occaſiones peccant mortaliter, ſaltem prauè concupiſcendo; & conſequenter in occaſione proxima ex ſententia omnium Doctorũ ſunt; quam tamen multo difficiliùs queunt deſerere, quàm conuerſationem externarum mulierũ, vt euidens eſt, quum in vita humana ſeculari nuſquam deſint mulieres, quæ viris ſeu malitia, ſeu paſſione in libidinem pronis ſimiles peccandi occaſiones præbent: longè autem procliuiùs caueri poteſt conuerſatio externarum mulierum, quàm domeſticarum; hæ quippe magis propinquæ ſunt, atque intimæ, quàm illæ. Ergo, ſi, vt vitentur illæ, abeundum eſſet in eremum, multo magis, vt declinentur iſtæ, eodem ſecedendum erit, vt liquet. At ex eo, quòd in eremum ſecedendum foret, non bene colligitur, conuerſationem domeſticarum mulierum, quãdo frequens lapſus, vt frequens blaſphemia in ludo, interceſſit, eſſe occaſionem remotam tantùm, ſed e contrario, licèt ſit proxima, non tamen eſſe ſub obligatione relinquendam, ob graue incommodum, quod immineret, ſecedendi in eremum, ne ſimili occaſioni in cunctis ſecularium ędibus ſalus animæ exponeretur. Ergo multo minùs bene colligitur ex eo, quòd in eremum abeundum eſſet, ad externarum mulierum conuerſationem declinandam, hanc occaſionem eſſe tantùm remotam; ſed ex aduerſo, quanuis ſit proxima præ frequenti lapſu in mortale; non tamen neceſſariò eſſe deſerendam ob graue incommodum abeundi in eremum ad eam deuitandam. Vnde non bene infertur, occaſionem, ex eo, quòd ſine graui incommodo deſeri nequit, eſſe remotam, vel proximam; ſed ea ex rara in mortale ruina, hæc ex frequenti eſt eſtimanda, & colligenda.

Confirmo III. quia ſi quis expertus eſt, quoties talem mulierem, vt Lucretiam, aſpicit, ferè ſemper ſe in fœdũ eius deſiderium labi, huic aſpectus Lucretiæ eſt occaſio proxima vitanda ex ſententia omnium. Ergo ſi expertus ſit etiam ſe in mortale ferè ſemper pariter ruere ex aſpectu non ſolùm Lucretiæ, ſed cuiuſuis etiam mulieris non omnino deformis, ei talis aſpectus erit quoque occaſio proxima planè fugienda in ſententia omnium. Ergo, quum ad occaſionem proximã peccandi ſufficiat frequens lapſus in mortale, vt §. 10. probatum eſt, qui in prædicto caſu conuerſationis externarum mulierum ſupponitur adeſſe, talis conuerſatio erit occaſio non remota, ſed proxima, & ſub mortali, niſi graue incommodum excuſet, declinanda. CLXXXIX.

In caſu autem dicto occaſio eſt proxima.

Loquendo autem de facto, & non tantùm ex hypotheſi, num adoleſcens, qui expertus eſt, ſe ex conuerſatione mulierum externarum frequenter peccare mortaliter, delinquat grauiter non relinquendo talem occaſionem proximam; pendet ex circumſtantijs. Si enim graue damnum patiatur eam deſerendo, quia v. g. non poterit vendere, aut emere, aut laborare &c. non ei imputabitur ad culpam remanere in illa. Sin nullum tale damnũ patia- CXC.

Quam nemo tenetur cũ graui incommodo cauere.

tur, tenebitur ſub mortali eam relinquere. Et ita diſertè tradit Armilla *verbo, Periculum,* hiſce totidem verbis. *Similiter peccat mortaliter vadēs ad locum, ſine cum ſocietate, ſiue non, vbi eſt periculũ peccandi mortaliter, & timet peccare, vel propter aſpectum, vel perſuaſiones, vel commoditates, vel huiuſmodi.* Nec puto diſſentire reipſa Nauarrum, de Lugo, vel Tamburinum, aut Beiam, quos de diuerſo potiùs caſu loqui mihi perſuadeo. Nam, vt notaui §. 4. *num.* 36. occaſio peccandi grauiter non eſt ſufficienter proxima, niſi probabile periculum labendi hîc & nunc in determinatis circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum meritò apprehendatur. Iam adoleſcens dupliciter poteſt expertus eſſe frequentem ruinam in mortale ex cõuerſatione externarum mulierum. I. vt continuata conſuetudine notabilis temporis v. g. trium menſium, ſingulis diebus aſpiciendo, alternis ferè deliquerit, & aliquando bis, vel ter in die; vnde prudenter vereri debet, ne, ſi hîc & nunc rurſum adſpiciat, morale periculum relabendi ſubſit. II. vt ſæpius quidem ex aſpectu peccârit, ſed magnâ temporis intercapedine, vt frequentia labendi non ſit continuata nec phyſicè, nec moraliter; vnde ex tali frequentia, quæ interrupta eſt, & bonis propoſitis aliquandiu etiam reuocata, vel aliter impedita, non cogitur prudenter exiſtimare hîc & nũc imminere in tali conuerſatione periculum probabile recidendi, quanuis certò credat ſe deinceps aliquando in ſimili occaſione caſurum. In quo poſteriori caſu occaſio adhuc non eſt niſi remota, vt ſatis eo §. 4. docui, & de hôc caſu ſine dubio agunt prædicti Auctores, qui primo aſpectu diſſentire videntur, quum tamen minimè diſſentiant reipſa, etſi minùs conſentaneè loquantur, vt oſtendi: nullo modo autē de priori caſu intelligi ijdem debent, in quo, ſicut certum eſt, adeſſe occaſionem proximam delinquendi mortaliter, ita exploratum, ſub mortali, niſi vrgens neceſſitas excuſet, eſſe deſerendam ex conſenſu Doctorum omnium.

Auctores diſſentiẽtes in concordiam reuocantur.

CXCI. Hinc iure optimo Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *cit. num.* 11. docet poſſe abſolui mercatores, ſcribas, milites, & aliorum officiorum perſonas, quanuis in talibus officijs occaſionem ſæpe delinquendi grauiter experiantur, nec talia officia velint deſerere. Quas ſanè perſonas non ideo excuſat, quia eæ occaſiones ſint tantùm remotæ; ſed quia licèt ſint proximæ ob frequentē ruinā, *nullus* tamen *tenetur* occaſionem *proximam vitare cum magno detrimento, quod ſanè interueniret officium deſerendo.* Pro qua ſententia refert quoque Nauarrum ipſum *in Summa, cap.* 3. *n.* 14. Graffium *lib.* 1. *deciſ. par.* 1. *cap.* 28. *nu.* 25. Ludouicum Lopez 1. *par. Inſtruct. cap.* 19. *concl.* 6. *& cap.* 25. *notab.* 1. Vnde non placet Cardinalis de Lugo *ſect.* 10. *cit. num.* 149. vniuersè tales perſonas excuſans, quia in remota ſolùm peccandi occaſione verſentur; ſi quidem, quando frequentia peccandi lethiferè continuata præceſſit, vnde periculum probabile relabendi hîc & nunc prudenter metuitur, talis occaſio non eſt remota, ſed proxima, vt oſtendi: atque adeo aliunde eiuſmodi perſonæ ſunt excuſandæ, a graui videlicet incommodo, quod talia officia relinquendo ſubirent, vt dixi. Poteſt tamen opinio eiuſdem Cardinalis habere locum, vt ipſum reuera ſentire cenſeo, quando frequentia peccandi adeo fuit interrupta, vt non ſinat prudenter timeri hîc & nũc probabile periculum recidendi, ſed futurum tantùm indefinitè, atque adeo remotum dumtaxat; ac proinde ſicut

Mercatores, Scribæ, milites, & ſimiles excuſantur a deſerẽda proxima delinquendi occaſione ob graue incõmodũ eius deſerendæ.

Nõ verò quia ſit illa ſolũ remota.

occaſio

occaſio eſt tantùm remota, ita nulla obligatio eius vitandæ.

CXCII. *Corollaria Nauarri de occaſione proxima quatenus admittenda.* Demum Nauarrus, ac nõnulli eius ſectatores quædam corollaria deducunt, in quibus multos a culpa eximũt, licèt in occaſione peccandi hæreant, quia non ſemper, nec ferè ſemper in ea delinquunt, tametſi nullâ aliâ legitimâ cauſsâ nitantur. Quæ ſanè corollaria cum eodem temperamento, & diſtinctione admitti, vel reijci ex diſputatione ſupra explanata debent. Nam ſi in illis frequentia delinquendi præcedens ita interrupta fuit, vt per eam non adigatur operans hic & nunc periculum proximum, vel probabile relabendi prudenter timere; occaſio tantùm remota, culpæ grauis expers, in iiſdem eſſe meritò cenſeri poteſt. Quo caſu nemo eiuſmodi occaſionem declinare tenetur, etiamſi aliâ cauſsâ excuſante careat; & quis certò etiam credat, ſe aliquando deinceps, ſed indefinitè in ſimili occaſione lapſurum, vt ſatis ex dictis pateſcit; & confirmatur ex eo, quia propoſito efficaci non peccandi de cætero non repugnat reuelatio futuri peccati, & fides talis reuelationi præſtita: ſicut propoſitum efficax S. Petri non negandi Chriſtum, etſi reliqui negaſſent, cum prædictione Chriſti Domini futuræ negationis, & fide tali prædictioni habitâ poterat conſiſtere: atque adeò dummodò hic & nunc nihil velim, quod efficaci propoſito non delinquendi aduerſetur, id integrum remanet, etſi poſtea violandum, ac peruertendum timeatur, vel certò etiã ſciatur. Repugnat autem tali propoſito, exponere ſe abſque vrgente cauſa periculo peccandi mortaliter, quod hic & nunc imminere, probabiliter exiſtimatur, quia nimirum lethale ſcelus eſt, propoſito efficaci non peccandi mortiferè, omnino contrarium, exponere ſe abſque idonea cauſsa probabili periculo grauiter delinquendi: non repugnat verò efficacitati propoſiti metus, vel credulitas, vel certitudo futuri peccati, vt explicatum eſt. At ſi in illis Nauarri, & aſſeclarum corollarijs frequentia peccandi mortaliter, etſi non ſemper, nec ferè ſemper lethalis culpa in eiuſmodi occaſionibus admiſſa ſit, adeò continuata mõraliter præceſſit, vt meritò probabile periculum recidendi in mortale hîc & nunc in ſimili occaſione timeatur: talis occaſio ex tali etiam frequentiâ cadendi conflata, proxima vtique eſt, & ſub mortali vitandâ, ſolumq; ex graui cauſsa retineri poteſt, vt ſatis ex dictis perſpectum eſt; & Nauarrus, cæterique, ſi fortè oppoſitum docuerunt, manifeſtè refelluntur, inconſequenterque loqui, & ſibi non conſtare apertè conuincuntur etiam ex dictis, quandoquidem negare iure non poſſunt, vt §. 10. vidimus, quin occaſio labendi in mortale ex notabili quoque frequentiâ cadendi identidem etiam interpolatâ, ſed moraliter continuatâ, proxima quoque ſit, & ſub mortali, vbi vrgẽs neceſſitas non excuſat, declinanda, vt in præſenti §. 11. planum fecimus. Singulatim autem illa Nauarri, & aliorum Corollaria excutere, non patitur ſuſcepti operis ratio, in quo de ſcandalo, & occaſione remota, & proxima generatim dumtaxat diſſerendum ſuſcepi, etſi obiter exempli gratiâ nonnulla quoque ſingularia libaui. Certũ tamen eſt, illos Doctores, ſicubi a mortali ex eo præciſè, quòd occaſio non ſemper in mortale præcipitârit, excuſent, omni probabilitate carere; ſiquidem ſat eſt, vt ſæpe præcipitarit: ſecus autem docentes, ipſi ſibimet cõtradicunt, adeoq; in talibus Corollarijs omni auctoritate, & probabilitate excidunt, vt §. 10. oſtendi.

§. XII. *An vrgens cauſſa, ſeu graue incommodum capacem abſolutionis ſemper eum reddat, qui proximam delinquendi lethaliter occaſionem non deſerit.*

CXCIII. IN ſuperiore §. 11. cauſſam vrgentem, ſeu graue incommodum excuſare a culpa non relinquentes propinquam peccandi grauiter occaſionem, probaui. Sed num ſemper, & in quocunque caſu excuſet, nondum exploraui. Vnde hic prætereà quæro, an qui ſæpius abſolutus præ graui detrimento in remouenda occaſione proxima mortiferè peccandi, eodem tamen modo ſemper recidit, neque in eo vlla emendatio animaduertitur; poſſit nihilominus durante illo detrimento ſemper abſolui denuo: an verò cogendus ſit cum eo etiam detrimento occaſionem illam proximam grauiter peccandi relinquere? Alij aiunt; alij negant. Ego ex Cardinali de Lugo, qui optimè hoc dubium explicuit, rem paucis abſoluo, &

CXCIV. Dico I. ſi ſpeculatiuè loquamur, & per ſe, abſolui poſſe, qui ex graui incommodo occaſionem proximam peccandi lethaliter non deſerit, etiamſi nullam correctionem oſtendat, dummodo efficax propoſitum abſtinendi deinceps habeat. Ita Viualdus *in Candelabro, tit. de abſolut. §. Caſus Epiſcopi reſeruati,* Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp. 10. num. 16.* Diana *part. 1. tract. Miſcellan. 2. reſol. 47.* Michael Ferro Manrique, *par. 2. moral. QQ. quæſt. 119. num. 13.* & Cardinalis de Lugo *diſp. 14. de Pœnit. ſect. 10. cit. num. 156.*

Recidiuus ſine vllo emendationis ſigno ſi habet efficax propoſitum non relabendi, abſolui poſſet, licèt non deſerat occaſionẽ proximam, quam nõ poteſt

Probat Ioannes Sanchez, quia abſoluimus abſque ſcrupulo pœnitentem confitentem cotidie venialia, nullo apparente profectu, licèt eorum occaſionem minimè tollat, étiamſi abſq; graui incommodo illam auferre poſſet. Ergo a fortiori non repugnat verus dolor, & verum propoſitum abſq; ablatione occaſionis proximæ, quoties hæc ſine graui incommodo amoueri nequit. Sed qui habet verum dolorem, & propoſitum, abſolui poteſt. Ergo in hoc caſu abſolutio impendi poterit.

ſine graui incõmodo dimittere.

At contra eſt, quia etſi retentio occaſionis proximæ non repugnet ſecũdũm ſe cum propoſito vitandi peccati, neque abſolutio negetur eo quòd illa occaſionis retentio cum vero propoſito nequeat conſiſtere; iure tamen negatur, quia velle ſcienter abſque iuſtâ cauſſa perſeuerare in occaſione proxima peccandi mortiferè, eſt nouũ peccatum mortale. Obligatio enim non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter; cui obligationi non ſatisfacit, qui, quum poſſit, non vult relinquere occaſionem proximam, & ideo nõ abſoluitur, quia conſtat illum non habere propoſitum non peccandi, quum actu peccet non vitando illam occaſionem proximam, quam ſub peccato tenetur relinquere. Secus porrò accidit in confitente ſolùm venialia. Quippe non tenetur homo ſub nouo peccato etiam veniali tollere proximas venialium occaſiones, tùm quia hæ ſunt innumeræ, ideoque, nec ſine graui incommodo euitabiles: tùm quia non tanti refert peccatum leue, vt ſub peccato ſit etiam obligatio vitandi eius periculum. Cæterùm cum morali etiam certitudine recidendi in venialia poteſt ſtare verus dolor, & propoſitum efficax illa vitandi. Nam propoſitum neceſſariũ non eſt ſemper voluntas abſoluta, ſed

Nõ quia relapſus in venialia cotidianus non impedit abſolutionem.

Occaſiones enim õnes venialium nec ſub veniali vitandæ

voluntas efficax, talis ſcilicet, cum, qua, quandiu ipſa durat, non poſſit ſtare peccatum actuale: quæ voluntas poteſt eſſe, etiamſi ſciat aliquis ſe poſtea peccaturum, & a tali voluntate defecturum. Ergo allata inſtantia Ioannis Sanchez a venialium abſolutione ſine vlla emendatione, ad abſoluendum perpetuò eum, qui ex occaſione proxima ad graue damnum auertendum retenta, in mortale recidit, nullamque correctionem oſtendit, eſt planè inualida; ſiquidem probaret etiam abſolui eundem poſſe, etiamſi abſque graui detrimento occaſionem peccati mortalis queat deſerere, nec tamen deſerat; ſicut abſolui poteſt à venialibus is, qui eorum occaſionem proximam, quam abſque detrimento ab ea diſtincto poteſt relinquere, minimè relinquit: quod tamen abſurdum eſt.

CXCV. *Sed quà dolor verus, & propoſitum efficax cum relapſu quocũq; præterito, ſine volũtate auferẽda occaſionis proxima cum tãto damno, ſtare poteſt.*

Ratio igitur concluſionis genuina eſt, quia adhuc poſt experientiam illam nullius profectus poteſt ſtare dolor verus, & propoſitum requiſitum abſque voluntate auferendi occaſionem cum tanto detrimento. Ergo poteſt abſolui pœnitens, quum nihil aliud, quàm confeſſio, & dolor, requiratur. Antecedens patet, quia ſicut prima vice poteſt abſolui, eò quòd cum tanto detrimento non tenebatur auferre occaſionem illam; ita ob idem detrimentum permanens excuſatur tempore ſequenti ab auferenda occaſione; neque eſt, vnde orta fuerit grauis obligatio nunc auferendi occaſionem, quæ antea non eſſet. Ergo ſi antea excuſabatur, excuſatur etiã poſtea. Neque obeſt vero dolori, & propoſito credulitas relabendi deinde ob fragilitatem toties expertam.

CXCVI. *Quod amplius cõfirmatur.*

Confirmatur I. ad hominem contra Aduerſarios, qui fatentur poſſe pœnitentem ſæpius abſolui, ſi aliquam emendationem oſtenderit, hoc eſt, nõ ita frequenter lapſus fuerit, ſicut antea. Nam ſicut poteſt ſtare dolor, & propoſitum requiſitum cum certitudine morali de futuro relapſu non ita frequenti; cur nequeat ſtare cum certitudine morali de lapſu futuro frequenti? propoſitum enim, quum ſit vniuerſale, non minùs videtur opponi cum certitudine de vno lapſu contra ipſum propoſitum, quàm cum certitudine de multis. Confirmatur II. quia ſi occaſio peccandi abſque graui ſcandalo, vel detrimento ſpirituali auferri non poſſet, non teneretur ſine dubio pœnitens ad eam auferendam, quò abſolui poſſet. Ergo ſicut tunc poſſet habere verum propoſitum requiſitum cum ea certitudine morali lapſus futuri; ſic etiam quando occaſio auferri non poteſt abſque graui detrimento corporali. Confirmatur III. quia ſi occaſio nullo modo tolli poſſit, qualis eſt propria fragilitas, non ex occaſione externa, ſed ex inſita concupiſcentia, & natura pœnitentis; adhuc poſt totam illam experientiam poteſt abſolui. Ergo poteſt habere dolorem verum, & propoſitum cum tota illa certitudine futuri lapſus, atque adeo ex hoc capite non erit incapax abſolutionis.

CXCVII. *Et effugie occurritur.*

Neque dicas, nunc experientia conſtare, neceſſarium eſſe omnino ad vitandum peccatum auferre illam occaſionem, quod prius non conſtabat. Contra enim eſt, quia ſi prius non conſtabat, etſi abſque incommodo auferre eam occaſionẽ poterat, minimè eã linquere tenebatur. Nam vel prius conſtabat imminere probabile periculum relabendi in mortale, vel non. Si ſecundum, certum eſt occaſionem illam fuiſſe tantum remotam, retinerique, etſi ſine incommodo cauere eam fas eſſet, potuiſſe. Si primum

certum etiam eſt, eam occaſionem fuiſſe proximam, & vitandam, quanuis graue detrimentum non diſcedentem ab ea excuſet. Quod autem nunc ex longiori experientia magis conſtet, non accedit grauis obligatio, quum totum augmentum ſit tantummodo ſecundùm magis & minus intra idem genus. Verùm etſi ſpeculatiuè loquendo ita ſe res habeat, vt dixi; tamen

CXCVIII. *In praxi cogendus eſt recidiuus deſerere occaſionem proximam etiam cũ graui nocumẽto temporali, quum nullum emẽdationis ſignum oſtendis.*

Dico II. in praxi plerumque, qui poſt tentata omnia remedia in mortale relabitur ſine vllo emendationis veſtigio ob proximam grauiter peccandi occaſionem, cogendum eſſe talem occaſionem relinquere etiam cum graui nocumento temporali. Ita perſpicuè Suarez *tom. 4 in 3. par. diſp. 32. ſect. 2. num. 4. in fine*. Graffius *par. 1. Decis lib. 1. cap. 28. num. 23.* Ludouicus Lopez *1. par. inſtruct. cap. 22. §. 3. notabili, in fine*, Medina *in Summa, folio 63.* Coriolanus *de caſibus reſeruatis, par. 1. ſect. 1. art. 14.* Reginaldus *tom. 1. lib. 8. num. 19.* Sed ante hos omnes, apertè etiam Caietanus *in Summa, Verbo, Periculum*, vbi ait: *Si experientia teſte didicit, ſe non ſubſiſtere in huiuſmodi, ſed ſtatim, aut quaſi ſtatim cadere, nulla neceſſitate vincatur, vt illuc eat, aut ibi moretur*. Idem quoque tradit manifeſtè Nauarrus, ne dum fauet, vt inquit Cardinalis de Lugo *ſect. 10. cit. num. 156.* Nam *in Summa Latina, cap. 3. num. 5. littera I.* quum dixiſſet, abſolui poſſe ſine ſeparatione, cognatas, ancillas, ac famulas, quæ rem habuerunt cum ſuis conſanguineis, dominis, vel heris, in quorum domo degunt, quia ſine magno incommodo tale hoſpitium nequeunt deſerere; addidiſſetque abſolui etiam poſſe, quanuis quarta vice relapſæ ſint, & minimè ſeparentur, dummodo concurrant quatuor conditiones requiſitæ; de quibus §. 11. iam egi, inter quas vna præcipua eſt, vrgens cauſſa, & neceſſitas; ſubdit deinde explicatiſſimè: *Verumtamen ipſe, ſi eſſem Confeſſarius, non abſoluetem eas, ſi cernerem, quòd præteritis vicibus nulla emendatio, neque inchoatio eius extitiſſet; neque ſi circumſtantia infirmitatis, puſillanimitatis, & ingens propenſio earum ad peccatum, & diffidentia, quam habent illæ de pœnitudine alterius partis, mihi perſuaderent, quod niſi ſeparentur, nulla conſequeretur emendatio.* Nihil clariùs. Nauarrus vbi nullam cernit emendationem, ſe minimè eas feminas abſoluturum profitetur, licèt quatuor eas conditiones requiſitas, & inter has graue detrimentum, ſi talem occaſionem vitent, præ ſe ferant. Conſentit quoque Tannerus diſertiſſimè *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 9. num. 112.* aſſeuerans amoliendam eſſe peccati occaſionem, *nulla cauſſa, quantumuis graui obſtante, poſtquam omnia media, quæ ad peccatum vitandum vtilia videri poterant, in vanum tentata, & præſcripta ſunt; tenerique proximam & ſpecialem peccati occaſionem reſecare, qua videlicet durante, prudenter exiſtimandum eſt, eos a peccatis non ceſſaturos; etiamſi extremam paupertatem, & calamitatem ſuſtinere cogerentur; nec priùs abſoluendi ſunt, quàm parati ſint hoc facere.* Quanquam hîc Auctor id limitat ad eos tantùm, qui ſui iuris ſunt: ratio tamen idem extorquet etiam de alijs, quemadmodum cæteri Doctores relati ſine tali limitatione generatim hoc aſſerunt. Quibuſcum etiam Corradus *quæſt. 15.* adſtipulatur; approbatque etiam Cardinalis de Lugo *ſect. 10. cit. num. 160.*

Nauarrus autẽ culpatur, & excuſatur.

Fateor tamen Nauarrum in pleriſque corollarijs non ſatis aptè cum ijs, quæ *loc. cit.* ex ipſo produximus, videri cohærere. Quocirca Corradus, & Ludo-

Ludouicus Lopez *loc. cit.* non dubitant pronuntiare, vt Tannerus *loc. cit.* obſeruat, eundem iet Nauarrum illic nimis licentioſè locutum eſſe. Sed fortè excuſari poteſt, vbi ſecum pugnare videtur, non agere de occaſione ita proxima, vt ex præterita frequentia peccandi continuata præſens periculum relabendi in culpam lethalem probabile, & morale prudenter timendum ſit; ſed de ea, quæ ex interrupta frequentia remotum dumtaxat, & parum veriſimile periculum relapſus exhibet. Quod ſi hæc, aut alia excuſatio alicubi ei non prodeſt, viderit ipſe. Certè quidem, vbi ſecum ipſe digladiatur, quid probabilitatis conflare queat opinioni, quam ipſemet arietat, atque euertit, ego non video. Vt vt tamen de hoc Auctore eſt;

CXCIX. *Sic enim deſerendā eſſe iubet Chriſt⁹, & ratio.* Probatur I. aſſertio a Tannero *num.* 112. *cit.* ex illo Saluatoris effato *Matth.* 5. & 18. *Si oculus, vel pes tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Quibus locis præcidendam eſſe proximam grauiter peccandi occaſionem etiam cum graui detrimento temporali ſancit, & præcipit Chriſtus Dominus, vt eadem loca interpretantur S. Hilarius *Canone* 4. S. Athanaſius *quæſt.* 70. S. Pacianus *Epiſt.* 3. *contra Nouat.* S. Cyrillus *lib.* 12. *in Ioan.* Anaſtaſius *quæſt.* 13 Saluianus *lib.* 3. *de Prouiden.* & Theophylactus *ibid.* Quo etiam ſpectat illud *Matthæi* 16. *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Ratio eſt, quia vita corporalis vitæ ſpirituali poſtponenda eſt, vt conſtat. Ergo quo caſu aut peccatum committendū eſt (qualiſcunque, & vndecunque oriatur talis neceſſitas) aut fame laborandum, vel etiam moriendum, ſalus animæ antehabenda eſt ſaluti corporis. Quæ ratio, & Chriſti Domini præceptum vrgent maximè, vbi nulla pœnitentis emendatio apparet, nec poſt tentata omnia remedia, ſpes rationabilis futuræ emendationis concipitur, abſcindēdam eſſe occaſionem lethiferè peccandi proximam non ſine graui dolore etiam damni temporalis, perinde ac ſi pes, vel manus foret amputanda: qui dolor, & damnum ſubeundum non eſt, quandiu aliquis fructus cernitur, vel ſpes bonæ frugis non temerè arripitur.

Probatur II. ex Cardinali de Lugo *num.* 160. *cit.* quia in praxi ex frequenti relapſu in mortale ſine vllo emendationis veſtigio poſt iterata Sacramenta ſæpius, meritiſſimò arguitur, pœnitentem hîc & nunc carere vero dolore, & propoſito requiſito. Nam qui efficaciter proponit, & ſeriò rem aliquam, quam aliunde moraliter implere poteſt, non ita facilè obliuiſcitur ſtatim ſui propoſiti, ſed ſaltem per aliquod tempus perſeuerat, & difficiliùs, vel rariùs cadit. Vnde in ipſis etiam peccatis venialibus ſolet aliquando argui imperfectus dolor ex vniformi perſeuerantia in eiſdem ſine vlla ſpecie emendationis. In ijs tamen faciliùs poteſt præſumi propoſitum validum; quia impoſſibilitas materiæ facere poteſt, quòd non obſtante repetito dolore, & propoſito, in eadem ſæpiùs relabantur: in peccato autem mortali, quod cum diuina gratia poteſt non ita difficilè vitari, maior eſt præſumptio de imperfectione propoſiti. CC. *Et quia meritò præſumi, de eſſe verum dolorem, ac propoſitum.*

Probo III. quia in hac aſſertione non eſt quæſtio, vtrum pœnitens poſt relapſum in eadem mortalia diu, ac ſæpiſſime repetitum, retentâ etiam proximâ illorum occaſione, quàm ſine graui detrimento nequit relinquere, verum dolorem, efficaxque propoſitum CCI. *Neq; a Cōfeſſario prudenter præſumi poteſt.*

poſitum, ea deinceps cauendi habere queat, nec ne? De hoc enim nemo, qui Philoſophiam, ne dum Theologiam vel a limine ſalutârit, controuerſatur; neque Suarez, ac reliqui huius aſſertionis Auctores doctiſſimi, tam parum vident, aut ſapiunt, vt id neſciant, aut negent; nec ſanè præcedenti aſſertioni vllo modo aduerſantur, ſi ſpeculatiuè dumtaxat, & remota praxi, res ipſa ſecundùm ſe ſpectetur. At quæſtio hîc eſt, vtrum verus dolor, efficaxque propoſitum in praxi a Confeſſario prudenter præſumi poſſit. Vnde ſic arguo. Certum eſt, a Confeſſario legitimè abſolui non poſſe eum, in quo prudenter nequit præſumere adeſſe verum dolorem, & propoſitum. Sed in hoc caſu verus dolor & propoſitum nequit prudenter a Confeſſario præſumi. Ergo pœnitens in hoc caſu non poteſt legitimè a Confeſſario abſolui. Minorem, quoniam Maior, & conſequentia ſunt indubitatæ, euinco planiſſimè, quia ſupponitur in hoc caſu nullum emendationis veſtigium, aut initium apparere. Quod ſi pœnitens extraordinarium dolorem lacrymis, ſuſpirijs, tunſione pectoris, ſingultibus, vel alijs ſignis oſtendat, iam tollitur ipſa caſus ſuppoſitio, quia ex lacrymis, & cæteris ſignis probabile emendationis argumentum conſpicuum eſt. At vbi deſunt omnia emendationis indicia, nullum poteſt aſſignari caput, cui prudens præſumptio veri doloris & propoſiti inniti queat, & a Confeſſario meritò arripi poſſit, vt compertum eſt. Ergo &c.

CCII. *Ac proinde abſoluēdus non eſt, qui ſic accedit.*

Quare ex hoc capite (concludit Cardinalis de Lugo) *poſſet negari, vel differri abſolutio*. Imò verò etiam debet, quoties ex præterita frequentia relabendi in mortale ſine vlla oſtenſione emendationis verus dolor, efficaxque propoſitum in pœnitente deeſſe iure præſumitur, vt apud cunctos extra controuerſiam eſt. *Qua de cauſſa Confeſſarius* (vt ſapienter monet Tannerus *num.* illo 112. *cit.*) *tanquam prudens diſpenſator, caueat, ne margaritam abſolutionis proijciendo ante porcos, ſacrilegium committat, & peccatorum pœnitentis particeps fiat, inuocato etiam hac in re lumine, & ope Spiritus Sancti. Quia certè inter alios cauſſas, quare Mundus tot iniquitatibus repleatur, hæc non videtur minima, quòd Confeſſarij tam facilè abſoluunt, quos ſua conſcientia, & Deus ipſe ligatos tenet, vt rectè etiam notauit Cardinalis Borromæus in ſua Confeſſariorum inſtructione*. Et ſanè quis, obſecro, animarum fructus, quod emolumentum, quæ vtilitas ex praxi oppoſitæ opinionis, tantaque laxitate, & facilitate abſoluendi pœnitentes in proximis occaſionibus delinquendi lethiferè, prætextu grauis detrimenti in illis deſerendis ſubeundi, hærentes ſine vllo emendationis indicio, etiam poſt frequentata Sacramenta, colligitur? nimirum, vt cumulentur delicta delictis cuiuſque generis, & luxuria præſertim magis magiſque graſſetur; vt nefaria ſcelera perpetuentur; vt peccatores continuatà vitiorum lue extabeſcant; vt viri, & mulieres in iumenta, carne, & ſanguine faſcinante, abeuntes, in ſtercore turpiſſimorum flagitiorum toto vitæ ſuę decurſu marceſcant, & computreſcant; vt ſalus huiuſmodi pœnitentium magis ac magis deſperata cotidie euadat. Hoc eſt ipſiſſimum operæ pretium longè tæterrimum, atque execrandum, quod ex iſta indulgentia talibus peccatoribus impertita plerumque exiſtit. Quæ enim meretrix, quod ſcortum, quæ concubina, quis cinedus, aut catamitus præſto non habeat graue aliquod incom-

Ex facilitate abſoluēdi quoſcunque ingens animarū pernicies exiſtit.

Graue incōmodū deſerēdi occaſionis proximæ peccādi inaniter ſæpe prætexitur.

incommodum, quod in linquenda occaſione peccandi videre ſibi videatur, reipſa autem comminiſcatur, aut ſomniet? eo vel maximè, quòd Ioannes Sanchez *diſp.* 10. *num.* 20. ad concubinarium excuſandum, quo minùs concubinam domo expellere teneatur, non dubitat aſſeuerare, *ſi concubina nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula ad id nimis difficilè adinueniretur, eijcere illam non fore obligandum concubinarium*. Et conſequenter, iuxta eundem Ioannem Sanchez, ſi ipſamet concubina magnopere recreetur ex cithara, vel cheli muſicis modis a concubinario ſuauiſſimè pulſatâ, qua oblectatione ſi priuetur, magno tædio afficietur; nimiſque ægrè aget vitam, nec aliunde facilè queat huiuſmodi incommodum auertere, vel compenſare; poterit ſine ſcrupulo remanere in domo concubinarij, & tam hic, quàm illa, etiamſi nunquam vllam correctionis vmbram oſtendant, admittendi erunt ad Sacramenta, toties quoties relapſi fuerint; & quia non habent, niſi vnicum lectum; ſeparatim autem alterutrum cubare, aut dormire ſuper aſſeres, vel humi, graue nimis detrimentum ab eodem Sanchez neceſſariò, ac multo magis reputabitur, ad quod minimè proinde eoſdem teneri idemmet dare cogetur: permittendi quoque erunt, dummodo proponant ſibi carnalis copulæ abſtinentiam, in perpetuo concubinatu vſque ad mortem, etiam cũ Sacramentorũ frequentia, ſcelerumque perenni ſcaturigine, nunquam imminutâ, ſed potius auctâ, perdurare: Quæ omnia nullo modo probare poſſum, omnique probabilitate carere, minimeque tolerandâ, perſuaſiſſimũ habeo, ac cẽſeo.

Quid enim? Itane ſeueritas Sacroſancti Euangelij in proximis peccandi occaſionibus vitãdis teſtata, huiuſmodi blandimentis lenienda, ac malaciſſanda ſit? Itane Deus, qui olim Nazaræos non ſolùm vino, & quacunque potione, quæ inebriare poteſt, ſed etiã vuâ qualibet abſtinere iuſſit: *quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa vſque ad acinum non comedent*, Numer. 6. hoc pacto non ſolùm ebrietatis peccatum, ſed etiam occaſionem eius paulo viciniorem, nempe vinum; quin & multo remotiorẽ, videlicet vuam, præciſè interdicens; patietur modò, atque æqui, ac boni conſulet tot blaſphemandi, peierandi, ſcortandi, mœcandi, fraudandi occaſiones proximas leuiſſimo prætextu grauis incommodi in ijs arcendis cohoneſtari, ſtudioque retineri? *Impoſſibilis liberatio eſt*, clamat S. Auguſtinus *de ſingul. Clericor. flammis circumdari, & non ardere*. Concinitque S. Iſidorus lib. Soliloq. *Ante ignem conſiſtens, etiam ſi ferreus ſis, aliquando diſſolueris.* nec minùs verè S. Hieronymus de cohabitatione Clericorum, & mulierum: *Ipſe voluit penetrari, qui hoſtem proprium in ſuas partes induxit, & inteſtinum ſibi gladium ipſe ſuppoſuit, qui locum habitationis ſuæ aduerſarij ingreſſibus reſerauit*. Non eſt dubium, quin poſt quancunque etiam peccandi conſuetudinem, & relapſum, verus dolor, efficaxque propoſitum cum occaſione etiam proxima lethalis delicti ſimul ſtare queat, neque vlla repugnantia in tali coniunctione cernatur. Quis Theologorum, aut Philoſophorum id neſcit? At ego vereor quàm maximè, ne huiuſmodi ſubtilitates ſcholaſticæ, ac ſpeculatiuæ in ipſa praxi ſæpiſſimè, ac ordinariè in fœda carnis ludibria, & meras impuritates degenerent.

CCIII. *Sed imprudenter omnino.*

Quippe

Quippe nec etiam repugnat ſecundùm ſe, & ex natura rei, libidinoſiſſimum virum cum formoſiſſima, & libidinoſiſſima meretrice ſimul in eodem lecto cubare tota vita, & tamen nunquam eos carnaliter copulari, nec obſcœnè ſe tangere, nec prauis deſiderijs aſſentiri. Ergone de facto non commiſcebuntur vnquam? nunquam ſe fœdè tangent? nunquam ſceleſtè concupiſcent? & prudenter id præſumi queat? quis prudentum id credat? quis ferat? quis non rideat? Haud ſecus poteſt quoque verus dolor de peccatis, & propoſitum efficax abſtinendi poſt multiplicatum quemcunq; relapſum ex proxima occaſione, & cōſuetudine adeſſe in pœnitente. Ergo etiam in praxi de facto eſt in eo, qui nullam emendationem, neque doloris veri, aut propoſiti firmi vllum ſignū probabile oſtendit; ac propterea is quoq; toties quoties meritò præſumetur verum dolorem, & propoſitum habere, adeoque erit etiam illico abſoluendus? Abſit. Quæ namq; meretrix, quæ concubina, aut concubinarius nō queat promptiſſimè Confeſſario interroganti reſpondere, ſe verè de peccatis dolere, propoſitumque ea emendandi deinceps, efficax a ſe eſſe conceptum, ſed graue incommodum, ne illorum occaſionem proximam deſerat, obſtare? Ideone huiuſmodi etiam perditiſſimis Satanæ mancipijs abſolutio confeſtim indulgēda erit? Auertat Deus.

CCIV. Vtilitas ex negata, aut dilata abſolutione.

Exaduerſum autem, quando ſine abſolutione tales flagitioſi dimittuntur, paternis monitis priùs inſtructi, vitæque infandum ſtatum, ac ſummum damnationis periculum a prudente Confeſſario edocti, eorum impudentia ſalubri, ac neceſſariā auſteritate paulùm ſaltem compeſcitur, ac tanquam ſcalper in vlcus ad exprimendā ſaniem pijſſimā inclementiā adigitur: hinc in ſeipſos deſcendunt, pedetentim ad ſe redeunt, aperiunt ſenſim oculos, quantoque in diſcrimine ſalutis æternæ verſentur, agnoſcunt, ſeſeq; improbiſſimos planè, extremiſque diuinæ iræ ſupplicijs digniſſimos tandē animaduertunt. At dum Sacramenta ſæpius etiam participant, & a Confeſſarijs abſoluuntur, videntur ſibi aliquid deuotionis habere, & inter homines pios extrinſecus numerari; vnde tanto minùs intrinſecus ſua flagitia coram Deo erubeſcunt, ac deflent, tātoque longiùs a conſilijs melioris frugis peregrinantur.

Quamobrem tempeſtiuè illud Tanneri cordatum ſcitum repeto nunc, inculcoque, vt *Confeſſarius tanquam prudens diſpenſator, caueat, ne margaritam abſolutionis ante porcos proijciat*, cæcoque pœnitenti ſe cæcum ducem præbens, ſimul cum eo in æternæ damnationis foueam cadat.

CCV. Recidēs in peccata ex cōſuetudine citra occaſionē proximam, quando abſoluēdus, quā do verò ſecus.

De reincidentia verò in eadem peccata mortalia citra etiam occaſionem externam, ac proximam, egregiè obſeruat idem Cardinalis de Lugo eā *diſp. 14. de Pœnit. ſect. 10. nu. 166.* certum eſſe I. quoties pœnitens a Confeſſario prudenter iudicatur habere verum dolorem, & propoſitum non peccandi, poſſe, non obſtante præterita conſuetudine relabendi, abſolui. II. Certum etiam eſſe, non poſſe abſolui, quoties nō ſufficienter auerti a peccato mortali conſueto ex circumſtantijs a Confeſſario colligitur. III. vtile aliquando eſſe differre abſolutionem per aliquot dies, vt appareat correctio, & obſeruatio propoſiti. Imò quando de propoſito non ſatis conſtat, debere illam omnino differri. Quin etiam *ibidem nu. 169.* ex communi Doctorum ſententia cōtra Ioannem Sanchez docet, ac lucu-

lenter

denter probat, etiamſi confeſſarius credat probabiliter pœnitentem eſſe diſpoſitum, nihilominùs poſſe abſq; eius conſenſu differre illi abſolutionem, ne videlicet in priſtina crimina ob difficultatem obtinendæ abſolutionis recidat: tum infra *num* 172. contra eundē Sanchez ſolidè quoque oſtendit pœnitentem a Confeſſario interrogatum de conſuetudine præterita delinquendi, teneri omnino ex conſenſu omniū Theologorum eam fateri.

Conſuetudo peccādi interrogāti Cōfeſſario fatenda.

§. XIII. *Num occaſio ad indeterminatum dumtaxat mortale peccatum alliciens, cenſenda ſit proxima, & fugienda.*

CCVI. QVanquam ſolutio huius quæſtionis ex altera, quam ſupra §. 4. excuſſi, vbi docui, ſcandalū actiuum mortale committi etiam, quando occaſio grauis ruinæ alicui indefinitè & vagè accepto abſque ſufficienti cauſa, opere, licèt aliàs etiam indifferenti, præbetur, facilè deduci queat, & quidem a fortiori; tamen quia hæc ex profeſſo a Cardinali de Lugo eâdem illâ *diſp.* 14. *ſect.* 10. *num.* 161. *& ſeqq.* egregiè exanimatur; vnde & tota illa diſputatio ſupra §. 4. & 5. confecta, multo adhuc validiùs corroboratur, tempeſtiuè hoc loco, in quo de proxima delinquendi occaſione differo, addendam exiſtimo.

Segmentum I. *Duplici aſſertione quæſtio expeditur.*

POnamus iam Titium conuerſando cum Sempronio in morali peccādi lethaliter periculo proximo verſari, ſed indefinitè ſolùm; atque adeo frequenter peccare grauiter nunc contra caſtitatem, nunc contra iuſtitiam, nūc contra religionem, nunc contra aliam virtutem; contra nullam tamen determinatè, ſed contra aliquam tantùm indeterminatè. Quo poſito, quæro, an talis occaſio peccandi ſit proxima, & ſub mortali crimine Titio vitanda?

Cardinalis de Lugo *loc. cit.* refert Suarium *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 35. *ſect.* 3. *nu.* 11. & FillIucium *tract.* 7. *n.* 40. cenſentes, hominem; qui moraliter certus eſt ex propria experientia, ſe in aliquod peccatum mortale lapſurum, niſi intra annum ſæpius confiteatur, non teneri ad tale remedium adhibēdum, ſi id *ſolùm eſt neceſſarium ad vitandum peccatum mortale in communi, quia in ordine ad peccatum in communi nulla cenſetur moralis occaſio proxima: ſecus ſi eſſet medium neceſſariū moraliter ad vitandum, aliquod mortale determinatum in particulari.* Quæ doctrina diuerſimodè accipi poteſt iuxta diſtinctionem ſupra §. 4. *nu.* 36. obſeruatam. Vt autem ſine æquiuocatione rectè percipiatur. CCVII.

Aſſero I. quoties æquali certitudine alicui conſtat ſe ex tali determinata occaſione hîc & nunc in aliquod mortale in communi, ob præteritam frequentiam in ſimilem ruinam ſibi notam, lapſurum indefinitè, ac indeterminatè; perinde ac quando compertum habet ex circumſtantijs, ac ſuperiori experientia, ſe in particulare delictum laſciuiæ ob talem determinatam occaſionem confabulandi cum Lucretia hîc & nunc etiam caſurum; occaſionem eiuſmodi tàm in priore, quàm in poſteriore caſu eſſe proximā, & ſub mortali vitandam, niſi peculiaris cauſa grauis excuſet. Ita Cardinalis de Lugo *loc. cit.* & reliqui omnes §. 4. adducti. CCVIII

Occaſio delinquēdi eſt æquè proxima, & deſerenda, ſi æquè certò ſcit ſe hîc, & nūc mortale aliquod indefinitè admiſſurum, ac quū de particulari certꝰ eſt.

Probo I. cunctis illis argumentis §. 4. ad ſecundam aſſertionem oſtendendam allatis, quæ hîc pariter mili- CCIX.

Vt doce- tur clarè exē- plis.

tant, & quidem a fortiori, ex quibus vnum dumtaxat delibo. Certum apud cunctos Doctores eſt, ſi aſſentiar liberè me velle aliquod mortale in genere, ac indeterminatè admittere, me reum eſſe culpæ mortalis in genere, ſicut ſi volo peierare, periurij. Ergo ſi tibi certò conſtet, te in tali conuiuio hîc, & nunc ob occaſionem conuiuarum in aliquod mortale indefinitè vel ebrietatis, vel detractionis, vel libidinis &c. eſſe caſurum, quia aliàs ſæpe ita tibi accidiſſe nôſti; huiuſmodi etiam occaſio eſt proxima, & neceſſariò declinanda.

CCX. *Et æqualis obligatio vitãdi pec cati in vtroque caſu vrget.* Probo II. ex Cardinali de Lugo *loc. cit. num.* 162. qui palàm ait etiam ſe non videre, cui firmo fundamento prædicta diſtinctio niti poſſit. *Si enim admittatur caſus, quod aliquod ſit medium moraliter neceſſarium ad vitandum aliquod peccatum mortale in communi; non apparet, cur non ſit eadem obligatio apponendi tale medium, quæ eſt, quando cognoſcitur eſſe neceſſarium ad vitandum aliquod peccatum mortale determinatum. Ratio quippe fundans obligationem in ſecundo caſu, eadem, & fortaſſe maior militat in primo caſu ad ſimilem obligationem. Si enim dicas hanc obligationem oriri ex propoſito, quod debemus habere non peccandi mortaliter, cum quo propoſito non ſtat voluntas occaſionis, quam morali certitudine conſequitur peccatum mortale: hoc ipſum procedit in primo caſu; non enim minùs repugnat cum propoſito non peccandi velle aliquod peccatum in communi, quàm velle aliquod in particulari. Ergo non minùs repugnabit velle aliquam occaſionem, quam certitudine morali conſequitur aliquod peccatum mortale in communi, quàm velle illam, quam conſequitur aliquod peccatum determinatum.*

CCXI. *Vt palàm fit.* *Si verò dicas, eam obligationem oriri ex obligatione vitandi peccata mortalia, quorum proximas occaſiones propter eorum malitiam debemus vitare, quoties poſſumus; eadem ratio procedit in noſtro caſu: non enim eſt minùs malũ, nec minùs cõtra diuinam amicitiam velle peccatum aliquod in communi, quàm velle aliquod in particulari; neque eſſet amicus, qui ſciens præparari aliquod graue damnum ſuo amico, non curaret illud impedire, quum poſſit, licèt non ſciat in particulari, quale ſit illud damnum. Ergo ſi homo ſcit, ex tali occaſione ſe certò lapſurum in grauem offenſam Dei, non minùs tenebitur ex lege amicitiæ, & caritatis erga Deum illam occaſionem vitare, quàm, ſi ſciret in particulari, quale peccatum ſequi debeat. Pone enim, te diuinitus monitum eſſe, ſi hodie conuenias Petrum, inducendum te infallibiliter ad peccandum mortaliter, nonne eodem modo tenereris abſtinere a colloquio Petri, ac ſi ſcires, quale peccatum in particulari eſſet a te committendum? nonne eodem modo argui poſſes de ſalute animæ tuæ, & de diuina amicitia parum ſolicitus, ſi eo periculo contempto Petrum adires, ac ſi peccatum in particulari tibi prædictum fuiſſet? Imò maior, & grauior, vt dixi, aliquo modo eſſet obligatio illud periculum fugiendi: nam qui exponit ſe periculo fornicationis, contrahit malitiam determinatam illius peccati, nec excedit terminos illius: qui verò exponit ſe periculo peccati mortalis in communi, neſciens quale ſit futurum illud peccatum, videtur virtualiter contrahere malitiam peccatorum grauiorum: neſcit enim, an illud peccatum ſit futurum contra caſtitatem, contra religionem, contra fidem, &c. Vnde ex hoc capite videtur aliquo modo grauior obligatio vitandi huius periculi, propter grauius peccatum, quod ſub illo poteſt latere.* *Imò maior ĩ priori caſu.*

CCXII. *Nec talis occa-* *Dices, eam occaſionem, eo ipſo quòd ſit ad peccatum in communi, non eſſe proxi-*

ſio ad peccatū in commune dicitur remota.

proximam, ſed remotam, quia inter illam, & peccatum debet mediare tentatio proxima ad tale peccatum in particulari, nulla enim tentatio proxima eſt ad peccatum in communi. Reſpondetur, ſi hæc eſſet bona regula, ſequerentur multa abſurda in hac materia: ſequeretur enim primò, eum, qui experitur, ſe in ludo frequenter blaſphemare, & peierare, non teneri vitare ludum, quia inter ludum, & periurium, adhuc mediare debet tentatio proxima ad periurium, aut blaſphemiam ex aliqua occaſione orta in ludo: Secundò, is, qui tranſiens per talem viam concupiſcit talem feminam, non teneretur vitare illam occaſionem, quia inter tranſitum, & peccatum debet mediare aliud, nempe aſpectus feminæ, ex quo oritur tentatio proxima &c. quæ, & alia ſimilia ſunt manifeſtè falſa.

CCXIII *Occaſio .n. proxima dicitur illa, inter quam & certitudinē moralē futuri peccati nihil mediat.*

Quare dicendum eſt, occaſionem aliquam; non ideo dici proximam, quòd inter ipſam, & peccatum actuale nihil mediet: ſed quia inter ipſam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat. Sic dicunt Theologi, aliquando teneri hominem ſuæ fragilitatis conſcium ad ieiunandum, vel domandam carnem, quando id medium indicat neceſſarium ad vincendam tentationem; nam licèt inter carentiam ieiunij, & peccatum mediet tentatio carnis, quæ nondum eſt præſens; ſi tamen hodie verbi gratia, non ieiunat, eſt certùm moraliter, quòd orietur tentatio, & ſequetur conſenſus; quare hodie tenetur ieiunare, ne ſequatur illa certitudo peccati futuri. Sic etiam qui expertus eſt, eſſe ſibi medium neceſſarium ſumere frequenter Eucharistiam ad reſiſtendum tentationibus carnis, non debet expectare tentationem præſentem: quid enim ſi adueniat poſt prandium, quando non poteſt ſumere Eucharistiam, ſed debet priùs communicare, quia ex carentia communionis ſequitur immediatè certitudo moralis futuri peccati, licèt non ſequatur immediatè ipſum peccatum? Sic ergo dicimus in præſenti occaſionem illam ad peccatum in communi dici proximam, quia licèt inter ipſam, & peccatum debeat mediare tentatio proxima, inter illam tamen, & certitudinem futuri peccati nihil mediat, nec eſt in mea poteſtate, poſita illa occaſione, vitare, quòd non ſit poſitum iam id, ad quod moraliter, & frequenter conſequitur peccatum mortale; quare iam me conieci in periculum, hoc eſt, in laqueum certitudinis moralis de peccato futuro. Hactenus Cardinalis de Lugo præclariſſimè; quæ maximè confirmant meā illam diſputationem ſupra §. 4. explicatam, multoque ante, quàm ipſius Tomum de Pœnitentia editum viderim, a me exaratam. Nam eædem rationes, & argumenta, quæ hîc euincunt occaſionem proximam committendi aliquod mortale in communi, eſſe mihi vitandam ſub mortali; extorquēt etiam talem occaſionem proximam delinquendi lethaliter in communi a me ſubtrahendam eſſe proximo ſub pari culpa, vt applicanti ſatis perſpectum eſt.

Aſſero II. quando conſtat quidem tibi certò, ex aliqua occaſione, non determinata loci, perſonæ, aut temporis, ſed indeterminata reſpectu circumſtantiarum, te lapſurum in aliquod mortale, v. g. ex conuerſatione cum viris, & feminis, ex negotiatione, vel officio tuo &c. ignoras tamen quando, vbi, & a quibus tale periculum tibi immineat, talem occaſionem peccandi non videri proximam, ſed remotam, atque adeo non neceſſariò declinandam. Ita, opinor, cuncti Doctores ſine dubio ſtatuent, etſi enucleatè id non exprimunt; excepto Cardinali CCXIV.

Quando occaſio peccādi indefinitè eſt indeterminata, non eſt proxima, nec relinquenda neceſſariò.

dinali de Lugo, qui diſtinctiùs hoc ipſum ſancire videtur. Ratio eadem eſt, ac illa ſupra §. 4. *num.* 37. allata, quia in præſenti caſu futurum peccatum mortale non eſt moraliter cum hodierna occaſione negotiationis, vel conuerſationis cum viris, & feminis, in qua, vt ſuppono, nullum probabile periculum ruinæ grauis animaduertitur, ſufficienter coniunctum. Nam peccatum mortale v. g. periurij in ludo continget poſt tres menſes, in quem ludum, & peccatum nihil influit nec phyſicè, nec moraliter hodierna negotiatio, aut hodiernus etiam ludus cum diuerſa perſona, vt patet; eodem enim modo periurium excidet tibi poſt tres menſes ludenti cum Petro, etiamſi hodie negotiationem, ac ludum omittas, totumq; diem dormias. Ergo inter futurum peccatum, & hodiernam occaſionem non intercedit moralis connexio, vt conſtat, ac proinde huiuſmodi occaſio nequit eſſe proxima, vt æquè euidens eſt, conſequenterque remota tantùm eſſe poteſt. Atqui eadem prorſus ratio eſt de ſingulis futuris occaſionibus ſimilibus, in quibus hic & nunc nullum probabile periculum grauis ruinæ prudenter timetur, vt etiam ex omnimoda paritate compertum eſt: Ergo inter futurum peccatum, futuramque occaſionem nulla moralis connexio præuidetur, adeoque eiuſmodi etiam occaſio non erit proxima, ſed remota tantummodo, minimeque ex obligatione vitanda.

CCXV. *Neutra enim occaſio proxima neque ex ſuo genere, neque ex experientia, hic*

Confirmo I. quia occaſio proxima peccandi, vt ex definitione eius ſupra §. 10. expenſa teſtatum eſt, vel ex ſuo genere talis eſt, vt homines in peccatum inducere ſoleat, qualis eſt, virum libidinoſum cum formoſa, & ſalaci meretrice cubare; vel certè ex frequenti lapſu conſtat experientiâ in tali homine ob naturæ conditionem talem ruinam contingere; vt quum quis ex aſpectu puellæ nouit ſe fœdo eius deſiderio ſæpiſſime correptum. At neutra occaſio in præſenti caſu poteſt habere locum: non prima, quia nulla occaſio poteſt aſſignari, quæ homines ad peccatum mortale in communi tantùm ex ſuo genere inducere ſoleat; ſed quæ talis eſt, inducit ad peccatum mortale in particulari: neque enim ludus ex ſuo genere ſolet homines ad periurium, aut blaſphemiam inducere; alioqui omnes, qui abſque graui neceſſitate ludunt, mortaliter peccarent, exponentes ſe temerè occaſioni proximè peierandi, vel blaſphemandi, quod manifeſtè falſum eſt. Neq; etiam ſecunda hic fingi poteſt, quandoquidem experientia frequentis delicti præteriti ex tali occaſione abeſſe ſupponitur: nam ſi talis experientia præcederet, tum hic & nunc prudenter iudicare deberes, probabile relabendi grauiter periculum in occurrenti occaſione imminere, quod ipſam ſuppoſitionem funditus euertit. Ergo in caſu huius aſſertionis nulla eſt occaſio proxima, ſed remota ſolùm, ac propterea non neceſſariò fugienda.

locum habere poteſt.

Confirmo II. ex doctrina Cardinalis de Lugo iam allata definiente *occaſionem illam ad peccatum in communi dici proximam, quia inter illam, & certitudinem futuri nihil mediat, nec eſt in mea poteſtate, poſitâ illa occaſione, vitare, quòd non ſit poſitum iam id, ad quod moraliter, & frequenter conſequitur peccatum mortale.* Atqui in caſu præſentis aſſertionis nō eſt poſitum id, ad quod moraliter, & frequenter conſequitur peccatum mortale, quum talis frequentia hîc ſupponatur deeſſe, vt dixi: inter peccatum etiam futurum, & ſingulas occaſiones in particulari non ſolùm mediat tentatio,

CCXVI. *Vt amplius reuincitur*

tatio proxima, ſed alia etiam negotia, aliæ occaſiones, alia impedimenta: itemque poſita quacunque ſingulari occaſione, eſt in mea poteſtate vitare, quòd non ſit poſitum id; ad quod moraliter, & frequenter conſequitur peccatum mortale. Ergo talis occaſio non eſt proxima, ſed remota. Secus verò in caſu præcedentis aſſertionis, in quo v. g. expertus es, te a conuerſatione cum Titio illectum iam ad luxuriam, iam ad fraudem, iam ad odium proximi, iam ad hæreſim; atque adeo hîc & nunc prudenter times, ne, ſi hodie cum eodem Titio verſeris, vrgeat te probabile, & morale periculum labendi in aliquod mortale, etiamſi neſcias, quale: talis quippe occaſio proxima eſt & ſub mortali tibi cauenda; quia inter ipſam, & certitudinem futuri peccati nihil moraliter mediat, nec eſt in poteſtate tua, poſitâ eâ occaſione, vitare, quod non ſit poſitum iam id, ad quod moraliter, & frequenter conſequitur peccatum mortale.

Segmentum III.
Nullum Doctorem traditæ Doctrinæ aduerſari.

CCXVII *Suarez aſſertionibus præcedentibus non repugnare, ſed patrocinari.* ASſero III. doctrinam duarum præcedentium concluſionum eſſe exploratam, & manifeſtam; neque vllos Doctores illi aduerſari; nec Suarium etiam ei repugnare. Prima pars liquet ex rationibus perſpicuis pro vtraque aſſertione productis. Secunda etiam de conſenſu Doctorum ex diſputatis §. 4. ſatis in confeſſo eſt. Tertia verò de Suario nominatim probatur clarè, quia Suarez in ſua hypotheſi non comparat iuxta primam aſſertionem eum, qui æquè certus eſt, ex determinata v.g. occaſione hodierna aliquod mortale in communi a ſe patrandum, cum eo, qui ex determinata item occaſione hodierna nouit ſe furaturum: neque vllo modo negat in priori caſu obligationem talis occaſionis vitandæ interuenire; ſed comparat caſum prioris concluſionis cum caſu poſterioris, hoc eſt, occaſionem determinatam ad peccatum particulare; vt ad furtum, cum occaſione indeterminata ad aliquod mortale in communi, inficiaturque, & meritò, ſecũdam occaſionem eſſe proximam, vel cauendam, etſi prima vitanda ſit. Ergo Suarez vtrique aſſertioni præcedenti non obluctatur, ſed apertè patrocinatur. Conſequentia eſt certa. Antecedens demonſtro ex verbis ipſiuſmet Suarez illâ *diſp.* 35. *de pœnit. ſect.* 3. *num.* 10. vbi explicans, quando confeſſio per accidens obliget, ſubdit id accidere, quando ea *cenſetur medium moraliter neceſſarium ad ſuperandam tentationem aliquam, ſeu peccandi occaſionem*: idque accidere *primò in ordine ad determinatam ſpeciem peccati, vt homicidij, odij &c. & ſic poſitâ hypotheſi, quòd reuerà confeſſio exiſtimetur hîc & nunc in hac perſona, & cum ijs circũſtantijs medium neceſſarium ad vincendum tale peccatum: certũ eſt obligari tunc hominẽ ad talem confeſſionem. quia qui obligatur ad finẽ, obligatur etiam ad media neceſſaria ad talem finem.* Mox verò *num* 11. ſubijcit: *Secundò poſſe hoc intelligi in ordine ad peccatum in communi, vt verbi gratia, quum aliquis, ſi confeſſionem multò tempore differat, licèt determinatè non timeat, ne adulteretur, vel occidat hominem, vel quid ſimile; timet tamen, & moraliter certus eſt, ſæpius ſe peccaturum mortaliter in hoc, vel illo genere peccati, quum tamen ſi frequentiùs confiteretur, moraliter ſperat poſſe ſe omnia, vel multa peccata vitare.* Et in hoc caſu negat quenquam teneri ad frequentiorem Confeſſionem.

feſſionem, *quia quando*, inquit, *in communi loquimur, nulla cenſetur moralis occaſio, vel periculum morale alicuius peccati, & ideo non cenſetur tunc confeſſio ita medium neceſſarium, vt illius ſit ſpecialis obligatio; ſecus verò eſt, quando de ſpeciali peccato loquimur: quia tunc ſemper cenſetur homo poſitus in occaſione, ſeu morali periculo peccandi.*

CCXVIII. *Vt patet ex verbis ipſius.* Ecce duplicem caſum, quem Suarez aſſignat. Primum, in quo confeſſio exiſtimatur hîc & nunc, v. g. hodie neceſſarium medium ad vincendam determinatam ſpeciem peccati, puta luxuriæ; cuius alioqui occaſio proxima abſque tali medio minimè ſuperanda animaduertitur; ac proinde iure docet, obligari tum hominem ad talem confeſſionem. Alterum verò caſum, etſi ex omiſſione frequentis, confeſſionis peccata plura certò ſecutura proſpiciantur, negat palàm eſſe obnoxium morali occaſioni, vel periculo alicuius peccati, adeòque nec cenſeri Confeſſionẽ mediũ moraliter neceſſariũ ad vitandũ peccatũ. Ergo Suarez euidenter negat in poſteriore caſu interuenire occaſionem proximam peccati grauis in communi; ac proinde iure quoque tradit in tali caſu non eſſe ſpecialem obligationem ſpecialis confeſſionis: quia nimirum in nulla determinata occaſione periculum probabile labendi in mortale ob confeſſionem omiſſam agnoſcitur: ac propterea omnis eiuſmodi occaſio non eſt proxima, ſed remota ſolùm. Vnde perſpectum eſt, eundem Suarez loqui iuxta poſteriorem aſſertionem, & immeritò planè à Cardinali de Lugo ſupra *num. 161. cit.* pro oppoſita parte referri, atque oppugnari, quaſi vniuersè ſanciat, *non teneri hominem ad illud remedium, quod ſolùm eſt neceſſarium ad vitandum peccatum mortale in communi, quia in ordine ad peccatum in communi nulla cenſetur moralis occaſio proxima:* vt ſupra *num. 207.* ex eodem Cardinali memoraui. Neque enim id docet Suarez eâ *ſect. 2. num. 10. & 11.* neque generatim negat, dari vllum caſum, in quo occaſio proxima in ordine ad peccatum in communi cenſeatur; ac proinde & aliquod medium in ordine etiam ad culpam in communi vitandam moraliter neceſſarium meritò reputetur: non hoc, inquam, negat, ſed loquitur ſignanter de caſu dumtaxat a ſe explicato, ac de alio omnino ſimili, in quo, quum priùs dixiſſet, poſſe intelligi medium moraliter neceſſarium in ordine ad ſuperandum peccatum in communi, vt eſt frequens Confeſſio &c. poſtea rotundè inficiatur, tale medium frequentis confeſſionis in tali caſu eſſe medium moraliter neceſſarium ad vitanda peccata, vel minuenda, quæ non determinatè, ſed in communi tantùm ſecutura præuidentur; adeòque diſtinctè etiam negat, talem occaſionem peccandi ex omiſſione Confeſſionis eſſe in tali caſu moralem, hoc eſt, proximam, ſeu probabilem: quicquid deinde ſit, an in alio caſu poſſit dari occaſio proxima, & medium moraliter neceſſarium reſpectu peccati grauis in communi; de quo in neutram partem Suarez quidquam ibi pronuntiat. Ergo fruſtra à Cardinali de Lugo in caſu longè diuerſo a mente, & verbis ipſius exponitur, ac refellitur: ac propterea ſicut quæ ſupra ex eodem Cardinali recitaui, egregiè fulciunt primam meam aſſertionem, vt illic vidimus; ità nihil penitùs Suarium de alio caſu diſputantem tangunt. Quod idcirco adnotare operæ pretium duxi, ne quis vllam probabilitatem opinioni contra primam meam aſſertionem, quæ

Qui immeritò refellitur à Cardin. de Lugo

extra

extra controuerſiam eſt, ex auctoritate Suarez conflari poſſe ſibi perſuaderet. Nam ſicut reipsâ eiuſmodi opinio aſſertioni primæ, & Doctorum conſenſui oppoſita, *cui firmo fundamento niti poſſit*, non apparet, vt meritò dixit idem Cardinalis de Lugo, neque ego probabilem eius rationem expiſcari, aut diuinare queo: ita nunquam talis opinio a Suarez probata, vel tradita eſt.

CCXIX. *Cauſſa determinata peccati in communi vitāda eſt, nō verò indeterminata.* Ex quibus etiam conſtat, quid de alia eiuſdem Doctoris eminentiſſimi ſententia in huiuſmodi materia ſtatuendum ſit, qui *diſp.* 14. *de pœnit. ſect.* 10. *num.* 165. *& diſp.* 15. *ſect.* 4. *num* 50. *negat eodem modo eſſe loquendum de obligatione vitandi cauſſam determinatam ad peccatum mortale indeterminatum, & in communi, ac de obligatione vitandi cauſſam in communi ad peccatum mortale etiam determinatum. Nam diximus, eſſe obligationem, quando fieri poteſt, vitandi cauſſam determinatam peccati in communi, non verò eſt eadem obligatio vitandi cauſſam in communi* (ſeu indeterminatam, ac indefinitam) *quia eo ipſo, quòd ſit cauſſa in communi, affert ſecum grauiſſimam difficultatem, ad hoc vt auferatur. Scit homo v. g. ſe pro ſua fragilitate ex aſpectu feminarum labi grauiter: non tenetur tamen ad vitandas omnes feminas, vt vitet hoc periculum, quia non eſt vna cauſſa, ſed plures, quæ difficillimè poſſunt vitari. Scit etiam, ſe in ſeculo facilè peccaturum hoc, vel illo genere peccati grauis; non tamen tenetur ſub præcepto graui ingredi religionem, vt vitet illud periculum; quia hoc non tam eſt auferre vnam cauſſam, quàm auferre plures; quarum ablatio, & mutatio ſtatus difficillima eſt.* Quæ doctrina iuxta præcedētes aſſertiones in genuino eius ſenſu accepta, vera ſanè eſt; non teneri videlicet hominem vitare omnes feminas, etiamſi ex earum aſpectu interdū grauiter lapſus eſt: quia ſcilicet, etſi aliquoties lapſus eſt, non tamen tantâ frequentia, vt occaſio proxima, & probabile periculum relabendi hîc & nunc in tali numero aſpectu imminere ſibi prudenter videatur; ac proinde, quum occaſio non cenſeatur proxima, ſed remota ſolùm, hæc declinanda neceſſariò minimè eſt.

Quod verò ait Cardinalis de Lugo de difficultate, & de obligatione auferendæ cauſſæ in communi, explanatione indiget, ne malè percipiatur. Nam occaſio proxima, vel remota non conſtituitur a graui, vel leui difficultate, ſeu cauſsâ, ſed a frequentia, vel infrequentia cadendi in peccatum vt §. 10. & 11. oſtendi. Vnde in prædicto caſu, ſi quis ex aſpectu feminarum, rarò, & non ſæpe peccauit; quia occaſio eſt ſolùm remota, & non proxima, etiamſi abſque vllo incommodo omnes feminas vitare poſſet, minimè tamen tenetur, vt §. 11. docui. Sin autem frequenter peccauit, tenetur vtique abſtinere, ſi commodè poteſt. An verò ingens difficultas vitandi aſpectum omnium feminarum, ſit graue incommodum, & cauſſa legitimè excuſans aſpicientem cum morali etiam periculo delinquendi lethiferè, ambiguum valde eſt, ac diſtinctione opus habet. CCXX. *Difficultas vitādi aſpectum omnium feminarum an ſit graue incōmodum excuſās periculosè aſpicientem?* Dupliciter enim id intelligi poteſt. Primò, vt ex præterita frequentia, & occaſione proxima peccandi ex aſpectu formoſarum mulierum periculum probabile, & morale recidendi in ſimilem culpam colligatur, vrgere in hac vel illa determinata occaſione, deinde hîc, & nunc emergente. Secundò, vt idem periculum imminere deinceps certò quidem, ſed non determinatè in vlla ſingulari, ſed indeterminatè ſolùm in aliqua occaſione

ſione, vel pluribus in communi, prouideatur. Si ſecundo hoc modo caſus contingat, liquet ex dictis, quoniam ſingulæ occaſiones ſequentes proſpiciuntur expertes periculi probabilis relabendi, tales occaſiones non eſſe proximas, ſed remotas; ac propterea, etiamſi abſque graui incommodo vitari poſſent, non tamen ex obligatione eſſe vitandas, vt ex diſputatis perſpicuum eſt. Sin primo modo caſus eueniat: in primis, dato quòd cum magna difficultate tales omnes occaſiones vitentur, perperam omnino ex graui difficultate ſeu graui incommodo vitandi eas, infertur eaſdem eſſe proximas, quum poſſint eſſe nihilominùs remotæ: ſi quidem multo difficilius eſt vitare etiam omnes remotas, quàm ſolùm omnes proximas, vt planum eſt: eſſe verò remotas, vel proximas aliunde deducitur aptè, nempe ex infrequentia, vel frequentia relabendi, vt §. 10. & 11. monſtraui.

CCXXI. *Imminente probabili periculo relabendi, ſola difficultas vitãda occaſionis proximæ, pręciſo alio incõmodo, nõ excuſat.*

Deinde, quoties hîc, & nunc in determinatis occaſionibus ſingularibus occurrẽtibus præuidetur ex frequẽtia præterita ſæpe recidendi imminere periculum probabile, & morale ſimilis culpæ in particulari admittendæ, certum omnino ego arbitror, ſolam difficultatem, quæ in his pluribus occaſionibus vitandis exiſtit, non ſatis eſſe, præciſo quocunque alio incommodo, ad excuſandum eum, qui ipſas minimè vitat, nec talem cauſſam legitimã aut iuſtam ab vllo Doctorum reputari. I. quia ſequeretur hinc, ſi Titius expertus eſt, ſe ex occaſione conuerſandi cum Petro ſæpius blaſphemaſſe; & agendo cum Paulo frequenter peieraſſe; & colloquendo cum Lucretia ſæpe voluntariè ſe polluiſſe; & ita cum pluribus alijs ſingillatim negotiando frequenter in alia particularia ſcelera cecidiſſe; etiamſi cunctis hiſce occaſionibus ſine alio incommodo, præter ſolam difficultatem, quæ in ijs deſerẽdis ſita eſt, carere poſſit, nihilominùs nihil delinquere in ijſdem perſeuerando, quod eſt perabſurdum, & a nullo Theologorum toleratum. II. Inde etiam probaretur, Titium, qui in occaſione proxima peccandi mortaliter ob colloquium cum Lucretia verſatur, quamuis tale colloquiũ, & occaſionem ſine alio incommodo declinare poteſt, tamen, quia perpetua abſtinẽtia a tali colloquio, licèt ſemper eodem modo periculoſo, habet coniunctam grauem difficultatem, minimè peccare perſeuerando in eadem occaſione, quod abſonum pariter eſt, & a cunctis Doctoribus exploſum. III. hinc etiam pullularent complura alia inconuenientia, quæ ſupra §. 5. *num.* 58. vſque ad 63. ad ſimilem prætextum refutandũ congeſſi; hîc autem tempeſtinè repetita, hòc etiam diuerticulum penitùs intercludunt. Quare, etiamſi in prædictis caſibus non tenetur Titius ingredi Religionem, vt vitet peccata, quæ præuidet a ſe in ſeculo patranda; nec vitare omnes feminas, quò declinet periculum grauiter labendi, in quò perſępè cecidit; tenetur tamen quoties animaduertit in ſingulis & determinatis occaſionibus proximis in particulari imminere hîc & nunc periculum proximum recidendi in mortale, præcidere omnes tales occaſiones, non obſtante quacunque difficultate in ijs cunctis præcidendis, dummodo ſine alio diuerſo, & graui incõmodo eas queat præcidere, quod a nullo Doctorum in dubium reuocatur, vel iure reuocari poteſt. Quocirca Cardinalem de Lugo in priori ſenſu longè veriſſimo, non autem in poſteriore tot incommodis laborante eſſe capiendum, mihi planè perſuadeo, & ex verbis ipſius ſatis dilucet: præſertìm

tùm, quia ſi in poſteriore ſenſu loqueretur, ad opinionem ſingularem contra torrentem Doctorum omnium legitimè inuehendam, longè maiori apparatu rationum, vt ſolet, niteretur, quàm duorum tantùm exemplorum, quæ etſi probant quidem non eſſe ſtatum Religioſum ad cauenda peccata ſeculi neceſſariò deligendum, nec vitandas omnes feminas, vt vitetur periculum grauiter delinquendi; non probant tamen, poſſe licitè permaneri in occurrentibus cunctis occaſionibus determinatis ſingularibus & proximis hîc & nunc recidendi in mortale, etiāſi, præter difficultatem in illis omnibus relinquendis experiendam, nullū aliud graue incommodum ſentiatur, aut timeatur, vt antea demonſtraui.

An ornatus immoderatus mulierum ad libidinem prouocans, ſit peccatum graue, vel leue. Cap. VI.

ANte quàm controuerſiam iam ſupra *cap. 4. in fine num. 12.* indicatam ex profeſſo tracto, nonnullas aſſertiones, quæ extra contentionem ferè ſunt, præmittendas, breuiterque expediendas arbitror.

§. 1. *Num moderatus ornatus, vel paulùm immoderatus ſub culpa lethali, aut veniali ob ruinam proximi ſit femina relinquendus.*

MVliebris ornatus vel moderatus eſt, vel immoderatus, ac vterque cum lapſu graui, vel leui alterius comparari poteſt. Hinc

I. Aſſero I. ſicut *cap. 1.* moderatum ornatum feminis licere iam probaui: ita nunc addendum, etiamſi mulier præuideat aliquos ſeu indefinitè, ſeu in particulari ex tali ornatu moderato lethiferè peccaturos, non tamen teneri ipſam eo ſemper abſtinere. Probatur manifeſtè, quia illa ex vna parte operam rei licitæ dat, ſe iuxta ſuum ſtatum moderatè ornando; ex alia autem, graui nimis ſuo incommodo ad eum perpetuò, præter ſuam dignitatem, negligendum compelleretur, ad quod ſanè graue incommodum tolerandum, quò proximi culpam vitet, lege caritatis illa non obligatur. *Vtens moderato ornatu, licèt ſciat aliquos ideo grauiter lapſuros, non tenetur eo ſemper abſtinere.*

Aſſero II. ſicut mulier in certis caſibus, quum proximi ruinam a ſola etiam ſua naturali pulchritudine omnis ornamenti experte, imminere cernit, etſi hanc non ipſa ſibi liberè conciliauit, ſed a Deo gratis, ac neceſſariò accepit, tenetur iuxta varias opiniones ſe ſubducere, vt *cap. 5. num.* 25. vſque ad 31. explanaui; ita pariter in iiſdem caſibus, & circumſtantijs teneri non ſolùm a ſuperfluo etiam leuiter tantùm cultu, ſed a moderato quoque, & aliàs licito, quoties ſine graui incommodo poteſt, cauere. Probo efficaciter, quia quum in quibuſdam caſibus naturalem pulchritudinem non liberè a ſe quæſitam teneatur ex Doctorum omnium conſenſu ſubtrahere, multo magis in iiſdem caſibus tenetur ornatum etiam moderatum deponere, quem voluntariè, & liberè aſſumit, quoties nempe id commodè præſtare poteſt. *II. Aliquādo tamen tenetur.*

Aſſero III. ſi ornatus eſt paulò immoderatior, leuiterque ad laſciuiam prouocat; femina autem animaduertit aliquos ob eum ſui libidine mortiferè peccaturos, non teneri ipſam ſub mortali vitare perpetuò eiuſmodi ornatus exceſſum dumtaxat venialem, neque eſſe ream lethalis ſcandali, ne indirectè quidem, nec indirectè coope- *III. Non teneī tamen ſub mortali vitare ſemper exceſſū ornatus leuiter ſolùm*

ad laſciuiã puocantis.

rationis peccatis mortalibus aliorum.

IV. *Quanquam venialiter peccat.*

Probo I. quia mulier nimis grauè adhuc incommodum ſubiret, ſi venialem huiuſmodi exceſſum ſub mortali cauere ſemper cogeretur. Quantuis enim venialiter ipſa peccet contra temperantiam tali exceſſu, neque vllam iuſtam cauſſam ſic peccandi venialiter habeat; ſuppoſito tamen quòd velit ita delinquere, habet ſanè iuſtam cauſſam, ne ſub mortali ad talem exceſſum venialem perpetuò omittendum adigatur,

V. *Si verò ſub mortali vitare id teneretur, nimis oneraretur.*

Probo II. quia opinio Thomæ Sanchez, & aliorum *cap.* 5. *num.* 25. & 26. relata, & reiecta, quæ mulieri facultatem exeundi domo, tametſi à nonnullis ſe appetẽdam turpiter, ſcit, dummodo ea non conſentiat, & aliò tendat, liberam concedit, hîc maximè locum habet. Aiunt enim, illam non delinquere, etiamſi abſq; examine iuſtæ cauſſæ prodeundi, prodeat, quia ſi quoties exire vult, priùs cauſſam iuſtam expendere teneretur, obnoxia foret ſcrupulis graui cum ſuo incommodo. At ego cum oppoſita ſẽtentia communiſſima id refutaui, docuique non eſſe hoc graue incommodũ, quũ id totũ in eo tantùm verſetur, vt ea honeſtum aliquem finem ſibi cõſtituat, quem certè abſque ſcrupulis facilè poteſt ſibi proponere. Atqui talis finis honeſtus ipſa cauſſa iuſta, quæ mulierem a peccato excuſet, etiam ſecundùm communem ſententiam exiſtimatur. Verùm in præſenti caſu aliter multò ſe res habet. Honeſtum quippe finem inuenire, aut conſtituere, facile, vt dixi eſt: at diſcernere, num ſupra moderatum ornatum ſit modicus exceſſus leuiter prouocatiuus, quũ iudicium huiuſce rei a tot, ac tam varijs circumſtantijs pendeat, non adeo pronum: certè quidem ad hoc iudiciũ in ſingulis vicibus ſe rendum obligari ſemper ſub mortali, ſcrupulorum vtique ſilua denſiſſima eſt, onuſque Ætnâ grauius, ad quod ſubeundum nulla ſub tam graui culpa tenetur, vt patet.

VI.

Probo III. quia loquor de perpetua abſtinentia leuis exceſſus ſub graui crimine, quod ingens planè incommodum eſt, cui illa foret expoſita, ſi ſcrupulis lethalis delicti ſemper angi, licèt in ornatu leuiter tantùm excedat, neceſſe haberet.

VII. *Et alioqui peccato alteri⁹ leuiter ſolùm cooperatũ.*

Probo IV. Quia quum femina ad malum tali ornatu nonniſi leuiter incitet, vt hîc ſupponitur, non poteſt peccato alterius cooperari, niſi leuiter ſolùm, vt patet. Ergo non grauiter, nec mortiferè. Atque hoc dumtaxat volunt Doctores omnes infra *cap.* 7. §. 1. *num.* 3. & *ſeqq.* referendi, quum negant ornatum mulieris prouocatiuum libidinis eſſe lethiferum. Loquuntur enim non de occaſione proxima, & graui prouocatione, ſed de leui, ac remota, ſaltem quatenus vt ſic animaduertitur, quemadmodũ illic expendam.

VIII. *Imò licèt prouocatio ad malũ ex pulchritudine, & ex ornatu conflata ſit grauis, ſi tamẽ ornatus ipſe leuiter tãtùm irritet, venialis dumtaxat eſt.*

Sed hîc animaduertendum prætereà diligenter eſt, huiuſmodi prouocationem, quæ a leui ornatus exceſſu fit, euadere ſæpe grauem, quando cum prouocatione, quæ ab ipſa quoq; naturali pulchritudine fit, coniungitur, & nihilominùs minimè eſſe mortalem. Quippe ipſa naturalis pulchritudo alliciens, & prouocans extra omnem culpam eſt, vt patet, & notant ijdem Doctores infra eodem illo §. 1. citandi; leuis verò ornamentorum exceſſus, leuiſque ex his prouocatio ad malum nonniſi venialis eſt, vt hîc probaui. Quare Doctores eodem *cap.* 7. §. 1. iam relato infra recenſendi, dum feminas ſuperfluè ſe ornantes, etſi turpiter ſe idcirco amandas non ignorent, tamen a mortali culpa eximunt; neceſſariò ſupponũt, vel ipſam prouo-

cationem,

cationem, quæ ex ſolo ornatu præciſè fit, eſſe leuem tantummodo, leuemque occaſionem duntaxat ex eo alijs præberi: vel certè; etiamſi notabilis ſit prouocatio, grauiſque occaſio ruinæ, eſſe tamen indeterminatam, ignorarique a muliere ornata, quando nam hîc & nunc talis occaſio proxima ex ſuo nimio cultu alijs præbeatur; adeoque non agnoſci hîc, & nunc pro occaſione proxima, ſed tantùm pro remota, iuxta obſeruationem ſupra *cap.* 5. §. 4. *num.* 36. *& ſeqq.* traditam, vt infra *cap.* 7. §. 1. *&* §. 8. magis ediſſeram. At ſi ijdem Doctores prouocationem ad malum, & occaſionem peccandi grauem ex ſolo immodico ornatu creari ſtatuerent, abſurdè prorſus, & contra propria etiam principia negarent talem prouocationem, occaſionemque, quam ipſimet grauem eſſe cenſent, mortalem eſſe; ſiquidem ijdē ipſi docent pariter diſertè, lethale ſcelus eſſe, grauem ſeu proximam mortiferè delinquendi occaſionem alteri ſine cauſſa excuſante præbere, vt ſupra *cap.* 5. §. 11. *num.* 173. vidimus. At quoties ornamenti exceſſus notabilis, & grauis eſt, grauemq; peccandi mortaliter occaſionem alijs gignit, ſine graui incommodo talis exceſſus omitti poteſt, adeoq; nō ſuppetit cauſſa iuſta, atq; excuſans illius geſtādi, vt infra *cap.* 7. §. 12. oſtendam. Ergo quæ huiuſmodi exceſſu notabili grauem, ſeu proximam occaſionem delinquēdi lethaliter alijs præbet, lethaliter quoque peccat ex eorundem Doctorum ſententia. Ergo, ne hi ſibi contradicant liberantes a mortali ſuperfluum feminæ ornatum, neceſſariò ſupponere coguntur, vel exceſſum, & prouocationem talis ornatus non eſſe grauem, ſed leuem ſolùm, etſi occaſio mortaliter peccandi ex ipſo leui ornatus exceſſu, & ex naturali pulchritudine ſimul ad malum allicientibus grauis, & proxima exiſtat: vel certè ſi prouocatio, & occaſio grauis, & proxima ex ſolo etiam ornatu valde exceſſiuo oritur, non animaduerti tamen determinatè hîc & nunc eſſe grauem proximamque, ſed indeterminatè tantùm, adeoque pro remota adhuc reputari.

Aſſero IV. ipſam leuem ex immodico ornatu prouocationem ad malū, præter venialem malitiam exceſſus in ipſo ornatu contra temperantiam, eſſe quoque obnoxiam ex natura rei culpæ veniali indirectæ cooperationis peccato alterius. Nam ſicut qui furando obolum, videt a ſe præberi occaſionē, vt alter quoq; alium obolum, vel duos, aut tres furetur, præter peccatum proprium leuis furti, contrahit quoque malitiam venialem furti alieni: ita quæ animaduertit ſuo leui ornatus exceſſu alias quoque ad ſimiles leues exceſſus ſolicitandas, vel certè pleroſq; ad ſui turpem amorem leuiter prouocandos, præter culpam venialem intemperantiæ in leui ornatus exceſſu, incurrit quoque ex natura rei culpam venialem leuis prouocationis ad malum, indirectæque cooperationis leui peccato alterius. Dixi tamen de induſtria, *ex natura rei*, quia culpa leuis huiuſmodi prouocationis, indirectæque cooperationis leui peccato alterius aliunde excuſari non rarò poteſt. Nam graue incommodum in caſu cooperationis indirectæ ſicut a culpa mortali, ita etiam a veniali liberat, vt patet in petitione mutui ab vſurario, quod ab alio adipiſci non potes, indigeſq; eo, vt te e carcere eximas, adeoque ſine graui incommodo eiuſmodi petitione ſuperſedere nequis, quæ propterea ne venialis quidem eſt, ſed penitùs innoxia. Vnde perſuaſum habeo, feminam, quæ, vt grauia verbera ſibi a mari-

IX. Leuis ad malū ex nimio ornatu prouocatio, rea quoque eſt ſcandali venialis.

Sed aliunde excuſatur.

to alioqui, ni immoderatum ornatum induat, certò imminentia vitet, vanè ac ſuperfluè ſe exornat, etſi fortè ex tali ornatu in culpam venialem vanæ gloriæ, vel iactantiæ, vel ſuperbiæ incidit, nihilominùs immunem eſſe non ſolùm a morrali delicto cooperationis mortifero eam aſpicientis deſiderio, ſed etiam a veniali quoque cooperatione eidem deſiderio, vt ſatis ex communi, receptaque Theologorum doctrina exploratum eſt. Illud tantùm hoc loco animaduerto, in ſimilibus caſibus, quando quis præ graui incommodo, quod aliàs ſubiret, non tenetur peccatum mortale alterius, ſubducta actione, vel materia indifferente, impedire, etiamſi peccato alterius materiam, vel actionem indifferentem ſuppeditet, ac phyſicè idcirco cooperetur ſeu proximè, ſeu ſaltem remotè; non tamen moraliter, & culpabiliter eidem peccato cooperari, neque proximè, neque remotè, ne indirectè quidem, quoties iuſta cauſſa agendi ſuppetit, vt conſtat. Quanquam autem mulier vtens ſuperfluo ornatu, labe vanæ gloriæ, vel ſuperbiæ inficiatur, neque iuſtam cauſſam patrandi hæc delicta venialia habere poſſit, tamen vt vitet grauia verbera a marito ſibi aliàs ingruentia, habet ſanè iuſtam cauſſam geſtandi cum ſuperfluum ornatum, qui intrinſecè non malus, ſed indifferens eſt, ac permittēdi alteri turpia deſideria hinc orta, quibus ipſa ideo ne venialiter quidē, nec proximè, nec remotè, nec indirectè cooperatur moraliter. Imò etiamſi mendacium intrinſecè malum, quò grauia verbera declinaret, diceret, etſi hinc occaſionem alteri mentiendi etiā cum periurio in re graui fore certò cerneret, non propterea tamen præter culpam proprij mendacij, vllam aliam culpam ſcandali, indirectæque cooperationis mendacio & periurio alterius, neq; mortalem, neq; venialē cōtraheret, ne indirectè quidem. Nā poſito eo graui incōmodo verberū ingruentium, quanquam proprium mēdacium adhuc eſt voluntarium, & liberum, cooperatio tamen mendacio, & periurio alterius, moraliter neque proximè, neq; remotè, neq; indirectè voluntaria cenſetur, adeoque neq; ad vllam culpam feminæ referri poteſt. Eiuſmodi enim mendacium, vel quodcunque aliud opus intrinſecè malum in ordine ad cooperationem peccato alterius habet ſe in tali caſu omnino materialiter, perinde prorſus, ac ſi eſſet res indifferens, ſiquidem tam liberatur mulier a culpa etiam veniali cooperationis mendacio & periurio alterius mentiendo, vt vitet grauia verbera; quàm induendo ſuperfluum ornatum per ſe indifferentem, vt vitet ſimile incommodum, a delicto quoq; veniali cooperationis lethifero alterius deſiderio eximitur.

X. *Incōmodū graui cooperationi īdirecta peccato alterius lethali excuſādæ īſufficiens, ſufficit aliquādo leui cooperationi excuſādæ.*

Sed obſeruo præterea, incommodū illud, quod ad excuſandam grauem cooperationem indirectam peccato alterius lethifero leue, & inſufficiens reputatur, idem ad excuſandam leuem cooperationem peccato alteri⁹, mortali etiam, ne dum veniali, graue, & ſufficiens nonnunquam meritò iudicari poſſe. Nam qui v. g. in veſpertino ieiunnij ientaculo menſuram leuiter excedit, præuidetque alterum tali exemplo inducendum ad cœnandum, ac penitùs violandum ieiunium, ad quod eum nonniſi leuiter prouocat, vt liquet; ſi ad leuem eiuſmodi exceſſum in ientaculo importuniſſimis amici potentis; repulſam alioqui ægrè laturi, precibus impulſus eſt, quanquam veniale peccatum intemperantiæ contra præceptum ieiunij committit, non videtur tamen vllum peccatum, ne veniale

niale quidem cooperationis indirectæ peccato lethali ieiunij ab alio fracti contrahere, quandoquidem importuniſſimæ preces amici ex repulſa certò offendendi, nec leuiter, in morali prudentum æſtimatione cẽſentur iuſtam, & legitimam excuſationem præbere, ne leuiter excedens menſuram ientaculi, lethiferam ieiunij violationem alterius tanto ſuo cum incommodo vitare, ne ſub veniali quidem culpa indirectæ, ac leuis coopetationis, teneatur: & tamen eædem preces importuniſſimæ, & certa offenſæ notitia non ſufficient ad excuſandum a mortali cooperatione indirecta lethifero delicto fracti ab alio ieiunij, eum, qui ad violandum ieiunium non leuiter tantùm, ſed grauiter quoque, lauteq; cœnandum, talique graui violatione ad alterum in eandem culpæ foueam grauiter ac notabiliter prouocandum, flecti ſe paſſus eſt, quod nemo, opinor, iure negauerit.

XI. *Superfluè ſe ornãs femina ſæpe excuſatã a cui etiam cooperatione malo alterius.*

Vnde infero, feminam ſuperfluè ſe ornantem, a peccato, etiam veniali leuis cooperationis indirectæ delicto alterius, etiam mortali, commodè frequenter excuſari poſſe ex eo, quia graue planè incommodum eidem feminę eſt angi perpetuò ſcrupulis venialis cooperationis mortali culpæ alterius, præter veniale crimen proprium leuis exceſſus in ornatu; adeoque huiuſmodi incommodum illam ab omni culpa indirectæ cooperationis, etiam veniali penitùs eximit: quod tamen eam non eximeret a delicto lethifero cooperationis indirectæ peccato alterius mortali, neque ſufficeret, ſi ipſo ornatus exceſſu non leuiter, ſed grauiter, & notabiliter alterum ad malum prouocaret lethale, vt infra ſolidè demonſtrabo.

XII. Dices I. Hac eadem excuſatione perpetuæ anxietatis ſcrupuloſæ facilè exemptum iri feminam non ſolùm a veniali cooperatione indirecta peccato alterius, ſed etiam a culpa propria venialis intemperantiæ in ornatus exceſſu. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quia graue incommodum militat reſpectu tantùm venialis cooperationis peccato alterius, non verò reſpectu propriæ culpæ. Nam plerę que mulieres ſimplices, nec de aliorum malitia quicquam cogitantes, vtcumq; difficile aliquantulum ſit, diſcernere leuem ornatus exceſſum, adhuc tamen ſufficienter illum poſſunt aduertere: adeoque peccant venialiter eum nihilominùs vſurpantes. Vident quippe exempli gratia plurimas, quæ moderatè ſe ornare communiter exiſtimantur, non vti veſtibus ex cãdido rubeis; quibus tamen paucæ aliæ non ſine nota exceſſus, ſaltem leuis, vtuntur: ac proinde quæ tales veſtes induunt, fieri non ægrè poteſt in tali caſu, vt venialiter peccent contra temperantiam ornatus. At verò ſcrupulis perpetuò agitari venialis cooperationis peccato aliorum longè grauius incommodum eſt. Hoc enim pendet a tot circumſtantijs externis, & a voluntatibus, & diſpoſitionibus alienis; illud autem a propria cuiuſque voluntate, & diſpoſitione; ac propterea incommodum graue in vno caſu militat, & non in altero; hoc namque non ita operosè deprehenditur, neque ægrè admodum cauetur; illud autem & laborioſè internoſcitur, & permoleſtè vitatur; ac proinde excuſatio legitima mulieres plerumque a peccato veniali indirectę cooperationis delictis aliorum ex ſuperfluo ipſarum ornatu manantibus, etſi hæc non penitùs incognita habeant, tuetur ob magnum alioqui incomodum perpetuæ anxietatis vitandum; quanquam eaſdem minimè tuetur a culpa veniali intemperantiæ in

Non tamẽ eximitur a culpa venialis intemperantiæ.

in ornatus exceſſu, quæ ſimili incommodo haud quaquam vexatur; multoque minùs eaſdem a mortali ſcelere indirectæ cooperationis lethiferis aliorum peccatis eximit, quoties valde immoderato ornatu huiuſmodi peccata non leuiter, ſed grauiter, & notabiliter prouocant, grauemque prouocationem minimè ignorant, ſed ſufficienter animaduertunt. Nam idem illud incommodum perpetuę anxietatis ſcrupulorum, etſi ad leuem prouocationem alienarum culparum, leuemque cooperationem iſtarum excuſandam ſatis magnum prudenter reputatur, adeoque etiam ſufficit; non ſufficit tamen, neque magnum iure exiſtimatur ad grauem prouocationẽ, grauemque cooperationem indirectam per valde immodicum ornatum alienis delictis mortalibus excuſandam, quum hæc facilè animaduerti, ac vitari poſſit.

Neq; a mortali cooperatione, quando ornatu ipſo grauiter ad malum prouocat.

XIII. Dices II. excuſationem allatam a veniali cooperatione indirecta flagitijs aliorum aduerſari ſententiæ Doctorum omnium, qui ſuperfluum mulierum ornatum venialis culpę notant, atque hanc non tantùm in ipſam ornatus ſuperfluitatem, labemque intemperantiæ, ſed in ipſam quoque prouocationem ad malum præciſè refundunt, quam leuem eſſe cenſent. Reſpondeo neminem Doctorum hic repugnare, ſiquidem, etſi culpam venialem præciſè ipſi quoque leui prouocationi adſcribunt, ſapienter tamen ita docent, quia ex natura rei culpa venialis cooperationis peccato alterius, niſi graue incommodum excuſet, omnino contrahitur.

Nec Doctores aduerſantur.

§. II. *Immodicorum ornamentorum luxus, libidinis ſuſpicione ſuperfluè valde ornatam adſpergit.*

NOndum diſputo de grauitate peccati ob notabilem prouocationem ex valde immoderato habitu, cultuque ad laſciuiam, ſed de impuritatis dumtaxat argumento, atq; odore; de quo

XIV. Aio planiſſimè ſine vlla circuitione, ex grauiſſimo veterum Patrum Senatuſconſulto, illas feminas, quæ immodicum ornatum affectant, vtcumq; ſe caſtas, ſceleriſque puras iactent, vtcunque pudicitiam ſibi cordi eſſe, quàm maximè profiteantur; parum tamen caſtitatis amantes cenſeri, impudicitiæque exiſtimatione ſeu præſumptione malè audire, fœdaque infamia laborare, quemadmodum perſpicuis, incorruptiſque monumentis nullo negotio euinco.

Ornatu valde immoderato vtentes, impudicitia ſuſpicione laborant.

XV. Teſtor in primis Clementem Alexandrinum, qui *lib. 3. Pædag. cap. 3.* explanatè ſcribit: *Sicut nota inuſta flagitiuum; ita etiam floridi colores adulteram indicant.* Concinit pariter Sanctus Gregorius Nazianzenus *in exhortatione ad Virginem*, ita ſanciens: *Alij quidem fucis, & colorum nitoribus imaginem diuinam adulterant, viuæ tabulæ fœdi indices interiorum animi affectuũ.* Sed multo aculeatiùs adhuc *in Tractatu aduersùs mulieres ſtudioſiùs ſe ornantes* hoc idem perſtringit. *Hæc artificia*, inquit, *non pudicitiæ ſunt, ſed laſciuiæ, ac libidinis.* Et inibi quoque: *Ferunt*, ait, *inſolentem pauonem, quum curuato collo, penniſque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore ſuo, ad Venerem incitare. Eodem modo admodum mirabor, Si tu aliam ob cauſſam formam fingas, quàm vt nitidorum, & falla-*

Vt eradit Clemẽs Alexandrinus, & Naziãzenus.

fallacium virorum oculos ad te cõuertas.

XVI. *Tum S. Io. Chryſoſtomus.* At multo copioſiùs, & luculentiùs S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* 8. *in* 1. *Timoth.* 2. *Per exteriorem*, ait, *cultum, & habitum plurimos poſt ſe trahunt amatorum greges: atque hinc plurimæ peſſimâ ſæpius ſuſpicione non carent; nihilque prorſus eiuſmodi lucrãtur ornatu; imò & plurimis ex ea opinione nocuerunt. Nam quemadmodũ impudica, etiamſi pudica videatur, nihil ex huiuſmodi opinione lucratur, quũ Iudex ille noſter occulta omnia tunc in medium producturus ſit; ita ne pudica quidem, ſi per habitum ſtudeat adulterij opinione notari, quicquam ex pudicitiæ opinione lucrata eſt. Plurimos enim & ipſa ex hac opinione violauit. Verùm quid agam, inquies, ſi alius de me peſſimè ſuſpicetur? Tu huic ſuſpicioni per habitum, per inceſſum, atque aſpectum, & omnem corporis motum fomenta miniſtras.* Ita aureum eloquentiæ os, Chryſoſtomus.

XVII. *Nec non Tertullianus.* Quid Tertullianus? In libro *de velandis Virginibus* oris fucos *iniquitatis ingenium* appellat, & libro *de cultu feminarum, cap.* 2. pigmenta faciei *elaboratam libidinem*. Tum *cap.* 12. ibidẽ, *Thamar illa*, inquit, *quæ ſe expinxerat & ornauerat, idcirco ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere*. Quo loco interpres eiuſdem Tertulliani illud Naziãzeni affert: *Ne ſcribas faciem mulier.* At quænam, rogo, mulier faciem ſcribit? omnes quæcumque fucis eam illinunt. quid verò in ea ſcribunt? impudentiam. Eundem teſtor cenſorẽ Tertullianum inibi ſic decernentem; *lenocinia formæ nunquam non proſtituto corpore coniuncta; & de vita ſcripturæ* (nempe vultus) *ſuggerunt*. Quid ſuggerunt? Enuntiat Nazianzenus in præceptis ad Virgines: *Calcatum prodens ſine voce pudorem*. Itàne verò? omnino. Hæc namque *pigmenta*, vt cordatè Didacus Celada Comment. in Iudith. cap. 10. *num.* 16. monet, *pulchri ſunt charactares, quibus libido ſignificatur, & clarè laſciuia legitur, & meretricij mores; etiamſi lingua taceat, fucus, veneres, cupidineſque loquitur vulgari idiomate*. Denique idem Tertullianus lib. *de cultu feminarum* citato, *vt lenones*, inquit, *& proſtitutores veſtitus, & cultus ne in vos admiſeritis*. Quid ni? Rationem inibi *cap.* 9. egregiam reddit: *Florida enim veſtis de proximo curat luxuriæ negotium*.

XVIII. *Et S. Cyprianus, & alij.* Sciſcitemur nunc ex S. Cypriano, quid his de ornamentis ſentiat. In libro *de habitu virginum*, quàm diſertè ſcribit? *Virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet, & credi, vt nemo, quum virginem videt, dubitet, an virgo ſit:* & paulò poſt. *Excuſari non potes, quaſi, caſta ſis, & pudica; redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* quid opinetur S. Ambroſius. *Lib.* 1. *de virgin* quàm affirmatè decîdit? *Adulteratio vultus meditatur adulteria caſtitatis*. quid arbitretur S. Hieronymus. Quàm enodatè in Epiſtola ad Demedriadem exprobrat? *Crines a fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, adſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine ruga, ſoccoſque criſpantes*, quorſum? *vt ſub nomine virginitatis vendibiliùs pereant*. Hinc Paula Sanctiſſima Matrona Romæ, ac Romanarum decus, eodem S. Hieronymo Epiſtola 27. ad Euſtochium teſte, *ſi vidiſſet feminam aliquãm comptiorem, contractione frontis, & vultus triſtitia arguebat errantem, dicens munditiam corporis, atque veſtitus animæ eſſe immunditiam*. Quid poſtremò exiſtimet S. Auguſtinus. Quàm dilucidè in Epiſtola 73. ad Poſſidium, quod etiam c. *fucare, de conſecr. diſt.* 5. refertur, pronuntiat: *fucari pigmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt*. Quænam

nam verò hæc fallacia eſt? *Quaſi fucus*, inquit Celada *loc. cit. num.* 18. *ſit libidinis meditatio.* quippe *laſciuia in veſtibus*, vt idem *num.* 20. ſubdit, *ſcortatio animi eſt, & ſumptuoſior libidinis pompa: comptior femina matronam negat, meretricem prodit habitu meretricio, & ornatu luxuriam procurat.*

XIX. *Cõſentit quoque Auſmo.* Hactenus Antiqui Patres, quibus vnum e Theologis moralibus Nicolaum de Auſmo Auctorem *Supplementi Summæ Piſanellæ, verbo ornatus, quæſt.* 3. adiungo, vbi de mulierum fucis diſputans, *huiuſmodi fictiones*, inquit, *ſecundum S. Thomam* 2. 2. q. 169. *non poſſunt eſſe ſine peccato: non tamen ſemper eſt mortale, ſed ſolùm quando fit propter laſciuiam, vel in Dei contemptum. Aduertendum* tamen, *quòd niſi aliud expreſſè appareat, ipſo facto præſumitur intentio laſciuiæ, & diuini contemptus. Quum enim actus in ſe ſit adulterinæ fallaciæ, & inhoneſtus, vt dicit Auguſtinus in c.* fucare, de conſecr. diſt. 5. *non poteſt in ſe prætendere, niſi laſciuiam, & mentis inhoneſtatem adeo quòd mulieri contrariũ aſſerenti non crederetur. Ait enim Auguſtinus:* Non dicatis vos animos habere pudicos, ſi habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius 32. q. 5. nec ſolo. & Gloſſa in illud Pauli 1. *Timot.* 2. *Non in tortis crinibus &c. ſuperbus*, inquit, *habitus non recta facit de ſe credi.*

XX. *Et Gelſomini°.* Conſentit quoq; Andreas Gelſominius ex Auguſtiniano Ordine Theologus *in Theſauro cæleſti* Italicè exarato *cap.* 12. vbi diſertè ait, a feminis vultum fucantibus turpe, inhoneſtumque cordis deſiderium in ipſa facie expingi: ſubditq;: Il Poeta Tragico dà titolo d' adultera alla bellezza mendicata, e S. Cipriano chiama adultere quelle donne, che ſi liſciano, perche dato caſo, che queſte tali non ſiano impudiche, e diſoneſte, il che è corteſia a credere, almeno di deſiderio; nondimeno il darſi a i liſci è coſa da meretrice, e non da donna da bene. hoc eſt, *Poeta Tragicus quæſitam pulchritudinem vocat adulteram; & S. Cyprianus eas mulieres, quæ ſe excolunt, adulteras nuncupat; quippe etſi tales impudicæ atq; inhoneſtæ non ſint, quod liberalitatis eſt credere, ſaltem quãtum ad deſiderium; tamen fucis operam dare, non honeſtæ feminæ eſt, ſed meretricis.*

XXI. *Et Tiraquellus.* Theologo Iuriſcõſultum Andream Tiraquellum addo, qui in *tertiam legem Connubialem, Gloſſa prima, par.* 3. *num.* 26. hæc memoriæ prodidit: *Nec mulieres tantùm impudicæ, ſed & pudiciſſimæ quoq; eo affectu maximè premuntur, ita vt ob id nonnunquam in ſuſpicionem impudicitiæ veniant. Legimus enim Claudiam veſtalem, quum ſemper habita eſſet impudica ob nimios corporis cultus, quum ex libris Sibyllinis Idæa Mater eſſet accita, & in vado Tiberini fluminis nauis, in qua veheretur, hæſiſſet, nec vllo modo, aut vlla vi commoueretur, Deam ſubmiſſis genibus oraſſe, vt ſi ſe caſtam iudicaſſet, ſuum cingulum ſequeretur: ita nauim, quæ ab omni iuuentute non valuit commoueri, ab vna illa muliere fuiſſe commotam, quod a Lactantio ſcriptum eſt lib.* 2. *qui eſt de origine erroris: & nonnihil etiam tradit Linius lib.* 9. *belli Punici ſecundi, & Plin. lib.* 7. *cap.* 35. *& alter Plinius Iunior in libro virorum illuſtrium. Ex quo & illud eſt Ouidij lib.* 4. *Faſtorum de eadem:*

Caſta quidẽ (ſed nõ eſt credita) rumor iniquus
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus & ornatos variè fudiſſe capillos,
Obfuit, ad rigidos linguaq; prõpta ſonos.

Liuius lib. ab vrbe condita 4. *memoriæ prodidit, Poſthumam, & ipſam Virginem de inceſtu cauſſam dixiſſe, criminis obnoxiam ob ſuſpicionem propter cultum amœniorem, tandem abſolutam: ſed eam tamen Pontifex Maximus ſanctè*

tè potiùs, quàm ſcitè, Deam colere iuſſit. Vſq; adeo apud Ethnicos quoq; ornamentorum muliebris luxus flagitij ac turpitudinis dehoneſtamento inſignitè aſpergitur.

XXII. *Etſi plurimæ nimis ornatæ ſint planè caſtiſſimæ.* Dixi tamen initio, huiuſmodi feminas libidinis præſumptione, atq; infamia laborare, quia minimè dubito, quin plurimæ ex ijs quoq;, quæ ornatu luxuriant, valde pudicæ, & honeſtiſſimæ ſint: adſtipulorq; libenter S. Hieronymo *ad Gaudentium, de educat. Pacat.* ſcribenti: *Philocoſmon genus femineum eſt, multasq; inſignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen ſibi ſcimus libenter ornari.* Quod tamen de moderato ornatu, vel de leuiter ſuperfluo accipiendum meritò eſt. Nimirum *delectantur compedibus mulieres, vt* rectè S. Ambroſius de Naboth. *cap.* 5. *dummodo auro ligentur; non putant onera eſſe, ſi pretioſa ſunt; non putant vincula eſſe, ſi in his theſauri coruſcent: delectant & vulnera, vt aurum auribus inſeratur, & margaritæ dependeant: habent & gemmæ pondera ſua, habent veſtimenta frigora ſua; ſudatur in gemmis, algetur in ſericis.*

An Superfluus Feminarum cultus notabiliter ad luxuriam incitans ſit peccatum mortale. Cap. VII.

I. SVperiore *cap. 6.* egi de ornatu moderato, vel leuiter excedente, vtroq; tamen cum graui proximi ruina præuiſa coniuncto; nunc quæro diſtinctè, num femineorum ornamentorum exceſſus (ſiue is in genere pretij ſit grauis, ſiue leuis) ſi valde ad laſciuiam laceſſat, mortiferæ culpæ damnandus ſit; quæ eſt ipſiſſima controuerſia ſupra *cap. 4. in fine num. 12.* excitata, hîc autem tempeſtiuè ex deſtinato diſcutienda.

§. 1. *Refertur opinio negans.*

QVanquam nemo, quòd ſciam, huiuſmodi quæſtionem tam enucleatè, quàm ego, proponit, plerique; tamen eam haud obſcurè innuunt. At ego hîc vnum, quod valde mirum, & nouum videbitur, dicam; dicam tamen, quia veriſſimum. Ex cunctis Doctoribus de hac materia differentibus, quoſcunq; tum domi noſtræ, tum foris diligenter quæſiui, ac nanciſci potui, nec ſegniter peruolutaui, nullum prorſus, qui huic præciſo dubio, *an ornatus femineus notabiliter ad Venerem alliciens, ſit lethalis?* directè reſpondens, id negare, atq; a tam graui delicto eximere audeat, huc uſq; potui reperire. Quæ res, quia præter opinionem valde inſolita, Lectorum non paucis accidet, accuratè modò in lucem euocanda eſt. II. *Nemo negat ornatũ notabiliter Veneris prouocatiuũ eſſe lethalẽ.*

Primus omnium, ac primo loco, qui contra ſentiat, citari poteſt Caietanus 2. 2. q. 169. a. 2. *ad quintum dubium*, vbi mulieri ornanti ſe vanè peccatum alterius ipſam concupiſcentis, tanquã euentum remotum, negat apertè eſſe imputandum. Verùm hic locus minimè vrget, quum meritò dici poſſit, non loqui Caietanum de vano mulieris ornatu notabiliter ad malum ſollicitante, ſed leuiter tantummodo, quo caſu ſcandalum paſſiuum alterius ipſam deſiderantis illi nõ tribuitur, eaq; a mortali immunis euadit, vt *cap. 6.* §. 1. iam docui. Confirmatur, quia idem Caietanus *ibid. ad quartum dubium* proximè præcedens, vbi notabilem exceſſum ornatus tradit non eſſe ſecundùm ſe peccatum mortale, ſtatim III. *Nõ Caietanus.*

hanc exceptionem addit, *niſi ad perniciem, quæ contra Deũ, aut proximum eſt, ducat*; & paulò poſt repetit: *Sed ſolùm propter laſciuiam, vel contemptum*, nẽpe Dei, vel proximi, vt idem Auctor *ibid.* diſertè probat, *quia non eſt actus iſte*, inquit, *contra Deum*, ideſt, contemptus Dei; *nec contra proximum, quum non ſit ad damnum alterius, ſed ad propriam vanitatem*, hoc eſt, caret contemptu proximi. Qui ſanè tum accidit, quando mulier directè ad laſciuiam proximum ſuo ornatu prouocare cupit, vel etiamſi directè non prouocet, cernit tamen illum ab iſto prouocari, & nihilominùs ita proximum cõtemnit, vt ab eodem ornatu minimè deſiſtat, tametſi commodè queat deſiſtere: in quo ratio ſcandali puſillorum ex re alias indifferente ob propriam ipſorum infirmitatem propriè ſita eſt. Hic enim eſt ordinarius contemptus proximi, qui in huiuſmodi caſibus cõtingit, ac prudenter a Caietano ſpectatur; neque enim is tam parum ſapit, vt de inuſitato, vel inaudito contemptũ ſomnia fingat, aut mentionem ineptè inijciat. At omnis exceptio eſt de regula, vt patet. Ergo ſi in primo caſu inficiatur Caietanus eſſe mortale, in ſecundo, vel tertio excepto id vtiq; concedit. Neque obſtat, quòd idem Auctor *in ſumma, verbo, ornatus exterior, cap.* 7. decernit non peccare mortaliter feminam, *licèt placeat ei, quòd laudetur, vt pulchra, & vanâ ſuperfluitate, & fuco ſe ornet, quia alij peccant mortaliter ipſam adamando.* Nullum quippe hîc verbum ornatus notabiliter ad libidinem inuitantis apparet, ſed vanæ tantùm ſuperfluitatis, nempe leuis tantùm, aut ſi etiam grauis, in genere pretij ſolùm, non verò prouocationis.

IV. II. Produci poteſt Nauarrus, qui in Manuali, *cap.* 23. *num.* 19. a mortali delicto eum liberum ſtatuit, *qui ſe ornat ſplendidiùs, quàm ſtatus ſuus requirit, niſi id eſſet in cauſſa non ſoluendi debita, vel non præbendi alimenta, cui præbere obligatur, etiamſi ob id alius ad mortaliter peccandum moueretur, quia eiuſmodi actus ſuapte naturâ, vt plurimum ad ſolum veniale mouet; & ita, qui ob id mortaliter peccat, ſua prauitate motus ſic peccat ex mente Caietani* in d. *quæſt.* 169. *art.* 2. *quem ſequimur.* Sed neque in his verbis plus ponderis eſt, quàm in ipſo Caietano, quem ipſemet Nauarrus ſe ſequi profitetur. At eundem Caietanum pro opinione negante fruſtra appellari iam oſtendi. Deinde Nauarrus de notabili exceſſu ornatus ad laſciuiam prouocante nihil memorat. Imò de leui exceſſu loqui ſe palàm facit, quum ait eum, *vt plurimum ad ſolum veniale mouere.* *Neque Nauarrus.*

V. III. Afferri poteſt Bartholomæus Fumus in ſua Armilla *verbo, ornatus, num.* 1. §. 7. vbi ait mulierem, quæ ſe ornat, non peccare mortaliter, *etiam quòd multi peccent eam appetendo, & ipſa ſciat ſe appeti, hoc enim eſſe ſcandalum tantùm paſſiuum in ea, ſecundùm Caiet. ibi in Summa. Non enim rei illicitæ dat operam.* At loquitur apertè de ornatu tantùm moderato & licito, qui extra ſtatum præſentis controuerſiæ omnino eſt. Subdit paulò poſt idem Fumus *num.* 3. *licèt placeat ei, quòd laudetur, vt pulchra, ſi vana ſuperfluitate, & fuco ornet ſe, non propterea mortaliter peccat, quia alij peccant ipſam amando turpiter, non enim dat occaſionem, ſed illi accipiunt, ſecundùm Caietanum ſupra.* At hæc ex Caietani Summa, vt candidè fatetur, totidem penè verbis ſumpta ſunt, quæ iam antea nihil officere, aut concludere demonſtraui. Adde quòd idem *Neque Fumus.*

Fumus tum ibi *num.* 1. §. 4. ait ornatum, poſſe eſſe *ita inhoneſtum, quòd ex eo perſonæ ſcandalizarentur, & eſſet mortale, quia daretur alijs materia ſcandali*; tum infra, *verbo, ſcandalum, num.* 2. palàm ſententiæ, quam infra tradã, ſe adiungit.

VI. Neque Leſſius. IV. Vim aliquis fortè faciet ex Leonardo Leſſio, qui *lib. 4. de iuſtit. cap. 4. dub. 14. num.* 113. ſtatuit *non ex eo cenſeri ornatum ſcandaloſum, quòd multi occaſione illius putentur ad praua deſideria prouocandi. Itaque etiamſi femina putet aliquos peccaturos, non tamen idcirco ſub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere*. At primò, Leſſius de ornatu notabiliter ad malum alliciente nihil hîc mutit; Et de leui tantùm exceſſu loqui commodiſſimè exiſtimatur. Deinde, infra in contrariam prorſus ſententiam, proſequens capita, ob quæ ornatus euadit mortalis, ita diſcedit: *Quartò, Ratione contemptus proximi, vt ſi quis ita propter ornatum ſe extollat, vt proximos deſpiciat, vel affectu ornatus proximi ſalutem nihili pendat, non curans, an ſcandalizetur, an non*. Vbi expreſſè ſuſtinet id, quod infra docebo.

VII. Neq. Sa. V. Alius opponet Emmanuelem Sa in *Aphoriſmis, verbo, ornatus, num.* 1. vbi, *quòd quis ex ornatu feminæ ſumat occaſionem peccandi mortaliter, tunc*, inquit, *mortale eſſe, quidam dicunt: ſed meliùs alij negant*. At Sa de valde immoderato, & notabiliter ad Venerem incitante ornatu nihil prorſus habet.

VIII. Neque Thomas Sãchez. VI. Maius negotium faceſſere videtur Thomas Sanchez *lib. 1. Decal. c. 6. num.* 17. vbi ſic pronuntiat: *Mulieres ſe ſuperfluè ornantes non peccant mortaliter iuxta communem ſententiam; quum tamen luce meridiana clariùs eis pateat, fore vt ob id a pleriſq; iuuenibus turpiter amentur*. Eodem pariter modo Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. pun. 7. num. 1.* hiſce verbis philoſophatur: *Si ornatus ſuperfluus ſit, non exiſtimo ex hac parte peccatum mortale eſſe, ſed ſolùm veniale, vt docet* Caietan. *2. 2. q. 169. art. 2.* Nauarr. *cap. 23. nu. 19. & ſeqq.* Sanchez *lib. 1. Decal. c. 6. num. 17. ex communi ſententia*, Bonacina *de Matrim. q. 4. pun. 9. num. 17. quia ſunt tot mulieres ita ſe ſuperfluè ornantes, vt vix de nulla affirmari poſſit, grauem occaſionem peccandi tribuere*. Hactenus Caſtro Palao. At neque hi aduerſantur. I. quia Doctores, quos citant, leuem ornatus exceſſum, leuemque ad malum prouocationem ſolùm a mortali liberant, non autem grauẽ, vt ſupra expendimus: Et Bonacina quoque *loc. cit. num.* 25. ait mulierem fucantem ſine cauſa rationabili faciẽ, peccare venialiter, vbi nihil de exceſſiuo ornatu, nihil de notabili ad malũ prouocatione memorat. II. quia tam Sanchez, quàm Palao, quum negent talem mulierem ſic ornatam lethiferè peccare, non poſſunt ſupponere ab ea agnoſci occaſionem proximã hîc, & nunc determinatam peccandi creari; ſed licèt ea grauis ſit, & frequens, eſſe tamen quo ad tempus, locum, & perſonas indeterminatam: adeoque pro remota tantùm eam cenſeri, vt iam *cap. 6. num. 8.* tetigi, & infra §. 8. planiùs explicabo. Vnde aſſertioni præſenti minimè refragantur. Neque Palao.

IX. Neque Layman. VII. Demum aliquis huc aduocabit Paulum Layman, qui *lib. 2. Theol. moral. tract. 3. cap. 13. num.* 10. explicatè aſſerit, nimis *difficile* eſſe, & *ſcrupulorum materiam præbere, ſi mulier honeſta, quæ nullius ruinam intendit, proprio iure ac libertate priuari debeat, quo minùs ex iuſta cauſa ad fineſtram accedere, honeſto veſtitu foras egredi ei liceret, ne ex eius aſpectu aliqui e populo ſcandalum patiantur*. At hîc ſermo

eſt de honeſto tantùm veſtitu, hoc eſt, de moderato, & licito, de quo non eſt præſens diſputatio. Rurſum idem Auctor *ibidem num.* 11. §. 6. docet, ſcandalum ex cultu muliebri, ſi feminę *non intendant alicuius turpem amorem, ſeu laſciuiam prouocare, non imputari ipſis ad peccatum mortale*, vt tradunt *Doctores communiter* S. Antonius *par.* 2. *Sum. tit.* 4. *cap.* 5. §. 8. Caietanus 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *& verbo, ornatus*, Armilla *eodem verbo, num.* 5. Sa *nu.* 1. Azor *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 18. *q.* 12. *Nauarr. cap.* 14. *num.* 37. Sanchez *l.* 1. *moral c.* 6. *num.* 17. Leſſius *lib.* 4 *c.* 4. *dub.* 14. *n.* 113. Verùm neque ab his omnibus quicquam periculi ingruit, tum quia hîc de notabili exceſſu muliebris cultus, aut notabiliter ad peccatum impellente nullum penitùs veſtigium, nullum verbum; tum quia Doctores cuncti hîc recenſiti, excepto S. Antonino, & Azorio, iam ſupra in anteceſſum prolati, atque expenſi ſunt, palamque factum, eos ad ornatum muliebrem notabiliter libidinis prouocatiuum a lethifero delicto purgandum, incaſſum omnino euocari. S. Antoninum autem, & Azorium huiuſmodi prouocationi notabili clarè aduerſari, poſtea in loco perſpicuè reuincam.

X. *Neque plures patronos ornatus ſuperflui expiſcari licuit.* Hos ego Auctores in totum, non ampliùs, qui nimij ornatus feminei ad malum valde irritantis a graui culpa vindicandi tutelæ maximè omnium fauere viſi ſunt, poſt multam ſedulamque inueſtigationem expiſcari, ac ſub ſigna cogere potui. Ignoſcant, quæſo, eruditi matronarum, ac virginum patroni inſcitiæ meæ, ſi plures eruderare, atque exherbare, vt cupiebam ſummopere, mihi non licuit. Sufficiant ipſi vicem meam cumulatiſſimè, ſpiſſumq; Doctorum agmen, ac benè longum ad notam hanc mortalis culpæ eradendā quàm primùm deſent, atque in aciem educant. Nam quos ego Aduocatos muliebri ornamentorum luxui adhibui, ij ſanè omnes, inuiti, repugnantes, auerſi, vt pateſeci (quanquam Auctores ipſi præclari omnino ſunt) ſuffragantur.

XI. *Quod ſi fingātur negare notabilē ex ornatu immodico prouocatione libidinis eſſe mortalem.* Sed fingamus, quæſo, animi & ludi gratiâ, tum hos cunctos Doctores, quos recenſui, tùm pleroſq; alios, quos ſexus ipſe femineus parturit modò, parietque aliquando, cuicunque ornatus immoderationi, etiam ad laſciuiam valde allicienti peccati mortalis reatum perſpicuis verbis ſine vlla circuitione detrahere. Cedò nunc, quibus tandem rationibus, quibus argumentis, quibus diuinarum literarum, aut veterum Patrum teſtimonijs huiuſmodi placitum fulciunt, ac venditant? de Scripturarum, ac Patrum chirographis, & documentis pertinax omnino ſilentium, & plus quàm Pythagoricum. *Sine ſcriptura, & ſine Patribus id tradūt.* Quid verò de rationibus, aut argumentis? Hæc ego cuncta, prout ab ipſiſmet (ſi eos nobis aduerſarios hoc loco interim comminiſci lubet) excogitata, & perſcripta ſunt, bona fide in præſens ſyllabatim referam.

XII. *Ornatus prouocatiuus laſciuiæ eſt ſecundū ſe culpa expers ex Caiet.* Caietanus in primis 2. 2. q. 169. *art.* 2. ſæpius citato in primo dubio ſic difficultatem proponit: *Et eſt ratio dubij, quia in litera ex ſola intentione ornatus muliebris ponitur peccatū mortale ob prouocationem ad laſciuiam. Conſtat autem quòd prouocare ad laſciuiam eſt actus ex ſuo genere mortalis.* Huic verò obiectioni vt reſpondeat, infra *Verſ. Ad horum euidentiam*, priùs hoc pacto differit. *Quoniam ars imitatur naturam, & mulier pulchra ſuapte natura eſt prouocatiua ad ſui concupiſcētiam, ſeu laſciuiam, pro quanto ſcilicet facit ad mulieris pulchritudinem apparentem. Verùm quia natura ſuperat ar-*

tem, & multo magis mulieris pulchritudo naturalis, quàm artificialis prouocatiua eſt ad concupiſcentiam mulieris; ideo ſicut inculpabilis eſt omnis naturalis pulchritudo mulieris; ita inculpabilis ſecundùm ſe eſt omnis pulchritudo artificialis; ita quòd neutri ſecundùm ſe imputandum eſt ad culpam, quòd prouocatiua eſt ad concupiſcentiam mulieris. Et propterea in litera vtrumque explicatur, & quòd ornatus muliebris eſt prouocatiuus virorum ad laſciuiam, & quòd eſſe prouocatiuum non imputatur ornatui ad culpam, niſi ex alia culpa, puta, ex intentione prouocandi.

XIII. *Neq; eſt mortalis ex hoc capite.*

Deinde ſtatim *ad primum dubium ait, quòd eſſe prouocatiuum ad concupiſcentiam, quandoque eſt nomen vitij, quandoque eſt nomen conditionis naturalis. Mulier namque pulchra eſt naturaliter prouocatiua ad concupiſcẽtiam ſui, & impudica eſt vitioſè prouocatiua ad concupiſcentiam. Et quia ornatus muliebris ſecundùm ſe non eſt prouocatiuus ad laſciuiam, niſi ſicut pulchritudo, ideo non eſt in ſpecie vitij prouocatiui ad cõcupiſcentiam ſecundùm ſe, ſicut nec pulchritudo naturalis, ſed ex intentione vtentis ornatu, ſeu pulchritudine ad prouocandum. Et propterea nullus ornatus muliebris ex hac ratione, quia prouocatiuus eſt ad laſciuiam, eſt ſecundùm ſe* peccatum mortale.

XIV. *Neq; eſt contra iuſtitiã, aut caritatem proximi.*

Rurſum ibidem *Ad ſecundum dubiũ, Verſ. Ad obiectionem autẽ in oppoſitum, quòd huiuſmodi exceſſus, cum nouitate præſertim, eſt contra dilectionem proximi, quia coguntur alij exemplo ad huiuſmodi ſumptus:* ita reſpondet: *Quòd quum quilibet ſequens malum exemplum nouitatis, ſeu exceſſus, voluntariè inferat ſibijpſi hoc damnum noui ſumptus, & hoc ſit præter intentionem primi ornantis ſe nouo exceſſu, vt ſic, nulla iniuſtitia committitur contra proximum, nullus actus contra caritatem proximi fit per ſe loquendo. Grauiter tamen peccant primi vtentes nouitatibus occaſionaliter damnoſis proximo, præferentes ſua vanitatis affectum proximorum neceſſitati. Quia tamen excuſare ſe poſſunt, dicendo, non imitetur nos, qui non poteſt, qui non vult; faciat vnuſquiſque ſumptus iuxta ſuas facultates, & non ſit ſtultus, ideo nec contra caritatem, nec contra iuſtitiã actus iſte eſt: valde tamen reprehenſibilis propter multas deformitates, & graues, quas habet, dum & conſuetudo violatur, et occaſio damni datur, et inanis gloria, ac ſtultitia non ſine ſcandalo committitur.*

Licèt ſit valde reprehenſibilis.

XV. *Et culpa imputãda eſt voluntati concupiſcentis prauæ.*

Deniq; infra eodem loco ad quintum dubium ſic diſſerit: *De imputatione ad culpam dicitur, quòd quum vnumquodque ſecundùm propriam cauſam iudicandum ſit, & non ſecundùm occaſionem; propria autem cauſa concupiſcentiæ ſit voluntas concupiſcentis viri: mulier autem ornans ſe vanè, nec per ſe, nec per accidens volens ſe concupiſci, non cauſa, ſed occaſio tantùm ſit ruinæ alterius, non eſt mulieri imputandus caſus viri concupiſcentis. Et quamuis det mulier operam rei illicitæ* (nempe ſuperfluo ornatui) *ex eius tamen opere non cauſatur ruina alterius, ſed ex mala voluntate virorum. Et propterea euentus iſte remotus, & non intentus non eſt ei imputandus: ſicut nec pulcherrimæ mulieri vanè egredienti domo imputandum eſt peccatum concupiſcentium eam, quam non concupiſcerent, ſi domi fuiſſet.* Hactenus Caietanus, cuius doctrina ſuffragio quoque vnius grauiſſimi, atque ingenioſiſſimi Theologi roboratur ex eo, quòd feminæ elegantior ornatus, etſi periculum aliquod proximo affert, non affert tamen periculũ efficax: ſed efficacia periculi naſcitur non ex ipſo ornatu immediatè, ſed ex temeritate eorum, qui ſentientes, & experientes in ſe periculum ex feminę ornatæ aſpectu, volunt tamen eiuſdem feminæ ornamenta aſpicere. Non aſpiciant, & nihil periculi ſubibunt.

Efficacia enim periculi nõ ex ipſo ornatu, ſed ex temeritate aſpicientiũ oritur.

Excu-

Excuſabunt ſe enimuerò feminæ, iure optimo teſtantes, ſe non intendere aſpectum illius viri, qui hoc periculum ſentit, adeoque propter talem ſuæ imbecillitatis experientiam ab eiuſmodi aſpectu abſtinere tenetur, ſed intendere ſe tantummodo ab ijs aſpici, qui ſolo pulchritudinis aſpectu ſine periculo delectantur; aut ab ijs, quos ſibi maritos comparare ſtudent; aut ab ijs, qui feminas minùs pulchras, & minùs ornatas ſolent contemnere, & irridere; & ab ijs, qui honeſta beneuolentia feruntur in perſonas pulchras. Solet enim pulchritudo naturaliter honeſtam beneuolentiam conciliare.

XVI. *Alia inſtātia ex Fumo.* Porrò eadem ratio ducta a pulchritudine, quàm Caietanus locis antememoratis explanauit, & in *Summa, verbo, ornatus, cap.* 7. iterum perſtrinxit, placuit deinde Layman *lib.* 2. *Theol. moral. tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 11. §. 6. & Leſſio *lib.* 4. *de Iuſt. cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 113. Aliam rationem Fumus in *Armilla, verbo, ornatus, num.* 3. ad muliebris ornatus ſuperfluitatem excuſandam affert; *ſicut,* inquit, *qui credit multos ſibi deſiderare mortem, quum vident ipſum, propter hoc nunquid non poteſt exire domum, & ad alia negotia? Sicut & Chriſtus ſciebat multos debere ſcandalizari de verbis Sacramenti Euchariſtiæ, & tamen hoc non obſtante, protulit verba.* Hoc ipſum exemplum ab eo, qui odio a multis habetur, deriuatum, a Layman *loc. cit. num.* 10. *Verſ. Ad probationem, in fine* & à Leſſio *loc. cit.* vſurpatur. At quia idem Leſſius tum id, tum illud de pulchritudine, tum alia bellè congerit, ſuiſmet verbis loquens meritò audiendus eſt. Sic verò ratiocinatur.

XVII. *Et ex Leſſio.* *Notandū tamen non ex eo cenſeri ornatum ſcandaloſum, quòd multi occaſione illius putentur ad praua deſideria prouocandi, vt rectè prædicti Doctores* (nempe S. Thomas, Caietanus, Siluester, Roſella; Fumus, Nauarrus, quos *num.* 109. citarat) *tradunt: alioquin etiam pulchritudo naturalis ſcandaloſa eſſet: nam multo magis prouocat, quàm artificioſa: quum natura longè ſuperet artem. Itaque etiamſi femina putet aliquot peccaturos, non tamen idcirco ſub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere: ſicut is, qui a multis odio habetur, non tenetur a publico abſtinere, vt inimicis non detur occaſio odij. Ratio eſt, quia ornatus iſte ſolùm remotè ad malum prouocat. Ergo non tenetur ab eo abſtinere, ne alij peccent: alioquin perpetuò abſtinere deberet (quum illa occaſio ſit perpetua, & vniuerſalis) quod nimis graue eſſet humanæ conditioni. Sufficit igitur vt ei peccatum proximi diſpliceat, & illius ſalutem non contemnat. Et confirmatur, quia quòd illi peccent, ex eorum prouenit malitia, non ex conditione ornatus: ſicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiæ pulchritudinis. Atqui id, quod ex aliorum malitia prouenit, non tenemur cum tanto grauamine noſtro impedire. Secus ſi in aliquo caſu ad breue ſolùm tempus ob peculiare periculum alicuius abſtinendum eſſet; tunc enim caritas poſtularet, vt pro eo tempore talem ornatū ſuperfluum omittam, ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occaſionem habeat.* Hucuſque Leſſius.

Hæc ſunt omnia argumenta, & rationes, quæ ad immoderatum valde mulierum cultum a graui delicto eximendum, ex cunctis Doctoribus hac de re agentibus, quos ſedulò ego verſaui, exprimere, & corradere potui. Alia porrò, quæ addi inſuper poſſint, deinceps earundem mulierum gratiâ, ne alioqui propriā ſuam cauſſam negligenter defenſam iure conqueri poſſint, non diſſimulabo.

§. II.

§. II. *Oppoſita ſententia damnans culpæ lethalis immodicum feminarum ornatum valde prouocatiuum libidinis, exponitur, & circumſcribitur.*

PRius, quàm, quod ſentio, proferam, quædam ad omnem æquiuocationem cauendam, in anteceſſum tanquam explorata neceſſariò obſeruanda, ac præ oculis ſemper habenda denuntio. Vnde

XVIII. *Ornatus valde immodicus nequit eſſe mortaliter ſcandaloſus indirectè, niſi ratione occaſionis proximæ peccandi.*

Suppono I. immodicum valde ornatum non poſſe ratione ſcandali actiui indirecti tantùm lethiferæ culpæ prudenter, ac meritò notari, niſi occaſionem proximam delinquendi mortaliter alteri præbeat, vt extra controuerſiam eſt, & *cap.* 5. §. 10. & 11. oſtẽdi.

XIX. *Ipſa occaſio proxima debet eſſe determinata hic & nũc.*

Suppono II. ipſam occaſionem, vt proxima rationabiliter cenſeatur, debere ex ſufficientibus circumſtantijs eſſe determinatam, vt *cap.* 5. §. 3. 11. 12. & 13. explicaui: alioqui, ſi valde indeterminata ſit, ac Lucretia v. g. ſciat quidem ex ſuo immoderato cultu graue periculum delicti lethalis alicui indiuiduo vago, incerto, atq; ignoto aliquando creandum; ſed quo die præciſè, vbi, quando, quis, & qualis ſit periclitaturus, ignoret penitus; talis occaſio, & periculum nequaquam proxima, ſed remota dumtaxat ſũt; adeoq; nec ſub mortali Lucretiæ vitanda. Dixi verò *ex ſufficientibus circumſtantijs*, & non *ex circumſtantia*; quia etſi Lucretia nôſſet Titium grauiter ſemel iterumque præ vano ſuo ornatu lapſurum, ſed neſciret, quo die, aut qua alia determinata opportunitate, adhuc huiuſmodi occaſio vtcunque comperta, & præuiſa, ſaltem per reuelationem, quamuis ad Lucretiæ, & Titij perſonas determinata; non videtur ſatis determinata, vt proxima, atque ad mortale ſcãdali peccatum gignendum ſufficere iure reputetur; vt ex diſputatione *cap.* 5. *illo* §. 3. 11. 12. & 13. confectâ perſpectum eſt. Quocirca Lucretia, etiamſi ornatum valde inflammantem ad Venerem induat, ſi tamen ita ornata in ſolitario pago cõmoretur, aut ijs tantùm ſe conſpiciendam det, quibus nullum probabile laſciuiæ periculum a ſe præberi, prudenter iudicat, immunis nihilominùs mortalis culpæ ſine dubio eſt.

Suppono III. loquendum in hac quæſtione de re ipſa, ſeu de obiecto ſuis conditionibus comitato, abſtrahendo ab ignorantia, & inaduertentia inuincibili, aut ab alia cauſſa legitima mulierem excuſante, atque a peccato eximente, ſolumque ſpectando naturam ipſam obiecti cum ſuis adiunctis, quemadmodum Doctores quoque paſſim in controuerſijs vniuersè examinandis facere ſoliti ſunt. Neque enim ego ambigo, quin plures mulieres honeſtæ, ac pudicæ ſcuto huiuſmodi inaduertentiæ, ignorantiæ, iuſteque cauſſæ ſua ornamenta tueri aliquando queant. XX. *Quæſtio eſt de ornatu ipſo ex natura ſua præciſa quauis cauſſa excuſante.*

Suppono IV. vt diſcernatur in praxi, quiſnam ornatus immoderatus, ad libidinem notabiliter prouocatiuus ſit, iudicio prudentis viri permittendum, ac definiendum. Sicut enim in plurimis alijs rebus, quæ habent latitudinem materiæ, vt in furto, in detractione, in feſtorum dierum violatione leuitas, vel grauitas materiæ in ordine ad culpam venialem, vel mortalem incurrendam iudicio, & prudentiæ ſapientis viri ſingulas circumſtantias conſiderantis æſtimanda relinquitur; ita etiam in præſenti caſu de ſuperfluo ornatu notabiliter prouocatiuo ad malum certa regula præſcribi non poteſt, ſed arbitrio prudentiæque XXI. *Ornatus valde prouocatiuus ad Venerem iudicio prudentis definiendus.*

tiæque boni viri res tota committenda eſt, vt nominatim docent S. Antoninus *in Summa, par. 2. tit. 4 cap. 5. §. 8.* Silueſter *in Summa, verbo, ornatus, quæſt. 3.* Baptiſta Trouamala *in Roſella, verbo eodem, concluſ. 5. Verſ. Quantum verò ad ſecundum, num. 6.* Ioannes Tabienſis *in Summa, ibid. num. 5.* Nicolaus Aurificus *in Summ. tit. 3. c. 14. art. 11.* Baptiſta de Salis *in Summ. verbo, ornatus, Verſ. Quantum verò ad ſecundum.*

XXII. *Ornatus vni immoderatus eſt, alteri autem moderatus.* Suppono V. vt iudicium a ſapiente viro de ornatu leuiter, aut notabiliter ad malum alliciente prudenter feratur, varias circumſtantias locorum, munerum, temporum, perſonarum, &c. vt Doctores communiter decernunt, eſſe attendendas. Nam alius cultus nobilem matronam, alius ciuẽ, alius plebeium, alius ruſticum decet; alius iuueni, alius vetulæ, alius puellæ congruit; & qui nobili, vel diuiti moderatus eſt, plebeio, ac pauperi immoderatus euadit. Rurſum, in aliqua regione certus habitus, atque ornatus cenſetur modeſtus, in alia fœdus reputatur, eodemque pacto modicus in immodicum, variatâ circumſtantiâ, migrat; & contra immodicus in modicum remigrat.

XXIII. *Valde immodicus quomodo diſcernendus.* At quanuis, vbi materia habet latitudinem, certa regula mortalis culpæ ſecernendæ defigi nulla poteſt, vt dixi: nihilominùs intra ipſam exceſſus, & defectus diſtantiam adhuc gradus aliquis notabilis, qui grauis, vel leuis a cunctis ſine controuerſia exiſtimatur, dignoſci poteſt. Nam in furto v. g. quanquam ad quantitatem ad lethale ſcelus contrahendum ſufficientem variæ ſint opiniones, & alij vnum Iulium Romanum ſatis eſſe, alij duos, alij tres, alij plures, pauciores ue arbitrentur; inter omnes tamen conuenit, vnum, duos, vel tres obolos eſſe materiam leuem; mille autem aureos, reſpectu etiam Regis, vel hominis quoque ditiſſimi, eſſe grauem. Haud ſecus in propoſito etiam, tametſi confinia inter leuem, & notabilem ornatus exceſſum a varijs circumſtantijs pendentia ſint valde dubia, & difficulter admodum diſtingui poſſint; nihilominùs aliquis erit tam palàm leuis, vel tam manifeſtò notabilis, vt de vtroque nulla ferè lis eſſe queat. Dò exẽplum. In aliqua vrbe iudicio prudentum conſtat certò aliquarum matronarum ornatum eſſe moderatum; neque vllum etiam ex Religioſis viris, qui ſapientiâ non carnis, ſed ſpiritus in huiuſmodi iudicio ferendo ducuntur, aliter de eo cenſere. Rurſum conſtat, alias ita a moderato diſcedere, vt a pleriſque notabiliter excedere, ab alijs verò leuiter duntaxat modum egredi credantur, quaſi in dubijs confinijs leuis, vel notabilis exceſſus hærentes. Denique conſtat, alias a moderato aliarum ornatu comperto, & noto, vno tantùm flore v. g. crinibus ſuperaddito, abire; adeoque nonniſi leuiter, citra omnem dubitationem apud cunctos prudentes, excedere: contra verò alias tam multo ornamentorum luxu accumulato, non ſolùm ab his vltimis, ſed ab illis quoque medijs in dubio verſantibus deflectere, vt a primo & infimo exceſſu notabili dubia inter confinia ſito notabiliter adhuc omnino excedere a viris cordatis vulgo meritoque iudicẽtur. Quæ omnia ſi Confeſſarij accuratè expendant, atque ad trutinam reuocent, fortaſſe non tam facilè plerique quancunque ornatus immoderationem, etiam maximam ſine grauiori ſcrupulo ſuis Pœnitentibus, vt paulò poſt reuincam, indulgebunt.

Suppono VI. eum ornatum, qui ad muliebris faciei pulchritudinem augendam XXIV. *Fuci, & alia fa-*

tiei ornamenta omnium peſſima, & caſtitati noxioſiſſima.

gendam magis proximè accedit, vt fucus, cincinni, calamiſtri, inaures, ceruſſa, aliaque vultus adulterandi artificia, ſpectantium caſtitati multo eſſe periculoſiorem, quàm reliquum corporis cultum. Quæ ſanè differentia ſingulariter notanda eſt, eamque ego priùs a S. Chryſoſtomo *hom. 8. in 1. Timot. 2.* didici, vbi eloquentiſſimus Patriarcha ita ſcribit: *Paulo ingens cura eſt, ſuperfluum ornatum ad honeſtiorem modum componendi, ac tuendo pudori plurimum ſtudium impendit. Quod ſi ea, quæ opum tantùm indicia ſunt, tanto ſtudio circumcidit, aurum ſcilicet, margaritas, & veſtimenta pretioſa, quanto magis ea, quæ immodico ſtudio, & arte quæruntur? cuiuſmodi ſunt purpuriſſo faciem inficere, & ſtibio oculos pingere.* &c. & *hom. 8.* in Matth. *Non ergo*, inquit, *ſtatim aureis ornamentis ipſam* (nempe vxorem) *priuabis: habeat interim, atque vtatur; Nam id minùs malum eſſe videtur, quàm depicta, fucatáq; facies. Picturam ergo priùs auferas.* Hanc ipſam diſtinctionem vidit quoque Trouamala in Roſella, Verbo, Ornatus, num. 6. vbi ait, *fucis vti præ cæteris vanitatibus magis pulchritudinem oſtentare*: & Caietanus 2. 2. q. 169. a. 2. *ad primum dubium*; vbi inquit: *Inter ornatus mulierum fucatio peſſimum videtur tenere locum*: nec non pluribus & fusè proſequitur Hieronymus Sopranis *in Dauidem, digreſſione prima, cap. 2. §. 1. tit. quid tenendum de fucatione* &c. itemque *tit. ſeq. an poſſit Epiſcopi ſtatuto*. &c. tum §. 2. *ibid.* &c. His ita, conſtitutis, ſit mulier aliqua v. g. Lucretia, cultu, ornatuque ad laſciuiam notabiliter alliciente induta ſine vlla praua intentione, conſcia tamen probabilis periculi mortiferè peccandi, quod alijs hîc, & nunc in determinato loco, & tempore foras prodeundo afferat: hæc, ſi nihilominùs prodeat, proximumque tali periculo exponat: peccatne grauiter, an leuiter? Cui quæſtioni reſpondens directè.

XXV. *Valde immoderato ornatu ad libidinē notabiliter prouocante ſine cauſſa legitima vtēs peccat mortaliter.*

Affirmatiſſimè pronuntio tam Lucretiam, quàm cæteras mulieres ornatu valde immoderato, ipſarum naturali pulchritudini ſuperaddito, notabiliterque ad libidinem prouocante vtentes, toties mortiferè delinquere, quoties a tali ornatu proximum, ſeu probabile mortalis culpæ periculum in quacunque occaſione certa, & determinata cuiuis alteri, generatim quoque, & indefinitè tantùm cognito, præberi animaduertunt, etſi ipſę tale periculum, ruinamue alterius directè non intendant, eodem tamen cultu ſine alia legitima cauſſa minimè abſtinent. Vt ſi Lucretia præuideat, ſi hodie ita exornata per plateam trāſeat, ſe ab aliquo iuuenum, generatim quoque ſolùm noto in multorum concurſu, turpiter hîc, & nunc concupiſcendam; idemque de ſimilibus caſibus exiſtimandum.

Quam aſſertionem hoc pacto explicatam, & circunſeptam oſtendam nunc. I. a nullo ex recitatis pro aduerſa opinione Auctoribus negari. II. confertiſſimo, & grauiſſimo Doctorū agmine circumuallari. III. Sanctorū Patrum auctoritate, ac ſuffragijs muniri. IV. Rationum ponderibus ſtabiliri. V. Exemplorum documentis roborari. VI. nullis exceptionibus, aut effugijs eſſe peruiam. VII. cunctarum difficultatum, atque obiectionum victoriâ potiri. Quæ omnia partitè diſtinctis infra paragraphis iam iam præſtabo.

§. *III. Nullos Doctores ex recenſitis ſupra aſſertioni indicatæ aduerſari.*

XXVI. Qvanquam Doctores §. 1. enumerati huic ſententiæ obluctari videantur, reuera tamen minimè obluctantur, quandoquidem de ornatu leuiter tantùm ad Venerem incitante loquuntur; in quo ſenſu eorum rationes ſolidæ vtique ſunt, vt patet ex ijs, quæ in eo §. 1. adnotaui, idemque hîc prætereà confirmo.

XXVII. *Non obſtat S. Thomas, nec Caietanus.* I. Quod §. 1. *num.* 12. ex Caietano dictum eſt, in textu S. Thomæ *ex ſola intentione ornatus muliebris poni peccatum mortale ob prouocationem ad laſciuiam*: Si de intentione tantùm directa intelligatur, eſt omnino falsũ, & a mente, verbiſque Sancti Doctoris eo loco longè alienum, vt infra §. 5. *nu.* 52., clariùs liquebit: ſin autem de indirecta etiam, nil obſtat, imò meæ aſſertioni apertè patrocinatur.

XXVIII. II. Quod ait idem Caietanus eo *num.* 12. *cit.* neque pulchritudinem naturalem, neque ornatum, etſi ad laſciuiam prouocent, ad culpam imputari, id neceſſariò intelligitur de ornatu moderato extra caſum, quo etiã ſola pulchritudo naturalis ſubtrahenda eſt, vt antea *cap.* 6. *num.* 1. & 2. docui, & ipſemet quoque Caietanus cum vniuerſali omnium ſententia *cap.* 5. §. 3. *num.* 29. expoſita fateri cogitur. Solus enim moderatus ornatus extra omnem culpam eſt, vt *cap.* 1. & 2. probaui. Neque plus virium quicquam habet, quod ex eodem Caietano ſupra §. 1. *num.* 13. commemoratum eſt, vel ad ſummum euincit culpàm tantummodo venialem eſſe, quoties ornatus leuiter ſolùm laceſſit ad malum.

XXIX. III. Quod ex eodem pariter Caietano *ibid. num.* 14. adiectum eſt, extorquet tantùm, quoties prouocatio ex ornatu manans leuis eſt, non poſſe huic lethale peccatum alterius adſcribi, vt *cap.* 6. *num.* 3. oſtendi: vbi verò femina ſine graui incommodo eum nequit omittere, ne ad veniale quidem illi imputari, vt *ibid. num.* 9. iam planum feci. Haud ſecus etiam ſoluitur, quod idem Caietanus *nu.* 15. *ibid.* ſubijcit. Quum enim prouocatio ex ornatu ad malum leuis eſt, tunc peccatum alterius inde ſecutum, rectè dicitur eſſe euentum remotum, & non intentum, ne indirectè quidem grauiter, ſed leuiter ſolùm ex natura rei, neque imputandum ad culpam, niſi leuẽ ſecundum ſe; neque periculum efficax cuiquam præberi, ſicut qui ad furtum dumtaxat vnius oboli cum altero integrum aureum furante concurrit, cui tamen non conſentit, niſi in vnico obolo, neque cauſſa efficax fuit maioris furti, quàm vnius oboli, dici verè non poteſt aurei totius furtim ſublati cauſa efficax, vt perſpicuum eſt.

IV. Quod eodem §. 1. *num.* 17. ex Leſſio adiunctum eſt de naturali pulchritudine, & de eo, qui odio habetur; probat tantùm, ſicut is non tenetur cũ ſuo graui incommodo abſtinere ſemper publico; ita non teneri ſub mortali feminam abſtinere ſemper ornatu leuiter impellente ad malum, quod nimis graue foret incommodum, vt ſupra *cap.* 6. *num.* 3. *& ſeqq.* oſtendi: de ornatu verò notabiliter ad peccatum alliciente longè diuerſa ratio eſt, vt infra conſtabit. Quod autem illic de malitia aliorum peccantium adijcitur, tantùm perſuadet, vbi iuſta cauſa ſic ornandi ſe, & prodeundi intercedit, quum ſcilicet id ſine graui incommodo omitti nequit, tum malitiæ intuendo ſe, & peccantium talia peccata imputari, etiamſi pleraque ex paſſione XXX. *Nec Leſſius.*

eorum oriantur, vt *cap.* 5. §. 1. euici; quod vel ipſemet Leſſius quoque *ibid.* non obſcurè ſignificat, palàm teſtatus, aliter interdum ex caritatis præſcripto, quum ſufficiens cauſa deeſt, contingere, vt paulò poſt robuſtiùs firmabo. Quocirca neque Doctores recẽſiti §. 1. neq; rationes ab ijs deprompte, opinioni damnanti mortalis delicti ornatum valde proritantem ad libidinem, repugnant, aut quicquam officiunt, vt declaratum eſt.

XXXI. *Vt amplius euincitur.* V. Denique idem extorqueo, quia ſi quis eoſdem Doctores, eorundemque rationes ſupra iam euentilatas, ita interpretandos contenderet, perinde ac ſi a delicto mortali ornatum notabiliter etiam ad turpia allicientem vindicarent; præter quàm quòd huiuſmodi Auctores inuitos omnino in prælium, quod minimè ipſi ſibi incundum putarunt, ſed potiùs detrectarunt, inauſpicatò pertraheret; rationeſque ipſas eorundem euanidas, ac nullius momenti experiretur: abſurdè prorſus tam eoſdem Doctores, quàm rationes exponeret; atque vtroſque manifeſtis fallacijs neceſſariò obijceret, quas a nullo hactenus fuiſſe obſeruatas cerno, nec parum miror, vt infra §. 12. & *ſeqq.* non tralatitiè demonſtrabo.

§. IV. *Doctores, explanatæ aſſertionis manifeſti propugnatores, recenſentur, atque expenduntur.*

XXXII. AT defixa ſupra aſſertio non ſolùm extra ictum quorumuis Aduerſariorum ſecura planè in portu ſine pugna verſatur, ſed copioſiſſimo etiã, ac longiſſimo Doctorum omnium agmine vndique ſtipatur, communique conſenſu palàm obſignatur, quos modò ſingulatim commemoro.

Auſpicor ab Alexandro de Ales, qui *par. 2. Summæ quæſt.* 151. *membr.* 3. concedens virgini nubili nonnihil plus ornatus, quàm coniugatis, ſtatim hanc exceptionem adijcit: *qui tamen non prouocet ad libidinem, ſed in ſe habeat decentiam muliebrem*: graui nimirum culpæ adſcribens, non dubito, ſi grauiter ille ad libidinem incitet. Cõfirmoque id validè, quia idem Doctor *par. 4. de manducatione Euchariſtiæ, quæſt.* 11. *art.* 2. § 4. *quæſt. vlt.* expreſsè ait, illas, quæ fucis vtuntur, ſiue ſolutæ, ſiue coniugatæ ſint, peccare mortaliter: quod neceſſariò intelligitur de carentibus etiam praua intentione; alioqui hæc abſque fucis quoque reum mortalis delicti reddit. *Aſſertionem verò poſitam docet Aleſis.*

XXXIII. *Nicolaus Auſino.* Nicolaus de Auſino *in Supplemento Summæ Piſanellæ, verbo, ornatus, Verſ.* 1. *Vtrum mulieres*: quò ornatus ſit, inquit, licitus, *requiritur, quòd ex tali ornatu nulli veriſimiliter detur peccandi occaſio, aliter ſine peccato perditionis hoc fieri non poſſet, quia væ illi, per quem ſcandalum venit*: vbi apertè tradit hãc ſententiam, dum ream peccati perditionis, hoc eſt, mortalis eam iudicat, quæ ita immodicè ſe ornat, vt det veriſimilem alteri peccãdi occaſionem. Rurſum idem Auctor *ibid. Verſ.* 6. *Ratione ſcandali*, notat, *quòd mulieris ornatus, vel cultus viros ad laſciuiam prouocat. Et ideo ex hoc ſolo mulieres deberent omnino abſtinere ab ornatu, aut illo vti cum multo moderamine, & honeſtate, & tremore, ne orto ſcandalo ex earum occaſione, dicatur illis: Væ vobis*; quod pœnam æternam, & conſequenter culpam mortalem deſignat.

XXXIV. *Baptiſta Salis.* Non minùs dilucidè quoq; Baptiſta de Salis *in Summâ, verbo, ornatus, concluſ.* 3. vbi ſic decernit: *Si mulier vtatur prædictis ornamentis ob quandam complacentiam, & iactantiam, ita ta-*

men inordinatè afficitur ad talem ornatum, quòd etiam ſi crederet certitudinaliter, proximum ex illo ornatu ad ruinam trahi, non curaret, dummodo conſequatur illam concupiſcentiam. Sic enim eſt mortale ratione deprauatæ intentionis. Nullum eſt enim adeo veniale, quin fiat mortale, dum placet, complacentiâ ſcilicet fruitionis. Quo loco notandum, deprauatam hanc intentionem, quam indicat, non eſſe niſi indirectam, vt liquet, dum præmittit, mulierem vti ornamentis directè ob iactantiam, quæ intentio etſi praua, non tamen mortalis eſt: ſubdit deinde euadere mortalem, dum cernit proximum ex tali ornatu ad ruinam trahi, nec tamen eo abſtinet, qui eſt caſus præſentis concluſionis. Confirmatur, quia paulò poſt, *Verſ. Quantum verò ad ſecundum*, hæc præciſè ſubdit: *In quantum verò ornatus mulieris eſt prouocatiuus ad laſciuiam, videtur diſtinguendum de occaſione data, vel accepta. Si enim mulier ornat ſe ſecundùm decentiam ſui ſtatus, & morem patriæ, & non ſit ibi multus exceſſus: Et ex hoc aſpicientes rapiantur ad concupiſcentiam eius, erit ibi potiùs occaſio accepta, quàm data.* Nempe quia illa vtitur iure ſuo, moderatè ſe ornans ex iuſtâ cauſsâ, quo non tenetur ſemper abſtinere. *Vnde non mulieri, ſed ei ſoli, qui ruit ex aſpectu eius, imputabitur ad peccatum, ſaltem mortale. Poterit autem eſſe tantus exceſſus, quòd erit occaſio data etiam ex parte mulieris ſe ornantis.* & conſequenter huic imputabitur ad peccatum mortale, vt liquet.

XXXV. *Trouamala.* Baptiſta Trouamala in *Summa Roſella, verbo, ornatus concluſ. 3. num. 3.* non ſolùm cum Baptiſta de Salis re ipſa conſentit, ſed habet eadem prorſus verba, ac ille in tertia concluſione ſupra recitata. Sicut rurſum infra *verſ. Quantum verò ad ſecundum*, repetit totidem, verbis, quæ idem de Salis dein adiecit, vt vidimus. Eodemq; modo loquitur Trouamala poſtea *num. 15. verſ. De fucantibus autem ſe.* Neque ſecus, iiſdemq; ferè verbis, eodem autem ſenſu euidenti loquitur quoq; S. Antoninus *par. 2. Summ. Tit. 4. cap. 5. §. 7. verſ. Si autem intendat &c.* ac ne vno quidem apice a Baptiſta de Salis, ac a Trouamala diſcedit. Rurſum infra *§. 8. verſ. in quantum verò*, conuenit in omnibus cũ Sũma eiuſdẽ Baptiſtæ, & Trouamalæ, illo verſiculo, *Quantum verò ad ſecundum*, paulò ante adducto. *S. Antoninus.* Deniq; ſub finem capitis 5. citati euidentiſſimè. *De occaſione ruinæ*, inquit, *quæ inde ſequitur, iam reſponſum eſt, quia nõ in omni occaſione data quomodocunq;, ſeu ſcandalo eſt peccatum mortale in dante, ſed quando hoc intendit, vel dictum, vel factum in ſe eſt tale, quod eſt ſufficienter inductiuum ad ruinam. Nam quis diceret ex verbo otioſo, vel leui dicto ab aliquo, ſi aliquis ruit in mortale, propter hoc ipſum, dicentem peccare mortaliter, quum neq; hoc ipſe intendat, neq; credat, aliàs caueret? Erit ergo tunc occaſio potiùs accepta, quàm data. Sic in propoſito de ornatu qui vtiq; tam inordinatus eſſe poteſt, quòd erit occaſio efficaciter data; vnde & mortale.* Nihil clarius.

Silueſter pariter in Summâ, *Verbo, ornatus, q. 3.* vbi propoſuit, *quando in ornatu ſuperfluo ſit peccatum mortale, aut veniale?* quæſtionem e S. Thomæ ſententia, & ſua ita decidit: *Dico de mente S. Thomæ, quantum ex doctrina eius colligitur; quòd ſi conſideretur in ſe quantum ad factum ipſum, eſt mortale dupliciter, ſcilicet, ſi conſideratâ circumſtantiâ perſonæ, officij, loci, temporis, & huiuſmodi, ſit exceſſus, vel defectus notabilis, qui certâ regulâ determinari non poteſt; vel ſi ex hoc detur proximo ſcandalum, vel occaſio peccati mortalis, quod eſt, quando exceſſus notabilis eſt arbitrio* XXXVI *Silueſter*

boni

boni viri, & non generali regula determinabilis. Si verò exceſſus non ſit multus, erit occaſio accepta, & peccatum veniale. Quæ eſt ipſiſſima mea concluſio. Tum infra, *quæſt.* 4. §. ex quibus patet, quod circa huiuſmodi omnia, quæ dicta ſunt, eſt mortale. *Primò, ſi intendatur ruina alterius; & Secundò, ſi ruinam nec intenderet, nec curaret, ideſt, quum eſſet mulier parata non deſiſtere a ſuperfluo ornatu, etiamſi ſciret aliquem ruiturum. Tertiò, ſi intendatur finis mortalis. Quartò, ſi ſit magnus exceſſus, qui ſit mortalis ratione prodigalitatis, aut occaſionis peccandi.* Quid apertius?

XXXVII. *Angel.* Perſpicuè etiam Angelus in *Summa, verbo, ornatus, num.* 10. vbi & Alexandrum de Ales huius ſententiæ auctorem hoc pacto laudat, atque explicat. *Sextum, quod requiritur, vt ornatus ſit licitus, & vt non ſit ſcandaloſus proximo, dicit Alexander de Ales in* 2. 2. *q.* 152 (in meo vetuſtiſſimo exemplari anni 1489. Papiæ, ſeu Ticini impreſſo id habetur *par.* 2. *Summæ, quæſt.* 151. *membro.* 1.) *quòd licet ſe ornare pretioſis veſtibus ſecundùm nobilitatem perſonæ, & conſuetudinem terræ, & dignitatem officij, ita tamen quòd abſit libido in voluntate, & ſcandalum in exteriori opere. Nec mirum, quia Matth.* 18. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. *Aduerte tamen, quod licèt aliquis prouocetur ad concupiſcentiā propter ornatum alterius, ſi ille, qui ornat ſe, hoc non intendit, nec eſt exceſſus in ornatu, erit potiùs ſcandalum paſſiuum, & occaſio accepta. Sed quando eſt in ornatu exceſſus (præſertim prouocatiuus ad libidinem) vt in mulieribus, inuenientibus nouas inuentiones, ſeu vanitates, & credunt probabiliter, quòd aliqui prouocantur ad libidinem, non excuſantur à mortali, ſi de hoc non curant, ſed potiùs volunt portare. Si verò non credunt probabiliter, quod præbeant occaſionem ruinæ alteri, ſic difficillimum eſt determinare de mortali, licèt aliter excedant. Verum eſt, quòd periculoſus eſt exceſſus in ornatu prouocatiuo ad libidinem, vt in mulieribus facientibus fozas nouas, quas ſingulariter diabolus prouocat ad ornandum ſe magis, quàm viros, quia magis ſunt efficaces ad illaqueandum animas.* Hactenus Angelus planiſſimè. Cui ſubſcribit Iacobus Vngarellus, eiuſdem Commentator *ibid. num.* 1. *Verbo, Et vxor viro. lit. B.* *Vngarellus.*

Accedit Ioannes Tabiena in *Summa verbo, ornatus, num.* 3. expreſſiſſimè ita pronuntians: *Eſt mortale, quando intendit complacentiam illius ornatus, adeo quòd etiam ſi crederet certitudinaliter proximum ex illo ornatu ad ruinam trahi, non curaret, vt poſſet conſequi complacentiam illius. Quidam dicunt, quòd mulieri ſe ornanti non imputatur concupiſcentia videntis, quia non eſt cauſſa ſuæ concupiſcentiæ, ſed occaſio, eò quòd non ornat ſe ad hunc finem, ſed cauſſa huius concupiſcentiæ eſt ſua mala voluntas, ideò mulier non tenetur dimittere &c. Quod ſi faciat ex iactantia, vel ex alio fine, iudicabitur ſecundùm illum finem. Sed in caſu propoſito videtur, quòd teneatur ad dimittendum, aliàs cōtemneret ſalutē proximi. Dictum iſtorum poteſt ſaluari, quando non ſcit, vel nō credit, vel nō cogitat de caſu proximi.* Fauet quoque Ioannes Maior *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 15. *Verſ. Et quia poſt hanc quaeſtionem, propoſ.* 8. vbi ait licere feminæ deferre Zonam auream, *& cætera id genus, dummodo non ſuperfluè excedat ſuum ſtatum ſecundùm conſuetudinem ſuæ regionis.* Si ſuperfluè verò excedat notabiliter cum graui prouocatione proximi ad malum, haud dubiè mortalis eam damnabit. At apertè in hanc eandem ſententiam venit quoque Alexander Anglus in *Summa, par.* 6. *cap.* 2. *num.* 15. *pag.* mihi 248. *columna* 1. confirmatque aucto-

XXXVIII *Tabiena.* · *Maior* · *Anglus.*

auctoritate S. Hieronymi infra §. 6. n. 68. referenda. Adſtipulatur quoq; Nicolaus Aurificus in *ſumma, tit. 3. cap. 14. art. 11. pag.* mihi 333. vbi ait; *Se la donna ſi adorna per compiacenza, e talmente, che ſe bene ſapeſſe, che l'huomo per ciò s'induceſſe a peccato, con tutto queſto lo farebbe, pecca mortalmente.* hoc eſt, ſi mulier ſe ornat ob complacentiam, & taliter, vt etiamſi ſciret, hominem ob id ad peccatum inductum iri, nihilominùs illud faceret, peccat morta liter.

Aurificus.

XXXIX. *Herolt.* Huc quoque ſuffragium ſuum fert Magiſter Ioannes Herolt, cognomento Diſcipulus, qui *Serm. 141. de ſeptem peccatis mortalibus*, delicta ad luxuriam pertinentia explicans *Verſ. 6.* ait, cõmitti lethalem culpam *per ornatum corporis, vel per alia ſigna ad luxuriam incitantia*, etſi prauus animus deſit, ſatiſque eſſe, ſi mulieres *ſe lauant, & ornant, & caput ſuum diſcooperiunt, vt amabiliores fiant, & ſic alios allicere poſſint*: hoc eſt, ornatu ipſo immodico quanquam amari honeſtè, vel laudari cupiunt, reipſa tamen ad malum incitent.

XL. *Azor.* Addo & Ioannem Azor, qui *par. 3. Inſtit. lib. 3. cap. 30.* ſtatim initio, *notandum* monet, *quòd ornatus muliebris ex animo, ſiue intentione expreſſa, vel implicita incitandi al quem ad luxuriã, eſt ſecundùm ſe peccatum mortale. S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. Implicitam voco intentionem, quando licèt femina expreſsè non ornet ſe ad incitandum aliquem, ſcit tamen illum incitatum iri ad concupiſcentiam ſui; quod ne fieret, ipſa, ſi vellet, facilè poſſet malum euitare, ſed non curat.* At idem Azor *ibid. quæſt. 2.* hanc doctrinam ſtatim ita diſcriminat: *Quum femina ſolùm ſcit in generali ſe concupiſcendam ab alijs, non tamen ſcit in particulari ſe concupiſcendam determinatè ab hoc, aut ab illo, tunc non peccat mortaliter, ſed venialiter tantùm; quoniã non videt in particulari hunc, aut illum peccaturum: quum verò femina probabiliter ſcit, hunc, aut illum peccaturũ mortaliter concupiſcendo eã, probabilius mihi videtur eam peccare mortaliter, quoniam videtur tunc ſcandalum eſſe datum, & actiuum, quum & femina ſe commodè abſtinere poſſit, & abſque vllo detrimento ſui iuris deuitare queat peccatum mortale alterius ex paſſione, & infirmitate naturæ natum, lege caritatis obligatur id facere.* Quæ diſtinctio placuit priùs Nauarro *in Manuali cap. 14 num. 31. lit. D. §. 7.* deinde verò Laymanno, Leſſioque ſupra §. 1. *num 6. & 9. cit.* & alijs.

XLI. *Vt liquet.* At hi Doctores occaſionẽ in generali ſolùm occurrentẽ ſupponunt, non agnoſci hîc, & nunc determinatam, & proximã. Cæterùm vbi æquè certò, vel æquè ꝓbabiliter nouit mulier aliquem grauiter hîc, & nunc peccaturum ſeu in genere tãtùm, ſeu in particulari, eandẽ eſſe ſubtrahendæ occaſionis rationem, atq; obligationẽ, iam ſupra *cap. 5. §. 4.* & 13. oſtendi, facileque conuinco hîc etiam verbis eiuſdem Azor ipſiſſimis. Nam femina, quum ſcit etiam æquè certò aliquos indefinitè ex ſuo valde immodico ornatu, ac alios in particulari peccaturos, æquè facilè, & commodè, abſtinere poteſt eiuſmodi ornatu, & vtrorumq; peccata ſine vllo detrimento ſui iuris deuitare tam in primo, quàm in ſecundo caſu, vt per ſe patet, & nulla ratio diſparitatis aſſignari poteſt. Ergo quum in hoc caſu Azor feminam mortalis culpæ damnet, cogitur quoque & in illo eandem damnare paris omnino delicti. Quo ex argumento quomodo euadat ipſe, & alij, quibus ea diſtinctio non bene examinata arriſit, viderint ipſi. Interim pro hac concluſione pugnare vel inuiti compelluntur.

Quid

XLII. *Et confirmat.* Quid quod idem Azor *par. 2. lib. 12. cap. 18. q. 11.* ita ſancit: *Si ornet ſe* mulier *pro more patriæ, vel temporis, vel ſtatus ſui conditione, licèt venialiter peccet, vel ob inanem gloriam, vel iactantiam, vel excedendo aliquantulum in ſe ornando, non ſit illud veniale mortale ob hoc, quòd ſciat, vel ſcire debeat laſciuè ſe ab alio eſſe concupiſcendam. Sic* Caietanus, *&* Nauarrus, *quia vtitur iure ſuo in ornando ſe, licèt aliquantulum excedat in eo.* Optimè. Hæc ipſa eſt concluſio, quam de leui exceſſu ornatus probaui ſupra *cap. 6. §. 1. num. 3.* Ergò ſi mulier notabiliter in ornatu excedat, proximumque ad Venerẽ valde prouocet, lethalis culpæ immunis ab Azor minimè exiſtimatur.

XLIII. *Suarez.* At vltro magnus Franciſcus Suarez hanc ipſam doctrinam *diſp. 10. de Carit. ſect. 3. num.* 10. tradit, vbi quum quæſiuiſſet, *an mulier teneatur non ſe ornare propter vitandũ ſcandalum?* ſtatim reſpõdet. *Si ornatus ſit moderatus, & decens, per ſe non teneri, quia de ſe actus nõ eſt malus, neq; habet rationẽ ſcãdali actiui magis, quàm ipſa naturalis pulchritudo; et quia eſſet graue onus obligare ad hoc: tamen ſi eſſet ornatus ſuperfluus, et maximus, vel ſi de ſe eſſet prouocatiuus ad malũ, erit obligatio. Nauarrus tamen in Sũma cap. 13 n. 23. & Caietanus 2. 2. q. 169. art. 1. tantũ volunt eſſe ſub veniali. Sed ex ſuo genere ego credo obligare ad mortale. cum Siluestro, verbo ornatus, & verbo ſcandalum, & S. Antonino par. 2. tit. 7. cap. 4. quia eſt ex ſuo genere occaſio grauis ruinæ.* Vbi nota I. ornatum de ſe prouocatiuum ad malum non ſolùm dici eum, qui oſtendit pudenda, vel non bene ea tegit (nam hic quoque a Nauarro *cap. 14. num. 30. § 5.* & a Caietano *loc. cit. art. 2.* mortalis cenſetur) ſed illum quoque, qui aliâs valde prouocat ad malum. II. Caietanum eo *art. 1.* citato a Suarez, de prouocatione ad malum, vel de ſuperfluo ornatu nihil penitùs habere. Agit quidem de hoc *art. 2. ibidem*, ſed meæ concluſioni nõ aduerſari docui iam ſupra §. 1. *num. 3. & §. 3. num. 27. & ſeqq.* Nauarrum pariter non obeſſe, ibidem *num. 4.* patefeci. Porrò *cap. 13. num. 23.* Nauarrus, vt citat Suarez, nihil prorſus hac de re tangit. Imò idem caput 13. non extendit numeros vltra 19. capite verò 14. ſequenti *num. 36.* citato, indicat ſanè illam diſtinctionem ab Azor deinde arreptam. Sed quo modo ea rectè ſit accipienda, ne fallat, iam demonſtraui. Sed fortè Suarez citauit *cap. 23.* etſi mendosè editum eſt *cap. 13.* vel in Sũma Hiſpana, reſpondet *n. 19.* Summæ Latinæ eiuſdem *cap. 23.* quo tamen loco nobis non reluctari eundem Nouarrum, iam ſupra illo *nu. 4.* animaduerti.

XLIV. *Gordonius.* In eandem quoque ſententiam trãſit Iacobus Gordonius *tom. 1. Theol. moralis, lib. 6. q. 16. cap. 5. §. 2. q. 3.* vbi quærit, *an teneatur mulier non ſe ornare, vt vitet ſcandalum?* reſpondetque continuò *non teneri ad deponendum ornatum moderatum: quia nec in hoc, nec in pulchritudine eſt ratio vlla mali, aut ſcandali. tamen nimius ornatus, & qui incitaret ad ſcandalum paſſiuum, reprehenditur a Nauarro, Caietano, Antonino, Siluestro, verbo, ornatus, et aliis & duo poſteriores rectè ſentiunt eſſe peccatum mortale.*

XLV. *Granado.* Præclariſſimè etiam Iacobus Granado in 2. 2. D. Thomæ *controu. 7. tract. 13. diſp. 5. ſect. 5. num. 31. dubitant*, inquit, *Doctores, vtrum peccet femina, quæ ſe ornat, ſi nouerit inde alios ſumpturos pro ſua fragilitate occaſionem concupiſcendi illam? Nonnulli, quos tacito nomine referi Emmanuel Sa, verbo, ornatus, num. 1. affirmarunt eſſe mortale. Nauarrus verò in Summa cap.*

14. *num.*

14. num. 37. diſtinguere videtur. Si enim neſciat, vel non aduertat mulier ſe ab aliquo determinato concupiſcendam, ait non peccare lethaliter, licèt indeterminatè, & vagè nouerit aliquem futurum, qui occaſione ſui aſpectus peccet. (At hoc iam paulò ante, Azorium redarguens, euerberaui) *ſecus verò, ſi in particulari perſonam cognoſceret.* Hæc Granado ex Nauarri mente. Quid ipſe ex propria? mox ſubdit: *Et quidem ſi ornatus eſſet valde nimius, et præter patriæ conſuetudinem, non foret excuſanda femina a mortali, ſi crederet ſe fore alicui occaſionem lapſus. Nec in hac parte quidquam refert, quod in particulari cognoſcatur, vel ignoretur quæ perſona ſit inde ſumptura occaſionem peccandi: ratio enim vtrobique eadem eſt, quia nimirum ornatus ille illicitus eſt, & ad quem femina non habet ius. aliunde autem eſt grauis culpæ occaſio. Grauiter ergo lædit caritatem ſic ſe ornando. Si verò ornatus eſſet honeſtus, ille nimirum, qui in patria, vel regione conſuetus eſt, non peccat femina illum geſtando, licèt ſciat futurum alicui determinatæ, vel vagæ perſonæ occaſionem ruinæ, dummodo ruinam ipſius non intendat. Sic ſentiunt Caietanus, Sa, Azorius, & Nauarrus in Summa cap. 23. nu. 18.* Non poterat Granado, vel ſi ſtipendio a me fuiſſet conductus, meam ſententiam magis ad vnguem exprimere, ac præuertere. Sed quod ait de exceſſiuo ornatu præter morem patriæ, eadem prorſus ratio eſt & de quocunque valde immoderato ad Venerem notabiliter incitante, vtcunque is in regione ſit vſitatus, quum adhuc illicitus ſit, & commodè omitti poſſit. Fit enim plerumque in multis locis, vt ſicut non deſunt, quæ moderato ornatu contentæ ſint, ita aliarum immoderato valdè ad laſciuiam vehemẽter alliciente, vtentium corruptela frequentata ſit, & tamen minimè excuſetur, quia contra ius naturale, & diuinũ, vt infra §. 17. videbimus, nullum eſt in àduerſa cõſuetudine præſidium.

XLVI. S. Bernardin. Sen. Verùm ex enumeratis in hac poſtrema concluſionis probatione Doctoribus nemo ſuperfluum mulierum ornatum acriùs, aut liberiùs perſequitur, quàm Sanctus Bernardinus Senẽſis, qui quatuor integros ſermones, nempe 44. 46. & 47. *Tom. 1. de Chriſtiana Religione, & 47. Tom. 2. de Euãgelio Dei,* in eandem vanitatem conſcripſit, ac euulgauit. Conſignatiſſimè autem illam in caſu præſentis concluſionis damnat peccati mortalis *ſerm. 46. citato, art. 2. cap. 2.* vbi refert priùs hæc S. Auguſtini verba, quã quam locum non indicat: *In mulieribus tantus eſt apparatus, et pompa veſtiũ. tã ſubtilis, et inexcogitata tricatura criniũ, tã mirabilis varietas ornatus, vt incentiuũ concupiſcentiæ hauriant decepti oculi inſpicientiũ, ſiue intuentiũ*: deinde ſubdit: *ſed forſitan dicet: Non hac mala intentione me orno: Deus eſt mihi teſtis, & conſcientia mea. Ad quam ego: ſtatuamus hoc veriſſimum eſſe, non tamen ex hoc excuſabilis es apud Deum, nec etiam apud mundum. Si aliquis non prudenter præcauens, lapidem proÿciens, hominem interfecerit: nonne reus mortis a Legibus iuſto iudicio condemnatur? Nõne fodiens ciſternam, nec etiam præcauẽs, ſi beſtia in illam ceciderit, iuſtè exoluet pœnam? Sicut Exodi 21. in myſterium præceptum eſt.* Si quis aperuerit ciſternam, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium iumentorum. *Ciſterna quippe, quæ aquas habet in remedium ſitientis, occaſio tamen incautis eſſe poteſt. Sic vtique tu, o mulier vana, quæ viro tuo remedium eſſe potes fragilitatis humanæ: alteri incautè præparata, occaſionem præſtas damnationis æternæ. Sic vtique*

vxor viro Prouer. c. 5. nuncupatur, vbi dicitur: Bibe aquam de ciſterna tua. *Sed talis ciſterna incautè aperitur, quando mulier cultu meretricio* (nempe valde ad libidinem incitante) *exornatur. In illam vtique non opertam bos, vel aſinus cadit, quando occaſione indebitæ vanitatis aliquis per concupiſcentiam ruit. In quo caſu eius anima de mulieris vanæ manibus requiretur, quum det ad hoc efficacem cauſſam non præcauendo ruinam:* ac proinde peccat mortaliter, vt neceſſariò conſequitur. Idem S.Bernardinus *ſerm. 47. de Chriſtiana Religione, citato artic. 1. cap. 1. 2 & 3.* probat ex Alexandro Alenſi vanè ſe exornantes feminas mortaliter peccare, & indignas ſe reddere ſacra communione, licèt praua careant intentione, quod ratione probabilis periculi proximo creati veriſſimum eſt. Rurſum, *ſerm. 47. de Euangelio Dei, art. 3. cap. 1. Pleræque earum dicent,* inquit, *ſe non habere hanc maculatam intentionem: ad quas ego dico: nec gladius corruptam habet intentionem, quando cum illo necatur quiſquam, ſed ſolummodo vtens eo. Sic in propoſito Dæmon eſt, qui ad animas perimendum quaſi venenato mucrone, vana vtitur muliere. Sed ampliùs dicam: Licèt enim in hoc nulla concurrat intentio mala: quum tamen ex hoc multarum animarum perditio ſubſequatur, qui tantorum malorum præſtat occaſionem, æterna morte dignus meritò reputatur.* Et ecce peccatum mortale.

XLVII. Mazzinus. Hanc ipſam veritatem Auguſtinus quoque Mazzinus ſingulari, vt dixi, Tractatu, quem de ſuperfluo ornatu Italicè Brixiæ edidit, compléxus eſt, enucleateq; *cap. 6.* ita denuntiat: Dico
„ eſſer l'ornamento, com' ogn' altra
„ opera noſtra, graue offeſa di Dio, quā-
„ do è probabil coſa, ch' altri peccaran-
„ no con dar loro occaſione di peccare,
„ all'hora ſpecialmente, ch'io paſſo i ter-
„ mini del decente, o del neceſſario, o di
quello, che è legitimo, e conueniente „
mezo al mio buon fine. *& paulò poſt:* „
Il ſimile ſi dice d' vn' altra donna, „
che non abbia marito, tanto s' ella „
vuole ſtar così ſempre, quanto s' ella „
vuole maritarſi: eſſendoche così que- „
ſta, come quella, ſcandaleggia altrui. „
Ne qui ſi dica, il Confeſſore non me ne „
fa ſcrupolo: quando ſi vede tanti, e ta- „
li Scrittori, quali ſono S. Pietro, S. Pao- „
lo, & gli Sacri & Santi Dottori, co' li „
cui precetti ſi toglie anco il vano det- „
to di quelle, che dicono, che Criſto Si- „
gnor noſtro no'l vieta, ma che ben lo „
conſeglia, quando oltra quel, che s' è „
detto, Dio ne dà gaſtighi ſi grandi, co- „
me ſi vede nella Sacra Scrittura; e di „
quelle altre, che dicono, che queſto „
non è più, che peccato veniale. Gli „
Apoſtoli lo vietano, lo vieta S. Lino „
Papa, e'l Concilio, e Dio lo ſottoſcriue „
col flagello contra chi fa il contrario. „
Quorum omnium ſumma eſt, delinqui mortaliter a feminis tā nuptis, quam innuptis, quando immodico ſuo ornatu mortalis culpæ probabile periculum alijs afferunt: eum quippe etiam ab Apoſtolis, a Lino Pontifice, a Sanctis Doctoribus vetari, & diuinis ſupplicijs multari. Probat deinde idem Auctor *cap. 28. & 29.* eiuſdem operis ſuperfluum ornatum peccare contra omnia præcepta diuina, & capitalia.

XLVIII S.Carolus. Quin ipſemet quoq; S.Carolus Borromæus in Monitis, quæ Confeſſarijs tum Vrbis, tum Diœceſis ſuæ Mediolanenſis Italico Sermone dedit, Mediolaniq́ue anno 1575. impreſſa ſunt, inter cætera de vano ornatu, hæc etiā totidem verbis decīdit: Pecca anco
mortalmēte la perſona nel modo dell' „
ornarſi, quantunque la ſpeſa non paſſi „
lo ſtato, e facoltà ſua, come ſe l' ornato „
è induttiuo da ſe a laſciuia, oueramen- „
te per commune interpretatione de „
gli huomini, ouero ſe quantunque non „

„ ſia induttiuo da ſe, nondimeno s'accorge, o dubita probabilmente, che per occaſione di tal modo d'ornamento, non vſato comunemente dalle perſone probate del ſuo ſtato, qualche perſona particolare ſi muoue ad amarla inhoneſtamente, o ſi nutriſca in queſto peccato, & tuttauia fà niuna, ò poca ſtima della ſalute ſpirituale del ſuo proſſimo, qual vede rouinare in queſto ſuo ſtraordinario ornato, & perſeuera pure in eſſo. Hæc ſanctiſſimus, ac ſapientiſſimus Archiepiſcopus, lethiferæ culpæ obſtrictum illum ornatum, qui vel ex ſe, vel ex communi hominum interpretatione ad laſciuiam inductiuus eſt; vel licèt talis nõ ſit, aliquem tamen determinatum ad turpem amorē mouere probabiliter dubitatur, & nihilominùs geſtatur, meritò pronuntians. Vbi ornatus ad laſciuiam non ex ſe, ſed ex communi hominum interpretatione inductiuus dicitur, qui ad laſciuiam, ſuppoſitâ hominum fragilitate, & conditione, iudicio prudentium animaduerſâ, notabiliter prouocat etiam in genere tantùm, vt patet manifeſtò ex caſu deinde particularis perſonæ occaſione ornatus in peccatum lapſæ, tametſi ille non eſſet ad id ex ſe inductiuus, expreſſo, vt ita vtrumq; caſum, ſeu quum ornatus aliquos in genere, ſeu aliquem in particulari ad malum ſolicitat, complectatur, & mortiferum eſſe doceat.

XLIX. *Buſtus.* Huius pariter ſententiæ palàm ſe profitetur Bernardinus Buſtus *par. 2. Roſarij, Sem. 28. par. 3.* præſertim *litera* N. vbi ait: *Sed multæ ſolent dicere, quòd non habent hanc corruptam intentionem. Quibus ego reſpondeo, quòd quum dent operam rei illicitæ, imputari eis debent omnia mala, quæ ex eorum cauſſa eueniunt. arg.* in cap. eum, qui, *&* cap. quantum, *diſt.* 50. ſtatimq; profert duo in confirmationem exempla, alterum infra §. 11. referendum, alterum de quadam muliere, quæ paucis ante annis tum *veniens ad mortem, dixit ſe vidiſſe maxima tormenta, quæ in Inferno infliguntur vanis fœminis. Et ideo dicitur Ezech.* 20. Vnuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abijciat, & in idolis Ægypti, *idest, in vanis ornamentis,* nolite pollui. In eandem quoque ſententiam manibus & pedibus tranſit Dionyſius Carthuſianus, non ſolùm magnus ſacrarum Literarũ interpres, ſed, vulgatis quoque in quatuor libros ſententiarum monumentis, eximius Theologus, in *Directorio Vitæ Nobilium,* vbi, quum *Artic.* 13. veterum Patrum vanum mulierum ornatum vituperantium chirographa recitaſſet, titulum ſequentis *Artic.* 14. ita proponit: *Quòd in præfato ornatu ſuperfluo & veſtitu pompatico ſcandalizatiuo conſiſtat mortale peccatum:* moxque Articulum hoc pacto orditur: *Sancti Patres & glorioſi, illuſtriſſimique Doctores contra ornatum ſuperfluum, & exquiſitum, curioſum, ſuperfluumque veſtitum tam rigoroſè non ſcriberent, niſi in eis mortalem culpàm exiſtere iudicaſſent. Venialia quippe peccata talem reprehenſionem, & condemnationem non promerentur:* tum infra *art.* 17. hanc ipſam veritatem iterum ex profeſſo demonſtrat: *Articulo* autem ſequenti 18. enormitatem peccati earum, quæ immodicè ſe ornant, pluribus oſtendit. Quam etiã ſententiam mordicus amplectitur quoq; Andreas Gelſominius ex Auguſtiniana familia Theologus *in Theſauro cæleſti deuotionis B. Virginis cap.* 12. cuius verba infra §. 6. recitabo. *Gelſominius.*

Iam circa relatos Auctores huc vſq; animaduertendum. I. apertè ab ijs notam peccati mortalis inuri ſuperfluo ornatui. II. ab hac non eximi eundem ſuperfluum ornatum, etſi praua *L. Animaduerſio circa relatos DD.*

ua abſit intentio. III. quum de ornatu ad malum prouocatiuo non obſcurè loquantur, de notabili prouocatione loqui, neceſſariò eſſe intelligendos, alioqui ſi quis etiam de leui illos interpretaretur, quanquam perperam omnino, & præter veritatem, tanto magis a fortiori præſenti concluſioni eos adſtipulari cogeret, vt palàm eſt.

§. V. *Alij eiuſdem ſententiæ patroni in aciem educuntur.*

LI. *Eidem concluſioni patrocinãtur.* HActenus eos produxi Doctores, quos meæ Concluſionis indubitatos eſſe ſuffragatores, perſpectum eſt. Lubet nunc alios, qui licèt non ita clarè eidem patrocinentur, tamen haud parum fauent, & fortè aliqui manifeſtò etiam annuunt, expromere.

LII. *S. Thomas.* Horum primus ſit D. Thomas, qui 2. 2. q. 169. *art.* 2. vbi dixit, mulieres, *ſi hac intentione ſe ornent, vt alios prouocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant*; immediatè poſt ſubdit: *Si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quandam, non ſemper eſt peccatum mortale; ſed quandoque veniale*. Ergo ſi quandoq; eſt veniale, quandoq; etiam eſſe mortale S. Thomas palàm concedit. Porrò veniale tantùm eſt, quum leuitati, iactantiæ, & vanitati nulla mortalis circumſtantia additur; mortale verò, vbi hæc adiungitur, quoties ſcilicet ſuperfluus valde ornatus probabile laſciuiæ periculum proximo affert, vt infra §.7.& ſeqq. docebo. Ergo D. Thomas huiuſce doctrinæ aſſertor eſt non inuitus, ſed vltroneus. Confirmatur ſolidè I. quia alioqui S. Doctor ſibi minimè conſtaret, quum in eadem 2. 2. antea *q.* 43. *art.* 3. ſcripſerit: *Scandalum actiuum per accidens* eſſe, *quando eſt præter intentionem agentis, vt puta, quum aliquis facto ſuo, vel verbo inordinato non intendit alteri dare occaſionem ruinæ, ſed ſolùm ſuæ ſatisfacere voluntati*, & *art.* 4. ſequenti, *ſcandalum autem actiuum, ſi ſit per accidens, poteſt eſſe quandoque quidem peccatum veniale, puta, quum aliquis vel actum venialis peccati, vel actum, qui non eſt ſecundùm ſe peccatũ, ſed habet aliquam ſpeciem mali, cum aliqua leui indiſcretione committit. Quandoque verò eſt peccatum mortale, ſiue quando committit actum peccati mortalis, ſiue quando contemnit ſalutem proximi, vt ſi pro ea conſeruanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit*. At quum aliqua ex ſuo valde ſuperfluo ornatu nouit aliquos, vel aliquem in peccatũ mortale labi, & tamen, vt faciat, quod ſibi lubet, illum non prætermittit (quæ eſt intentio indirecta expreſſiſſimè hic a S. Thoma declarata) contemnit indirectè ſalutem proximi. Ergo ex S. Thoma peccat peccatum mortale ſcandali actiui per accidens. Ergo hoc ipſum vult S. Thomas infra q. 169. *art.* 2. quum ait, mulierem quandoque ex vanitate ſe ornantem non ſemper peccare mortaliter, ſed quandoque tantùm venialiter; nempe peccare etiam quandoque mortale peccatum ſcandali actiui per accidens, vt monuit q. 43. *art.* 4. Confirmatur II. Quia Silueſter, & Azor ſupra *num.* 36. & 40. citati S. Thomam ita prorſus interpretantur, vt vidimus. Hic verò eſt caſus ipſiſſimus præſentis concluſionis. Ergo.

LIII. *Qui contemptũ Dei in ornatu etiam indirectũ dũtaxat mortalis dãnat.* Dices, S. Thomam 2. 2. ibidem, q. 169. *art.* 2. citato ad 2. affirmare: *Non ſemper talem fucationem eſſe cum peccato mortali, ſed ſolùm quando fit propter laſciuiam, vel in Dei contemptũ: in quibus caſibus loqui Cyprianum*. At fucatio eſt ornamentorum omnium peſſimum, ad laſciuiam maximè impellens, vt *cap.* 7. §. 2. *num.* 24. obſer-

uatum eſt. Ergo ſi hæc e D. Thoma nunquam mortalis euadit, niſi quum propter laſciuiam, vel in Dei cõtemptum adhibetur, multo minùs reliquus ornatus, minùs periculoſus. Reſpondeo S. Thomæ hæc verba, ne S. Doctor aliàs ſecum pugnet, neceſſariò eſſe explicanda. I. de intentione laſciuiæ alienæ etiam indirecta, de qua eſt præſens concluſio. II. de contemptu Dei etiam indirecto, de quo potiſsimùm agere ibi S. Thomam tam exploratum eſt, quàm S. Cyprianum a D. Thoma citatum de eodem contemptu Dei indirecto in libro de *diſciplina, & habitu Virginum* diſſerere perſpicuum. Vt enim infra §. *6. num.* 116. & 117. de contemptu ſalutis proximi indirecto S. Cyprianum illic diſputare monſtrabo; eodem pacto & de cõtemptu Dei indirecto loqui conuincitur. Is enim ordinarius, & communiſſimus eſt, a feminis in ſuperfluo ornatu maximè frequentatus, quem S. Cyprianus eo opere acerrimè reprehendit, quemque omni planè niſu exterminare conatur; de directo autem, hoc eſt, de rariſſimo, & metaphyſico contemptu Dei, hoc eſt, ab vſu pudicarum Virginum, de quibus ſolis vbi relata ſupra verba profert, manifeſtè tractat, longè alieniſſimo, nihil prorſus inclytus Martyr ibi cogitat, nihil indicat; nec quiſquam, qui eum legit, ac percipit, etiamſi apertam, & ſummam violentiam verbis, & textui inferat, ſecus oſtendet. Quis enim, rogo, eſt directus Dei contemptus? nempe quum femina deditâ operâ ſe immodicè ornat, ea expreſſa intentione, vt Deum contemnat. At quænam puellarum, ac virginum tã impia eſt, quæ id agat? Somniet aliquis aliquam, ego nullam puto exiſtere, quum ſciam & luxurioſos plerumq; optare, ne ſua luxuria cedat in contemptum, aut offenſam Dei.

De quo etiam agit S. Cyprianus, nõ autẽ de directo ſolùm.

Quinã directus Dei cõtemptus ſit.

Quanto magis & puellæ deſiderant, ne ſuus ornatus in Dei offenſam, vel contemptum redundet? Quomodo ergo directè volunt ordinariè Dei cõtemptum? Iterum ſomnia, & fabulæ. Volunt quidem ſuum ornatum ſuperfluũ, licèt videant inde Deũ contemni, quanquam id directè non intendunt. At hic non eſt niſi indirectus Dei cõtemptus, vt conſtat, de quo ſolo S. Cyprianus in eo libro planiſſimè agit, non autem de directo.

LIV. Sed quis tandem eſt hic indirectus Dei contemptus? contemptus indirectus etiam ipſarum animarum, quũ harum ſaluti ſuum vanum ornatum mulieres præferunt, ac licèt ob hunc illas perire non ignorent, tamen nihili pendunt, eumque nihilominùs ferunt. Sic planè & Trouamala in *Roſella, verbo, ornatus, num.* 15. interpretatur, vbi ait, fucum, & alia figmenta ex S. Thoma non eſſe mortalia, *dummodo in ijs vtente non ſit deprauata intentio, vel tam inordinatè afficeretur ad talia, quòd etiamſi crederet certitudinaliter proximum ex illo ornatu ad ruinam trahi, non curaret, Sic enim eſſet mortale. Ad auctoritates autem Cypriani, Hieronymi, & Auguſtini, reſponde, quòd verum eſt, quando tales mulieres ponunt vltimum finem in illis; videlicet quando ita afficiuntur talibus, quòd non curarent de ruina proximi, vel huiuſmodi.* Quibus verbis euidenter illam D. Thomæ locutionem, *quando fit propter laſciuiam* de intentione ruinæ proximi etiam indirecta accipit, vt patet: & ſententiam S. Cypriani, ac reliquorum Patrum de cõtemptu Dei pariter indirecto, vt item perſpectum eſt. Sed dilucidiùs adhuc Iacobus Vngarellus in *Summ. Angeli, Verbo, ornatus, num. 4. litera A. & inhoneſtatis:* nodum hunc ita ſoluit: *Quomodo eſſe poteſt ſine diuino contemptu, quum non cures animas perdere, quas ſanguine*

Quinã indirectus.

Chriſtus

Chriſtus redemit pretioſo?

LV. *Conſẽtit Aſteſanus.* Sancti Thomæ doctrinam, ac ferè totidem verba amplectitur Aſteſanus in *Summa, prima parte, lib. 2. Tit.* 54. q. 2. vbi ait, ſi mulier *ſe ornet, vt alios ad concupiſcendum prouocet: peccat mortaliter: Si autem ex quadam leuitate; vel etiam vanitate propter iactantiam, non eſt ſemper peccatum mortale, ſed veniale*. Ergo aliquando etiam mortale, quum indirectè ruinam proximi intendit, vt ſupra ad S. Thomam explanaui. Confirmatur, quia immediatè poſt Aſteſanus ſubdit: *Si autem ſit mulier virgo nobilis, aliquatenus plus habere debet de ornatu: qui tamen non prouocet ad libidinem, ſed habeat in ſe decentiam muliebrem*. Ergo ſi notabiliter ad libidinem prouocet (quę eſt mea concluſio) eum à mortali Aſteſanus non liberat. Refert deinde auctoritatem S. Cypriani, quem de *caſu, quo fit hoc propter laſciuiam, vel in Dei contemptum; tunc enim eſſe peccatũ mortale* eodẽ modo, ac D. Thomas, dixit, intelligẽdum affirmat; nimirum de intentione laſciuiæ etiam indirecta, & de contemptu Dei item indirecto, vt palàm feci. Iiſdem prorſus verbis, ne dum ſenſu, relato S. Thoma, vtitur quoque Ioannes de Friburgo in *Summa, lib. 3. tit.* 24. q. 284. qui pro eadem ſententia citat quoque Vlricum *lib. 6. tract. 2. cap.* 10. ex quo notat etiam, *quòd peccata omnium habentium incitamentum libidinis ex tali ornatu, redundant in talem perſonam per aggrauationem culpæ*, vbi clarè hanc concluſionem ſuſtinet. Demum *quæſt.* 285. de mulieribus ſe colorantibus, vel alia figmenta adhibentibus, nec non de auctoritate S. Cypriani ſubijcit eadem prorſus, quæ S. Thomas 2. 2. q. 169. *art.* 2. *ad* 2. Quocirca alia expoſitione opus non eſt, quum iam ſupra, quo modo ſint accipienda, ſatis enucleatum ſit.

Ioannes de Friburgo, et Vlricus.

LVI. *Et Leſſius.* Quid porrò Leſſius? explicatè ſe meæ concluſionis patronum detegit, dum *lib. 4. de Iuſt. cap. 4. dub. 14. num.* 112. enumerans caſus, in quibus exceſſiuus ornatus ſit peccatum mortale ratione alicuius prauitatis connexæ; infra *num.* 113. *Quarto*, inquit, *ratione contemptus proximi; vt ſi quis ita propter ornatum ſe extollat, vt proximos deſpiciat, vel affectu ornatus proximi ſalutem nihili pendat, non curans, an ſcandalizetur, an non*; quemadmodum ſupra §. 1. *num.* 6. iam ſemel memoraui. Quid enim eſt proximi ſalutem nihili pendere, non curando, an is ſcandalizetur, necne; quàm ornatum notabiliter ad Venerem prouocantẽ ferre, etiãſi, hinc aliquem ſeu determinatum, ſeu vagum, dummodo pari notitia compertum, in peccatum mortale ruere, minimè ignoretur? Res explorata. Atqui præſens concluſio nihil prætere vult. Vbi verò Leſſius ibi paulò ante, a mortali eximere videtur ſuperfluum ornatum, loquitur apertè, ac neceſſariò de leui tantùm ad libidinem prouocatione, quam & remotam tantùm meritò appellat.

LVII. *Filliucius.* Filliucius quoque *tract.* 30. *cap.* 10. *quæſt.* 9 *num.* 220. §. 6. propitius eſt, vbi ait: *Ex ſcandalo, vt quia mulier ſe ornet intentione mouendi alios ad ſui cõcupiſcentiam, & id eſſet peccatum mortale; abſque tali intentione ornatus ex ſe raro inducit peccatum mortale*. Ergo aliquando ſaltem inducit, nempe quũ notabiliter ad laſciuiam prouocat. Neque obſtat, quod idem Filliucius *num.* 221. *ibid.* §. 5. ſubdit: *ornare ſe ſplendidè pro decentia ſui ſtatus, & more regionis, modò id fiat bono fine, non eſt peccatum, etſi aliquis alliciatur ad eius concupiſcentiam*. c. quiſquis diſt. 41. *Imò qui vltra decentiam ſui ſtatus ornat ſe, etiamſi alius moueatur ad peccandum mortaliter, nõ committit peccatum mortale*

tale, modò abſit malus animus. Caiet. q. 169. *art.* 2. Sed tam Filliucius, quàm Caietanus de leui tantùm prouocatiuo ornatu ad malum, vt patefeci ſupra §. 1. *num.* 3. non de graui, loquuntur, quod confirmatur, quia ſtatim Filliucius *ibid.* §. 6. addit: *Ornare ſe moderatè, vel etiam immoderatiùs, modò non ſit notabilis exceſſus, ob ſolam vanitatē, oſtentando ſuam pulchritudinem, & elegantiam corporis, abſque alio malo fine, non eſt mortale. Caiet. loc. cit. a. 1. Graph. cap. 77. num. 7.* Ergo, ſi adſit notabilis exceſſus in ordine ad prouocationem laſciuiæ, hoc eſt, ornatus notabiliter ad hanc alliciat, Filliucius vnà cum Caietano & Graphio illum mortalis culpæ cōdemnat, qui eſt meæ concluſionis ſtatus.

LVIII. *Et Viguerius.* Ioannes etiam Viguerius in *Inſtitutionibus, cap. 7. de temperantia*, §. 5. *ver.* 13. *de ornatu*, in fine, dum ſcribit: *mulierem non debere abſtinere a moderato ornatu, nec ab acceſſu ad loca debita, et opportuna, propter aliorum concupiſcentiam, quàm non intendit; quia ſi alij cadant, hoc ex eorum malitia, & occaſione accepta procedit*. tacitè indicat aliter ſtatuendum, quoties mulier non moderato, ſed valde immoderato ad libidinem notabiliter incitante ornatu vtitur ſine cauſſa excuſante; tunc enim mortaliter delinquere, quia ipſa occaſionem ruinæ tali ornatu proximo dat. *Et Graphius.* Graphius quoque *lib. 2. deciſionum Aurearum, cap. 77. nu. 6.* non ægrè huc accedet. Sentit enim, quod eum ſentire paulò antè Filliucius fideliter teſtatus eſt, niſi quòd *ibi* eo *nu.* 7. citato a Filliucio ornatum etiam notabiliter excedentem a mortali liberat. Sed agit de exceſſu in genere pretij, non autem de notabili prouocatione ad malum, atque adeo non officit.

LIX. *Et Baldellus.* Nicolaus quoq; Baldellus vir doctiſſimus, & humaniſſimus non illibenter ſuum mihi ſuffragium porrigit, quum *Tom. 1. lib. 3. diſp. 5. num. 19.* pronunciet, ſi *Monialis ſic ornata* (nempe ſuperfluè, & vanè) *oſtenderet ſe ſecularibus, & illi ex nouitate talis ornatus grauiter prouocarentur ad libidinem, non videri excuſandam a peccato mortali, huncque ornatum ex hac circunſtantia eſſe notabiliter contra caritatem proximi*. At quum tota ratio peccati mortalis in hoc caſu a graui prouocatione petatur, vt rectè Baldellus, eadē quoque militat, ſiue quæ ſe ornat immoderatè, ſit laica, & non Monialis, ſiue ornatus ſit nouus & inſolens, ſiue ſtatus apud pleraſque, dummodo notabiliter ad Venerem prouocet. Quippe vbi eadem ratio formalis vrget, idem quoque effectus formalis abeſſe non poteſt. Ergo quæcunque ornatum notabiliter proritantem ad laſciuiam ſine cauſſa excuſante gerunt, Baldello quoque Auctore, mortaliter peccant.

LX. *Et Tiraquellus cum pleriſq; alijs.* Neque dubium, quin eiuſdem quoque opinionis ſit eruditiſſimus, & ſapientiſſimus Senator Andreas Tiraquellus in *tertiam legem connubialem, gloſa 1 par. 3. num. 40.* vbi de muliere, ſi *ſola leuitate, aut etiam vanitate ſe ornet, vt videlicet alijs conſpectior appareat, nunc mortale eſſe, nunc veniale, conſiderata perſonæ, loci, & temporis qualitate,* decernit, aitque hanc eſſe omnium ferme & Theologorum, & Iuriſconſultorum ſententiam, moxque vtroſque citat: ex Theologis S. Thomam 2.2.q. 169. *art.* 2. Alexandrum Alenſem 2. *par. Summ. q.* 151. *mem.* 3. & iterum in 4. *par q.* 48. *mem.* 9. (At quarta pars Summæ Alenſis non habet quæſtiones niſi 35. in quarum 12. §. 4. *quæſito* 9. de vanis mulierum fucis differit) tum Aſteſanum *in Summa lib.* 2. *tit.* 54. Angelum *in Summa*

verbo, ornatus, Baptiſtam Salicium *in Summ. eodem verbo*, S. Antoninum *2. par. tit. 4. cap. 6.* (At in meo exemplari eſt in cap. 5.) Martinum cognomine Magiſtrum, famoſiſſimum Doctorē Pariſienſem *in libro de temperantia, lib. 6.* Dionyſium Carthuſianū *in enarratione Epiſtolarum, & Euangeliorum Dominicalium, Dominica 2. Aduentus, ſerm. 4.* & Bernardinum Buſtum *lib. 2. Roſarij ſerm. 20. par. 3. cap. 3.* Atqui hos planè omnes meæ concluſioni ſuffragari iam oſtendi, præter Martinum Magiſtrum, quem hactenus fruſtra quæſiui. Ergo eidem quoque & Tiraquellus adſtipulatur, dum inquit, ſubinde eſſe mortale pro loci têporis, & perſonæ qualitate, nempe quando ſuperfluus valde ornatus ad libidinem notabiliter prouocat. Ex Iuriſconſultis verò *ibidem, num. 41.* profert Ioannem Andream, Philippū Francum, Albericum de Roſate, Petrum Ancharanum, Hoſtienſem, Panormitanum, & alios.

LXI. *Nec refragani Laymā, & Diana.* Nec diſſentit Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 11.* vbi ex Leſſio *lib. 4. de iuſt. cap. 4. dub. 14. nu. 110.* quos ſequitur etiam Diana *par. 5. tract. 7 reſol. 31. Verſ. Non deſinam*: hanc probat regulam, quoties aliquid non eſt per ſe malum, ſed indifferens, exceſſum in vſu illius, ſepoſita omni malitia extranea, non eſſe niſi peccatum veniale, & ideo exceſſum in corporis ornatu, conſiderata qualitate perſonæ, loci &c. fore tantùm culpam veniale. Hæc enim omnia tantummodo vincunt, ornatum in genere pretij excedentem, etiam valde, non eſſe mortiferum; at de notabili ad laſciuiam prouocatione nihil indicant, nec quicquam contra perſuadent. Leſſium porrò, ex quo Layman, & Diana eam regulam hauſerunt, ſtare pro mea concluſione, paulò ante docui; ac proinde neque Layman, aut Diana Leſſio innixi, eidem aduerſari poſſunt, præſertim quia eundem Layman fruſtra in contrariā ſententiam traduci, iam ſupra §. 1. *num. 9.* animaduerti; & idem Diana *par. 2. tract. 13. reſol. 30. Verſ. Adde*; etſi ornatum, quàm maximè etiam ſuperfluum, ab omni culpa, etiā veniali eximere contendit (ſed irrito prorſus conatu, vt *cap. 2.* reuici) expreſsè tamen excipit ornatum prouocatiuum ad malum, quem ipſe quoque damnat; ideoque ſicut leuiter prouocatiuum ad Venerem, venialis delicti tantùm arguet: ita notabiliter prouocantem mortali obnoxium neceſſariò, & conſequenter iudicabit.

LXII. *Adſtipulatur verò palàm Sopranis.* In hanc quoque ſententiam manibus, ac pedibus venit Hieronymus Sopranis *in Commentario in Dauid, digreſſione 1. cap. 2. §. 1. tit. Quid tenendum de fucatione. Verſ. Tertiò fit, pag. 427.* vbi aſſerit fucorum vſum, quando mulier videt hinc alios ad illicitam libidinem incitandos, etſi id non intendat, nec tamen abſtinet, longè probabiliùs eſſe mortalem. *Quid enim? an non lethali*, inquit, *ſe crimine obſtringit, qui gladium offert, aut venenum temperat in mortem ruenti?* Idem que ſtatuit *infra tit. An poſſit Epiſcopi ſtatuto fucorum vſus interdici, pag. 429* non ſolùm de fucis, ſed de quouis etiam alio habitu, & ornatu *prouocatiuo libidinis.* & §. 2. *tit. obiectio ex Tertulliano, pag. 432. Verſ. Ex his fit primo* idem confirmat, *Non licere fœminæ talem cultum induere, qui ſit illecebra corruptelæ*, & oculos, & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahat. *In quo rectè Tertullianus.*

LXIII. *Sed perperam fucos aſſerit eſſe per ſe malos, & ideo mor-* Non diſſimulauerim tamen, eundem Sopranis *ibid. pag. 427 cit.* decernere decorem, *qui fucis inducitur*, per ſe malum eſſe; alium vero cultum, *qui varijs ornamentis adſciſcitur*, nequaquam, ac *propterea in hoc fœmina*

tales ob aliorum lapſum. *mortaliter,* inquit, *non peccat, etiamſi videat alios lapſuros, ab illo non abſtinendo: in eo verò peccat, quia quum ornatum per ſe malum aſſumat, eo ipſo etiam mortaliter delinquit, quòd dat operam* rei illicitæ, *vt cum Schola loquamur, ex qua videt alios perituros, etiamſi in hoc non ornetur, vt illi labantur.* Quæ diſtinctio nulla ratione admittenda eſt, quum manifeſtò euertatur ex diſputatis *cap.* 5. *&* *cap.* 6. Nam primò, faciem pingere varijs coloribus, fucoſq; adhibere, non eſt per ſe malum, ſed indifferens, vt ſatis ſupra *cap.* 3. *nu.* 9. *&* 10. ex Leſſio planum feci. Deinde, ex eo, quòd aliquid ſit per ſe malũ, vel intrinſecè malum, non illico euadit ob alterius ruinam grauem, mortale ſcandalum. Mendacium quippe, etſi per ſe, & intrinſecè ſit malum; quum tamen in re leui, ad grauia verbera vitanda, dicitur, quanuis præuideatur hinc alius cum periurio lethali mentiturus, minimè contrahit malitiã mortalem actiui ſcandali, vt *cap.* 6 *num.* 9. docui: ſed tota hæc malitia ſcandali, quando dictum, vel factum non eſt ex ſe mortale, ſed veniale tantùm, aut indifferens, aut etiam bonum, ex defectu legitimæ cauſſæ penſanda eſt, vt toto *cap.* 5. demonſtraui. Imò, quanuis opus ſit in ſe mortale, vt graue periurium; ſi quis tamen, vt vitet mortem ſibi intẽtatam, peieret, & inde cernat & alterum peieraturum, quod ipſe tamen non intendit; licèt reus ſit proprij periurij, non tamen alieni, neq; dati ſcandali, vrgente cauſſa mortis ſufficienter excuſatus. Similiter, qui corã viro ſanctiſſimo blaſphemat, certiſſimè animaduertens, illum ſuã blaſphemia ad vllum malum nihil penitùs mouendum, etſi delictum ipſum per ſe hîc ſcandaloſum ſit, tamen per accidens ex euentu præuiſo expers eſt culpæ ſcandali mortalis, vt conſtat. Ergò eodem modo, etſi in fucatione inſit quoddam mendacium, & fucare vultum ſit per ſe malum, vt contendit idem Sopranus *ibidem:* quum tamen id ex ſuo genere non ſit mortale, ex hoc præcisè quòd ſit illicitum, non imbibit malitiam lethalis ſcandali; ſed hinc tantùm; quia abſq; graui cauſſa non ſubtrahit proximo occaſionem ruinæ a ſe præuiſam, licèt non intentam. Atqui proximus grauiter labitur non ſolùm ex fucata facie, ſed etiam ex luxu aliorum ornamentorum, vt infra reuincam, & idem Sopranis concedit. Ergo, quum talis etiam labendi occaſio non ſubtrahitur proximo abſq; ſufficienti cauſſa, culpa quoq; ſcandali lethalis incurritur, vt fuſiùs §. 7. & ſeqq. demonſtrabo.

Ex quibus hactenus §. 1. 3. 4. & 5. diſputatis liquet, nullum Auctorem aſſertioni a me traditæ repugnare, plurimos verò apertiſſimè patrocinari, per multos autem inſigniter fauere; vt omittam complures alios, quos volutaui, in quibus nihil ad præſentem quæſtionem pertinens reperire potui.

§. 6. *eadem aſſertio auctoritate Sanctorum Patrum fulcitur.*

IMmoderatus, ac vanus ornatus duplici nomine a veteribus Patribus carpitur, tum quia naturalem pulchritudinem, opus Dei, adulterat; tum quia graue periculum ruinæ ſpiritualis proximo creat. Priorem reſpectum cõmuniter Doctores venialem dumtaxat putant; quibus nõ inuitus aſſentior; eatenusq; mortalem illum arbitror, quatenus & poſteriorem inuoluit, quem eſſe omnino lethiferum perſpicua eorundem Patrum monumenta teſtantur. Nam *LXIV. Faciem fucare veniale ſolùm eſt.*

I. Sanctus Cyprianus *lib. de diſciplina, & habitu Virginum,* antea ſæpius adductus, ſed hoc loco accuratiùs expen- *LXV. Ornatũ valde ſuocatiuũ li-*

bidinis mortalẽ cenſet S. Cyprianus. pendendus: allato Iſaiæ oraculo ex *cap. 3. verſ.* 17. & *ſeqq.* mox ſubdit: *Virgines comptæ turpitudinem, fœditatemq; meruerunt; ſericum, & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro, margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt.* At quid ita? cauſſam illico reddit: *Quis*, inquit, *non id execretur, quod alij fueris exitio? quis id appetat, & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo?* Vnde liquet, Virgines caſtæ mentis, propterea lethalis culpæ illis verbis: *Chriſtum induere non poſſunt, & ornamenta cordis perdiderunt*, notari; quia immodico valde ornatu alios ad laſciuiam notabiliter incitant, quod ſanctus Doctor gladium, & telum exitio alterius paratum vocat. Abſq; hoc enim, quũ illas mente caſta eſſe palàm præ ſe ferat, quâ fœditate eædem turpatæ ſunt? quî Chriſtum induere non poſſunt? quî pectoris ornamenta perdiderunt?

LXVI. *Apertiſſimè.* Confirmo id ipſum robuſtè, quia Cyprianus in eodem libro eás quoq; quæ nullo prauo fine ſe ornant, dilucidè ita condemnat: *Si tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas, vt, etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenũ videntibus præbeas.* Vbi ſanctiſſimus Martyr plures adoleſcentum ad Venerem ab immoderato honeſtarum Virginum ornatu ſolicitari, & in peccata luxuriæ ruere, atq; ita perire, etiamſi ipſæmet non pereant, hoc eſt, non directè intendant illorum luxuriam, euidentiſſimè prorſus aſſeuerat: & nihilominùs eaſdem Virgines alienæ luxuriæ reas eſſe ſibi omnino perſuadet, ſtatimque manifeſtiſſimè prodit, hæc immediatè poſt ſubijciens: *Excuſari non potes, quaſi caſta ſis, & pudica; redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* Hoc eſt, quamuis directè non intendas libidinem, neq; libidinosè amari; & iuuenibus laſciuè te intuentibus, amãtibuſq; atq; hoc pacto pereuntibus, tu ipſa non pereas, id eſt, tuam caſtitatẽ non amittas; dum tamen vis habitum notabiliter ad libidinem inflammantem geſtare, & pleroſq; iuuenum hoc accendendos, & caſtitatis iacturam facturos cernis, fruſtra de tua caſtitate gloriaris, quam ream peccati lethiferi alieni, & alterius caſtitatis peſſumdatæ tuuſmet ornatus immodicus atq; impudicus peragit, ac proinde & tu quoq; mortaliter peccare conuinceris. Hunc poſteriorem D. Cypriani locum a nullo Theologorum, vel Summiſtarum, aut aliorum Scriptorum hac de materia agentium, quos ſedulò peruolutaui, præterquàm a Dionyſio Carthuſiano in *Directorio vitæ nobiliũ, art.* 13. & à Leſſio *lib. 4. de Iuſt. cap. 4. dub.* 14. *num.* 105. allatum, vel commemoratum vidi: ſed à Dionyſio in huius concluſionis tutelam.

Reſpondet verò idem Leſſius *ibidem num.* 114. *Cyprianum loqui de illis, quæ ornabant ſe propter laſciuiam, vel in contemptum Dei, vt D. Th. ad ſecundum ait; vel quæ id faciebant cum contemptu ſalutis proximi; quo modo primum eius teſtimonium videtur intelligendum.* Verùm hic auctor aut non diſcrepat ab hac concluſione, aut, ſi quis eum diſcrepare cogat, S. Cypriani auctoritati, & rationi minimè ſatisfacit. Vtrumq; oſtendo. Primò non diſcrepat, dum fatetur a D. Cypriano damnari mortalis culpæ, quæ cum contemptu ſalutis proximi ſe ornant. At qualis hic contemptus a D. Cypriano notatus? num directus? nullo modo. Is enim extraordinarius, & LXVII. *Fruſtra Leſſio tergiuerſãte.*

rariſſimus. Neq; D. Cyprianus ita imprudens, vt vitia a conſuetudine longè alieniſſima tam ex profeſſo exagitet, ſed quæ communiter,& cotidie ab honeſtis quoq; Virginibus peccabantur, ſapientiſſimè eo in opere reprehendit. Porrò contemptus ſalutis proximi, qui ordinarius eſt, & paſſim frequentatur, non eſt,niſi indirectus, quoties ſine mala intentione ornantes ſe, periculum graue laſciuiæ a ſuo valde immodico cultu alijs creari non ignorant, & tamen, vt ſuæ vanitati ſatisfaciant, eum non deponunt, quum facilè poſſint, atq; ita ſalutem proximi indirectè contemnunt, ac lethiferè delinquunt, quæ eſt ipſiſſima præſens concluſio, de qua loqui S. Cyprianum, & de indirecto tantùm contemptu, nullo autem modo de directo, ex textu ipſo ſanctiſſimi Doctoris candidè lecto perſpicuum eſt, & qui aliter putat,vel librum hunc S.Cypriani nunquam legit, vel ſi legit, non intellexit. Secundò, ſi quis Leſſium diſſentire velit, adhuc fruſtra eſt. I. Quia D. Thomas articulo illo 2. q. *169.* in ſecundo argumento obijciens S. Cypriani verba, nullam penitùs vocem,aut verbum ex his,quæ ego paulò ante protuli, refert, ſed longè diuerſa de adulterinis crinibus, & diuinæ formæ fucis, ſine vllo reſpectu ad ruinam proximi, de qua tamen ſola hìc controuerſia eſt, atq; adeò ſolutiò non eſt ad rem, vt patet. II. quia,qui inſpicit Cyprianum, videt eum palàm loqui de ijs, quæ ſe ornabant minimè propter laſciuiam, vt fidem faciunt illa: *vt etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas*, hoc eſt, licèt non te ornes ob laſciuiam, alijs tamen laſciuiæ occaſionem præbeas,& ita eos ſuccumbentes occaſioni perdas, & illa: *excuſari non potes, quaſi caſta ſis, & pudica, redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus*. Vbi tota culpa in externum habitum immodicum directè intentum confertur, & quia hinc iuuenes in laſciuiam labuntur, ipſa Virgo ita ornata, & talis ruinæ conſcia, tanquam huius laſciuiæ indirectè rea meritò arguitur, quanquam non ob hanc ſe ornauerit. III. quia D. Cyprianus nō loquitur de contemptu ſalutis proximi, niſi indirecto, & ita præſenti concluſioni patrocinatur, vt oſtendi: hoc verò ſenſu ſolutio allata nulla eſt, dum dat, quod quæritur. IV. quia neq; ipſemet Leſſius immodicum valde ornatum notabiliter ad libidinem proritantem a culpa mortali eo loco liberare vult, ſed tantummodo leuiter titillantē,vt iam ſupra §. 1.*n.6.*& §.5.*n* *56.*obſeruaui. Quocirca faciliùs,& liquidiùs S. Cypriani verba, ne ſibi obſtarent,fuiſſet ille interpretatus, ſi dixiſſet, eum mortalis delicti reum ornatum ab illo iure reputari, qui notabilitèr ad laſciuiam prouocat, ſecus verò accidere, vbi, ex leuitate materiæ lethifera culpa in venialem tantùm diſcedit, vt fit, quoties leuiter dumtaxat ille prouocat, quod ipſe ego vltro concedo.

II. S. Hieronymus *Epiſt.* ad Letam. *Caue*, inquit, *Capillum irruſes, & ei aliquid de Gehennæ ignibus auſpiceris*. Sed clariùs, & fortiùs in *Epiſtola* ad Euſtochium: *Si vir, vel mulier*, inquit, *ſe ornauerit, & vultus hominum ad ſe prouocauerit, etſi nullum inde ſequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui biberet*. Vbi notam peccati mortalis ornatui immodico valde ad malum prouocatiuo a S. Hieronymo inuri, tam certum eſt, quàm pœnam æternam, cui illum addicit,ob lethale ſcelus dumtaxat ſubiri. Neq; hìc S. Doctor intentionem culpat, ſed prouocationem tantùm externam ab ornatus LXVIII. *Ornatus valde ad malū prouocās culpa mortalis notatur a S. Hieronymo.*

ornatus luxu, quem venenum allatum vocat, manantem. Hunc verò pariter locum Doctores omnes hactenus recenſiti prætericrunt, neq; vllus commemorat, tantum abeſt, vt de ſolutione quis cogitet. Refertur quidem ab Alexandro Anglo *par. 6. Summæ cap.* 2. Sed ad huius concluſionis probationem: Sicut etiam a Bernardino Buſto *par. 2. Roſarij, Serm. 28. par. 3. lit. H.* Quanquam fruſtra ab eodem Buſto ad prauam intentionem compellitur, niſi fortè a fortiori, quod mihi perſuadeo.

LXIX. Et a S. Clemēte Papa. III. Alium ego locum luculentiſſimum a cunctis alijs, quos mihi euoluere licuit, Scriptoribus (euolui autem ſanè non paucos) pariter neglectum, atq; inobſeruatum reperi atq; obſeruaui apud S. Clementem Romanum Pontificem *lib. 1. Apoſtol. Conſtitut. cap.* 8. citato, vbi integro ferè capite Salomonis e *Prouerbijs* 31. in mediū allato, atque explanato, ſanctiſſimus Chriſti Vicarius præſentem controuerſiam, de ornata muliere, ad malum ſine mala intentione ornatu ipſo allíciente loquens, meridiana luce clariùs ita decidit. *Intellexiſtis, quas laudes mulier pudica, & mariti ſui amans à Domino Deo ferat. Quare ſi vis fidelis eſſe Domino, eidemque placere, ne comas te, vt alienis viris placeas, neq; meretriculæ capillum calamiſtratum, aut veſtitum, aut calceos ad geſtandum imiteris, vt eos, qui iſtis irretiuntur, ad te pellicias: hæc enim tametſi non facias ad peccandum, ſed tantummodo ad cultum, tamen ne hac quidem ratione, & via futuras pœnas effugies, quæ alium coegiſti, vt ad te appetendum alliceretur: neq; cauiſti, vt neq; ipſa peccato ſuccumberes, neq; alij ſcandalo: quod ſi etiam pecces teipſam dedendo, ipſa deliqueris, & animæ alterius rea fueris.* Hactenus D. Clemens. Nunc, ego Lectorem animum hîc cupio aduertere. Poteratne expreſſiùs omnem prauam intentionem ſanctus Pontifex a muliere remouere, quàm diſertè ita admonendo, *hæc enim tametſi non facias ad peccandum, ſed tantummodo ad cultum?* num peccatū indirecti ſcandali actiui dilucidiùs expingere, quàm continuò ſubijciendo; *quæ alium coegiſti, vt ad te appetendum alliceretur.* num adhuc euidentiùs diſcriminare, quum mulier ipſa occaſioni dat manus, ac quum inuicta manet, ſed alium præcipitat, quàm addendo confeſtim: *Quod ſi etiam pecces teipſam dedendo, ipſa deliqueris, & animæ alterius rea fueris?* num cenſuram culpæ lethalis planiùs indicare, quàm *futuras pœnas* denuntiando? num totum malitiæ reatum in neglectu ſalutis ſuæ, & proximi ſitum illuſtriùs delineare, quàm in memoriam reuocando: *neq; cauiſti, vt neq; ipſa peccato ſuccumberes, neque alij ſcandalo?*

IV. S. Chryſoſtomus *de coniunctione*, vt refert Hoſtienſis *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, & ex hoc Sopranis *diſgreſſione 1. in David, cap. 2. §. 1. Tit. de fucatione, pag. 427. verſ. Tertiò fit.* ſuum etiam ſuffragium meæ concluſioni lubens impertit, ita ſanciens: *Mulier ſi ſe decorauerit, & vocauerit ad ſe oculos hominum; etiamſi plagam non intulerit; vindictam tamen dabit extremam. Venenum enim obtulit, etſi nullus, qui biberit, inuentus ſit.* *LXX. Et a S. Chryſoſtomo.*

Sed multo adhuc clariùs, ac fortiùs idē S. Chryſoſtomus a nullo itē obſeruatus, hāc ipſā doctrinā inculcat, *Tom.* 5. ex editione Pariſienſi anni 1588. *Sermone, Quod Regulares feminæ viris cohabitent.* Qui ſermo denuo editus eſt, ac plerisq; alijs editionibus deeſt: in quo ſtatim ſub ipſo initio S. Doctor reprehendit Virgines, quòd ab ijs *LXXI.*

nulla ratio habetur veſtium, quæ virginitatem decent, vel ſermonis, vel ſilentij, vel compunctionis, vel alicuius id genus. Quin temerè nugantur omnia, & rident intempeſtiuè, & deridentur. Moxq; in delicijs adeo illas viuere criminatur, vt a ſcortis, & meretricibus ægrè diſcerni queant. *Vnde enim, dic mihi,* inquit, *poterimus poſtea talem virginem ordine illarum, & ſocietate eximere, quando & ipſa idem facit, quod illæ? quando ſcilicet, vt adoleſcentum corda aduolent, ſuperba incedit, & intemperans eadem pharmaca terit? quando eoſdem lethales ſuccos miſcet, eundemq; parat puluerem? Sed non dicit, Heus adeſto, amore implicemur: nec dicit, aſperſi accubitum meum myrrhâ, aloë, & cinnamomo. Vtinam accubitũ, & lectum, veſtes, & corpus. Illæ enim domi eſcam occultant, tu vbiq; laqueum circumfers, & expandis voluptatis alas obambulans in foro. Sed non dixiſti, neq; contuliſti verba illa meretricia, Heus amore inuoluamur. Non loquuta es lingua, ſed loquuta es greſſu: non loquuta es voce, ſed loquuta es oculis clariùs, quàm voce. An ideo excuſatam te putas, quòd non vocaueris, non obtuleris teipſam? Neq; ſic a peccato liberaris. Eſt enim & hæc quædam fornicationis ſpecies. Pura manſiſti ab iniuria corporis quidem, ſed non animæ, & completum a te peccatum, etiamſi non per coitum, ſed per aſpectum. Cuius enim gratia vocas prætereuntes? cur accendis ignem? Quomodo putas te puram a peccato, quum totum ipſum opus operata ſis? Etenim quum adulterum feceris perfectum eum, quem tuo iſto habitu cepiſti, quomodo non potes eſſe adultera, quum opere tuo adulterium committitur? Illius inſania tuum opus eſt. Profectò te, quæ adulteros præparaſti, adulterij ſupplicium minimè poſſe effugere, nulli non manifeſtum. Tu gladium acuiſti, tu dexteram armaſti, tu armatam dexteram in miſeram animam impuliſti: quomodo igitur poteris ab homicidij ſupplicio liberari? Dic enim, quos nos habemus odio, & auerſamur? Quos autem puniunt legiſlatores, & Iudices? num eos, qui bibunt mortifera venena, an miſcentes calicem, & præparantes ea, arteque ſua perdentes alios? Non bibentes quidem, quorum, vt pote iniuriâ affectorum, miſeremur. Veneficos autem omnibus calculis condemnamus: nec ſufficit eis ad excuſationem, quòd non ſeipſos offenderunt, ſed alios perdiderunt: ſed propter hoc tanto grauiorem luent pœnam. Tu autem miſera, & calamitoſa, miſcuiſti calicem hunc pernicioſum, & præbuiſti, & dediſti pharmacum: & poſt quàm bibit, & perditus eſt, defenſam te putas, quia non ipſa biberis, ſed alteri præbueris venenoſa? Quanuis & vos tanto grauiorem luetis pœnam, quàm pharmacopolæ illi, quanto & mors grauior. Non enim corpus ſolùm, ſed & animam interimitis. Et illi quidem ſæpe vel furore, vel irâ hoc faciunt, vel inopiâ: vos autem ad nullum talem confugere prætextum poteſtis. Neque hoc facitis inimicis, vel eis, qui nocuerunt, vel ob inopiam, ſed ob ſolam vanam gloriam in alienis luditis animabus, & ex alienis animabus voluptatem propriam conſtituitis.* Ita Chryſoſtomus maniſeſtiſſimè, & diſertiſſimè peccati mortalis damnat fēminam immodico ſuo ornatu ſolicitantem viros ad libidinem, etiamſi tali intentione directa careat, *ſed ob ſolam vanam gloriam in alienis animabus ludat*; totamque culpam S. Doctor conijcit non in vllam luxuriam, vel impurum deſidederium ipſius fœminæ, ſed in cultum dumtaxat ſuperfluum, quo alios ad laſciuiam inflammari non ignorat.

LXXII. Nec diſcrepat Tertullianus.

Nec diſſentit Tertullianus, quanuis diſſentire videatur *lib. de cultu feminarum, cap. 2.* vbi ſcribit: *Perit*

ille

ille ſimul in tua forma, ſi concupierit, & admiſit iam in animo, quod concupiuit: & facta es tu gladius illi: Vt a culpa vaces, ab inuidia non liberaberis: vt quum in alicuius agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem Dominum non conſtringit, dum tamen res eius infamiâ notatur, ipſe quoque infamiâ adſpergitur. Quo loco non eximit feminam a ſcelere Tertullianus, quòd non fucato vultu, ſed cultu alijs ornamentis adſcito occaſio alteri fuerit pereundi, vt interpretatur Sopranis *loc. cit.* Vt enim omittam diſtinctionem hanc ab eo allatam falſo planè fundamento niti, ac proinde eſſe reijciendam, vt §. 5. in fine *num. 63.* vidimus: repugnat etiam ipſimet textui, qui apertè de forma vultus agit: *Perit ille ſimul*, inquit, *in tua forma*: quæ nimirum fucis illinitur, atq; adulteratur; cætera autem ornamenta alia corporis membra condecorant. Aliunde ergo excuſatio talis feminæ, quàm a cultu fucorum experte, petenda eſt; nempe ab ignorantia, vel inaduertentia inuincibili alienæ ruinæ, vt conuincit etiam ipſummet exemplum ab eodem Auctore allatum Domini immunis a culpa, in cuius agro latrocinium geſtum eſt. Eatenus enim vacat culpa Dominus, quatenus ipſo neſciente latrocinium in ipſius agro patratum eſt: alioqui ſi ſciuiſſet, & commodè impedire illud poſſet, non vacaret culpa, ſi neglexiſſet. De facto autem agrum ipſum nequit ſubducere, nec latrones arcere, qui illo inſcio, agrum eius inuadunt, ac latrocinio infamant. Haud ſecus & femina ignara alieni lapſus ex ſuo cultu, excuſatur, etſi laſciuus alterius oculus eius facie conſpectâ, tanquam agro, ad flagitium abutitur. Quod ſi mulier proximi ruinam ex ſuo ornatu valde ſuperfluo notabiliterque ad libidinem inflammante, quicunque is ſit, animaduertat, nunquam Tertullianus, qui cæteroqui perſeuerus nihil ſanè feminis indulget, aut conniuet, a mortali crimine illam vindicabit, quum talem ruinæ occaſionem facilè alteri poteſt ſubtrahere.

Fruſtra a Sopranis aliò tractus.

LXXIII. At non ſolùm Sancti Patres immodicum feminarum ornatum valde prouocatiuum libidinis mortalem eſſe decernunt, ſed ipſamet quoque Beatiſſima Virgo, Mater Dei, Sanctorum, & Angelorum omnium Regina, paris culpæ reum non obſcurè pronuntiat. Sic enim eadem Mater Dei apud S. Brigittam, vt *lib. 8. Reuelationum* ipſius *cap. 57.* legimus, diſertiſſimè loquitur: *Mulieres deponant veſtes oſtentationis, quas propter ſuperbiam, & vanam gloriam aſſumpſerunt, quia Diabolus dictauit mulieribus contemnentibus mores patriæ ſuæ antiquos & laudabiles, quandam nouam abuſionem, & ornamenta indecentia in capitibus, & pedibus, & reliquis membris ad prouocandum luxuriam, & irritandum Deum.* Quæ verba Andreas Gelſominius ex S. Auguſtini ordine Theologus, & ſtudiorum Regens olim Patauij in ſuo *Theſauro cæleſti deuotionis Mariæ Virginis, cap. 12.* refert, extemploque inde meritiſſimò infert: Dunque per ſentenza della glorioſa, e » benedetta Vergine le donne vane, e » pompoſe ſono della Scuola dell' Infer- » no, ſono diſcepole del Diauolo: e che » altro ponno apparare da così ſcelera- » to maeſtro, che la rouina, e danna- » tione delle anime loro? Hoc eſt. *Ergò mulieres vanæ, & immodicè ornatæ, ſecundùm glorioſæ & benedictæ Virginis ſententiam, ex Inferorum ſchola ſunt Cacodæmonis diſcipulæ: quid aliud porrò à tam ſcelerato magiſtro addiſcant, quàm ſuarum animarum ruinam, & damnationem?*

Imò talis ornatus valde prouocatiuꝰ libidinis damnatur culpæ lethalis etiam a B. Virgine.

LXXIV. Hæc porrò Sanctorũ Patrum teſtimonia,

Quæ Patrum teſtimonia auferũt cõtraria opinioni omnem probabilitatem. monia, Deiparæque Virginis ſcitum, a nullo Doctorum ex illis, qui aduerſari in ſpeciem videntur, notata, nedum ſoluta, non de nihilo obſeruo, ac repeto; non ſanè vt ambitioni velificem (abſit a me hæc ineptia) ſed vt tempeſtiuè animaduertam, quanquam præſenti concluſioni nemo ex Doctoribus, vt oſtendi, refragatur, ſolus autẽ Leſſius ex cunctis, qui diſcrepare vulgo putantur, vnicum S. Cypriani locũ ſibi obluctari vidit quidem, ſed fruſtra omnino eum diluere, vt planum feci, conatus eſt: ſi quis tamen fortè adhuc tergiuerſari non dubitaret: quum is compertis ſanctorum Patrum decretis, quę neque expendit, neque legit, neque, quomodo expedienda ſint, vnquam cogitauit, exaduerſum prorſus contradicat, & quidem ſine vlla firma ratione, vt §. 1. & 3. indicatum eſt, & infra §. 7. & *ſeqq.* meliùs conſtabit; huiuſmodi Auctoris dictum ſolo innixũ placito, ſolidoque deſtitutum fundamento, nullius planè momenti, vel põderis fore, nulloq; apud omnes cordatos loco eſſe oportere; ne alioqui Catholicis omnibus anſa iuſtè expoſtulãdi, indignandiq; præbeatur, auctoritatem Sanctorum Patrum in Chriſti Eccleſia adeo vilem haberi, vt Doctori etiam vnico, licèt recenti, vel etiam ignobili quidpiam aienti, aut inficianti, tametſi ſine vllo quoque documento probabili; plus nihilominùs fidei, quàm iiſdem antiquis Patribus diuinâ ſapientiâ, & ſpiritu afflatis contra ſententibus, ac ſtatuentibus tribuatur. Quæ profectò audax nimis, & procax licentia eſt, enormiſque prorſus peruerſitas nullo modo ferenda.

§. VII. *Rationibus eadem aſſertio euincitur.*

HVcuſque concluſionem ſanctorum Patrum, aliorumque Doctorum auctoritate, conſenſuque probaui. Nunc argumentorum quoque ponderibus eandem ſtabilio. LXXV.

Ornatus valde ad libidinẽ alliciens mortalis eſt, q̃ vetatur a Scriptura.

I. Certum, exploratumque e diuinis Literis, ac veteribus Patribus eſt, ſuperfluum ornatum iure diuino eſſe prohibitum, vt *cap.* 2. docui. At ornatus leuiter ſuperfluus, culpæ venialis tantùm reus eſt, quia nimirum in materia vndique leui nonniſi leuiter prohibitus eſt, vt conſtat, Ergo notabiliter ſuperfluus in materia notabili erit mortalis, quia ſcilicet grauiter prohibitus. Conſequentia probatur, quia præcepta ex ſua natura in materia graui ad mortale obligant, in leui autem ad veniale, vt liquet apud omnes. At præceptum vetans ſuperfluũ ornatum, ab Apoſtolis latum eſt, verbiſque præceptiuis, *ſit, & volo*, ſufficiẽter explicatum, vt Patres, & Doctores eodem *cap.* 2. ſupra producti fatentur. Ergo huius præcepti tranſgreſſio in materia leui erit venialis, in graui autem, & notabili mortalis. Quæ ſanè ratio non parum communem opinionem antea *cap.* 4. *num.* 10. expoſitam, quæ ornatum in genere pretij quoque valde immodicum lethalem eſſe decernit, tuetur, ac roborat. Vt vt tamen de tali exceſſu ſit; equidem, vbi ornatus ſuperfluus ad Venerem notabiliter etiam incitat, quin ſub mortali ab Apoſtolis vetitus ſit, ambigi iure non poteſt.

Etiã qui ſolùm in genere pretij valde immodicus eſt.

Reſpondet I. Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 4. num.* 114. *cit.* Scripturas relatas (quas eodem *cap.* 2. recenſui) *vel continere exhortationem, quum nullum verbum præceptiuum habeant.* Verùm id, LXXVI.

Euaſio prima Leſſij refellitur.

id, quo modo ad placitum dumtaxat tuendum contra expreſſam ſanctorũ Patrum ſententiam ſine fundamento non enuntietur, ego profectò non video: quandoquidem ab ijſdem Patribus in Scripturis adductis præceptum, ac proinde & verbum præceptiuum palàm agnoſcitur, quibus Patribus multo magis, quàm Leſſio fruſtra inficianti, credendum eſt, vt eodem *cap.* 2. monſtraui.

LXXVII. *Et altera.* Reſpondet II. idem Leſſius *ibid. vel ſi continent* Scripturæ *præceptum, agi de illis, quæ ſe ornabant, vt alijs placerent, vt notat D. Thomas ex Gloſſa*. At Scriptura, cui S. Thomas ex Gloſsa reſpondet 2. 2. q. 169. a. 2. ad 1. eſt locus tantùm *Ep.* 1. *Petri, cap.* 3. præter quem tamen adhuc vrget alter locus Pauli 1. *Timot.* 2. quo idem S. Thomas *ibid.* ſuperfluum ornatum mulieribus generatim vetari concedit & iam olim antiqui Patres tradiderũt. Vt nihil etiam dicam de pleriſq; alijs Scripturæ locis eo *cap.* 2. congeſtis, quæ ijdem Patres in vanum ornatum vibrant.

LXXVIII *Et tertia.* Reſpondet III. *Vel certè propter ædificationem Ethnicorum expediebat illo tempore præcipi*. Sed contra eſt, quia grauia admodum incommoda, quæ ex ornatu valde immoderato procificiſcuntur, vt infra §. 12. oſtendam, non tantùm Apoſtolorum tempore militabant, ſed vſque in hodiernum quoque diem perſeuerant, ſemperque a Patribus reprehenſus ille eſt tam acriter & vehementer, vt potè qui bonis moribus, caſtitati præſertim, valde pernicioſus eſſet: adeoque non ſolùm ea tempeſtate, ſed deinceps etiã ſemper operæ pretium fuit eundem ſuperuacuum ornatum vetari. Quocirca probabilitatem huiuſmodi non tam explicationum, quam euaſionum, nullam ego equidem cerno, aut percipio.

II. Idem egregiâ aliâ ratione eruta a priori ſuadetur, quam Sfortia Pallauicinus vir ingenij perſpicaciſſimi, ſacræque Theologiæ in Collegio noſtro Romano nunc profeſſor, a me, quanquam clam per fidum amicum ſuppreſſo meo nomine, nominatim conſultus, humaniſſimè me docuit. LXXIX. *Idẽ ornat' valde ad venerem prouocãs mortalis eſt, quia grauiter a Republica rationali prohibitus eſt.* Quanuis enim talis ratio nuditatem pectoris feminei ex deſtinato petat, ac feriat, vt infra *diſp.* 2. patebit, hìc tamen etiam vrget. Illud, inquit, iure naturæ grauiter prohibitum eſt, quod Reip. retionali expedit eſſe prohibitum non tantùm leuiter, ſed etiam grauiter, vt ex ijs, quæ idem Sfortia *lib.* 1. & 2. *de Bono* diſſerit, & luculenter oſtendit, dilucet planiſſimè. At ornatum mulierum valde prouocatiuum ad libidinem, eſſe grauiter prohibitum, expedit Reipub. rationali, quia grauis huiuſmodi prohibitio minimũ affert incommodi, & impedit multa & grauia mala, quæ moraliter certum eſt hinc aliàs oritura, vt infra §. 12. & *diſput.* 2. monſtrabo, ſatiſque quà cotidianâ experientiâ, quà concordi prudentum omnium iudicio conſtat. Ergo feminæ, quæ eo nihilominùs vtuntur abſque cauſſa, peccant mortaliter. Omitto hìc exceptionem, quæ contra fieri poteſt, eamque ad dictam *diſput.* 2. de induſtria reijcio.

III. Geſtare habitum peculiarem meretricium eſt peccatum mortale, LXXX. *Et quia habitus meretricius eſt.* vt ex Suarez *de Carit. diſp.* 10. *ſect.* 4. *num.* 10. Becano 2. 2. *cap.* 27. *q.* 6. *nu.* 4. Turriano 2. 2. *Tom.* 1. *diſp.* 96. *dub.* 2. *Verſ. Ex traditis*, Diana *par.* 2 *tract.* 15. *reſol.* 30. Bernardino Buſto *par.* 2. *Roſarij, ſerm.* 28. *par.* 3. *lit.* I. & alijs paſſim compertum eſt. Nam etſi nonnulli aiunt, ſolùm eſſe peccatum, alij autem eſſe ſcandalum actiuum, non obſcurè tamen ex materia ipſa graui innuũt eſſe lethale. At habitus mere-

tricius

tricius idcirco meretricius etiam dicitur, quia ad laſciuiam notabiliter prouocat. Ergo quæcunque immodicum cultum notabiliter prouocantem ad laſciuiam gerunt, gerunt habitum peculiarem meretricium. Ergo hæ cunctæ peccant mortaliter. Minor, quia reliqua ſunt explorata, oſtenditur, quia habitus ex praua tantùm geſtantis intentione meretricius dici nequit, ſic enim, licèt foret honeſtiſſimus meretricius nihilominùs e libidinoſa intentione geſtantis diceretur, quod falſum eſt. Omnes quippe Doctores magnum diſcrimen externum inter habitum meretricium, habitumque honeſtum, & pudicum agnoſcunt. Deinde habitus meretricius eſt omnino ſcandaloſus, hoc eſt, obiectus alteri tanquam offendiculum ad ruinã. At talis per internam prauam intentionem dumtaxat minimè conſtituitur, vt *cap.* 5. §. 3. probaui. Ergo neceſſe eſt, vt extrinſecus quoque ad ruinam, ſeu laſciuiam notabiliter prouocet.

Qui talis nõ eſt ex praua tantùm geſtantis intentione.

LXXXI. Dices, habitum dici meretricium ex eo, quòd ex more cuiuſque loci tãquam ſignum animi libidinoſi deſideantis turpem amorem vſurpatur. Etſi autem in meretricibus ad maiora mala cauenda id permittitur, nihilominùs tam in ipſis, quàm in quibuſcũque alijs cæteroqui etiam honeſtis talis habitus geſtatio eſt peccatum mortale, quia ideo a meretricibus geſtatur, vt turpiter amentur, etiamſi ipſemet habitus reuera non ſit ad Venerẽ valde prouocatiuus. Aliud verò eſt de ſigno, quod a Repub. meretricibus, vt diſcernantur alicubi imperatur, vt Iudæis quoque Romæ geſtatio rubri galeri. Nam hoc ſignum geſtare non eſt peccatum lethale, licèt lethale ſit id, quod a tali ſigno ſupponitur. Verùm aliud eſt ſignum, quod ipſæmet meretrices aſſumunt, vt tanquam meretrices amentur, illud verò a Republica indicitur potiùs, vt caueantur. Reſpondeo hæc omnia ab ingenioſiſſimo viro præclarè omnino dici; ſed neceſſariò ijs addendum eſſe, quanuis ad mortalem culpam incurrendam ſufficeret vtique geſtare habitum, qui ex meretricum vſu ſignum eſſet animi libidinoſi, licèt a tali animo pleræque eum geſtantes abeſſent, de facto tamẽ a meretricibus habitum, non tantummodo, vt libidinoſi ipſarum animi indicium, ſed etiam, vt inſtrumentum luxuriæ in alijs excitandæ adhiberi. Quanquam enim mulier ſigno aliquo, etſi minimè ad malum incitatiuo, libidinoſam intentionem profeſſa, hoc ipſo alios ad Venerem ſolicitat; ſicut etiam contingit, vbi femina, ſine vllo veſtis ſigno, ſolis verbis ſuam libidinis flammam viris detegit: tamen hæc tota ad malum incitatio a ſola manifeſtatione impuri animi, & nullo modo ab aliqua ornamenti pellacia, ac titillatione oritur, vt liquet. Quocirca meretrices huiuſmodi prouocatione ex mera ſuæ mentis libidinoſæ detectione, minimè contentæ, habitum præterea ſcandaloſum, hoc eſt, notabiliter ad Venerem irritantem, velut luxuriæ in alijs accẽdendæ inſtrumentum dedita operâ induunt; ac proinde peccant mortaliter, non ſolùm ob intentionem prauam exteriùs vtcunque proditam; ſed etiam ob habitum ipſum valde ad Venerem prouocantẽ, vt e recepta, & vulgata conſuetudine perſpectum eſt.

Nam meretrices mortaliter peccant nõ ſolùm quia ſigno aliquo ſuã malam intentionem produnt, ſed etiã habitu ipſo ad libidinẽ valde incitant.

Confirmatur I. hæc doctrina Patrũ antiquorũ auctoritate, qui vt moderatũ ornatũ laudant, ita immoderatum valde, impudicũ, & meretriciũ appellant, quanuis de honeſtiſſimis etiã feminis, & minimè proſtitutis loquãtur. Hinc Clemens Alexãdrinus *lib. 2. Pædag.* LXXXII.

Meretricius ornatus & in fœminis honeſtis reprehenſus a Patribus.

dag. cap. 10. ita pronuntiat, *Laudo ego, & admiror Lacedæmoniorum Ciuitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit, a probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quòd ſolis meretricibus ſe ornare concederet*, nempe immoderatè. Hinc S. Cyprianus *lib. de diſciplina, & habitu Virginum*, pudicarum Virginum immodicum cultum reprehendens, *Ornamentorum*, ait, *ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum nonniſi proſtitutis, & impudicis feminis congruunt: & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt*. Hinc inibi idem S. Cyprianus: *Excuſari*, inquit, *non potes, quaſi mente caſta ſis, et pudica; redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus*. Hinc Tertulianus *lib. de cultu feminarum, cap.* 12. *Lenocinia formæ*, ait, *nunquam non proſtituto corpori coniuncta, & debita*. Hinc S. Chryſoſtomus *hom.* 28. *ad Hebræos*, de pudicis feminis differens: *Talia ergo geſtemus veſtimenta*, inquit, *quæ vſum impleant. Quid enim ſibi vult muliẽ aurum? Scenicis hæc conueniunt: hæc autem ab illis ſunt geſtanda: hæc ſunt meretricum, quæ omnia faciunt ad hoc, vt ſpectentur*. Hinc iterum Tertullianus *lib. de habitu mulierum* partitè duplicem ornatum ſic diſcriminat: *Duplex eſt cultus feminæ, ſcilicet mundus muliebris in auro, gemmis, & veſtibus: & ornatus, quem immundum muliebrem conueuit dici: in cura capilli, cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt: illi crimen ambitionis intendimus, huic proſtitutionis*. Hinc denique S. Clemens Romanus Pontifex *lib.* 1. *Apoſtolicarum Conſtitutionum cap.* 8. *Ne pingas*, inquit, *faciem tuam, quam tibi Deus finxit: nihil enim in te eſt, quod ornatu indigeat, quandoquidem vniuerſa, quæ Deus fabricatus eſt, pulchra nimis, impudicus verò ornatus pulchræ formæ additus artificis gratiam contumelioſè dedecorat. Incede ergo deiectis oculis deorſum, atq; obtecta, vt mulieres decet.*

Quos & ſimiles aculeos ſapientiſſimi Patres in feminas maximè etiam pudicas iaciunt; a quibus vt immodicum valde ornatum tum vſitatum auferant decernunt, eum eſſe proprium meretricum, atq; impudicum, opinionemque impudicitiæ, vt *cap.* 6. §. 2. oſtendi, ingenerare: nempe quia etſi ipſæ integra mente ſint, atque hac integritate mentis a meretricibus diſtẽt, ipſo tamen immoderato valde ornatu ad Venerem non ſecus, ac meretrices, vehementer incitant; adeoq; & talem ornatum impudicum, & meretricium iure nuncupant. LXXXIII. *Vt expẽditur.*

Quid quod ipſemet Salomon *Prouer.* 7. de muliere teſtatur, quòd iuueni *occurrit ornatu meretricio, præparata ad decipiendas, ſeu capiendas animas.* Quo pacto autem iſtæ capiendæ? ipſo ornatu meretricio, quem tanquam rete expandit, ac tendit mulier, de cuius tamen praua intentione nihil expreſsè ibi indicatur, quanquam ea ex flagitioſo habitu indirectè colligitur. Vnde Guilielmus Peraldus *Tom.* 2. *Summ. cap.* 14. *tit. de Superbia, Verſ. Quod habitus*, ſignanter arguit: *Quum non vult vir vxorem ſuam eſſe meretricem, quare vult eam ſimilem meretrici eſſe, & in habitu meretricio? De hoc habitu legitur Prouer.* 7. Occurrit ei mulier in ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas. *Et quum ex hoc verbo conſtet, aliquem ornatum meretricium eſſe, non video, quid ſit meretricius habitus, niſi croceus ſit, & ſimilia*. Quocirca S. Bernardinus Senenſis *de Euangelio Dei, Serm.* 47. *art.* 3. *cap.* 2. de honeſtis matribus, quæ filias virgines plus æquo ornant, differens, *ſi quando*, inquit, *eas* (nempe nubiles filias) *ad Eccleſiam ducunt, veluti meretriculas illas ornantes, in templi ſedibus ſtatuunt* LXXXIV. *Et cõfirmat ex alijs ſcriptoribus factis.*

eas, quaſi beſtias in foro venales. Et Andreas Gelſominius in Theſauro cœleſti *cap.* 12. è bruttiſſima coſa, ait Italicè, che vna honeſta gentildonna, amando diſordinatamente le bionde chiome, ed i mentiti candori, e roſſori, con tanta induſtria, e perdimento di tempo, ſi adorni, ed inorpelli il viſo, come meretrice. Hoc eſt, *turpiſſimũ eſt, nobilem feminam, perditè amando flauas comas, mentitoſque candores, & rubores, tantâ induſtriâ, temporiſque iacturâ, vultum ſuum meretricis inſtar fucare, atque expolire.*

L XXXV. *Imò etiã ex ethnicis.* Nec Patres tantùm ita de habitu meretricio pronuntiarunt, Catholicique Doctores ſic cenſuerunt, ſed Ethnici quoque Scriptores, vt ex ijs eruditè probat Hieronymus Sopranis, *commentario in Dauid, digreſſione* 1. *cap.* 1. §. 7. illud manifeſtò conficiens, habitum meretricium ſitum fuiſſe *in ornatu ipſo, & lenocinio formæ,* præſertim *in cultu capitis,* valdeque ad libidem proritaſſe. Ex quibus euidenter infertur, habitum impudicum, vel meretricium, habitumque laſciuiæ notabiliter prouocatiuum nomina eſſe prorſus ſynonima.

L XXXVI. *Meretricij habitus nomine nõ intelligiĩ ab Auctoribus obſcœna veſtium forma.* Neque verò Auctores paulò ante addicti, meretricij habitus nomine obſcœnam illam veſtium formam, qua pudenda ipſa publicè impudentiſſimè deteguntur, duntaxat intelligunt, & nullam aliam, præſertim Patres, Chriſtianique Scriptores; tum quia tam fœdam, ac propudioſam veſtis formã à meretricibus vulgo, ac paſſim fuiſſe vſurpatam, quas ſolas propterea Patres huiuſmodi impudentiæ coarguant, ſine fundamento planè fingitur; tum quia ijdem Patres de ornamentorum genere penitùs diuerſo à tam obſcœno loqui ſe manifeſtiſſimè produnt, quod etſi verendorum detectione caret, meretricium tamen adhuc appellant; nam Clemens Alexandrinus floridas veſtes auro coruſcantes ſolis meretricibus concedit; S. Cyprianus veſtium inſignia proſtitutis congruere decernit, Tertullianus lenocinia formæ, hoc eſt, vultus fucos corpori proſtituto coniuncta tradit; idem Auctor curæ capillorum & cutis crimen proſtitutionis intendit; S. Chryſoſtomus auri luxum, ſcenicarum & meretricum eſſe affirmat. Clemens denique Romanus faciei pigmenta ornatum impudicum vocat. Vbi iam, quæſo, in hiſce locis obſcœnarum, vel pudendarum partium mentio? vbi ſuſpicio? vbi indicium, aut veſtigium? nuſquam omnino, nuſquam.

L XXXVII *Nec meretricis ſolùm ille habitus eſt, qui pudenda detegit, & mortalis eſt.* Confirmo præterea, quia fœdiſſimũ illum caſum pudenda detegendi, aut malè velandi Doctores perpauci notarunt, ſcelusque lethale eſſe meritò edixerunt, Nauarrus *in Manuali, cap.* 14 *nu.* 30. *lit. D. Verſ. Quinto, quòd eſt talis,* Thomas ſanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 46. *num.* 25. Leſſius *lib.* 4. *de Iuſt. cap.* 4 *num.* 112. *Verſ. Tertiò, ratione ſcandali,* & Bonacina *quæſt.* 4. *de matrim. punc.* 9. *num.* 24. *Verſ. Quinto patet.* At præter huiuſmodi habitum obſcœniſſimum, & ne ipſis quidem meretricibus, licèt impudentiſſimis alioquin, communiter vſitatum Doctores alium quoque ſuperfluum valde ornatum, luxuriantemque cultum diſtinguunt, ac in certis circumſtantijs mortali culpæ obnoxium iudicant, vt enucleatè Leſſius *loc. tit. nu.* 113. *Quartò, quum quis affectu ornatus ſalutem proximi nihili pendit, non curans, an ſcandalizetur, an non.* Quod tum ſcilicet accidit, quando immodicò valde ſuo ornatu occaſionem libidinis proximam creari alteri animaduertit, talique ornatu minimè abſtinet, etiamſi commodè poſſit; atque ita ſalutem proximi paruipendere

rectè

rectè dicitur.

LXXXVIII. *Vt liquet etiam e Tertulliano dolente nõ internoſci virgines a proſtitutis.* Quamobrem habitus libidinis valde prouocatiuus, quãuis pudenda non detegat, nihilominùs impudicus, ac meretricius eſt, taliſque a Patribus, ac Doctoribus vulgò reputatur. Vnde Tertullianus *lib. de cultu feminarum, cap. antepen.* quum in more cunctas apud nationes ſemper poſitum fuerit, honeſtas mulieres habitu diuerſo a meretricio cultu incedere, conqueritur ſuâ tempeſtate hanc conſuetudinem fuiſſe violatam, cultumque meretricum a pudicis etiam tam promiſcuè indutum, vt, ſublato ferè diſcrimine, proſtitutæ a virginibus non internoſcerentur. *Quid minus*, inquit, *habent infeliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ* (nempe meretrices) *quas ſi quæ leges a matronis, aut matronalibus ornamentis coercebant, iam certè ſeculi improbitas cotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque feminis vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit.*

LXXXIX. *Cũ quo ornatu meretricio grauius eſt crimen, intereſſe Miſſæ, quã hãc omittere.* Quum igitur idem reipſa ſit impudicus, ſeu meretricius habitus, ac ornatus ſeu cultus ad laſciuiam vehementer accendens, vt demonſtraui; tam mortale crimen eſt, illum, quàm illũ, induere. Qua de cauſſa S. Bernardinus Senenſis *loc. cit.* grauius eſſe peccatum cenſet, mittere filiam diebus feſtis cum huiuſmodi ornatu prouocatiuo ad audiendum ſacrum, quàm eã ſine iuſta cauſſa, ne illi interſit, domi continere. *Peccant nempe*, inquit, *quando diebus debitis ad Eccleſiam nõ ducunt illas; ſed grauiùs vtique Conditorem offendunt, quum ad Eccleſiam ducunt eas, quaſi meretrices.*

§. VIII. *Eadem aſſertio oſtenditur ex eo, quia ornatus valde prouocatiuus libidinis, præbet alijs occaſionem proximam delinquendi lethaliter.*

EAndem aſſertionem efficaciſſimè nunc inſuper alio argumento prævalido demonſtro, quia certum, indubitatumque eſt, peccari mortaliter ab eo, qui alteri periculum probabile, ſeu occaſionem proximam labendi mortiferè ſine legitima cauſſa affert, vt ſupra *cap. 5. §. 11. Regula 3.* palàm feci. At mulieres, quæ valde immodico ornatu ad libidinem notabiliter incitante ſine legitima cauſſa vtuntur, afferunt alijs in certis ac determinatis circumſtantijs probabile periculum, ſeu proximam delinquendi mortaliter occaſionem. Ergo toties quoties ita ornatæ ſuperfluè incedunt, peccant mortaliter. Maior, & conſequentia ſunt omnino perſpicuæ. Sola Minor iam probanda eſt, & quidem ex profeſſo. Quod vt præſtem. XC. *Ornatꝰ valde ad libidinẽ alliciẽs lethalis eſt, quia proximam peccãdi mortiferè occaſionẽ alijs præbet.*

Statuo in anteceſſum, ex immodico mulierum ornatu magna libidinum incendia paſſim excitari in alijs, qui eas contemplantur, vt cotidiana vincit experientia, & Ethnici quoque ipſi Scriptores tradunt, priſci etiam Eccleſiæ Patres ſeriò inculcant, nec non Catholici Doctores grauiter ingeminant. XCI. *Immodicus ornatꝰ mulierũ ad libidinẽ valde ſpectãtes prouocat.*

Ethnicos priùs adeamus. Heraclides explicatè narrat in Politica Lacedæmoniorum ornatum omnem feminis fuiſſe detractum, neque ijs iure permiſſum, comam nutrire, nec vultus fucare; quorſum iſtuc? vt hoc pacto virorum libido dudum iam effrænatiùs graſſata compeſceretur. Nam pigmentorum lenocinio adornata XCII. *Vt Ethnici quoque teſtantur.*

venuſtas, intuentium ſcopulus eſt, & caſtitatis naufragium. Quod diffiteri non potuit, ne ipſe quidem tenerorum luſor amorum, Ouidius *lib.* 13. *Metamorph.* ita exclamans; *Pro, quanta potentia regni.*

Eſt, Venus alma, tui!

Perque oculos perit ipſe tuos, & ſuos. At quid Poetarum carminibus opus eſt, vbi laureata Cæſarum teſtimonia præſto ſunt? Auguſtus Imperator quid hac de re exiſtimauit? *Veſtitum inſignem, ac mollem*, vt Suetonius in eius vita *cap.* 3. commemorat, *vexillum eſſe ſuperbiæ, nidumque luxuriæ.* Quid Tacitus Imperator pariter, ſibi perſuaſit? *Vxorem ſuam*, vt Vopiſcus in Politica *cap.* 5. fidem facit, *gemmis vti non eſt paſſus.* Quamobrem? Nimirum *damnauit in vxore hac prodiga regnorum diſpendia, libidinumque incitamenta, quæ de propinquo luxuriæ curant negotium, obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis, caſtimoniam proſtituunt: nam dum tenera ceruix, frons, capilli, aures per gemmas ignes iaculantur, incaleſcunt animi, mutuiſque concludunt vulneribus; & quæ non mulier mutuo hoc formæ, & genarum lenocinio periclitari doceat viros? quæ verò non periclitetur, quum tot fulminibus, quot virorum percutitur oculis: ſuſtulit pericula, & vxoria hæc naufragia Imperator, dum gemmarum omnem ornatum vetuit: ſat ignium inornatam circumferre, ſtultum eſſe ab alijs nouos mutuare, ni proſtituere vltro cum gemmis vxorem voles, aut tanquam ſuſpensâ hederâ venalitiam caſtimoniam prodere.* Quid magnus Philoſophus Pythagoras Samius conſilij iniuit? quum Crotonienſem Populum in luxuriam lapſum animaduertiſſet, ſua auctoritate eum ad bonam frugem, vt refert Iuſtinus *lib.* 20. reuocauit: hocque inter cetera aſſiduitate diſputationis conſecutus eſt, vt matronæ auratas veſtes, cæteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Iunonis ædem ipſi Deæ conſecrarent: præferentes vera ornamenta matronarum, pudicitiam, non veſtes eſſe.

Hinc veteres Patres luſtremus. Lego apud Clementem Alexandrinum *lib.* 3. *Pedagog.* mulierum cultum eſſe *aucupium hominum.* Lego apud eundem *ibidem cap.* 11. *ea, quæ a feminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennas, detrahenda eſſe, vt quæ inſtabilem ſuperbiam, ac mollitiem, immaneſque voluptates procreent.* Audio Tertullianum *lib. de cultu feminarũ cap.* 2. muliebrem ſexum acriter increpantem: *Quid alteri periculo ſumus? quid alteri concupiſcentiam importamus? neſcio, an impune abeat, qui alicui fuerit cauſſa perditionis; perit enim ille ſimul in tua forma, ſi concupierit; & admiſit iam in animo, quod concupiuit, & facta es tu gladius illi.* Nec immeritò idem muliebris vanitatis maſtix in eodem libro *de cultu cap.* 2. feminarum ornatum *elaboratæ libidinis ſuggeſtum* nuncupat; quippe *apparatus libidinis* (vt aptè notat Benedictus Fernandius in *Geneſim cap.* 2. *ſect.* 17. *num.* 4. & ſeqq.) *quo ſe ſe mulier dat oſtentandam ambitione, ſuggeſtum etiam eſt, ex quo ſpectantium oculis libido ipſa ſeſe prædicat, aut a diabolo prædicatur.* XCIII *Et Patres docent.*

Accedo ad S. Cyprianum, cuius animaduerſio in libro *de diſciplina, & habitu Virginum*, iam ſupra §. 6. expenſa, ſed huic etiam loco perquàm appoſita, nec minùs vera, quàm perſpicua hæc eſt: *Si tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupi-* XCIV.

cupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas, vt & ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus prabeas. Tranſeo ad S. Petrum Eremitā, qui matrē Theodoreti comptā ita affatur: *Nolite ergo Dei corrum pere imaginem, neque tentetis addere, quæ ſapienter non dedit; neque hanc adulterinam excogitare pulchritudinem, quæ vel pudicis affert excidium, vel videntibus inſidias.* Pergo ad S. Ambroſium, qui *lib. 1. de Virgin.* huiuſmodi feminarum ornamenta vocat *incentiua vitiorum*, & lib. 3. *affectati nugas decoris adulterini amoris illecebras.* Feſtino ad Hildebertum Turonenſem Archiepiſcopum, a quo in *Epiſt.* 34. diſco: *Affectatum decorem, & quicquid aliud, quàm quod natum eſt, faſcinare oculos intuentium.* Venio ad S. Hieronymum, quem in Epiſtola ad Furiam ſtomachabundum Sanctiſſimè excandeſcere video: *Quid faciat in facie Chriſtianæ purpuriſſus, & ceruſſa, & ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia? Ornatus iſte non Domini eſt: velamen iſtud Antichriſti eſt.*

Apud Cornelium in c. 3. Iſa. in verſ. 26.

XCV. Addo S. Ioannem Chryſoſtomum in Dialogo ad S. Baſiliū, ad quem, vt Dionyſius Carthuſianus in *Directorio vitæ nobiliū, Art.* 13. citat, ſic ſcribit: *Ornatus ſuperfluus conſiſtit in exquiſitione veſtimentorum, in compoſitione capillorum, in depictione colorationeque vultus, & colli, & in appoſitione gemmarum, vel aureorum, argenteorumue, aut conſimilium ornamentorum.* De quibus idem S. Chryſoſtomus, vt ibidem memorat Carthuſianus, ita ſtatuit: *Pulchritudo faciei, oculiq́ue depicti, infectæ maxillæ, ornatus capitis, criniumq́ue tinctura, veſtis pretioſa, ſplendor gemmarum, odor pigmentorum, & alia, quæ ad mundum muliebrem pertinent, corperturbant, animumq́ue euertunt, & concupiſcentiæ nutriunt flammam.*

XCVI. Iam Doctores Catholicos inſpiciamus, quorum agmen ducit S. Thomas 2. 2. q. 169. *art.* 2. vbi candidè fatetur, *Muliebrem cultum viros ad laſciuiam prouocare.* Quod effatum expendens Caietanus *ibidem*, *Quoniam ars*, inquit, *imitatur naturam, & mulier pulchra ſuapte natura eſt prouocatiua ad ſui concupiſcentiam; hinc fit, vt ornatus muliebris ſecundùm ſe ſit prouocatiuus ad concupiſcentiam, ſiue laſciuiam.* Eodemq́ue modo loquitur tum S. Antoninus *par.* 2. *tit.* 4. *cap.* 5. §. 8. tum Aſteſanus in *Summa par.* 1. *lib.* 2. *tit.* 54. *q.* 2. tum Ioannes de Friburgo *lib* 3. *Summæ, tit.* 34. *q.* 284. tum Paulus Layman *lib.* 2. *Theolog. tract.* 3. *cap.* 13. *n.* 11. §. 6. tum Nicolaus de Auſmo in *Supplemento Summæ Piſanellæ, Verbo, ornatus, quæſito* 2. & 3. tum Baptiſta Trouamala in *Summa Roſella, Verbo, eodem, quæſt.* 6. Sed fuſiſſimè omnium S. Bernardinus Senenſis *tom. 1. de Chriſtiana Religione, ſerm. 46. art. 2. cap. 2.* & Dionyſius Carthuſianus in opuſculo, cui titulus, *Directorium vitæ nobilium, articulo,* 13. tum alij communiter, quod vtinam veriſſimum eſſe experientia ipſa non conuinceret. Quocirca Tertullianus lib. *de cultu feminarum* ſapienter iam pridem mulieres ipſas ita præmonuit. *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus.* Quod tamen non ita ſeuerè accipiendum eſt, quaſi pulchritudo nullas penitùs amoris flammas, niſi impuras, excitet, ſed ab honeſtate ſemper alienet, atque ad flagitia ſemper impellat. Nam, vt diſertiſſimus Theologus animaduertit, fratres ſororem pulcherrimam vehementiùs propter ipſammet pulchritudinem diligunt; & parentes quoque filias, formoſiſſi-

Et Doctores tradūt.

Mulier ſuapte natura ad ſui concupi-

moſiſſi-

Tertiam incēdit. moſiſſimas ardentiùs amant quàm honeſtiſſimè, gratiorque omnino eſt pulchro veniens a corpore virtus. Cęterùm quia ex corruptela naturæ contingit vt plurimum, ac frequentiſſimè, vt viri feminarum pulchritudine ad libidinem incitentur, non eſt mirum, ſi quod moraliter accidit in vſu hominum, prædicti Doctores ad naturam retulerunt; lato modo loquendi aſſerentes, mulierem ſuapte natura ad ſui concupiſcentiam incendere, quanuis id reuera non fiat per ſe ſtrictè, ſed tantùm ordinariè, & moraliter, ſuppoſitâ vitiatâ naturâ, vt eruditiſſimè & locupletiſſimè Andreas Tiraquellus *in legem ſecundam connubialem Gloſſ. 1. par. 2. num. 6. 7. 8.* vſque ad 14. ex Poetis, ex Philoſophis, ex Patribus, & ex Iuriſperitis demonſtrat, nec non Carthuſianus *loc. cit.* ex Scriptura confirmat.

XCVII. *Multo autē vehementiùs, vbi ornatu ſupaddito vrit viros.* Porrò quum ſolâ mulierum inornatâ pulchritudine naturali ad libidinem viri, vt docet experientia, adeo inflammentur, quid facient, vbi nuda earum pulchritudo concinno valde ornatu ſuperaddito quaſi armata, noua tela, nouas faces, nouos ignes eiaculabitur? quàm acrioribus illi flammis proritari ſe vel inuiti ſentient? quàm ſæpe etiam vſtulati conſentient? Non eſt opus verbis: res ipſa loquitur. Idcirco S. Carolus Borromæus graſſante peſte Mediolani, publica vitia populi, præſertim hominum perditorum, qui ſacros feſtoſq; dies ludis, choreis, ac operibus ſeruilibus profanabant, valde increpans, ſupra cætera omnia veſtiũ luxum, & vana feminarum ornamenta, tanquam a Chriſtiana pietate longè abhorrentia, nec non infinitorum ſcandalorum, & peccatorum cauſſam, quæ Deum ad graues pœnas de iiſdem ſumendas haud ſemel mouent, ingerentia, vt Petrus Gluſſianus *lib. 4. Vitæ* *Ideoq; à S. Carolo van° ornatus valde reprehēſus.* Sancti Archiepiſcopi cap. 9. narrat, meritiſſimò deteſtabatur. Quin etiam idem Antiſtes ſanctiſſimus, quum fortè, Inzagi pagum viſitaret, ac feminam vanè cultam tum etiam eâ tempeſtate *ibidem* deprehendiſſet; ad eam verſus, o te miſeram, exclamat vir Dei, quæ de tua ſalute minimè cogitas; neſcia etiam, an vitam in diem craſtinum ſis productura! Et ecce, illa eadem infelix poſtridie eius diei repentinò extincta, vt idem Gluſſianus eodem loco teſtatur, reperta eſt.

At aio prætereà, immoderatũ valde ornatum mulierum, plurimos viros ad laſciuiam notabiliter prouocare. Probo breuiter, & efficaciter, quia huiuſmodi ornatus valde immoderatus plurimis viris probabile laſciuiæ periculum affert. Ergo eos ad laſciuiam notabiliter prouocat. Antecedens oſtendo I. quia probabile periculũ alicuius rei nihil eſt aliud, quam veriſimile periculum eiuſdem rei. Ne quis verò contendat notabile idem eſſe, ac moraliter certum, perperamq; hîc cum probabili confundi, primò obſeruo, periculum probabile neceſſariò eſſe graue: leue quippe non eſt probabile; graue autem eſſe neceſſariò notabile, quanuis non omne notabile, ſeu potiùs notabiliſſimum, quale eſt certum, ſit dumtaxat probabile. Deinde addo, certum eſſe, quicquid notabile eſt, non continuò certum eſſe. Nam certum eſt ad furtum mortale requiri in ſententia omniũ quantitatem notabilem: & pleriq; probabiliter cenſent eſſe duos Iulios, vel Reales. Ecce. Talis ſumma iuxta huiuſmodi opinionem eſt notabilis, & tamen non eſt moraliter certa, vt conſtat. Iam probabile, periculum, vt dixi, idem ac notabile, & veriſimile eſt. Sicut enim probabilis opinio eadem eſt, ac veriſimilis, atq; a demonſtra- XCVIII. *Immoderatus valde ornatus mulierũ plurimos viros ad laſciuiã notabiliter incitat. Quippe ijs pbabile libidinis periculum affert. Probabile, ac notabile idem.*

monſtratione ſcientiaq; hoc diſtat, quòd hæc veritate euidente gaudet; illa veritatis indicijs emicãtibus dumtaxat inſignita eſt; vnde æquè probabilis opinio ea eſt, quæ æquè veriſimilis, ſeu æqualia veritatis ſigna profert, magis, vel minùs probabilis, quæ maiora, vel minora eiuſdem veritatis argumenta pronit; vt ex ipſa terminorum explicatione conſtat planiſſimè: ita probabile, ſeu veriſimile periculum illud dicitur, quod alicuius rei euenturæ ſigna, & indicia prodit; magis, vel minùs probabile, ſeu veriſimile, quod maiora, vel minora exhibet, vt item ſatis patet. Porrò ſicut opinio probabilis ea eſt, *quæ rationi alicuius momenti innititur*, vt a Doctoribus apud Thomam Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 9. num. 6.* communiter definitur, & ego in mea *Opinionum moralium Trutina par. 1. cap. 4. copioſiſſimè doceo.* taliſq; ratio alicuius momenti ſignum veritatis, atq; indicium non leue cenſetur; ita ſigna atq; indicia rei euenturæ, quæ probabile, ſeu veriſimile periculum efficiunt, alicuius momenti, vt liquet ſine dubio eſſe debent. At enim, vbi aliquid poſitis quibuſdã circumſtantijs, accidit, non bis, aut ter, ſed frequenter; tum enimuerò id ſignum a Sapientibus graue, & magni momenti exiſtimatur, idem, poſitis iiſdem circumſtantijs euenturum. Docuit autem experientia, & teſtimonia allata confirmant, viros ex immodico valde feminarum ornatu frequenter in probabile laſciuię periculum incidiſſe. Ergo ex valde immoderato mulierum ornatu cultuque probabile laſciuiæ periculum plurimis viris affertur.

XCIX. *Vt fidẽ faciunt etiã Doctores.* II. Idem antecedens ex Doctorum quoque teſtimonio confirmatur, plurimos virorum indefinitè, a ſuperfluo feminarum ornatu, pulchritudini ipſarum natiuæ ſuperaddito, in laſciuiæ periculum veriſimile, ſeu probabile conijci; vt nullo negotio ſuadetur, quia Mulieres, vt fidem facit S. Bernardinus Senenſis *de Euangelio Dei ſerm. 47. art. 3. cap. 1.* licèt non mala intentione ſe ornent: *quum tamen ex hoc multarum animarum perditio ſubſequatur, qui tantorum malorum præſtat occaſionem, æterna morte dignus meritò reputatur.* Rurſumq; infra *cap. 2. ibid: Qua tamen via gratiam, & remiſſionem ſuorum peccaminũ poterunt obtinere, quum in Eccleſia ſuis laſciuijs, & vanitatibus perimunt iuuenum animas Chriſti ſanguine pretioſiſſimo redemptas?* Et Tomo 1. de Chriſtiana religione ſerm. 44. *art. 1. cap. 1. Diabolus*, inquit, *per vnam* (nempe feminam vanè ornatam) *cum vanitatum reti quaſi totam ad ſe ciuitatem trahit, ſicut de eo Iob 40. ſcriptum eſt:* Abſorbebit fluuium, & non mirabitur. Haud ſecus etiam S. Chryſoſtomus hom. 8. in 1. Timoth. 2. iam ſupra *cap. 6. §. 2. num. 16.* adductus, *Per exteriorem cultum*, ait, *& habitum plurimos poſt ſe trahunt amatorum greges: atq; hinc plurimæ peſſima ſæpius ſuſpicione non carent; nihilq; prorſus eiuſmodi lucrantur ornatu, imò & plurimis ex ea opinione nocuerunt.* Et paulò poſt: *Ita ne pudica quidem, ſi per habitum ſtudeat adulterij opinione notari, quicquam ex pudicitiæ opinione lucrata eſt. Plurimos enim & ipſa ex hac opinione violauit.* Concinit quoq; S. Antoninus *par. 2. Summ. Tit. 7. cap. 4. §. 3. Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, et cantus quid eſt, niſi magnum ſcandalum, & laqueus animarum.* Andreas Gelſominius Theologiæ profeſſor, & Studiorũ Regens ex S. Auguſtini Ordine in ſuo *Theſauro celeſti cap. 12.* Femina ſpecioſe phalerata, pretioſiſq; veſtibus, tum fucis ſordidis, ac adulterinis cincinnis inſtructa, in publicum procedens, vexillum eſt, quo Dæmon plures in ſua caſtra traducit: offendiculum

ruinæ

ruinæ eſt, & petra ſcandali mille infelicibus, ac miſeris; lues, & peſtis eſt, quę totum Orbem inficit, occaſionem præbens, vt multi, atque innumerabiles viri ad peccatum, & praua deſideria proritati labantur, æternisque ſupplicijs, vt inquit Sapiens, idcirco addicantur. Nicolaus Cauſſinus in libro, quem *Imperium rationis in paſſiones* inſcripſit, *diuiſ.* 8. *tract.* 1. Miſeremini, ait, tam numeroſæ multitudinis, quæ præceps ruit. Præterea, *Mulieribus ſuperfluè ſe ornantibus luce meridiana clariùs patet*, vt Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *num.* 17. diſertè teſtatur, *fore, vt ob id a pleriſque iuuenibus turpiter amentur*. Nec minùs rotundè Ferdinandus a Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *punc.* 7. *num.* 1. aſſeuerat *tot mulieres eſſe ita ſe ſuperfluè ornantes, vt vix de nulla affirmari poſſit grauem occaſionem peccandi tribuere*: hoc eſt (vt ex æquipollentium regula perſpectum eſt) vix eſt aliqua mulier ita ſe ſuperfluè ornans, vt de ea affirmari non poſſit, eam tribuere grauem peccandi occaſionem. Ideſt, ferè omnes tales mulieres ita ſe ſuperfluè ornantes grauem peccandi occaſionem tribuunt.

C. Dices I. cum doctiſſimo viro allatam æquipollentiam propoſitionis Caſtri Palai eſſe adulterinam; genuinam autem eſſe hanc. *Tot eſſe mulieres ſe ſuperfluè ornantes, vt vix dici poſſit inter tot nullam eſſe, quæ grauem peccandi occaſionem tribuat*. At contra eſt, quia huiuſmodi expoſitio menti, & verbis Palai repugnat, probatque oppoſitum prorſus eius, quod ipſe intendit. Negat quippe ille peccare mortaliter ornantes ſe ſuperfluè, probatq; ex abſurdo, quia alioqui omnes ferè mulieres mortaliter peccarent, ſiquidem ferè omnes præbent delinquendi occaſionem: hoc autem abſurdum nullum eſſet, ſi vix vna præberet. Si non adeſſet particula *vix*, tum ſenſus poſterior procederet, *nullam ferè eſſe, quæ grauem occaſionem præbeat*. Ea verò particula *vix* addita, copioſum numerum neceſſariò indicat. Ad hæc. Si Palao diceret: *tot eſſe ſuperfluè ſe ornantes, vt vix de vlla affirmari poſſit, grauem occaſionem peccandi tribuere*: tum ſanè legitima foret poſterior æquipollentia paulò ante recitata. Ergo quum dicat, *vt vix de nulla*, oppoſitum gignit ſenſum: Ne quis verò fortaſse mendum Typographi hîc cauſsetur, & *nulla* pro *vlla* editum contendat: obſtat I. quod manifeſtè falſam propoſitionem enũtiaret, quum euidens ſit apud cunctos Doctores, quos §. 4. & 5. recenſui, plures feminas ſuperfluè ſe ornantes eſſe, vt meritò de illis affirmari queat, grauem peccandi occaſionem ab iiſdem præberi; ac proinde euidenter falſum eſt, vix vllam eſſe, de qua id iure affirmari poſſit. Obſtat II. quia, quum Ferdinandus a Palao pro ſua ſententia referat Thomam Sanchez eo *num.* 17. *cit.* infauſto prorſus euentu, & ridiculè hunc referret, quum is planiſſimè ſcribat, vt vidimus, mulieribus ſuperfluè ornatis luce meridiana clariùs patere, *fore vt ob id a pleriſque iuuenibus turpiter amentur*.

Dices II. fruſtra hîc auctoritatem Sanchez, & Palai referri, quum vterque doceat *ibidem* mulieres ita ſuperfluè ornatas, licèt ſciant a pleriſque ideo ſe turpiter appetendas, non tamen peccare mortaliter, dummodo id non intendant. Sed contra eſt I. quia hîc nondum quæro de grauitate culpæ, ſed de multitudine plurimorum, qui ex nimio earum ornatu in lethalia deſideria labantur; quæ multitudo ſatis conuincitur ex perſpicuis verbis ipſorum. Quod ſi ita ipſi non CI.

cohæ-

cohærerent ſibi, viderint illi. Contra II. quia adhuc rectè ſibi illi coherent, quia non loquuntur de graui & proxima occaſione lethiferè peccandi alijs hîc & nunc ſuppeditatâ, & determinatâ, quæ ſi abſque cauſſa iuſta ſuppeditaretur, eſſet planè mortalis in omnium ſententia, etiam ipſorum: ac proinde, ſi negarent ornatum valde ſuperfluum, qui talem occaſionem hîc, & nunc exhibet, eſſe mortalem, ſibimet apertè contradicerent, quod de viris doctis, qui aliter in cõmodo ſenſu explicari poſſunt, minimè cenſendum. Quocirca, etſi ij Doctores concedunt ab ornatis feminis grauem peccandi mortaliter occaſionem præberi, negant tamen eas ideo tali culpa obſtringi, quia nimirum illæ plerunque non animaduertunt dari a ſe hîc, & nunc determinatam occaſionem proximam, non ſolùm vlli indiuiduo particulari noto, vt Titio, ſed nec vlli etiam indefinito, & vago; ac propterea huiuſmodi occaſiones ex nimio ornatu, licèt reuera ſint graues, & proximæ; tamen quia hîc, & nunc ignorantur, reſpectu mulierum eas vt tales minimè animaduertentium pro remotis habentur ab ijſdem Doctoribus; Vnde meritò etiám ab ijſdem a mortali mulieres ipſæ excuſantur, vt ſupra §. 2. *num.* 19. tradidi. Præterquam quòd ijdem Doctores poſſunt etiam eaſdem mulieres a lethali eximere, licèt eę agnoſcant hîc, & nunc determinatam occaſionem grauiter labendi ex ſuo ornatu alijs afferri, quia tum, quanquam ex ornatu, & ex natiua pulchritudine prouocatio ad malum notabilis, & proxima occaſio delinquendi oriatur, præciſè tamen ex ipſo ornatu nonniſi leuis prouocatio, leuiſq; occaſio exiſtit ſubinde, adeoq; nec ſub mortali ſemper vitanda, vt probaui *cap.* 6. §. 1. *num.* 3. & *ſeqq.*

CII. *Et ratione euincit.* III. Idem Antecedens probatur, quia primò certum eſt, vnum ſaltem in probabile laſciuię periculum ab aliqua muliere ob ſuperfluum valde ornatum, conijci, quod nemo negat, neque iure negare poteſt. At æquè certum moraliter eſt, hoc periculum, replicatis ijſdem circumſtantijs frequenter, frequenter etiam contingere. Ergo iam habetur frequentia repetiti actus, quæ morale, ſeu probabile, aut veriſimile periculum reſpectu vnius conflat. Deinde, moraliter quoque certum eſt, hoc ipſum periculum creari ab eadem muliere ſic ornata, & plurimis alijs viris paris diſpoſitionis: atque adeo vna mulier ita compta affert plurimis indefinitè probabile laſciuiæ periculum; vnde conſtat frequentia actuum reſpectu plurimorum indeterminatè. Denique, quod ex ornatu talis mulieris in tali iuuene v. g. frequenter accidit, vt turpiter illam amet, de ſe aptum natumque eſt, vt ex ornatu etiam omnium aliarum mulierum eiuſdem conditionis in cunctis alijs iuuenibus eiuſdem pariter conditionis frequenter quoq; contingat, vt eas turpiter amẽt, vt moraliter etiam euidens, certumque eſt. Vnde habetur alia maior frequentia repetiti periculi reſpectu plurimorum indefinitè. Ergo verè tales mulieres ſuperfluo ſuo ornatu plurimos indefinitè in probabile, ac veriſimile laſciuiæ periculum conijciunt.

CIII. *Et ex Scriptura roboratur.* IV. Idem Antecedens ampliùs roboratur, quia etſi iuuenes, ac viri vnâ dumtaxat muliere immodicè valdè ornatâ laceſſiti, tentationem faciliùs ſuperare poſſunt, & fortaſſe non plurimi ei ſuccumbent (ponamus enim ita euenire) at omnium penè mulierum, vel certè plurimarum eodem immodico luxu vtentium multitudine, ac turbâ oppugnati, tentatique in

grauiſſimas libidinis tentationes, & pericula præcipitantur, præ quibus quam plurimos ruere, certiſsimum moraliter eſt. Vnde *Eccleſiaſtici 9.* denuntiatur ſeriò: *Auerte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam.* Quid ni? quia *propter ſpeciem mulieris* (ita videlicet cōptæ) *multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Ergo æquè etiam certum eſt, plurimos viros indefinitè a feminis ſic ornatis in veriſimile, & probabile laſciuiæ periculum conijci, quod eſt illud Antecedens enthymematis *num. 98.* propoſiti, perſpicuè ſatis oſtenſum.

CIV. *Plurimi a ſuperfluo mulierũ ornatu ad libidinẽ valde prouocātur.* Nunc eiuſdem enthymematis conſequentiam *ibidem* indicatam probo, plurimos videlicet a ſuperfluo mulierum ornatu ad laſciuiam notabiliter prouocari; quia notabilis prouocatio ad laſciuiam in hoc a leui prouocatione differt, quòd hæc, præciſis cæteris adiunctis, ad gignendum effectum de ſe non ſufficit, illa maximè. Sicut etiā vnus gradus caloris v. g. dicitur leuis diſpoſitio ignis, quia inhabilis igni excitando; contra verò octo gradus caloris, notabilis, & ſufficiens diſpoſitio ad ignem introducendum. Quanquā cauſa libera, hoc eſt voluntas, poſitâ etiam eâdem diſpoſitione, ſemper diſſentire poteſt, vt compertum eſt. At probabile periculum laſciuiæ, quod ab immoderato feminarum ornatu plurimis affertur, vt patefeci, ſufficit omnino, vt plurimi eo ſolicitati, in laſciuiæ peccatum reipſa labantur. Ergo immodicus mulierum ornatus plurimos ad libidinem notabiliter prouocat. Maior, & Minor iam ſunt probatæ. Conſequentiam oſtendo I. Quia notabilis prouocatio ad Venerem eadem planè eſt, ac probabile periculum Veneris: idcirco enim dicitur notabilis, quia & ipſa ſatis eſt, vt plurimi ea inuitati cadant; ſicut leuis, præ qua nemo communiter labitur, vt de periculo probabili, ſeu graui, & leui dictum eſt. At immodicus mulierum ornatus affert plurimis viris, vt docui, probabile Veneris periculum. Ergo notabiliter eoſdem etiam ad Venerem prouocat. II. quia ſi quis in quocumque caſu neget notabilem laſciuiæ prouocationem interuenire, negabunt quoque Doctores omnes, & ratio ipſa manifeſta, exiſtere in eo vllum veriſimile, aut probabile periculum laſciuiæ, ſed leue tantummodo eſſe contendēt. Ergo, dum probabile periculum adhuc in eo agnoſcunt, hoc idem planè eſt, ac notabilis prouocatio ad laſciuiam. Ergo quum immodicus mulierū ornatus probabile laſciuiæ periculum plurimis ingerat, ingerit quoq; iiſdē & notabilē prouocationem ad laſciuiā, vt clarum eſt. Vnde ſapienter Paulus Layman *lib. 2. Theol. tract. 3. cap. 13. n. 11. circumſt. 3.* obſeruat, traditque, *negari non poſſe, quin corporis cultus luxuriæ etiam incitamentum eſſe ſoleat, quare diſſuaderi debere, præſertim adoleſcentibus, quia ea re emolliuntur, & effeminantur, & a bonis artibus, ac virtutibus retrahuntur, vt non rarò exinde periculum mortalis peccati immineat.*

CV. *Adeoq; in extremā quoque peccādi lethaliter occaſionē conijciuntur.* Ex his euidenter infero probationem illius Minoris ſupra *num. 90.* defixæ, nempe proximam delinquendi mortaliter occaſionem viris ab immodico mulierum ornatu notabiliter ad libidinem incitante præberi: quia proxima occaſio delinquendi mortiferè ea quoque ex conſenſu Doctorum omnium eſt, in qua homines poſiti, frequenter peccant lethaliter, vt *cap. 5. §. 10.* demonſtraui. Sed vbi interuenit frequentia peccandi mortaliter, ibi neceſſariò adeſt etiam periculum probabile peccandi mortaliter, quum id ex ea neceſſariò generetur, vt conſtat.

ſtat. Ergo, quum demonſtrarim, probabile laſciuiæ periculum, notabilemque prouocationem ad libidinem a ſuperfluo valde ornatu mulierum gigni; demonſtratum eâdem operâ etiā a me eſt, occaſionem proximam laſciuiæ, ſeu peccandi mortiferè ab eodem ſuperfluo mulierum ornatu alijs præberi.

CVI. *Seu definitè, ſeu indefinitè.* Siue autem talis occaſio proxima ſit reſpectu alicuius perſonæ particularis, ſiue reſpectu alicuius indefinitæ, nihil refert quod ad rationem occaſionis proximæ conſtituendam, & ad culpam, ſi ea non vitetur, incurrendā attinet; dummodo occaſio quantum ad locum, & tempus ſit æquè determinata, & par notitia æqualis periculi in vtroque caſu habeatur, vt abunde oſtendi *cap.* 5. §. 3. & 13. nec non *cap.* 7. §. 2. explicaui: adeoque quod ad hanc circumſtantiam ſpectat periculi alicui, vel pluribus indeterminatè ſolùm allati, nihil prorſus addendum ſupereſt.

CVII. *Et quidē ſine legitima cauſſa.* Porrò huiuſmodi proximam delinquendi lethaliter occaſionem ſine legitima cauſſa a ſuperfluo mulierum ornatu alijs præberi, conuincitur facilè ex eo, quia commodè talem ornatū ipſæ poſſunt omittere, & tamen minimè omittunt, vt pluribus infra §. 12. docebo. Ergo eædem mulieres; quoties a tali ſuo immodico ornatu probabile mortalis culpæ periculum, in occaſione determinata alicui, etiam indeterminato præberi cernunt, nec tamen eo ornatu abſtinent, vt facilè poſſent; etſi directè ruinam eius minimè intendant; toties peccant mortaliter. Quæ erat aſſertio probanda.

CVIII. *Confirmaturq.* Et confirmo, quia prouocare alterum notabiliter ad peccatum mortale, mortalis item culpa eſt, vt patet ex terminis, & ex diſputatis hîc deducitur apertè. At mulieres immodico ornatu ad mortalem laſciuiam complures notabiliter prouocant, vt hic pariter reuici. Ergo peccant mortaliter.

CIX. *Nec verò eſt, quū ex moderato ornatu quis ad malū īcitatur.* Neque obſtat, quòd notabilis prouocatio ad malum, & probabile periculum libidinis ab ornatu etiam moderato gignatur. Quicquid enim de hoc ſit: diſpar ratio in promptu eſt, quia ius eſt mulieri gerendi moderatum ornatum, non verò eſt ius gerendi imoderatum; neque eo ſemper carere, abſque graui incommodo poteſt, vt ſatis *cap.* 6. §. 1. vidimus; hunc autem perpetuò amittere abſq; incommodo, communiter, & plerunque poteſt.

§. IX. *Eadem ratio occaſionis proximæ a ſuperfluo ornatu alteri data magis vrgetur.*

CX. *Impugnaē allata ratio.* Erit fortaſſe nonnemo, qui explicatam paulò ante rationem eleuare ſtudens, etſi concedet habitum notabiliter prouocatiuum libidinis, eſſe mortaliter ſcandaloſum; negabit tamen ſatis probatum eſſe, dari ornamenta artificioſa notabiliter, atq; vniuerſè ita prouocantia. Quod enim libidinis prouocatiuum eſt, dicit influxum moralem in ruinam proximi. Vt autem talis influxus moralis ſit notabilis vniuerſaliter, debet eſſe reſpectu plurium. At in communi hominum æſtimatione, ad quam in iudicijs experimentalibus recurrendum eſt, non cenſentur plures cadere propter ornamenta artificioſa, attenta occaſionum multiplicitate: Ergo talia ornamenta non ſunt lethalia.

CXI. *Sed defēditur.* Verùm expoſitam ante rationem eſſe omnino ſolidam, tergiuerſationē verò allatam planè nullam, facilè nunc vincam. Fateor equidem libenter in iudicijs experimentalibus communē ho-

hominum non ſanè quorumcunq; ſed peritorũ, ac prudentũ maximè, æſtimationẽ eſſe attendendam. Sed peto, vnde nã cõmunis hominũ prudentũ hæc æſtimatio colligẽda ſit? vnde exprimẽda? vnde deriuãda? nõ certè ex voluntaria imaginatione, nõ ex Metaphyſica ſubtilitate, non ex Geometrica demonſtratione, non ex affirmandi, negandiue lubentia, non denique ex altercandi, ingenioliq́ue oſtentandi cupiditate, vt exploratum eſt, ſed ex moralibus argumentis, teſtimonijs, documentis, ac rationibus, vt extra controuerſiam penitùs eſt. Cum illis quippe, qui contentionis, & iurgij, quàm ſimplicis, & non fucatæ veritatis ſunt auidiores, tricaſq́ue de induſtria ſerere amant, nihil mihi negotij eſſe neque hîc, neque alibi, palàm denuntio. Qua denuntiatione præmiſſa.

CXII. *Vt patet ex dictis.* Aio I. huiuſmodi difficultatem præſenti aſſertioni obijci ab illo, iure non poſſe, qui rationes morales firmas, & ſolidas §. 8. *num.* 91. vſque ad 110. antea productas, quibus probaui, pluximos viros ab immodico valde ornatu mulierum notabiliter prouocari, ſedulò legerit, ac ſepoſito quouis litis affectu, ſincerè expenderit. Ijs verò rationibus legitimam ſolutionem vbi ego redditam videro, tum minùs validas agnoſcam. Interea autem ijſdem vrgentibus potiùs, quàm voluntariæ tantùm inficiationi, iure meo aſſentior.

CXIII. *Influxus moralis plurium quò ſit vniuerſè prouocatiuus valde, non requiritũ reſpectu prouocã-tium.* Aio II. quod in obiectione innuitur, influxum moralem debere eſſe non tantùm reſpectu paucorum, ſed plurium, magnâ ad æquiuocationem tollendam explicatione indigere. Nam hæc plurium multitudo ad moralem influxum per te requiſita, aut intelligitur de ipſis prouocantibus ad malum, aut de prouocatis. Si de ipſis prouocantibus, nihil obeſt meæ aſſertioni, quæ non tradit eſſe plures, vel paucas feminas, habitu notabiliter prouocante ad libidinem vtentes, ſed quotquot illæ ſint, ſiue paucæ, ſiue plurimæ, ita immodicè ornatæ, cunctas lethaliter delinquere. Occaſio enim proxima peccandi grauiter, non fit, aut deſinit eſſe proxima ex eo, quòd plures, vel pauci probabili periculo delinquendi lethiferè ſe ipſos, vel alios ſine iuſta cauſſa exponant. Tam quippe Titius v.g. ex frequẽti aſpectu, & colloquio cum Lucretia in occaſionem proximã oſculi Venerei incidit, ſi nullus alius virorũ feminam vllã aſpiciat, neq; eam alloquatur, quàm ſi omnes aſpiciant cunctas, & alloquantur, vt perſpicuũ eſt. Confirmatur validè ex definitione ipſa occaſionis proximæ c. 5. §. 10. expenſa, in qua occaſio proxima dicitur & cenſetur eſſe, non ſolùm, quę ex ſuo genere talis eſt, vt frequẽter inducat homines ſimilis cõditionis ad tale peccatũ: ſed illa quoq; quam habere in hoc homine talem effectum experimento conſtat. Vnde liquet, ad occaſionem proximam ſibi, vel alteri præbendam, vel vnicum hominem, vbi ſufficiens experimentum præceſſit, ſatis eſſe. Ergo vtcumque paucę ſint, vel pauciſſimæ (vtinamque nullæ penitùs) quæ immodicum valdè ornatum notabiliter irritantem ad malum geſtant, non deſinunt propterea dare alijs proximam ruinæ occaſionem. Quare ſi contentio ad ſolam quæſtionem de facto ex parte mulierum paucorum, aut plurium nimio cultu luxuriantium redigatur, ſublata eſt omnis controuerſia. Quippe ſi paucæ gerent tam immoderatum ornatum, paucæ huiuſmodi illicio ad luxuriam notabiliter prouocabunt; ſin autem ferent plurimæ, plurimæ quoque notabiliter prouocabunt, vt pla-

num

num eſt; quemadmodum etiam, ſi paucæ clam cum viris formoſis, & intemperantibus loquantur, paucæque oculos ijs adijciant, paucæ quoque in periculum obſcoenitatis incident; contra verò ſi plurimæ colloquantur, oculoſque adijciant, plurimæ etiam labentur, vt perſpectum eſt.

CXIV. *Neq; reſpectu prouocatorum.* Quod ſi non de prouocantibus, ſed de ipſis prouocatis ſermo ſit, neque ex his plures ad proximam occaſionem conſtituendam neceſſariò requiruntur, ſed ex eiuſdem definitione compertum eſt proximo delinquendi periculo illos quoque exponi, non ſolùm, quum occaſio ipſa ex ſuo genere talis eſt, vt frequenter inducat homines talis cõditionis ad tale peccatum, ſed etiam quando experimento conſtat, in hoc homine talem effectum habere; atque adeo vnicum quoque hominem præuio experimento edoctum ſimili occaſioni proximæ cenſendæ ſatis eſſe. Nam ſi Titius experimento didicit, ſe a colloquio Lucretiæ vix vnquam ſine peccato mortali diſcedere, aut ſaltem frequenter in eo ita delinquere, iam in occaſione proxima, loquens cum ea, verſatur, etiamſi nullus alius hominum huiuſmodi periculum fuiſſet vnquam expertus, vt manifeſtum eſt. Vnde efficitur, eas quoque mulieres, quæ non ignorant, aliquem ex ſuo immodico valde ornatu in mortalem concupiſcentiam frequenter incidiſſe, etſi is indefinitè tantùm cognitus ſit ex relatione incorrupti teſtis, reuera præbere tali viro indefinitè cognito occaſionem proximam peccandi mortaliter; ac proinde, ſi id ſine iuſta cauſſa faciant, lethaliter pariter delinquere iuxta communem doctrinam ſæpius inculcatam.

CXV. *In ornatu feminarum immodico adeſt frequentia repetiti act' valde prouocãtis reſpectu etiã plurium indefinitè.* Aio III. in feminarum immodico cultu adeſſe frequẽtiam repetiti actus ad libidinem notabiliter prouocantis non ſolùm reſpectu alicuius ſingularis prouocati, qui eam frequentiam expertus ſit, ſed reſpectu etiam plurium indefinitè, quibus idem acciderit. Quod etſi ſupra *num.* 98. & ſeqq. demonſtraui; lubet tamen hîc alijs quoque documentis confirmare. Sic verò ratiocinor. Ornatus mulierum valde immodicus vel nihil omnino ad laſciuiam prouocat, vel prouocat tantùm leuiter, & nunquam notabiliter, vel prouocat aliquando leuiter, aliquando notabiliter. Primum eſt omnino improbabile, quumq; omni etiam fundamento careat, planè temerarium contra omnes Patres, & Doctores, qui talem ornatum ad libidinem prouocare diſertè affirmant, vt ex eorum teſtimonijs toto hoc *cap.* 7. recitatis indubitatum eſt, conuincitque ipſa quoque cotidiana experientia, quam nemo, niſi ſtipes, iure negare poteſt. Secundum etiam caret omni probabilitate, quia nullus prorſus Doctorum ait, nunquam ab immoderato valde ornatu prouocari notabiliter ad laſciuiam, plurimi autem Doctores, quos a *num.* 32. vſque ad 75. produxi, id neceſſariò ſupponunt, dum talem ornatum prouocatiuum, mortalis culpæ damnant, neque prudenter ab vllo tam imperiti, atque inepti exiſtimari poſſunt, vt ornatum leuiter etiam tantummodo ad malum prouocantem graui adeo ſcelere obſtrictum cenſuerint; ac proinde notabiliter tantùm prouocantem lethali peccato obnoxium manifeſtò arbitrantur. At quoties de iudicijs experimentalibus lis eſt, tota deciſio a communi hominum prudentum æſtimatione petenda eſt, per te etiam. In hoc verò caſu, in quo de experimentali facto, & iudicio quæritur, an ornatus mulierum valde immodicus aliquando ad libidinem notabiliter prouocet, nemo Docto-

rum

tum id negat, & plurimi neceſſariò aſſeuerant. Ergo ex communi prudentum æſtimatione certum eſt, dari aliquem ornatum mulierum, qui ad libidinem notabiliter interdum prouocat. Confirmatur I. quia vbi opinio a mera hominum æſtimatione pendet, iudicium vnius Doctoris ſingulatis, oppoſitum iudicijs aliorum omnium Doctorum paris omnino auctoritatis, & doctrinæ, prudentiæ, ac probitatis, communem ſententiam propugnantium conſenſu mutuo, eſt omnino improbabile, vt in mea *Trutina opinionum moralium, par. 1. cap.* 8. demonſtro. Hîc verò deciſio, an ornatus immodicus notabiliter aliquando prouocet ad malum, etſi a natura ipſius ornatus ita allicientis reipsâ petenda eſt, nihilominùs quia nobis ea, quod attinet ad alliciendi præciſam menſuram, incomperta eſt, quantum ad notitiam tota ab humana æſtimatione pendet, vt liquet; communis autem æſtimatio, & ſententia hominum prudentum, nempe Doctorum iudicat prouocationem talis ornatus ad malum aliquando eſſe notabilem, & nemo e cõtrario id negat, & etiamſi vnus tantùm negaret, improbabiliter prorſus a cæteris diſſentiret. Ergo quum nullus omnino diſſentiat, extra controuerſiam eſt, dari aliquem mulierum ornatum artificioſum valde immodicum, de quo ſolo præſens diſputatio eſt, qui notabiliter interdum ad laſciuiam prouocat.

CXVI. Plures indefinitè ad libidinem valde incitari ex mulierũ ſuperfluo ornatu.

Confirmatur II. quia non ſolùm nemo ex Doctoribus tale experimentum notabilis prouocationis ex nimio ornatu ad libidinem negat, vt dixi, ſed plerique etiam ex illis, qui leuis dumtaxat prouocationis aſſertores videri poſſunt, quos ſupra §. 1. *num.* 3. vſque ad 10. retuli, id non obſcurè fatentur. Quod vt reuincam, ſuppono I. tanquam moraliter certum, Doctorum opiniones, dicta, & teſtimonia, quum dubia ſunt, aut in controuerſiam vocantur, ita eſſe interpretanda, vt ſenſus falſus, atque abſurdus, niſi is certò euincatur, ſemper vitetur. Sicut enim vnuſquiſque præſumitur bonus, niſi probetur malus, vt omnia iura ſanciunt; ita quoq; Doctor quilibet, qui editis monumentis doctrinæ famam, atque auctoritatem ſibi comparauit, præſumitur in ſuis ſententijs non abſurdè, ſed rationabiliter procedere, donec contrarium non oſtenditur. Suppono II. tanquam æquè certum, quod a te quoque, qui in obiectione *num.* 110. expoſitâ ſtatuis, veriſſimum eſſe, quòd habitus notabiliter prouocatiuus ad actus Venereos, ſit mortaliter ſcandaloſus, neceſſariò concedendum eſt; ſenſum eſſe perabſurdum, abſonamque ſententiam tam eius, qui muliebrem ornatum immodicum leuiter tantùm prouocantem ad libidinem, culpæ mortalis damnat; quàm illius, qui notabiliter prouocantem culpæ mortalis abſoluit. Quibus poſitis,

CXVII. Docet Fumus.

Bartholomæus Fumus, quem *num.* 5. citaui, *in Summa, verbo, ornatus, num.* 3. ita ſcribit: *Aliqui dicunt, quòd licèt mulier non intendat ruinam alicuius ex ſuo ornatu, tamen, quum aduertit, quòd aliqui prouocantur ex hoc, non debet ſe illis offerre, & quoties ſe offert, mortaliter peccat*; quam doctrinam etſi ipſemet Fumus negat, non tamen negat, quia non detur notabilis prouocatio ornatus immodici ad libidinem, ſed quia ipſe non agnoſcit notabilem exceſſum ornatus, ſed vanam tantùm, leuemque ſupefluitatem: præſertim, quia ibidem *num.* 1. §. 4. poſſe eſſe *ita inhoneſtũ* apertè teſtatur, *quòd ex eo perſonæ ſcandalizarentur, & eſſet mortale, quia daretur alijs materia ſcãdali,*

dali, vbi inhoneſtum habitum, ornatumque eum ſine dubio vocat, qui notabiliter ad Venerem prouocat, ſeu, quod idem eſt, dat alijs materiam ſcãdali, vt ipſe explicat, nempe mortalis; neque enim hoc nomine hîc eum intelligit, qui verenda detegit, aut pellucido tantùm velo ea tegit, quum talis habitus obſcœniſſimi nullum ibi verbum, nullum indicium ſit, & ne impudentiſſimis quidem, ac turpiſſimis meretricum in vſu ſit.

CXVIII. *Et Leſſius.* Leſſius quoque ſupra *n* 6. adductus, ſtatuit *non ex eo cenſeri ornatum ſcandaloſum, quòd multi occaſione illius putentur ad praua deſideria prouocandi*, quẽ ideo a mortali excuſat, quia talis *ornatus ſolùm remotè ad malum prouocat*, vt infra §. 15. expendam. Vbi is Doctor euidenter concedit, ab ornatu mulierum ſuperfluo multos ad praua deſideria prouocari, ne dum vnum dumtaxat. En hîc influxum moralem ornatus feminei in ruinam nõ vnius proximi tantùm, ſed multorum etiam, quanquam a mortali exemptum, quia remotè ſolùm prouocet. Hinc ego ſic diſputo. Ruinam multorum, qui de facto occaſione ornatus muliebris peccent lèthaliter, non diffitetur Leſſius. Quæro, an is ornatus, qui remotè dicitur prouocare, notabiliter, vel leuiter prouocet? Si notabiliter: ergo abſurdè inficiatur Leſſius eſſe mortalem, quod de tam docto viro minimè præſumendum. Ergo ſupponit, leuiter prouocare. nempe quia exceſſus ornamentorum leuis eſt, adeoq; & grauis culpæ expers eſt, vt cap. 6. num. 3. & ſeqq. explicaui. Ergo ſi leuis exceſſus ornamentorũ leuiter ad libidinem prouocat, notabilis exceſſus notabiliter prouocabit. Ergo Leſſius, qui a leui exceſſu leuiter prouocari multos ad praua deſideria cõcedit, a notabili exceſſu notabiliter multos prouocari concedet, neq; tergiuerſari poteſt.

Confirmatur I. quia ſicut ipſâ pulchritudine naturali plures ad libidinem incitantur, ita & moderato ornatu artificioſo, quanquam licito & honeſto pleriq; ad eandem libidinem accenduntur, ſaltem leuiter; Cui ornatui ſi leuis ornamentorum exceſſus addatur, multo magis ille prouocabit. Ergo ſi notabilis excœſſus addatur, notabiliter prouocabit. Antecedens quod ad vtramq; partem conſtat ex cap. 6. num. 1. & cap. 7. num. 115. Conſequentiam probo, quia in omni materia morali, quæ habet latitudinem, conſtatq; ex multis particulis moraliter vnitis, cuiusq; præceptum obligat ex ſua natura ad mortale, addendo particulas particulis, haſq; ſemper replicando, peruenitur tandem ad notabilem, & lethalem exceſſum, vt patet in furto, ex ſe ad mortale adſtringente, in quo vnus obolus, geminatus & replicatus ſæpius per additionem noui & noui oboli, excreſcit in aureum, & maiorem ſummam, vtiq; mortiferam. At ornatus leuiter ad laſciuiam prouocans ita ſe habet, quia ſicuti augetur obolus obolo, donec in aureum tranſit; ita leuis prouocatio ex leui ornatus exceſſu manans, alio leui exceſſu addito & replicato ſæpius augetur magis, tandemq; in notabilem prouocationem migrat, vt clarum eſt, & prouocare ad libidinem non ſuam eſt mortale ex ſuo genere, vt etiam patet. ergo &c. Confirmatur II. ex doctrina Suarez *Tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. cap. 3. n.* 10. vbi, quum ex communi ſententia docuiſſet cum cta: Sacerdotis peccata mortalia nõ continere ſpecialem malitiam lethalem ſacrilegij contra perſonam ſacram; ſubdit poſtea, ne venialem quidem ſacrilegij huiuſmodi malitiam eſſe concedendam, quod nonnullis placuit.

CXIX. *Et ratio conuincit.*

Quippe

Quippe ſi ſemel venialis in his malitia ſacrilegij concedatur; poſſe conſecrationem perſonæ ſacræ, & fœditatem peccati mortalis ab ea commiſſi adeo excreſcere, vt venialis ſacrilegij malitia tranſeat in mortalem. Ergo quum in exceſſu ornatus muliebris etiam modico leuis ad libidinē prouocatio concedatur ab omnibus, & a nullo negari poſſit; addito ornatus immodici exceſſu maiori & maiori, tandem notabilis prouocatio ex eo gignetur; quod nemo probabiliter inficiari poteſt. Quæ ſanè ratiocinatio vrget maximè non ſolum Leſſium, ſed etiam cunctos planè Doctores, qui, vt *num.* 115. oſtendi, fateri coguntur, ab ornatu immoderato prouocari ſaltem leuiter ad laſciuiam. Ergo ſi alius & alius exceſſus ornamentorum addatur, notabilis tandem ad libidinem prouocatio ex eiuſmodi ornamentis in omnium Doctorum ſententia neceſſariò extabit. Vnde non tantùm liquet dari aliquem exceſſum ornatus artificioſum, ac notabilem, qui notabiliter interdum ad laſciuiam prouocet, vt *num.* 115. probaui, ſed etiam qui multos tum ex mente, & verbis Leſſi, tum ex cunctorum Doctorum iudicio notabiliter quoque prouocet. Et quidem quod ad Leſſium ſpectat, concedi ab ipſo ornatum mortaliter ſcandaloſum, ac proinde notabiliter ad Venereos actus prouocatiuum ex eiuſdem verbis eodem *num.* 6. relatis perſpicuum eſt, vbi ait delinquere feminam mortaliter *affectu ornatus, ſi proximi ſalutem nihili pendat, non curans, an ſcandalizetur, an non.*

CXX. *Et Auctores ſanciūt,* Thomas Sanchez quoque §. 1. *num.* 8. ſupra allatus teſtificatur *luce meridiana clariùs mulieribus patere, fore vt ob ſuperfluum ſuum ornatum a plerisque iuuenibus turpiter amentur.* Haud ſecus & Ferdinandus a Palao ibidem recitatus, vix vllam eſſe mulierem ita ſuperfluè ſe ornantem, de qua affirmari non poſſit, grauem occaſionem peccandi tribuere. Similia ferè habet & Layman ſupra §. 8. *num.* 104. productus, articulatè docens, *corporis cultum luxuriæ incitamentum eſſe ſolere, & non rarò periculum mortalis peccati inde imminere.* Quos ego Auctores, qui leuem ex ornatu nimio prouocationem ad libidinem palàm agnoſcunt, & notabilem aliquando exiſtere nequeunt iure inficiari, quin etiam non obſcurè innuunt; repetitâ ſuperiore interrogatione, & ratiocinatione breuiter aggredior. Ornatus ſuperfluus per vos prouocat ſaltem leuiter ad laſciuiam pleroſque iuuenes &c. Ergo additus alius exceſſus ornamentorū, ac ſæpius replicatus notabilem gignet, prouocationem, etiam reſpectu plurium. Ergo quum negatis talem ornatum, licèt inde plerique grauiter peccaturi præuideantur, eſſe mortalē, neceſſariò ſupponitis leuem tãtùm ex eo eſſe prouocationē, alioqui ſi notabilem putaretis, abſurdè venialem crederetis. Ergo ſi leui ornatus exceſſui leuem prouocationem parienti addatur alius, & alius ſimilis exceſſus, inficiari non poteſtis, quin notabilis ad libidinem prouocatio inde conflетur, etiam reſpectu plurium.

CXXI. *Vt planiſſimè reuincit.* Confirmatur III. principaliter, quia nullus Doctorum negat nimio feminarum ornatu plures viros ad libidinē vehementer prouocari, vt perſpectum eſt; plurimi verò Doctores, & Patres id neceſſariò ſupponunt. Ergo ex tot Doctorum, & Patrum teſtimonio ſufficienter conſtat de communi æſtimatione hominum prudentum iudicantium muliebri ornatu valde immoderato complures ad libidinem notabiliter prouocari. Antecedens patet ex

verbis ipſis Doctorum vtriuſque partis §. 1. *a num.* 3. ad 10. & §. 4. & 5. a *num.* 32. vſque ad 75. relatis, ac præterea ſic roboratur. Doctores illi, qui ornatum feminarum immodicum culpæ mortali eximunt, vel loquuntur de ornatu ad libidinem prouocante, vel non. Si non: Ergo nullo modo aduerſantur alijs Doctoribus longè pluribus notam delicti lethalis muliebri ornatui ad libidinem allicienti inurentibus, ſed de caſu longè diuerſo ad quæſtionem præſentem non pertinente disputant, vt euidens eſt. Si verò de ornatu laſciuiæ prouocatiuo differunt, quæro, an de leuiter tantùm prouocatiuo; an etiam de notabiliter prouocatiuo ſic decernant? Si primum; ergo non contradicunt adhuc cæteris Doctoribus, qui ornatum prouocantem ad actus Venereos culpæ mortalis notant, nec de leui, ſed de notabili tantùm prouocatione loquuntur, dum hanc lethiferam eſſe iudicant, vt clarũ eſt. Si ſecundùm; contradicunt quidem reliquis ſine dubio, ſed valde abſurdè, etiam per te, quum veriſſimum per te quoque ſit, habitum notabiliter prouocantem ad actus Venereos, eſſe delicti lethalis reum, vt *num.* 110. dixiſti. Ergo quum ſint illi viri docti, neque prudenter præſumi poſſit, eos eſſe ineptos, neceſſariò cenſendum eſt, ipſos loqui de leui tantùm prouocatione ad libidinem, atq; adeo non repugnare alijs Doctoribus prouocationem huiuſmodi lethalem reputantibus, ac proinde notabilem eſſe neceſſariò exiſtimantibus, vt mox reuincam.

CXXII. *Et amplius oſtendiť.* E contrario autem iſti ipſi Doctores, qui muliebrem ornatum incitantem ad libidinem, peccati mortiferi labe aſpergunt, peto, num de leui incitatione, an de notabili loquantur? Si primum. Ergo abſurdè, & falsò ſentiunt, qui leuem omnem prouocationem ad Venerem indicant eſſe mortalem. Ergo, ne tam magni viri adeo abſurdè, & falsò ſentire ingenti cum ipſorum iniuria, temereque dicantur, neceſſariò dandum eſt ſecundum, & cenſendi ſunt loqui de notabili prouocatione. Ergo priores Doctores non aduerſantur ſecundis, quia illi de leui prouocatione, dum hanc venialem aiunt; iſti de notabili, dum lethalem iudicant, neceſſariò loquuntur. Ergo ex luculentiſſimis teſtimonijs tot tantorumque Doctorum ſufficienter cõpertum eſt, dari ornamenta artificioſa, quæ ad Venerem notabiliter prouocent, quæ erat prima conditio in obiectione *num.* 110. requiſita. Quod autem notabiliter prouocent etiam plures, quæ erat altera, facilè quoque probatur; quia quum priores Doctores diſcordare nequeant a poſterioribus, ſed conuenire debeant in aliquo ornatu muliebri artificioſo ad laſciuiam notabiliter prouocatiuo, ſaltem paucorum, vt patefeci; reliquum eſt, vt diſſentire dicantur in eo, quòd illi leuem vt plurimum prouocationem, iſti notabilem vt plurimum intercedere ſibi perſuadeant. Atqui ne in hoc pũcto quidem de iure ipſo diſcrepare queunt, etſi de facto, quod ad quæſtionem non attinet, poſſit eſſe diſſenſio. Nam quum ornatus notabiliter ad Venerẽ prouocans dicat omnino talẽ & talem apparatum illecebroſum, atq; artificioſum fucorum, cincinnorum monilium, colorum titillantium, & cæterarum pellaciarum, quæ naturali pulchritudini ſuperadduntur, vt extra controuerſiam eſt; tam priores, quàm poſteriores Doctores neceſſariò fateri debent, a quacunque huiuſmodi apparatus feratur, notabilem hinc prouocationem creari, vt palàm eſt. Quod autẽ a pluribus, vel a paucioribus talis

apparatus geratur, eſt quæſtio facti, de qua neutri Doctores litigant, neque ea tollit, aut gignit occaſionem proximam delinquendi, vt ſupra *num.* 113. demonſtraui. Porrò idem apparatus a quotcunque, & quibuſcunque geſtatus de ſe aptus eſt ad notabiliter prouocandos non minùs plures, & multos, quàm paucos eiuſdem prorſus conditionis, & diſpoſitionis, quum nulla planè ratio aſſignari poſſit, cur potiùs paucos, quàm plures eiuſdem diſpoſitionis notabiliter prouocet, quandoquidem naturaliter, & neceſſariò agit, ac prouocat; etſi liberum ſinat conſentire, vel diſſentire prouocationi: idem autem manens idem in paribus circumſtantijs naturaliter ſemper facit idem, vt notum eſt. Ergo datur omnino ornatus artificioſus notabiliter prouocans ad Venerem non paucos tãtùm, ſed etiam multos; dariquè ſimilem ornatum, ſufficienter colligitur tum ex communi hominum prudentum æſtimatione, cui nihil obſtat, vt probatum eſt; tum etiam ex ratione paulò ante expoſita. Confirmatur I. quia ſi ad moralem influxum reſpectu plurium in re ab humana tantùm æſtimatione pendente oſtendendum, teſtimonium tot Doctorum, & Patrũ non ſufficeret ad fidem faciendam communis æſtimationis ſapientum, plurimæ opiniones, & ſententiæ, aliæ probabiles, aliæ certæ, quæ huiuſmodi teſtimonijs dumtaxat innituntur, & in Catholica Eccleſia valde receptę ſunt, néceſſariò euerterentur, quod eſt abſurdum, & falſum. Confirmatur II. quia eadem abſurditas, & falſitas multo magis ſequeretur, ſi teſtimonijs adiuncta ratio ad eundem influxum moralem reſpectu plurium demonſtrandum, vt in caſu præſenti contingit, ſatis non eſſet. Ergo &c.

CXXIII. *Cõſtatq.* Confirmatur verò principalis reſponſio IV. quia datur de facto habitus meretricius notabiliter ad libidinem prouocans, & quidem plurimos, vt ſupra §. 7. *nu.* 80. vſque ad 90. probaui. Atqui talis habitus quanquam meretricius, eſt omnino diſtinctus ab illo obſcœniſſimo, qui pudenda ipſa vel penitùs detegit, vel tenuiſſimo velo pellucido tegit, vt illic quoque *num* 86. 87. & 88. oſtendi, vbi etiam planum feci, hunc reipſa eũdem eſſe, ac qui notabiliter ad Venerem vtcunque ſolicitat. Ergo &c. *ex habitu meretricio.*

Confirmatur eadem reſponſio V. ratione iam indicatâ, ſed hîc paulò meliùs ponderandâ, atque explicandâ. Quum enim ex dictis probatum, certumque ſit, dari aliquem habitum ab obſcœno diſtinctum, & nihilominùs prouocatiuũ libidinis notabiliter, ſaltem aliquando, & reſpectu paucorum; ac proinde lethalis culpæ reum, exploratum quoq; eſt, illam eſſe occaſionem proximam, quæ ex ſuo genere frequenter inducit homines ſimilis cõditionis ad tale vel tale peccatum, ſeu offert hominibus ſimilis conditionis probabile periculum talis peccati, vt §. 8. *nu.* 98. & *ſeqq.* docui, iterumque in præſentia confirmo. Quæro enim; habitus ad libidinem paucos notabiliter prouocans, quo pacto, & quam ob rem ita prouocat? nempe ipſo ornamentorũ apparatu valde immodico, ſine quo ipſa naturalis pulchritudo in pleriſque feminis tenuis, aut nulla, nec in paucis deformitas pro formoſitate exiſtens, nullas Veneris flãmas in alijs excitare poteſt; at fucorum, & ornamentorum illecebris adulterata, animata, ac roborata ignem libidinis in nonnullis ſaltem accendit. Quid ni igitur ſimilem ignem, & in pluribus alijs ſimilis conditionis accendat, ſeu probabile talis ignis periculum ijs afferat? Si paris conditionis ſunt, quid habet vnus CXXIV. *Præſertĩ quia is ab obſcœno ſæpe diuerſus.*

præ

præ alio, cur tali periculo iſte obnoxius ſit, ille verò exemptus? Nihil profectò, alioqui paris conditionis non ſunt contra ſuppoſitionem; & nulla certè diſparitas rationabilis reddi poteſt, ſed voluntaria dumtaxat commēta a mera contradicendi pertinacia obtrudentur. Ergo ab ornatu valde immodico occaſio proxima, ſeu probabile periculum libidinis creatur nō paucis tantùm, ſed pluribus quoque, quod ſanè tantundem eſt, ac notabiliter plures ab eodem ornatu prouocari, ſeu influxum moralem in ruinam multorum inde deriuari, quod mihi erat patefaciendum.

CXXV. *Obiectionis æquocatio tollitur.* Sed lubet id ipſum ampliùs adhuc corroborare, magnam aliam æquiuocationem in eadem obiectione detegendo, ac perimendo. Nam quum ait illa influxum moralem ornatus immodici notabiliter vniuersè ad libidinem prouocantis, non debere eſſe tantùm reſpectu paucorum, ſed reſpectu plurium, dupliciter id intelligi poteſt. I. quòd ipſimet prouocati notabiliter a tali ornatu ſuperfluo non ſint pauci, ſed plures, & ipſa pluralitas non ratione ſingularum occaſionum, ſed ratione omnium collectiuè ſpectetur; quo pacto videtur ipſamet obiectio velle, dum addit: *attenta multiplicitate occaſionum*. *Quum oſtēsū ſit plures ꝓuocari valde a nimio ornatu feminarū.* Et in hoc ſenſu iam ſatis probatum eſt, hanc pluralitatem in pluribus prouocatis eiuſdem diſpoſitionis, poſitiſque in ſimillimis occaſionibus, & circumſtantijs cerni, neque probabiliter negari poſſe reſpectu etiam multiplicium occaſionum, ſiquidem ſine vllo fundamento ad paucos tantùm prouocatio notabilis, quæ moraliter, & phyſicè agit, etiamſi alij plurimi in ijſdem circumſtantijs verſentur, reſtringitur. II. intelligi poteſt, quòd prouocati plures ſint etiam in ſingulis occaſionibus proximis e tali ornatu manantibus. Et in huiuſmodi ſenſu talis conditio requiſita merè voluntaria eſt, ſimulque improbabilis, ac planè falſa. *Et occaſio proxima lethiferè peccādi nō exigit, ꝙ plures cadant frequēter in ſingulis vicibus, ſed indefinitè ꝙ nunc vn', nūc alius.* Vel enim occaſio proxima ex ſuo genere talis eſt, vel in certo homine talis deprehenditur. Si ſecundum: huiuſmodi occaſio cenſetur illa etiam, in qua vnus tantùm frequenter labitur, vt ſupra *num.* 114. ſatis enodaui. Si primum, occaſio proxima ex ſuo genere etſi illa ſtatuitur, quæ homines ſimilis conditionis in peccatum frequenter adducit, vt ſupra cap. 5. §. 10. num. 153. definita eſt: hæc tamen frequentia non ſignificat neceſſariò, ac ſolùm, quòd in ſingulis occaſionibus plures cadant frequenter; ſed etiam, quòd tali occaſione poſitâ, & multiplicatis vicibus repetitâ, nunc iſte, nunc ille, nunc alius, vnus indefinitè in ſingulis vicibus frequenter peccet. Nam ſi Titius millies conuiuando, atque ad potum, præter morem loci etiam, ac ſine alia iuſta cauſſa inuitando, animaduertit in ſingulis conuiuijs morale periculum, ne vnus aliquis inebrietur, frequenterque accidit, puta quingenties, vt ebrius vnus indefinitè euaſerit, profectò occaſionem proximam ebrietatis dediſſe, etſi frequentia ebriorum non reſpectu ſingulorum conuiuiorum, in quibus non niſi vnus indefinitè inebriatus ſupponitur, ſed reſpectu millenorum conuiuiorum fuerit, ab omnibus Doctoribus meritò dicetur. Hîc enim quoque habet locum definitio occaſionis proximæ, quòd Titiùs tali ſua inuitatione ex ſuo genere homines ſimilis cōditionis frequēter ad ebrietatem induxerit. Deinde, quid deeſt, quominùs hæc occaſio proxima cenſeatur? multitudo prouocatorum? Quæro. hæc quanta eſſe debet? Singula conuiuia conſtabant v. g. ex quatuor, aut quinque conuiuis. Quot ex

tot conuiuis in ſingulis conuiuijs frequenter inebriari poſtulas, vt occaſionem proximam eis datam agnoſcas? quot, inquam, poſtulas? duos? tres? quatuor? At ita ferè omnes in ebrietatem lapſos poneres. Quis verò tibi in aurem garriuit hæc ſomniata diſcrimina, vt ſi in ſingulis conuiuijs duo indefinitè frequenter inebrientur, aut tres, occaſionem proximam datam faciant, aut teſtentur; non item, ſi vnus tantùm indefinitè in illis æquè frequenter delinquit? Fabulæ fingi plures poſſunt, ratio ſolida reddi non poteſt. At enim idem prorſus in ſimilibus caſibus, nominatimque in immodico etiam ornatu contingit, qui occaſionem peccandi proximam tum etiam præbet, quando in ſingulis vicibus vnus indefinitè ob eum frequenter delinquit, ac periculum huiuſmodi in hac, & illa conuerſatione, & circumſtantia ſingillatim præuidet.

CXXVI. *Moralis demonſtratio aſſertionis.* Ex quibus tum hîc, tum ſuperiore §. 8. diſceptatis, in hac morali materia moralis demonſtratio aſſertionis propoſitæ, quòd ad occaſionem proximam, atque ad notabilem libidinis prouocationem ex valde immodico mulierum ornatu manantem attinet, planè conflatur: quicquid deinde ſit de cauſſa iuſta, quæ tali vtentem ornatu, a culpa occaſionis, & prouocationis huiuſmodi non ſubtractæ, iure eximit. Moralem verò in hac materia morali demonſtrationem, non Metaphyſicam propterea aio, quòd nolim ego cum ijs, qui ad implicandam veritatem cauillationes quærunt, manus conſerere, vt iam innui. Cæterùm qui ſincero veritatis amore ducuntur, facilè, opinor, dabunt manus vel ipſimet experientiæ, quæ ab immoderato feminatum cultu probabilia nimis libidinis pericula, notabileſque Veneris prouocationes proficiſci, alioqui a ſola plurimarum naturali pulchritudine minimè profectura conuincit. *Notabilis ex nimio ornatu mulierũ prouocatione ad Venerẽ creari experimento probatur.* Permultæ ſiquidem mulierum, ſi domi incomptæ, inornatæque deprehendantur, nullam ferè impuræ flammæ ſcintillam aſpicientibus inijciunt, ſed potiùs diſplicent; adeo ſordent, vel fœtent: eædem verò fucatæ, comptæque foras prodeuntes pleriſque ſpectantiũ, quos intra domeſticos parietes impune aſpectæ illæſos dimiſerant, exitio ſubinde ſunt, ac ruinæ, vt vſu non infrequenti compertum eſt.

Quid porrò aliud veteres Patres §. 8. recitati, niſi hanc ipſam immodici valde ornatus feminei ad laſciuas flãmas concipiendas proximam occaſionem, notabilemque prouocationem apertè diſignant? C XXVII. *Et Patrũ teſtimonijs.* An Clemens Alexandrinus, ſi ab eodem ornatu ad turpitudinem haud notabiliter, ſed leuiter tantùm, nec proximè, ſed remotè ſolùm incitari cenſuiſſet, tam ineptus fuiſſet, vt nihilominùs eum *immanium voluptatum procreatorem* aſſeueraret? an tam fatuus Tertullianus, vt illum cauſſam perditionis, *gladium* infixum alteri, & *elaboratæ libidinis ſuggeſtum* appellaret? an S. Cyprianus tam ſimplex, vt *pudicitiæ venenũ* ſcriberet? an S. Petrus, Eremita tam excors, vt *pudoris excidium*, S. Ambroſius tam inconſideratus, vt *incentiua vitiorum*; tam imprudẽs Hildebertus, vt *faſcinũ intuentiũ*; tam inſipiens S. Hieronymus, vt *ignem iuuenum, & fomenta libidinum* pronuntiarẽt? tam inconſulti reliqui Patres, & Doctores, vt ſcopulum caſtitatis reputarent? tam nullius apud homines fidei, ſpretæque auctoritatis ipſummet Spiritus Sancti diuinum oraculum, vt fruſtra teſtetur, *propter ſpeciem mulieris comptæ multos perijſſe, & ex hoc concupiſcentiam quaſi ignem exardeſcere?* Procul ab his, procul

procul tanta inſania, qui hæc, & alia tela preacuta in eundem ornatum mulierum valde immoderatum, quia illũ laſciuiæ notabile incitamentum, proximamque occaſionem eſſe iudicarunt, meritiſſimò intorſerunt. Ac proinde eædem mulieres, ſi abſque legitima cauſsa talem ornatum adhibeant, neque talem delinquendi mortaliter occaſionem alijs ſubducant, pari crimine obſtringuntur, vt in aſſertione dixi, & iam probaui.

§. X. *Aſſertionis confirmatio ex obligatione caritatis.*

C XXVIII. *Peccant mortiferè mulieres ornatu valde prouocatiuo libidinis vtentes, quia ſine graui incommodo eo abſtinere queunt.*

QVanquam allatæ quatuor rationes ſupra iam expoſitæ, aſſertionis veritatem ſatis perſuadent, lubet tamen auctarij loco etiã quintam adiungere, quia nimirum qui peccatum mortale proximi poteſt commodè impedire, lege generali caritatis tenetur ſub mortali id facere, vt ſine vlla controuerſia docent Theologi Suarez *de carit. diſp.* 10. *ſect.* 2. *nu.* 2. Toletus, Valentia, & Azor, quos refert, & ſequitur Coninch 2. 2. *de carit. diſp.* 25. *dub.* 7. *num.* 99. & 100. quibus, & Tannerus *ibid. diſp.* 2. *q.* 3. *dub.* 4. *num.* 66. adſtipulatur. Sed addo inſuper S. Thomam, Ricardum, Paludanum, Adrianum, Durandum, Almainum, Siluestrum, Angelũ, Armillam, Alenſem, Caſtro, Supplementum Gabrielis, Vazquez, Cordubam, Torres, Salas, Becanum, Vegã, Rodriquez, Lopez, D. Antoninum, Medinam, Marquez, Zumel, Nauarrum, Toletum, Thomam Sanchez, Sa, Graffis, Roſellam, Hoſtienſem, Raymundum, Tabiam, Suarez, Baſilium de Leon, Lorcam, Maldonatum, Valentiam, & Layman aientes, teneri quemlibet ab opere, etiam bono, quod conſilij dumtaxat ſit, ob proximi peccatum præcauendum ceſſare, imò licèt etiam opus præcepti ſit, in quibuſdam caſibus plerique ex relatis idem ſtatuunt, vt *cap.* 5. §. 7. vidimus: quos omnes Auctores hîc enumeratos Ioãnes Sanchez *in ſelectis diſp.* 37. *nu.* 2. recenſet, & *num.* 10. poſtea approbat, vt non ſemel antea quoque iam memoraui, nec vllus diſſentit. At feminæ commodè poſſunt immodicum valde ornatum notabiliter libidinis prouocatiuum, hîc, & nunc in determinatis circumſtantijs, omittere, atq; hoc omiſſo, varia proximi lethalia delicta, vel ſingulæ ſaltem vnum, impedire. Ergo ſub mortali tenentur eum omittere. Ergo ſi non omittant, peccant mortaliter. Maior certa eſt; vtraque conſequentia legitima.

Minor ſola probanda reſtat, quæ facilè tamen probatur reijciendo ſingulos prætextus, qui contra obduci poſſunt. Nam I. excuſationis loco, ab ornatus immodici patronis prætexi poteſt, periculum, & occaſionem delinquendi lethiferè plerumque quibuſdam perſonis indefinitè acceptis, non autem particularibus, ac determinatis a nimio feminarum cultu creari. At huiuſmodi excuſationem inanem eſſe, ac licèt periculum probabile ſeu occaſio proxima peccandi mortaliter alicui indeterminatè in determinata circumſtantia loci, ac temporis ſine vrgenti cauſsa præbeatur, id tamen non liberare a lethali ſcelere eum, qui illud prebet, iam ſupra *cap.* 5. §. 4. & 13. oſtendi. C XXIX. *Neque excuſãri, quòd aliq. indefinitè ſolùm prouocẽtur.*

II. Prætexi poteſt, immodicum mulierum ornatum vtcunq; Veneris prouocatiuum, eſſe opus per ſe indifferens. At falsò omnino in talibus circumſtantijs, quum in his eiuſmodi ornatus iure diuino, & naturali vetitus ſit, vt *cap.* 2. inſinuaui, & infra §. 17. meliùs explicabo; nec non lethi- CXXX. *Neque quòd op[us] ſit per ſe indifferens.*

feræ

feræ culpę ob ruinam proximi reus ſit, vt iam reuici.

C XXXI. *Neque alij prætextus proſunt.* III. Prætexi poteſt, peccatum alterius ob mulierum ornatũ ſuperfluum, eſſe per accidens, & ex malitia aſpicientium, nec imputari, quia non formaliter intenditur. Sed huiuſmodi ſubterfugium quoq; eſſe nullum, iam ſupra *cap.* 5. tradidi, & infra §. 16. copioſiùs oſtendam.

IV. Prætexi poteſt, obligationem abſtinendi ſemper immoderato ornatu, eſſe graue incommodum. V. Pulchritudinem naturalem, quanuis magis ad malum prouocatiuam, eſſe tamen extra culpam. VI. Remotam dumtaxat prouocationem hîc accidere. VII. Voluntatem ſcandalizati immediatam eſſe ſcãdali paſſiui cauſſam. VIII. Conſuetudinis ſcuto graue ſcelus hinc repelli. At hos quoque omnes prætextus eſſe vanos, ac nullius momenti, infra §. 12. & *ſeqq.* demonſtrabo. Ergo nihil penitùs obſtat, quominùs immodicus valde feminarum cultus, ad Venerem notabiliter laceſſens, mortali delicto obnoxius ſit.

§. 11. *exemplorum documentis aſſertio illuſtratur.*

C XXXII. Hiſtorica exempla in hac Theologica controuerſia nunquam ego, niſi validis rationibus niterentur, proferrem, ſat gnarus, vbi ijs ſunt deſtituta, quàm facilè eludantur. At quum auctoritati argumenta ſociata viam veritatis iam complanauerint, ſecurus aleæ, & exempla modò ijſdem ſuffulta in aciem educo.

C XXXIII. *Lethalē eſſe ornatũ nimiũ fe-* I. Cæſarius *lib.* 5. *Miracul.* cap. 7. refert, quum Moguntiæ quidam Parochus templum circuiret, populumq; luſtrali aqua de more adſpergeret, matronam varijs ornamentis, pauonis inſtar pictam illi obuiam factam, in cuius caudata veſte longiſſima plurimos Dæmones ſeſſitare, paruos quidem, vt glires, ſed nigros, vt Æthiopes, ore cachinnantes, manibus plaudentes, ac velut piſces intra ſagenam, concluſos, ſaltantes Sacerdos Dei diuinitus edoctus, conſpexit. Nempe *ornatus muliebris reuera ſagena Diaboli eſt.* Mox, Parochus feminam extra templum iubet conſiſtere; Dæmonas, ne aufugiant, diuino imperio coercet, Tartaream eam ſcenam vt populus quoq; intueatur, precibus a Deo impetrat. At mulier comperto, ſuam veſtimentorum ſuperbiam a Dęmonibus fuiſſe deriſam, domum regreſſa, humili habitu illa commutauit, ſuoque experimento quàm plurimis alijs, vt a vanitate reſipiſcerent, profuit. Non credo autem Dæmones de vanis mulierum ornamentis tam feſtiuos ludos edere, niſi hæc laqueos mortalium ſcelerum alijs compluribus inijcerent.

minarũ valde incitantem ad libidinẽ ſuo malo experta matrona eſt.

Nempe ſagena Diaboli eſt ornatus muliebris.

C XXXIV. *In Tartarum mergit.* II. Doctor Iacobus de Paradiſo Carthuſianus Monachus, vt in magno exemplorum Speculo *diſt.* 9. *exempl.* 107. habetur, narrat quandam filiam ornamentorum vanitatibus deditam, aliquando a Dæmone, quum ſub arbore ſederet, ita fuiſſe euocatam: *Surge, veni mecum. Cui illa; Quiſnam es tu? & ille: Ego ſum Diabolus, cuius propoſitum conaris implere, arma, & rete noſtrum ad animas capiendas; vnde modò recipies pœnam non ſolùm pro peccatis tuis, ſed etiam pro peccatis omnium, quos per ornamentum corporis tui* (nota; non ait, per malam tuam intentionem, ſed *per ornamentum corporis tui) ad malas concupiſcentias induxiſti.* Iamq; infelix illa rapiebatur ad Inferos, niſi Mariæ ſalutari nomine, atque ope inclamatâ, Diaboli manibus fuiſſet ſubducta;

ducta; nunquam deinde ſplendidis veſtimentis, ſed compoſitis tantùm vſa, vitâ, & moribus inſignitè emendatis, multoque poſtea neglectu corporis, quàm antea inſano cultu, nobilior.

C XXXV. *Et Dæmoni addici.* III. Longè miſerior Spoletana puella, quæ ornandi corporis nimis ſtudioſa, tantundemque futuræ vitæ oblita, extremo perculſa morbo, cuncta ſalutis hortamenta reſpuebat, appetenteq; vltimo mortis articulo, matrem rogauit, vt pretioſis veſtimentis, quibus vti conſueuerat, ſe ſe indueret, expoliretq;, perinde ac ſi non in tumulum mox deijcienda, ſed ad nuptias eſſet perrectura. Annuit continuò Genitrix. Tum illa ſic ornata, mox ſuſpiria fundere, atq; clamare: *Moriar ego ſic pulchra? moriar ego ſic decora? moriar ego in ætate tam tenera? Cui circumſtantes: Committe te Deo, filia, quia benignus, & clemens eſt. At illa magis lamentabiliter reſpondebat. Et quid mihi cum Deo? veni, o Diabole, ſuſcipe tu animam meam. Inter quæ verba exſpirauit deſperata, & damnata*, vt Robertus de Litio in ſuo *Quadrageſimali* commemorat, & Magnum Exemplorum Speculum *diſt.* 9. *Exempl.* 112. repetit.

C XXXVI. *Et flãmis æternis punitur.* IV. Vuilhelmus Pariſienſis *in Tractatu de vniuerſo*, & Ioannes Galenſis *in Communiloquio, par.* 3. *cap.* 2. tradunt quandam mulierem ornamentorum luxui, dum viueret, addictam, poſt obitum viſendam ſe non nemini, grandi pectine, ferroq; flammeo crines ſuos lamentabiliter pectentem improuiſò præbuiſſe, moxque teſtatam eſſe, ſibi hæc ſupplicia pro meretricio ornatu capillorum, cui dum erat ſuperſtes, immoderatè ſtudebat, in perpetuum patienda.

C XXXVI. *Et val.* V. Ioannes Ægidius, ſiue Iunior ex magna, & Religioſiſſima Dominicanorũ familia in libro *Scala Cæli* ſcribit, a quadam matrona Deum precibus frequenter rogatum, vt quid maximè in feminis deteſtaretur, quò id ſedulò cauere poſſet, ſibi patefacere dignaretur. Tum ab illa quandam Comitiſſam diriſſimis tormentis ſine commiſeratione ab Inferorum Dæmonibus excruciatam, per viſum in mentis raptu conſpectam: quumque de pœna in pœnam infelix traheretur, coramque eâ matronâ ſibi anteà, dum vnà viuerent, familiari tranſiret, exclamaſſe: *Heu heu miſera! Caſta fui, abſtinens fui, & eleemoſynaria, & pro nulla alia re crucior, niſi pro ornatu; per quem fui peior, quàm ignis Infernalis, qui non comburit, niſi peccatores, & ſibi coniunctos; ſed ornatus meus Sanctos, & iuſtos, non coniunctos, & iunctos conſumpſit: Tunc illa, quæ hæc videbat, dixit ei; Ergo ornatus eſt illud, quod plus diſplicet in muliere. Cui damnata. Vanus ornatus eſt fax inflammans omnem ignem peccati, & proditor vendens, & tradens caſtra Dei Dæmonibus, & eſt imago damnationis æternæ.* Mox *venerunt duo teterrimi Dæmones cum lanceis igneis, & perforantes eam, poſuerunt in ollam maximam plumbo liquefacto plenam.* Vnde illa ad ſe rediens, quid Deus in feminis potiſſimum execretur, intellexit. Quod tamen non ita ſeuerè accipiendum eſt, quaſi nullum in femina flagitium grauius, quàm immodicus ornatus eſſe queat; id quippe manifeſtè falſum eſt: ſed quia ordinariè a feminis, grauiorum ſcelerum alioqui immunibus, grauior culpa ob luxuriantem ornatum committi ſoleat.

de Deo diſplicet.

Fax inflãmans ignem peccati, imago damnationis.

A Dæmonib. in ollã coniecta

VI. Robertus de Litio in ſuo *Sermonario*, vt narrat Valerius Venetus *lib.* 1. *cap.* 12. *exemp.* 6. & ex hoc Andreas Gelſominius in ſuo *Theſauro Cæleſti, cap.* 12., tradit, quandam mulierem C XXXVIII. *Euchariſtia priuat moribũda ſemi-*

na or- natui dedita. lierem in pœnam immodici cultus ſui, vaniq́ue ornatus ſub mortem Diuino Viatico fuiſſe priuatam: dum enim Sacerdos Sacratiſſimam Hoſtiam illi communionis gratiâ porrigeret, ecce tibi Angeli de Cælo præſto ſunt ſummâ reuerentiâ eam de manibus ipſius auferentes, illicoque e conſpectu auolantes; regreſſus verò ille in templum, eandem Hoſtiam in calice repoſitam, ſuper altare maximâ cum admiratione reperit.

C XXXIX. *Mulier fucanda faciei ſtudioſa a Dæmone decoloratur, ac perditur.* VII. Goſtchalchus Holen ex inclyto Ordine Eremitarum S. Auguſtini, ſuorũ temporũ Concionator inſignis, *par. 2. ſerm. 1. de Dedicatione Eccleſiæ, colum. 3.* refert quandã mulierem vanam ſolitam alioqui, luxuriantibus ornamentis comptam, cunctis ludis intereſſe, ſub veſperum aliquando ſuæ ancillæ præcepiſſe, vt poſtridie quàm maturè ſurgeret, ſibique exornandæ operam nauaret, ad ludicra ſpectacula eo die perrecturæ. Quum dicto ſe audientem fore ſpopõdiſſet ancilla, concubiâ nocte Dæmon ancillæ perſonâ indutâ adeſt, Dominamque excitans, ſurge, ait, præſto ſum, vt te comam: quumq; illa ſurrexiſſet deſubito, ac ſe veſtiuiſſet, Dæmon expoliẽdo eius capiti multam curam, moras de induſtria trahens, impendit; tandemque in diſceſſu faciem ipſius quodam fuco ex pyxide ſecum allatâ deprompto illeuit. Paulò poſt deinde ancilla ingreditur, Dominam, vt pridie veſperi condixerat, exornatura, ipſoque in aditu cubili fœtore horrendo ſupra modum perculſa, oculoſque in vultu Dominæ defigens, teterrimũ eius aſpectum ferre minimè potuit. Quare pedem referens elatâ voce clamabat; faciem Dæmonis a ſe fuiſſe conſpectam. Quam rei inſolentiam ac nouitatem admirata Domina vehementer, extemplo ad ſpeculum conuolat, in eoque horribilem ſuam deformitatem Inferorum coloribus expictam intuens, ſtatim reſupina, exanimiſq; cõcidit, infelicemque animam æternis flammis vnà cum turpiſſimis Dæmonibus vrendam exhalauit.

Zacharias Bouerius ex Religioſiſſima Capucinorũ familiâ *tom. 1. Annaliũ Anno 1560. n. 6. 7. & 8.* narrat, nobilem feminã Saonæ, quę Vrbs in Liguria eſt, immoderato veſtium luxu, & carnis voluptatibus indulgentẽ, multos annos ijs ſceleribus irretitã, nihilominùs inexpiatam ad Pœnitentiæ, atq; Eucharistiæ Sacramenta acceſſiſſe; tandem verò diuinæ iræ fulmine fuiſſe perculſam. *Sola enim quadam die ſecretum cubiculum ingreſſa, dum conſuetis voluptatibus animum addicit; En repentè ad Dei iudicium rapitur: in quo tum ob diuturnam ſcelerum impœnitentiam, tum etiam propter Sacramenta tamdiu indignè ſuſcepta, diuinâ ſententiâ ad Tartarum adiudicatur; Mox illa ſtridentem vocem extollere; mox horribiles clamores edere; ac Dei iudicio ſe damnatam aſſerere: omnia denique domus loca deſperatis hiſce vocibus cõplere cœpit. Aderat tunc illius nubilis filia, quæ Matris clamoribus perterrita, Patrem, qui tunc domo aberat, accerſendum curat. Accedit coniux, vxoremque, iuſtam ſuæ damnationis pœnam inclamantem verbis conſolari, atq; in meliorem diuinæ clementiæ ſpem ſtudet erigere: Infelix omnem prorſus cõſolationem reſpuit. Ecque ampliùs deſperationis voces ingeminat, quò ſe a Deo condemnatam affirmat. Coniux verò, quum vxoris animum nulla ratione ab ea ſententia reuocari poſſe cerneret, F. Angelum* Aſtenſem ex Ordine tum Minorum, qui de obſeruantia nuncupantur, olim inter Sorbonicos Doctores cooptatum, Doctoralique laurea in facultate Pariſienſi potitum, quo CXL. *Altera etiam æterna morte damnatur.*

illa

Confeſſio ſacrilega punita diuinitus. illa Confeſſario vtebatur, *aduocandum iubet; qui dum multis rationibus, id Dæmonis tentamentum eſſe illi perſuadere nititur; eam inter alias adfert: quòd quæ tot annis ſibi conſcientiam aperuerat, atque ab eo peccatorum abſolutionem acceperat, id quoque credere deberet, ſe nullam in ea damnationis cauſſam offendere. At illa Dei iudicio, ac virtute compulſa, reſpondit: Quid, Pater, Confeſſiones, ac abſolutiones commemoras? Eheu hæ ſunt, quæ me miſeram in Dei iudicio condemnãt: fictè enim ſemper ad Sacramentum acceſſi, plurima tibi pollicebar, quorum quum nulla cordis pœnitudine tangerer, in his, velut iumentum in ſtercore, voluntariè computrui: Deo mentita fui: pompas, luxus, & vanitates, corporis curam, quibus ſemper animum addixi, cæteroſque in ſcandalum pertraxi, longè Deo, ac propriæ Animæ ſaluti antepoſui. Pretioſæ veſtes, monilia, annuli ingentis pretij, quæ in illo ſcrinio reconduntur (ſcrinium indigitans) atq; eleemoſynæ ob id pauperibus denegatæ, vt inſatiabili mei luxus fami ſatisfacerem: ſenſus denique voluptates, quibus nullum vnquam terminum poſui; Hæ damnationis meæ cauſſæ ſunt.*

CXLI. *Ornatus nouus filiaa matre additus cauſſa perditionis.* *His quum filia reſponderet: Mater, quæſo; ne ſpem ſalutis abijcias: etiamnùm res integra eſt: veſtes, ac monilia vendantur, pretiumque pauperibus detur. Illa ardentes ad filiam oculos conuertens, indignabunda ait: Apage iſtinc maledicta filia: tui enim cauſſâ potiſſimùm condemner. Nam quum primùm veſtem illam auro textam tibi conficiẽdam curaui, nulla in hac Vrbe femina, tametſi Nobilis, erat, quæ tam pretioſa veſte vteretur: iam verò meo hoc iniquo exemplo Vrbs ita corrupta fuit, vt vix vlla in ea Nobilis reperiatur, quæ veſtem auro textam, magno pretio ſibi comparandam non velit. Vix hæc miſera illa effata fuerat: quum eam in omnium oculis Dæmon arripiens, & vſque ad cubiculi tabulatum efferens, tanta vi ad ſolum alliſit; vt eo caſu miſera illa extincta, tam grauem ibi fætorem reliquerit, vt quum a nemine prorſus tolerari poſſet, inde cunctos abſcedere coegerit.*

Horrendo hoc mulieris ſpectaculo quũ Fr. Angelus grauiter commotus fuiſſet; protinus ſibi a periculo cauendum cenſuit: Quapropter morâ nullâ interpoſitâ, ad Capucinorum Ordinem migrans, in eo doctrinâ, prædicatione, Regulari obſeruantiâ, ac plurimis alijs virtutibus floruit. Hactenus Bouerius, vbi animaduerto, inter damnationis cauſſas, præter ſenſus voluptates, referri etiam luxum ornatus, atque hinc ſcandalum, præcisâ aliâ prauâ intentione, proximis datum. CXLII.

Duo alia exempla præterea Speculum exemplorum iam laudatũ *diſt. 9. exemp.* 150. 151. commemorat: vt nihil dicam hîc de varijs alijs ſupplicijs a Deo in vltionem ſuperuacanei ornatus inflictis; quæ S. Bernardinus Senenſis *tom.* 1. de Chriſtiana Religione, ſerm. 48. art. 3. cap. 4. & Auguſtinus Mazzinus in libro Italico, cui titulum fecit *Dell'ornamento ſouerchio*, Brixiæ anno 1601. edito, *cap. 6.* & 10. demonſtrant, quos Lector facilè poteſt conſulere. C XLIII. *Vanus ornatus multatur diuinitus.*

Ex quibus exemplis compertum eſt, ſicut nemo æternis flammis, niſi ob peccatũ mortale damnatur, vt liquet; ita vanum ornatum laſciuię valde prouocatiuum, quem ijs puniri ex relatis hiſtorijs conſtat, lethali crimini eſſe obnoxium. Beatus Nicolaus de Saxo Eremita celeberrimæ apud Heluetios ſanctitatis, adeo veſtium luxum ob ſuperbiam etiam, nedum ob libidinem, deteſtabatur, vt quum honeſta quædam matrona nurum ſuam ad eum deduxiſſet; hæc autem nouam ex peregrino quodam panno confectam ve- C XLIV. *A uiro Dei reprehenſio ob ſuperbiã.*

 ſtem

ſtem induta, magnificè, ac veluti iactabundè ſe ipſi oſtentaret; vir Dei ad illam ſeriò conuerſus grauiſſimè eam corripuerit, vt Petrus Hugo in eiuſdē Nicolai Vita *par. 2. cap.* 14. ſcribit; Si, inquit, *hac veſte ad ſuperbiam vteris, licèt iam in Cælo conſtituta eſſes, inde tamen te vnà cum hiſce induuijs deturbandam te nôris. Quòd ſi etiam liberos tuos, qui ex vtero tuo egredientur, pretioſè veſtiendo ſuperbieris, faciem certè Dei nunquam videbis.* Quod tum accidit, quando ſuperbia, quæ omnium delictorum fœcunda mater eſt, ob aliquam circumſtantiam ex enumeratis *cap.* 4. euadit mortalis. Vnde Dionyſius Carthuſianus *in Directorio Vitæ Nobilium, art.* 15. generaliter, atque vniuersè ita vociferatur: *Reſipiſcant ergo, & ſine dilatione dignè pœniteant, ne æterna damnatione grauiſſimâ pereant, præſertim quum quædam nobiles matronæ, quæ multis bonis operibus, & actibus miſericordiæ fuerunt intentæ, & diuina officia libenter audiebant, leguntur fuiſſe in æternum damnatæ, eo quòd ſe a præfatis ornamentis non repreſſerunt.*

Mulieres dānatæ ob ornamēta.

§. *XII. Effugium I. De graui incommodo ex perpetua ornatus valde ad malum pronocatiui omiſsione intercluditur.*

CXLV. QVanquam §. 1. & 3. rationes eorum Doctorum, qui aſſertioni grauiter culpanti immoderatum ornatum, aduerſari videbantur, tempeſtiuè dilui; nihilominùs eaſdem diligentiùs hîc excutere operæ pretium eſt. Ordior a Leſſio, qui *lib. 4. de iuſt. cap. 4. dub. 14. num. 113. cit.* negat mulieres teneri abſtinere ab ornatu, *ne alij peccent: quia alioqui perpetuò abſtinere deberent (quum illa occaſio ſit perpetua, & vniuerſalis) quod nimis graue eſt humanæ conditioni.*

Verùm graue huiuſmodi incommodum fruſtra planè, ac ſine rationabili fundamento obtendi, facilè, ac palàm euinco. I. Quia immodica valde ornamenta, de quibus ſolis hoc loco ſermo eſt, grauibus potiùs incommodis & ipſas feminas ſuperfluè ſe ornantes, & Reſpublicas quoque, & regiones afficiunt. Non eſt mihi animus, referre hîc ſingulatim duodecim ſtultitias, quibus eædem feminæ, vt Gulielmus Peraldus *tom. 2. Summ. Virt. ac Vitior. tit. de Superbia cap.* 12. oſtendit, operam dant; nec recenſere minutatim ſeptem damna, quæ hinc in illas, vt Sanctus Bernardinus Senenſis *tom. 2. de Euangelio Dei, Serm.* 47. *art. 3. c. 2. & 3.* expendit, redundant; nec non complura alia, quæ ab eodem Peraldo *ibidem, c.* 14. §. *vndecimò*, copioſè explicantur; nec operoſè enumerare cuncta alia detrimenta, quę ab eodem ornamentorum luxu pleriſque alijs, vt idem S. Bernardinus *tom. 1. de Chriſtiana Religione*, toto *Sermone* 46. probat, importantur. Sat mihi ad præſens inſtitutum eſt, nonnulla dumtaxat ſeu hinc, ſeu aliunde libare, pauciſque perſtringere. Incommoda, quæ ab immodico ornatu manant, duplicia ſunt, alia in animam, alia in corpus, ac bona externa. Quod ad animam ſpectat, mulier ornamentorū vanitate capta, vitiorū omniū captiua nullo negotio euadit. *Eſt quippe initiū omnis peccati ſuperbia*, vt Eccleſiaſticus *cap.* 10. monet, *& qui tenebit illā, replebitur maledictis*; immoderatum autem cultum mulierum a ſuperbia earum gigni, nemini dubium, ac proinde maledictis, hoc eſt, peccatis repleri non mirum. Vanagloriâ in primis, quia immodicè comptæ mulieres cupiunt nimio plus ſe pulchras videri,

Graue incōmodū mulieri non eſt omittere nimia ornamēta, quæ potiùs valde incōmodant.

Immodica ornamēta mulierū animæ damnoſa, delictorū ſeges fœcunda.

deri, ac prædicari; inuidiâ, quia ſi qua alia pulchrior eminet, vel æquè pulchra ipſas eſſe eximias non ſinit, ægrè dolent; irâ, quia contra alias formoſas iraſcuntur; accidiâ, quia aliarum pulchritudinem ſuperare nequeunt; gulâ, quia vt pulchritudinem ſibi concilient, genio libenter indulgent; luxuriâ, quia gula delicijs innutrita, alijſque illecebris proritata, in laſciuiam degenerat.

CXLVI. *Vt amplius explicatur.* At quoties, vt ornamentorum immodico apparatu potiantur, ad iniuſta lucra vel maritos, vel parentes adigunt? quoties, niſi hinc conſequantur, quod expetunt, adulteris, vel procis ſe dant in prædam? Hinc vir quidam ingenioſus, quum depictum ſymbolum, in quo mulieris enanidæ immodicoque cultu luxuriantis caput cernebatur, expoſuiſſet, epigraphen huiuſmodi ei meritò ſubiecit: *Dei offenſa, ſpes amantium, ruina maritorum.* Quoties, vt ſe velut templum diebus feſtis exornent, ſacrificium Miſſæ audire negligunt, aut vix dimidiato interſunt? quoties in templo vix Dei altare aſpiciunt, ſolicitæ tantummodo, vt aſpiciantur ipſæ, ad diuina cogitanda ineptæ, ad circumſpiciendum petulcæ, a ſacris tam alieno animo, quàm ad nugas, ad garrulitatem, ad cachinnos prompto? quoties in templum ſeriùs venientes inſano veſtium luxu inflatæ, tum famulorum turbâ ſtipatæ totam concionem, diuina officia, ac ſacra myſteria perturbant, cunctoſque a cæleſtium rerum vſurâ ad vanum ſui paratum curioſè ſpectandum alliciunt, traducunt, faſcinant, atque infatuant. Sed de animæ damnis ſatis. Cætera, quæ corpus etiam cruciant, videamus.

C. XLVII. *Corpori etiã sũt onerosa.* Illa cura ſe comendi atque exponiendi quanta eſt? quàm longa? quàm moleſta? quàm anxia? Circa capillos, circa fucos, circa veſtes quantus labor? quanta impenſa? quàm dura ſeruitus? Vt, quæ volunt, adipiſcantur, quàm ſæpe cum Genitoribus vel Coniugibus rixantur? ſi repulſam ferunt, quàm frequenter ſurripiunt? quàm impotenter indignantur, lugent, lacrymantur, expoſtulant, triſtantur, fremunt, totam viciniam clamoribus inſanè implent? Et parumne ſudoris ijs, vt immoderatis ornamentis, & phaleris gaudeant, fundendum eſt? Si procurator aliquis ab ipſis ad ea paranda cõſtitutus, has omnes moleſtias experiri cogeretur, quàm caro pretio tam immane incommodum redemptum iure vellet? Quis Confeſſariorum cuiquam a talibus ineptijs abhorrenti, pœnitentiæ nomine auderet imponere, vt toto vitæ curſu in exornando corpore tantum laboris inuita ſubiret cotidie, quantum cæteræ huius incommodiſſimæ, & laborioſiſſimæ vanitatis ſtudioſiſſimæ vltro continenter exorbent? Næ illam grauibus oneratam peccatis eſſe oporteret, quæ tam graui moleſtiâ ea luere iuberetur. *Cruciãt que animum.*

C. XLVIII. *Præſertim æmulationis ſpinis.* Quid vbi æmulatio Diabolica, & concertatio inſanas mulieres inuadit, mutuoque committit, nulla inferior videri vult, pleræque parem non tolerant, nulla cedere ſuſtinet, cunctæ de amentiæ palma contendunt? Quàm magna vis angoris in his prælijs? quanta inuidentiæ? quanta mœſtitiæ? quàm enormes ſumptus fiunt? quàm flagitioſa diſpendia temporis? quàm multæ aliæ omnis generis corruptelæ? Quàm grauia igitur ſunt huiuſmodi incommoda? quàm intolerabiles moles ponderum?

C. XLIX. *Et capillos perdunt.* At id longè adhuc tætrius infortunium ijſdem feminis accidit, quòd ipſamet ornamenta dum impenſius ſectantur, imprudentius amittunt. Quod autem incommodum grauius poteſt

illas affligere, quàm vt capillos ipſos & crines, in quibus comendis, lauandis, fucandis, adulterandis tam multæ ſũt, tantum operæ, induſtriæ, ac temporis ponunt, improuiſò deperdant? Atqui illa ipſa medicamenta, quæ ad venuſtandas comas improuidæ adhibent, eaſdem euellunt. Vnde Ouidius *lib. 1. Amorum, elegia* 14. in puellam, cui ob nimiam capillorum curam capilli ipſi deciderant, ſic pulchrè ludit:

Dicebam, deſiſte tuos medicare capillos:
Tingere quã poſſis, iã tibi nulla coma eſt.

An quiſquam adhuc ſomniare queat ornamentorum temperantiam magnum nimis, quod ferre nequeat imbellis ſexus, incommodum, quum ipſamet intemperantia triplo grauius incommodum, & moderato quoque cultu eas expoliet?

CL. Et vitā quoque euertũt. Sed quid ego capillorum iacturam dumtaxat memoro? nonne & vitam etiam ipſam, cuius vſurâ nihil in hac mortalitate carius, nihil pretioſius, nihil iucundius eſt, inſanâ ornatus curâ penitùs euertunt, intempeſtiueque moriuntur? An hæc per exaggerationem dici a me putant? an fidem mihi non habent? Nec poſtulo; at habeant Medicis ipſis, velint, nolint, neceſſe eſt, Galeno in primis qui *lib. 1. de medicamentorum compoſitione ſecundùm locos, cap.* 19. & Aetio, qui *lib. 2. Tetrabibl. ſermone 2. cap.* 58. diſertè teſtantur, a ſe complures mulieres præ immodica affectati capillitij curioſitate, dum coſmetica, vt vocant, vngenta ad crines dealbandos, rufandos, denigrandos vſurpant, atq; hiſce pharmacis caput lethifero frigore vexãt, planè defunctas fuiſſe obſeruatas, proprijſque oculis conſpectas. Egregiè prorſus in hanc ipſam quoque ſententiam iens Andreas Gelſominius, in ſuo *Theſauro Cæleſti, cap.* 12. experientia conſtare teſtatur eas feminas, quæ nimio ornatui deditæ ſunt, capiti intemperiem creare, valetudinem perſæpe affligere, varios ſibi morbos arceſſere, deformes quàm maximè euadere, multoque ocyus conſeneſcere: quod ſi fortè ipſæ inficiantur, reclamant eorum dentes atri, & labra nigra, halitus grauis, ac fœtidus, vultus ipſe antea adeo curatus, & læuigatus, dein rugis, ac pædore obſitus. Eant nunc iſtæ, eant, & immodici ornatus abſtinentiam perpetuam incõmodum nimis graue mentiantur, augeantq; fabulam alio mendacio, mortem ipſam ſibi longè eſſe leuiorem. At quis hîc non penitùs excors demẽtiam tam palmarem non videat, ac rideat?

CLI. Et alia mala creant. Sed nondum omnia effuſi luxus crimina ſum perſecutus. At *quot inde naſcantur mala, non poſſum* (vt verbis D. Ioannis Chryſoſtomi *hom.* 37. *in Geneſim* vtar) *nunc ſermone complecti. Sed ſatis eſt, vt relinquam conſcientiæ eorum, qui ijs occupati, quantas inde quotidianas moleſtias experiuntur. Etenim ſi quid deciderit ex aureo illo cultu, magna tempeſtas, magnuſque tumultus oboritur in tota domo: vel famulus ſurripuit, & omnes flagellantur, & verberantur, & in carcerem coniiciuntur: vel inuidi quidam inſidiati ſunt, & ſubitò ſpoliarunt. quantus tunc, & quàm intolerabilis mæror? vel rerum difficultas ingruens in extremam inopiam redegit, & grauiorem morte vitam eis attulit: vel aliud quiddam incidens multam triſtitiam peperit. Et in ſumma, nunquam inuenies animam huiuſmodi occupatam, a turbationibus alienam.* Et *hom.* 41. ibidem. *A cultu autem externo innumera fiunt mala. Et nondum dico animæ nocumenta, arrogantiam, quæ intrinſecus naſcitur, deſpectum proximi, faſtum ſpiritus, animæ corruptionem, voluptatum illicitarum fomitem. Quid quòd facilè diripitur*

pitur

pitur ille cultus, & famulorum malignitate, & latronum inſidijs, & ſycophantarum inſidijs?

CLII. *Et Reip. ſexitioſa ſunt.*

II. Hæc ipſa immodici ornatus tot mala, non priuatis tantùm ſingularum mulierum parietibus continentur, ſed in ipſas quoque Reſpublicas, & regiones neceſſariò exundant, præ quibus incommodis magnis variæ leges municipales eiuſmodi immoderationem ornatus propoſitis pœnis vetantes in multis locis latæ ſunt, & moderati cultus forma pro cuiuſque ſtatu ab ijſdem præſcripta. Ergo iudicio talium Legiſlatorum luxum ornatus perpetuò omittere, non graue incommodum, ſed ſingulare commodum, etiam ipſarum feminarum reputandum eſt. Et confirmo manifeſtè, quia humana præcepta & leges non obligant ad ſui obſeruationem cum graui incommodo, vt inter Doctores ſine controuerſia perſpectum eſt. Ergo ſi abſtinentia ſuperflui ornatus perpetua graue foret incommodum, leges, quæ talem abſtinentiam imperāt, nunquam obligarent, vt patet. At hoc apud omnes abſonum eſt. Ergo & id, vnde ſequitur; & conſequenter ea perpetua abſtinentia graue incommodum nequaquam eſt.

CLIII. *Et ſi ꝙ incōmodū graue ornatus omiſſio haberet, ſine veniali ſcā dalo quoque geſtari poſſet, quod falsū tamen eſt.*

III. Si tam graue foret incommodum illa ornatus continua priuatio, nulla penitùs eſſet culpa, ne venialis quidem ipſum vſurpare, quod tamen & ipſemet Leſſius, & alij omnes vltro dant, venialem eſſe fatentes, vt ſupra *cap.* 2. planum feci, patetque etiam ex ipſis quoque terminis. Nam ipſamet immoderatio ornatus quandam a moderatione, hoc eſt, a recta ratione declinationem ſonat, ac proinde culpam etiam, ſaltem venialem præ ſe fert. Deinde, ipſamet prouocatio ad culpam mortalem ex ſolo ornatu immodico orta, peccatum, ſaltem veniale ex ſui natura ſecundum Doctores omnes abſque dubio eſt. Atqui nemo tenetur cum graui incommodo, ne ſub veniali quidem culpa ſubtrahere proximo occaſionem delinquendi lethaliter; atque adeo, ſi quis pecunias, quibus indiget, non poteſt ſine magno incommodo ab alio, quàm ab vſurario nanciſci, poteſt eas ab illo ſine vlla culpa etiam leui petere, vt ex omniū Doctorum ſententia apud Thomam Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum*, *cap.* 8. *num.* 12. indubitatum eſt. Ergo nemo etiam tenetur immodico valde ornatu ne ſub veniali quidem culpa, quò proximi delictum mortale vitet, abſtinere. At Doctores omnes, quoties ſuperfluus ornatus eſt notabiliter prouocatiuus ad malum, affirmant eū ex ſua natura eſſe peccati ſaltem venialis reum, vt ex dictis perſpicuum eſt. Ergo nullo modo ijdem iudicant graue eſſe incommodum ſemper eo carere; alioqui hoc ipſo a veniali etiā eum neceſſariò eximerent; quod tamen non faciunt, ſed oppoſitum, vt conſtat.

CLIV. *Remota etiam prouocatio ad malum ex immodico ornatu manās veniali ſcandali malitia ſaltem inficitur.*

Dices, peccatum veniale immodici ornatus aliunde, quàm a prouocatione ad malum, deriuari, nempe a vanitate, a ſuperbia, a prodigalitate, vel a ſimili mala circumſtantia: hanc enim eſſe proximam, illam verò tantùm remotam. Sed contra eſt, quia comedere v. g. nimis calida, nimis bibere, nimis equitare, nimis dormire, &c. vnde ſequitur pollutio, malitiam venialem, non ſolùm contra temperantiam debitam in cibo, potu, ſomno, ac equitatione contrahunt, ſed ipſam quoque pollutionem nouā malitiā veniali augent; ſeu culpam pollutionis venialem, quia ad hanc illa remotè diſponunt, annexam habent, vt idemmet Leſſius cum pluribus alijs, & ſat communi opinione *lib.* 4. *de Iuſtit.* *cap.*

cap. 3. *dub.* 14. *num.* 102. docet. Ergo vt remota huiuſmodi diſpoſitio ad pollutionis culpam venialem, præter reliquas malitias intemperantiæ veniales, contrahendam ſufficit; ita & remota tantùm prouocatio ad malum ex immodico ornatu profecta, præter alias vanitatis, ſuperbiæ, vel prodigalitatis malitias, ſufficiet etiam ad culpam ſcandali venialem pariendam. Atqui iam probaui non fore obligationẽ, ne ſub veniali quidẽ alieni peccati, immoderato luxu omiſſo, vitandi, ſi hunc perpetuò omittere graue incommodum ſemel ſtatuitur. Ergo quum Doctores nihiloſecius venialem culpam, ſi ille non omittatur, in ipſo agnoſcant, perpetuam eius omiſſionem graue eſſe incommodum neceſſariò inficiantur.

CLV. *Graue incõmodum nõ ſemper eximit a culpa intẽperantia veniali.*

Vnde hîc obiter animaduerto, quanuis graue incommodum eximat a cooperatione indirecta, etiam veniali, cum proximi delicto mortali, vt hîc explicaui; non eximeret tamen ſẽper a culpa veniali, quæ ex immodico ornatu ob intemperantiã, ſuperfluitatem, & luxum ipſum leuem gignitur, vt ſupra c. 6. §. 1. *num.* 3. *& ſeqq.* indicaui.

CLVI. *Omiſſio ꝑpetua nimij ornatus, graue incõmodum nõ eſt, quia ad eum nullum ius habetur a femina.*

IV. Nunquam graue incommodum ex perpetuitate, vel vniuerſitate alicuius oneris iure prætexi poteſt, quoties quis nullum penitùs ius ad eius actionem exercendam, vel omittendam habet, vel habere poteſt, vt liquet: quoties autem actio, vel omiſſio malitiam aliquam, ſaltem venialem, in ſe continet, exploratum eſt, nemini ius vllum ad alterutram poſſe competere. Vnde quia mendacium culpa ſaltem venialis eſt, nemo ad mentiendum poteſt ius vllum habere, aut comparare. Quocirca etſi quis in mentiendi occaſione perpetua, atque vniuerſali verſaretur, non propterea tamen ius vllum ad mentiendũ acquireret; adeòque nec graue incommodum ad mendacij crimen ex perpetua & vniuerſali occaſione excuſandum comminiſci poſſet, vt palàm eſt. Atqui immodicus ornatus non ſolùm iure diuino, ſed naturali etiam prohibitus eſt, atque illicitus, non tantùm ratione virtutis temperantiæ, quæ naturaliter eum exceſſum vetat; ſed etiam ratione leuis quoque prouocationis ad libidinem erga non ſuam inde manantis, quæ naturaliter quoque a lege vitandi ſcandali prohibetur: eſtq; huiuſmodi leuis prouocatio rea venialis malitiæ ſecundùm Doctores omnes, vt ſupra ponderaui: Ergo nulla mulier ad immodicum ornatum ius vllum habere poteſt. Nam ſi id haberet, iam ille non eſſet illicitus, neque peccatum, neque immoderatus contra ſuppoſitionem. Quòd egregiè admodum obſeruauit Granadus, cuius verba iam ſupra §. 4. num. 45. recitaui: *Nimirum ornatus ille*, inquit (nempe nimius, vt præmiſit) *illicitus eſt, & ad quem femina non habet ius.* Ergo nulla femina poteſt ex perpetuitate, & vniuerſalitate in omiſſione immodici ornatus illiciti obtendere graue incommodum, quandoquidem ad talem ornatum illicitum nullo penitùs iure gaudere poteſt; ſed aliunde tale incõmodum ſi quod eſt, peti debet, vt infra §. 18. *num.* 208. patebit.

CLVII. *Mortalis ornatus eſt, quẽ Epiſcop⁹ ſub pœna excõmunicationis prohibet, & poteſt vtiq; facere, vn-*

V. Nullus prorſus Doctor ex cunctis hucuſq; citatis negat, quin mortale delictũ ſit immoderatum ornatũ geſtare, ſi hũc Epiſcopus ſub pœna excõmunicationis latæ ſentẽtiæ prohibeat; pleriq; verò id apertè decernunt, vt Silueſter *in Summa, verbo, ornatus, q.* 10. & apud hunc Ioannes Andreas *in Regul. Ea, quæ fiunt de reg. iur. in 6.* tum Caietanus *in Summa* pariter, *eodem verbo, cap.* 3. §. 1. Fumus *in Armilla,*

de conuincitur non eſſe graue incommodum illo ſemper abſtinere.

milla, *ibid. num.* 1. Nauarrus *in Manuali, cap.* 23. *num.* 18. Leſſius *lib.* 4. *de Iuſtitia, cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 112. *Verſ. Secundò ratione præcepti poſitiui,* Bonacina *de matrimonio, quæſt.* 4. *punct.* 9. *num.* 26. Baldus *in prœmio Gregoriano, colum.* 5. *verbo, violentos,* Albericus *in l. factum a Iudice, ff. de reg. iur. & in Tractatu Statutorum, par.* 2. *q.* 198. & apud iſtū Mercuri. Petrus Ancharanus *in repet. C. Canonum ſtatuta* 11. *q. principali, Verſ. Super hoc termino, extra. de conſtit.* Sed recentiſſimè omnium, quos ſcio, Hieronymus Sopranis *in Dauid digreſſione prima, cap.* 2. § 1. *pag.* 429. diſertè tradit, *poſſe Epiſcopos edicto ſuo fucorum vſum prohibere mendaci decori quærendo, cui non parentes noxam lethalis labis incurrant:* & infra addit, *poſſe Epiſcopum,* quemcunque ornatum *ſub obligatione mortalis criminis prohibere, modò incentiuum præbeat impuritati.* Subditque, *licèt vſus fucorum per ſe ſpectatus, ſit tantùm cū veniali, tot tamen habet pericula coniuncta lethaliter labendi, vt multo plura peccentur illo permiſſo, quàm ſub obligatione mortalis omiſſo.* Idemque etiam de quouis alio ornatu valde prouocatiuo libidinis omnino ſtatuendum. At ſi perpetuò abſtinere a ſuperfluo valde ornatu, eſſet maiori ſaltem parti feminarum, multoque magis ſi omnibus graue foret incommodum, nullo modo ipſæ ad talem legem tenerentur, quum leges Eccleſiaſticæ minimè obligent cum tanto incommodo, vt patet in lege de ieiunio, de feſtis, ac de ſimilibus, ad quas cum graui onere adimplendas nemo tenetur. Ergo quum nihilominùs Doctores communiter tales prohibitiones Eccleſiaſticas ſub pœna excōmunicationis validas eſſe cenſeant, & mulieres ad eas obſeruandas obligent, ſupponunt neceſſariò, perpetuam ab huiuſmodi ornatu notabiliter ſuperfluo abſtinentiam non eſſe ipſis graue incommodum, vt euidens eſt.

Fuci damna.

Confirmatur id ipſum ſolidè, quia magnum potiùs commodum ex moderato ornatu in eas, quæ ſuperfluo abſtinent, redundat; ſicut e contrario graue incommodum in illas, quæ valde immoderato vtuntur. Nam quæ moderato contentę ſunt, ab omnibus prudentibus magno habentur in pretio, tanquam viragines, & magnæ animæ, fortes, & maſculæ paſſim celebrātur; quæ autem luxum valde immodicum affectantur, molles, effeminatæ, fractæ, abiectæ, ac eneruatæ exiſtimātur, quodque multo adhuc ignominioſius eſt, impudicitiæ præſumptione, atque infamiâ fœdè admodum, vt ſupra *cap.* 6. *num.* 14. & *ſeqq.* abunde oſtendi, laborant. Atqui id grauiſſimum omnino incommodum, illud autem commodum maximum. Ergò prætextus grauis incommodi ex perpetua immodici ornatus abſtinentia inanę ſomnium eſt, quum e contrario potiùs incommodum ingens ex ipſius vſu proficiſcatur.

CLIX. *Mortificatio in vitando ſcādalo ſubeunda non cenſetur graue incōmodum.*

VI. Sola immortificatio voluntatis, vel paſſionis nunquam ab obſeruantia præcepti caritatis de vitando proximi delicto eximit, neque id incōmodum mortificationis oppoſitæ ſuperandæ graue a Doctoribus reputatur, vt idcirco quis ab eadem mortificatione ſubeunda, immunis meritò exiſtimetur; tum quia mortificatio, quam quis experitur, in conuiuijs non prouocando alios ad æquales calices, vnde ſequi cernit in aliquo eorū ebrietatem, nullo modo eum excuſat, neq; graue ea incommodum iudicatur, vt eum ita liberet a mortali, quod in tali prouocatione contrahit, vt tradunt ſine vlla controuerſia Doctores ſupra *cap.* 5. §. 4. *num.* 41. recenſiti tum quia

ſi ſemel

ſi ſemel aperitur hoc oſtium, vt ſola immortificatio voluntatis, vel paſſionis, ſeu priuatio perpetua oblectationis, qua quis agendo aliquid indifferens ſibi valde iucundum, cui peccatū alterius annectitur, frueretur, graue incommodum ſtatuatur, & ſine alia cauſſa legitima ſatis ſit, vt materiam, vel occaſionem indifferentem alteri abuſuro licitè poſſit ſubminiſtrare, abuſumq; & peccatum ipſius permittere; profectò caritatis erga proximū naturale diuinumq; præceptum, magna ex parte conuelletur, plurimiq; caſus, qui velut rei manifeſti mortalis ſcandali, reiecto iſto oblectationis ſēper ſubtractæ incōmodo, vel prætextu, a cunctis Theologis apud Thomā Sanchez *lib. 1. Decal. c. 6. &* 7. apud Caſtro Palao *Tom. 1. Tract. 6. diſp. 6.* apud Dianā *par. 5. Tract.* 7. & apud alios, ob talē duntaxat rei indifferentis ſine iuſta cauſſa ſubminiſtrationē, omnimode damnantur: hoc eodem incōmodo, prætextuq; ſomniato, planè abſoluentur, ſed contra mentem omnium Doctorum. At hoc eſt maximè abſurdum, vt conſtat. Ergo & id, vnde ſequitur. Confirmatur, quia alioqui hoc pacto excuſarentur quoq; a mortali quicunq; morem oſculandi promiſcuè mares, & feminas in aliquam regionem, vbi erat omnino inſolitus, primò inferrent, cauſſando nimirum talis moris priuationem perpetuam graue ſibi eſſe incommodum; vt perſpicuum eſt ex pari omnino, non tàm ratione, quàm prætextu. Imò ij ne venialiter quidem peccarent, ſiquidem ad vitandum graue id incommodum, nouum huiuſmodi morem primi inueherent, vt e generali Theologorum doctrina compertum eſt. At talis prætextus grauis incommodi in hoc deoſculandi more ſemper omittendo eſt penitùs inanis, adeòq; non excuſat etiam a mortali, ne dum a veniali, primò inuehentes, vt certum eſt, & infra diſput. 2. a fortiori reuincetur. Ergo pariter certum eſt, prætextum grauis incommodi in negligendo ſemper ſuperfluo valde ornatu eſſe commentitium, ideoq; nec excuſari a lethifera culpa illas, quæ eo innituntur. Quod ſanè graue incommodum in omiſſione perpetua immodici ornatus valde ad malum prouocantis nequit iure prætexi, non ſolùm quando ipſi prouocati ſingillatim, & determinatè comperti ſunt; ſed neq; etiam quando ijdem generatim tantùm, & indefinitè cogniti ſunt, dummodo periculum ex ornatu profectum, ſit proximum, & in occaſione certa & determinata agnoſcatur, vt ex longa hac de re diſputatione *cap. 5. §. 4. num. 31.* & deinceps enodatā manifeſtè reuincitur: nam ea tota hîc replicata ad vnguem, hoc ipſum extorquet, vt fuſiùs etiam infra meliuſq; explanabo. Confirmatur præterea, quia eodem prætextu excuſaretur etiā quilibet a pluribus legibus Eccleſiaſticis, vel etiam a ciuilibus obſeruandis, vt a ſeruando ieiunio Quadrageſimali, a carnis abſtinentia quouis die Veneris, & Sabbati, a ſoluendis iuſtis tributis, &c. quia talium legum executio multo plus grauioris incōmodi affert hominibus cōmuniter, quàm priuatio valde immodici ornatus feminis, vt patet: & tamen certum eſt, talem prætextum inanem eſſe, nec talia incommoda excuſare ab obſeruantiâ prædictarum legum. Ergo multo minùs prætextus grauis incommodi ex omiſſione immoderati valde ornatus a culpa feminas eum geſtantes liberat, vt palàm eſt.

§. XIII.

§. XIII. Effugium II. de inculpatæ pulchritudinis exemplo reijcitur.

CLX. Pulchritudo, & concupiſcentia Deo neuquam vitio verti, etſi multa culpa inde oriãtur.

FAteor non inuitus, pulchritudinis naturalis eam eſſe vim, vt ſupra §. 1. e Caietano, Leſſio, & Layman retuli, vt ad laſciuiam prouocet, & quidẽ multo magis, quàm artificioſa: Sed quorſum id? Tota hæc prouocatio omnino inuoluntaria per ſe eſt, & ab Auctore naturæ Deo vis blãda ac pellax naturali pulchritudini ob ſanctiſſimos, & iuſtiſſimos fines tũ generationis, & conuerſationis humanæ, tũ boni Vniuerſi indita eſt; eodemq; modo & concupiſcentia cuique hominum a Deo pariter inſita eſt. Vnde fit, vt peccata, quæ ex pulchritudine, vel ex concupiſcentia oriuntur, Deo non imputentur, nec tribui poſſint, tum ob alias rationes, tum ob hanc etiam, quia quum ipſe pulchritudinem, & cõcupiſcentiam, res indifferentes per ſe, ob ſanctiſſimos, & iuſtiſſimos ſuos fines hominibus indat, etiamſi homines vtraque ad multa peccata abutantur, non tamen ideo tenetur hæc impedire, quum legitimas, & iuſtiſſimas cauſſas habeat vtramque illam inſerendi, & iſta permittendi. At ab huiuſmodi exemplo gradum facere ad notabilẽ ornamentorũ exceſſum, libidinis valde prouocatiuũ, qui merè volũtarius eſt, vt patet, facileq; ſine graui incõmodo vitari poteſt, & nihil vtilitatis, ſed plurimum incommodi habet, vt probaui; a mortali culpa liberandum, euidens paralogiſmus eſt. Nam hic nulla iuſta, & legitima cauſſa in talibus circumſtantijs aſſignari poteſt; illic verò præſto eſt & multiplex, & grauiſſima.

Pulchritudo, & concupiſcentia eſt mulieri inculpabilis, quia non eſt volũtaria; ornatꝰ verò prouocatiuus valde, mortalis eſt, quia liber.

CLXI. Vt probatur.

Vnde ſic argumentum retorqueo. Fingamus aliam rationem generis humani conſeruandi, & ad generationem alliciendi, quàm per pulchritudinem, & concupiſcentiam, a Deo fuiſſe initam, homineſque ſine vtraque naſci; eſſe tamen in poteſtate cuiuſque alterutram, vel vtramque ſibi, vel alteri pro libito inſerere. Tum ſic. In tali caſu homo quilibet addẽs ſibi, vel alteri pulchritudinem, vel concupiſcentiam extra iuſtiſſimos eos fines, quos Deus de facto, quum vtramque indit hominibus, habet, etſi ille homo præuideat tam concupiſcentiã, quàm pulchritudinem tot delictorum fore ſeminarium, vt iam de facto ſunt, ſine dubio peccaret mortaliter, & reus eſſet omnium peccatorum, quæ inde orirentur; quia voluntariè omnino eam pulchritudinem, vel concupiſcentiam adiungeret, penſatiſque omnibus cauſſam iuſtam, quæ tot peccatis pullulaturis præponderaret, minimè haberet, quo alterutrã, vel vtramque ſibi, vel alteri licitè poſſet adiungere. Lõgè plurimum enim damni hinc generi humano emergeret, boni parum; & nullo modo tantum, vt tot maiora damna, & mala poſſet permittere; atq; adeo cenſeretur cauſſa moralis, ſaltem indirecta tot malorum, ac damnorum. Ergo de facto iam quæ exceſſum ornatus valde notabilem adhibent; quẽ ſciunt multorum delictorum eſſe prouocatiuum, mortaliter peccant, quia voluntariè hunc adhibent, & iuſtam cauſſam adhibendi non habent, facileque eum poſſunt omittere, & in adhibendo nihil vtilitatis, ſed incommodi plurimum ineſt.

CLXII. Diuerticulũq; intercluditur.

Dices has excuſari, quia per talem ornatum feminę iuſtiſſimos fines, quos Deus in naturali pulchritudine concinnanda de facto reſpicit, imitantur, ac iuuant. Sed contra eſt I. quia Deus in Scripturis, vt ſupra *cap.* 2. vidimus, ornatum ſuperfluum, de quo ſolo loquimur, palàm improbat, ac ve-

Deus enim ſuos fines hic non patitur ar-

tificio iuuari.

tat. Ergo vetat etiam apertè tales ſuos fines huiuſmodi ſuperfluo ornatu quæſito iuuari, vt patet. II. quia hoc etiam prætextu liceret adoleſcentibus matrimonij ineundi gratiâ valde calida comedere, ad carnis concupiſcentiam irritandam; ſi quidem hanc Deus hominibus matrimonij, & generationis cauſſa de facto indidit, vt liquet. Et tamen certū apud omnes eſt, nefas eſſe puellæ, vel adoleſcenti mariti, vel vxoris quęrēdi gratiâ calida ad carnis concupiſcentiam prouocandā comedere. Ergo in hoc etiam caſu nefas homini eſt, imitari, vel iuuare eos fines, qui licèt reſpectu Dei iuſtiſſimi ſint, nō tamen reſpectu hominum. Nam quū Deus media ad tales fines perfectiſſima conſtituerit, non patitur hîc operā ab hominibus addi, niſi vbi ipſa natura deficit, ad naturalem aliquam turpitudinem tegendam, vel etiam ad moderatum honeſtumque ornatum pro cuiuſque conditione, & gradu. Idcirco Patres illas, quæ hoſce limites excedunt, immodicoque cultu, & fucis naturalem pulchritudinem adulterāt, tam ſeuerè iure optimo increpant, habetq; hîc locum pulchrè illud, quod ſupra ex S. Petro Eremita num. 94. memoraui: *Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tentetis addere, quæ ſapienter non dedit*: & illud, quod ex Vopiſco *num.* 91. notaui: *ſat ignium feminam inornatam circūferre, ſtultum eſſe ab alijs nouos mutuare, ni proſtituere vltro cum gemmis vxorem voles.*

§. *XIV. Effugium III. de odioſi viri exemplo refellitur.*

C LXIII. *Chriſtus meritò ſcandalum Iudæorum permiſit.*

Omitto, quod ſupra ex Armilla §. 1. *num.* 16. adduxi, Chriſtum Dominum, verba Euchariſtiæ, quamuis ſciret multos ſcandalizandos, tamen protuliſſe. Quum enim iuſtiſſimam, & grauiſſimam cauſſam proferendi haberet, Iudęorum ſcandalū erat merè paſſiuū, & Phariſaicū, vt certū eſt.

C LXIV. *Odio habitus poteſt domo exire, & permittere occaſionē odij.*

Addidi *ibidem* aliud exemplum de eo, qui odio habetur a multis, nec ob id tenetur publico abſtinere, vt inimicis non detur occaſio odij. Verùm id nihil prorſus vrget. Propterea enim is non tenetur abſtinere publico, quia nimis graue ſubiret incommodum, ſi domi, velut carcere incluſus, perpetuò vel diu continere ſe cogeretur. Sicut etiam Doctores communiter cenſent, vt ſupra *cap.* 5. §. 3. *nu.* 28. animaduerti, mulierem poſſe domo ob honeſtos fines, licèt ſciat ſe turpiter deſiderandam, exire, quia nimis graue eſſet ei, ſi domi ſemper manere cogeretur. At verò quando mulier ad feneſtram offert ſe oculis alicuius deditâ operâ, a quo ſe nouit turpiter expetēdam, tametſi ipſa id non quærat, neq; ſibi in hoc complaceat, ſed tantùm ex vanitate ita ſe cōſpiciendam præbeat, Doctores cuncti, vt *cap.* 5. *cit.* §. 3. *num.* 29. vidimus, eam peccati mortalis damnant, quia in ea oblatione nihil eſt vtilitatis, & facilè ea poteſt vitari. Iam ſicut per omnes Doctores mulier ob honeſtos fines poteſt domo egredi, & permittere ſe malè concupiſci, quia nimis graue incommodum ſubiret domi longo tempore ſe continendo: ita non tenetur qui odio habetur a multis, abſtinere publico, ſed poteſt permittere ſui odia aliena, quia nimis graue onus ſentiret, ſi domi diu manere cogeretur.

CLXV. *Mulier tamen tenetur abſtinere ornatu valde prouocati-*

At ſicut mulier ex vanitate tantùm ſe offerens conſpiciendam ad feneſtrā ei, a quo nouit ſe turpiter deſiderandam, in ſententia omniū peccat mortaliter, quia id nihil habet vtilitatis, & facilè vitari poteſt: ita pariter ſuperfluus, & valde immodicus ornamentorum

uo laſciuia. rum exceſſus, quia commodè vitari poteſt, & nihil habet vtilitatis, imò plurimum incommodi, quocirca in varijs quoq; vrbibus pleræq; leges latæ ſunt vetantes ob bonum publicum huiuſmodi exceſſum; erit mortalis, quum eius occaſione etiam multi ad praua deſideria prouocentur, quemadmodum conſpectu quoq; ſolius vultus feminei ad feneſtram multi pariter ad laſciuiam irritantur; & tam certò de illis, quàm de iſtis mulieri conſtare poteſt.

CLXVI. Etſi prouocet aliquē indetermi natè ſolùm. Dices, diſparem omnino eſſe rationem. Quandoquidem duplex caſus tam de viro, qui odio habetur, quàm de muliere, quæ ad feneſtram ab aliquo malè appetitur, a Doctoribus traditur, ac intelligitur de certis, & compertis perſonis ſingularibus, quæ odiſſe, vel malè appetere noſcuntur. At verò prouocatio ad laſciuiam ex immoderato mulierum ornatu exiſtens in caſu hîc explicato non tantùm perſonas ſingulares, & determinatas, ſed etiam indeterminatas, & generatim tantùm notas reſpicit, ac proinde fruſtra a priori caſu ad poſteriorem fit illatio. Reſpondeo iam ſupra *cap.* 5. §. 4. *num.* 31. *& ſeqq.* ſolidè probatum eſſe, quoties æquè certa notitia habetur tam de vno ſingulari agnito, quàm de aliquo indefinitè tantùm noto, quorum vterque in peccatum lethiferum ex occaſione indifferenti, a me ſine iuſtâ cauſâ, ſuppeditatâ lapſurus eodem modo cernitur, inane eſſe diſcrimen, & tā in ſecundo, quàm in primo caſu peccari mortaliter ob rationes ibidem expoſitas. Atqui in præſenti caſu mulieribus ſuperfluè ſe ornantibus *meridiana luce clarius patet, fore vt ob id a pleriſque iuuenibus turpiter amentur*, vt diſertè teſtatur Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 6. *num.* 17. & fatetur Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *pun.* 7. *num.* 1. conuincitque ipſamet experientia, pleraſque feminas tam certas eſſe, minimeque dubitare tam de ruina nō nullorum generatim, quàm de alicuius determinati. Ergo iſtæ a lethifera culpa per huiuſmodi diſcriminis effugium nequeunt excuſari.

§. XV. *Effugium IV. de ornatu ſuperfluo remotè tantùm ad malum prouocante refutatur*

Aliquis fortè e Caietano ſupra §. 1. *num.* 15. & Leſſio *num.* 17. relatis immodicum ornatum a mortali excuſabit, quia hic ad laſciuiam remotè tantùm prouocat. *CLXVII. Ornat' valde prouocans ad libidinē nō remotè, ſed proximè prouocat.*

At neque hoc aſylum tutum eſt, facileque expugnatur. I. quia quum quæſtio, & ſuppoſitio hîc fiat de ornatu notabiliter ad Venerem prouocāte, idem omnino realiter eſt, notabiliter prouocare, ac proximè prouocare, vt infra liquebit.

II. Quia ita ſe habet ornatus feminæ immodicus, laſciuiæ prouocatiuus, ad ipſos prouocatos, ſicut ſe habet ſola pulchritudo naturalis eiuſdem feminæ obiectæ ad feneſtram illi, a quo ſe nouit turpiter deſiderandam, ad ipſummet deſiderantem: nec aſſignari poteſt differentia, cur hæc magis proximè, quàm ille, ad malum prouocet, vt planum eſt. Ergo quum in hoc caſu mulier ex omnium Doctorum ſententia *cap.* 5. §. 3. *num.* 29. ſæpius citatâ, licèt dicas eius pulchritudinem remotè tantùm ad peccatum alterius concurrere, delinquat mortaliter; eodem etiam modo peccabit quoque mortaliter ſuperfluo valde ornatu ad malum prouocans, quum is ad malū tam proximè, quàm pulchritudo natu- *CLXVIII. Aut ſi remotè ſolùm, adhuc lethalis eſt.*

talis concurrat. Ergo ſi ad culpam mortalem incurrendam ſufficit, vt hæc remotè ſolùm concurrat, ſufficit quoque ad eandem contrahendam, vt ille pariter remotè dumtaxat cooperetur, vt palàm eſt. Quod ſi dicas, pulchritudinem proximè ad peccatum alterius cõcurrere, & ideo grauiter mulierem delinquere; fit, vt grauiter quoq; peccet, quæ valde immodicè ſe ornat, quia tali immodico ornatu æquè proximè ad malum, ac pulchritudine ipſâ prouocat, vt indicatum eſt; inſuperque huiuſmodi ornatum immodicum voluntariè omnino adhibet; ac per hunc tantummodo delinquit, nullo autem modo per naturalem ipſam pulchritudinem, quam à natura accipit quidem, ſed non voluntariè ſibi fabricat. Ergo ſi pulchritudo naturalis ad peccatum alterius proximè cõcurrit, multo magis, vel ſaltem æquè proximè ad idem concurrit etiam immodicus ornatus.

Aut tã proximè prouocat, quàm ipſa pulchritudo.

CLXIX. *Licèt autẽ minùs, quã pulchritudo ꝓuocet, adhuc tamen proximè prouocat.*

Dices I. ornatũ, quia minùs, quàm pulchritudo, ad malum allicit, remotè tantùm concurrere; pulchritudinem autem, quia magis incitat, proximè, ideoque mulierem ipsâ pulchritudine ſine iuſta & legitima cauſſa, oculis aliorum expoſitâ, incitantem proximè ad malum, lethaliter peccare; non autem ſuperfluè ſe ornantem, quia per talem ornatum minùs ad peccatum allicit, ac proinde remotè tantùm. Sed contra eſt I. quia quando duæ cauſſæ ad vnum effectum concurrunt, etiamſi vna minùs, quàm alia, concurrit; ſi tamen vtraque æqualiter applicata eſt, vtraque etiam æqualiter ſiue proximè, ſiue remotè concurrit, vt patet primò, in ſententia eorum, qui ſubſtantiam immediatè actiuam, & tamen principaliùs, quàm accidentia immediatè pariter actiua, agere, & nihilominùs tam hæc, quàm illam, proximè operari tradunt. Deinde, etiam in moralibus quamuis vſurarius ad vſuram magis, & principaliùs, quàm notarius, qui inſtrumentum conficit vſurarium, & alij, qui partes ipſius Vſurarij agunt, vel contractum vſurarium ſuadendo, vel procurando, vel componendo, vel ad exactionem vſurarum operam præſtando, concurrit; tamen certum eſt, & hos minùs principales actores ad vſurã proximè concurrere, ideoque & mortaliter delinquere, & ad reſtitutionem in ſolidum teneri. Ergo licèt pulchritudo magis, quàm ornatus, ad malum incitet; quum tamen vtraque cauſſa, ſeu occaſio ad effectum alliciẽdi ad libidinem ſit æqualiter applicata, vt conſtat: etſi ornatus minùs allicit, non tollitur tamen, quin adhuc proximè alliciat.

CLXX. *Vt patet etiam experiẽtia.*

Contra eſt II. quia experientia docet pleraſq; feminas inornatas, cultuque neglecto incedentes, naturali pulchritudine vel nullâ, vel exiguâ admodũ præditas nõ incitare cõmuniter ad malum; tamen eaſdẽ immoderato valde ornatu ſuperaddito, plurimis eorum, quos antea minimè lædebant aſpectæ, libidinis faces inijcere, ſcandalumque præbere. Ergo ſiue proximè, ſiue remotè id faciant, adhunc peccãt lethiferè. Conſequentiam probo, quia ornatu ipſo in cauſſa proxima ſunt, vt eo coniuncto cum pulchritudine, ad mortale proximè alliciant, explẽtque voluntariè, & proximè ſine iuſta cauſſa ipſam pulchritudinis ad malum incitantis efficaciam. Confirmatur, quia qui alium ferè ebrium ad vini poculũ ebibendum, quo fit ebrius planè, rationiſque vſum notabiliter primò amittit, impellit, peccat ſine dubio in omnium opinione mortaliter: & tamen poſtremum poculum non ſufficit per ſe ad inebriandum, multoque minùs in ebrietatem, quàm præcedentia pocula

ab eo

ab eo prius exhauſta, influit: quanquã æquè proximè influit tam illud, quàm iſta. Ergo non ſecus, etſi ornatus minus alliciat, quàm pulchritudo, dum tamen concurrit, & facit, vt libidinis ebrietas in altero ſequatur, quam ſola pulchritudo non effeciſſet; & hæc magis ad malum incitat, quàm illa; adhuc nihilominus æquè proximè ad malum incitat, & æque proximè ei cooperatur, adeoque & culpæ mortali obnoxius eſt. Idemque ſequitur quoque, ſiue alias tam vltimum poculum, quàm minus principales Vſurarij cooperatores remotè tantum ad ebrietatem, & vſuram concurrere: adhuc quippe quum certum ſit, ab ijs peccari lethiferè, idem quoque & in immodico ornatu, licèt remotè ſolum ad malum alliciat, continget; non enim idcirco a mortali eximetur.

CLXXI. *Ornatꝰ tamen lethalis non eſt, ſi leuiter ſolùm ad malum prouocat.* Dices II. hinc ſequi, omnem leuem ornatus exceſſum euadere mortalem, quia omnis talis exceſſus etiam leuis explet efficaciam pulchritudinis laceſſentis ad laſciuiam. Contingere enim haud rarò poteſt, vt ſi ad notabilem prouocationẽ octo gradus exigi ponamus, plerarumq; mulierum pulchritudo gradus prouocandi quinque dumtaxat habeat, ornatus autem moderatus duos, leuis verò exceſſus vnũ. Quamuis etiam alij gradus vltra octo ſuperaddi hîc plures poſſint. At hic vnus octauus gradus leuis eſt, & efficaciam prouocandi ad malum explet, vt liquet. Ergo quæ hunc exceſſum ornatus leuem adhibet, peccat lethaliter, quod eſt abſurdum. Reſpondeo concedendo ſuppoſitionem, & negando conſequentiam. Ratio eſt, quia ſicut licèt ipſa pulchritudo naturalis in pluribus ſit ad laſciuiam notabiliter prouocatiua, hoc eſt, octo gradus prouocandi ad minimum habeat; vel certè ipſa pulchritudo, & ornatus moderatus ſimul iuncti totidem gradibus prædíti ſint; nihilominus fas eſt, hunc geſtare, & illam oſtendere quoties hanc ſubducere, & illum omittere, graue incommodum eſt, vt ſupra cap. 6. §. 1. num. 1. & ſeqq. patefeci; ita prorſus mortalis culpa non eſt, leuem exceſſum ornatus adhibere, quoties in hoc diſcriminando graue incommodum ſubitur, etiamſi is, addendo vnum gradum prouocandi alijs ſeptem gradibus a pulchritudine, & ornatu moderato conflatis, efficaciam prouocandi expleat. quod ſanè incommodũ graue ſubiri omnino, quoties quis ad omittendum leuem exceſſum ornatus adigitur ſemper, iam ſupra loc. cit. num. 2. demonſtraui.

§. XVI. *Effugium V. de ruina proximi immediatè cauſſata a voluntate dumtaxat eiuſdem proximi ſponte peccantis exercitur.*

CLXXII. *Cõpluſres euaſiones indicãtur.* EX ijs, quæ ſupra num. 14. & 15. e Caietano, & alio doctiſſimo Theologo deprompta ſunt, aliquis fortè aliud argumentum exprimet, quod vt in varias formas ducitur, ita partitè proponi poteſt. I. eſſe præter intentionem primi ornantis ſe nouo exceſſu, vt alij hoc exemplum imitentur. II. Quemlibet ſequentem malum exemplum alterius, voluntariè inferre ſibijpſi damnum. III. propriam cauſſam concupiſcentiæ eſſe voluntatem concupiſcentis viri; mulierem autem ornantem ſe vanè, neq; per ſe, neq; per accidens volentem ſe concupiſci, non cauſſam, ſed occaſionem tantùm eſſe ruinæ alterius; ideoq; non imputandũ mulieri caſum viri concupiſcentis: neq; ex illius opere, quamuis det operam rei illicitæ, ruinam alterius cauſſari, ſed ex mala voluntate virorum.

IV.

IV. efficaciam periculi naſci non ex ipſo ornatu immediatè, ſed ex temeritate eorum, qui experti periculum e conſpectu ornatæ feminæ, hanc nihilominùs volunt aſpicere. V. ex Leſſio ſupra num. 17. relato, peccatum eorum, qui ornatam intuentes feminam, delinquunt, non ex conditione ornatus, ſed ex malitia ipſorum prouenire. VI. addi ex Petro Lorca *p.* 2. *Tom.* 2. *q.* 73. *art.* 8. cui ſubſcribit Diana *par.* 2. *Tract.* 15. *Reſol.* 30. initio, *hanc habendam eſſe regulam generalem, vt ille effectus non augeat malitiam, neq; imputetur, qui ſequitur per accidens, etiamſi præuiſus ſit, dummodo non ſit formaliter intentus*: ac proinde ruinam cuiuſcunq; ex ornatu feminæ non poſſe huic imputari, niſi hæc illam formaliter intendat.

C LXXIII. *Quæ cõceduntur, ſi de leui tantùm prouocatione loquãtur, ſecus ſi de notabili.*

At hæc omnia, & ſimilia, ſi de ornatu muliebri ad praua deſideria leuiter dumtaxat incitante accipiantur, quemadmodum ab Auctoribus accipiuntur, concedi poſſe, & nihil officere inſtitutæ quæſtioni, iam ſupra §. 3. *num.* 26. *& ſeqq.* docui. Cæterùm ſi quis fortè contendat præterea huiuſmodi machinamentis ornatum mulieris notabiliter etiam ad laſciuiam prouocantem a lethifero delicto planè eximi, aio rotundè hæc omnia doctrinæ capita, axiomata, regulas, vel argumenta eſſe palàm falſa, omniq; probabilitatis ſpecie carere. Quam ego notam ijs nõ auderem vllo modo inurere, niſi ijſdem nonnullas Theologorum omnium ſententias, & doctrinas, certas prorſus atq; indubitatas, manifeſtò, temereque ſubrui, atq; euerti animaduerterem.

C LXXIV. *Quæſtio hic eſt de intẽtione mala.*

Sed primò, obſeruandum, hîc non eſſe quæſtionem de mulieris intentione directè mala, qua directè intendat aliquid, quod reipsa peccatum eſt, vt quum vult ſe ab alio aſpici eo fine, vt ab ipſo prauè appetatur, etſi hanc ſui appetitionem non ſemper, quatenus alterius peccatum, & malum eſt, directè intendat. Extra controuerſiam enim apud omnes eſt, tum mulierem lethiferè delinquere: ſed quæſtionem totam eſſe de intentione tantùm indirecta, qua aliquid agit, vel ait, quod vel peccatum eſt, vel peccati ſpeciem habet, aut indifferens de ſe eſt, ex quo tamen alium in peccatum ruere cernit, quanuis ipſa id non intendat, num ipſamet femina rea ſcandali nihilominùs ſit? *indirectè ſolùm*

C LXXV. *Scandalum actiuum per ſe ex directa intẽtione mali, vel indirecta.*

Obſeruandũ ſecundò, a D. Thoma 2. 2. q. 43. *art.* 1. ad 4. vt ſupra *c.* 5. §. 1. *et c.* 7. § 5. iam docui, ſcandalũ in actiuũ, & paſſiuum diuidi: actiuumq; vocari ſcandalum per ſe, idque duplex cenſeri, primò, quum quis malo verbo, vel dicto intendit alium ad peccatum inducere; & de hoc nullus, vt dixi, hîc ſermo eſt. Secundò, quum quis etiamſi hoc non intendat, tamen videt factũ, dictumue ipſum de ſui ratione eſſe inductiuum ad peccatum, aut quia ipſum peccatum etiam eſt, aut quia ſimilitudinem ſaltem peccati habet.

Paſſiuũ verò ſcãdalũ per accidens eſt.

Paſſiuum autem appellari ſcandalum per accidens, nempe peccatum alterius, quod fit præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, ex mala peccantis diſpoſitione, vt quũ aliquis inuidet bonis aliorum. At idem S. Doctor ibidem *art.* 3. aliter omnino ſcandalũ per ſe, & per accidens, quàm *art.* 1. *ad* 4. fecerat, his verbis interpretatur: *Scandalum autem actiuum poteſt accipi dupliciter, per ſe ſcilicet, et per accidẽs. Per accidẽs quidẽ, quãdo eſt præter intentionem agentis, vt puta quũ aliquis facto ſuo, vel verbo inordinato non intendit alteri dare occaſionem ruinæ, ſed ſolùm ſuæ ſatisfacere voluntati. Et ſic etiam ſcandalum actiuum non eſt ſpeciale peccatum, quia*

Aliter vtrũque accipitur etiã.

quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem. Per ſe autem eſt actiuum ſcandalum, quando aliquis ſuo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum, & ſic ex intentione ſpecialis finis ſortitur rationem ſpecialis peccati. Hæc S. Thomas, vbi S. Doctor propoſito titulo initio articuli, *vtrum ſcandalum ſit ſpeciale peccatum*, quanquam, quum ſcandalum eſt tantùm per accidens, præter intentionem iuxta primum diuiſionis mēbrum, negat tale ſcandalum actiuum eſſe ſpeciale peccatum; non tamen negat, ſed potiùs apertè agnoſcit eſſe nihilominùs ſcandalum generale. Agnoſcit quippe eſſe ſcandalum actiuum per accidens, vt expreſsè declarat. Ergò id ſcandalum actiuum per accidens, aut generale, aut ſpeciale eſt. Non ſpeciale, quia id palàm reprobat. Ergo neceſſario generale, de quo nullum apud Doctores dubium eſt, quin ſit in confeſſione neceſſariò explicandum, quando mortale eſt, vt *cap.* 5. *nu.* 21. vidimus. Quinimò idem S. Thomas *art.* 4. quærens, *vtrum ſcandalum ſit peccatum mortale*, dilucidè decernit ſcandalum actiuum per accidens, tunc eſſe *peccatum mortale, ſiue quando cōmittit actum peccati mortalis, ſiue quādo contemnit ſalutem proximi, vt ſi pro ea conſeruanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit.* His circa modum loquendi ad æquiuocationes tollendas enucleatis,

Scādalum actiuū per accidēs generale admittiī ab omnibus DD.

CLXXVI. *Quæſtionis circūſcriptio.* Obſeruandum tertiò, hoc loco controuerſiā eſſe de muliere, quæ neq; intendit alicuius ruinā, aut actū peccati, neq; ipſa opus per ſe mortiferum agit, ſed ornatu tātùm immoderato, ac proinde illicito, ſed notabiliter inſuper ad libidinem incitante, talis prouocationis ſatis gnara, vtitur; quem quum ſine graui incommodo poſſit exuere, tamen ſine legitima cauſſa geſtat, atq; ita ſalutem proximi contemnit. Quamobrem iuxta normam loquendi S. Thomæ, eiuſque Sectatorum *loc. cit. art.* 2. *ad* 4. quæri poteſt, vtrum hîc adſit actiuum ſcandalum per ſe ſecundo modo dictum, quatenus mulier, etſi peccata aliorum non intendit, gerit tamen immodicum ornatum notabiliter ad peccatum prouocantem, ac proinde talis ornatus illius, & ſpeciem mali habet, & illicitus eſt, quod ego ſanè affirmo. Deinde iuxta *ar.* 3. & 4. citatos conſtat, hîc ſolum ſcandalum actiuum per accidens interuenire poſſe. Quibus explanatis probo, quod ſum pollicitus.

Hic adeſt ſcādalum actiuū per ſe, & per accidēs.

CLXXVII. *Si prætextus allati forēt legitimi, non daretur mortale ſcandalum actiuum per accidens, ac generale.* Primò principaliter, certiſſima Doctrina ea D. Thomæ, & ab omnibus Theologis probata eſt, vt *cap.* 5. *num.* 21. planum feci, quum quis facto, vel dicto inductiuo ad peccatum, ſeu illud peccatum quoq; ſit, ſeu tantùm peccati ſpeciem habeat, eum peccare peccato ſcandali actiui generalis, quando peccatum alterius eſt præter intentionem operantis; & mortaliter delinquere, ſi ad mortale delictum, factum ipſum, vel dictum inducit. At hæc doctrina indubitata, a qua nec Caietanus, nec Leſſius, nec Lorca abit, nec quiſquam alius diſſentire, niſi improbabiliter, poteſt, regulis ſupra allatis euidenter eluditur, ac de medio tollitur, quod temerarium planè eſt.

CLXXVIII. *Quia id ſemper præter intētionē operātis ſequitur.* Nam I. in tali doctrina, & caſu ſupponitur peccatum alterius ſequi præter operantis intentionem; & tamen operans non eximitur propterea a mortali. Ergo falsò, & temerè prætexitur, ad immodicum ornatum a mortali liberandum, ſufficere, quòd peccata intuentium ſequantur præter intentionem ornantis ſe; alioqui & in priori caſu S. Thomæ *art.* 3. *cit.* operans eodem modo a tali culpa liberabitur; quod falsò, & temerè dicitur.

Et alter peccãs, voluñtariè ſibi damnũ infert.

CLXXIX. II. In hoc item caſu qui peccat facto, vel dicto alterius inductus, voluntariè ſibimet ipſi peccati damnum infert: & tamen inducens ad peccandum a mortali non excuſatur, niſi falsò, ac temerè. Ergò licèt ornatam mulierẽ aſpicientes, & malè hinc appetentes, voluntariè peccati dãno ſe afficiant; falsò tamen, ac temerè idcirco ipſa, quæ immodicè ſe ornat, a pari culpa excuſatur.

Et cauſſa propria ſui peccati eſt.

CLXXX. III. Peccati commiſſi ab eo, qui ab alterius dicto, vel facto ad id indirectè inductus eſt, propria cauſſa ſine dubio eſt voluntas ipſiuſmet inducti; & tamen temerè, & falsò mortalis delicti immunis cenſetur ipſemet inducens. Ergo pari falſitate, & temeritate immunis ſimilis peccati exiſtimatur ipſa, quæ immodico ornatu ad peccatum aſpicientes inducit, quamuis peccati aſpicientium cauſſa propria ſit horum voluntas.

Ornata mulier nõ cauſſa, ſed occaſio tantùm eſt alieni peccati.

CLXXXI. Dices. Mulier vanè ſe ornans, neq; per ſe, neq; per accidens volens ſe ab intuentibus concupiſci, non cauſſa, ſed occaſio eſt dumtaxat ruinæ intuentium. Ita eſt. Imò verò addo ego, licèt directè quoq; intenderet ſe ab ijs concupiſci, adhuc fore tantùm occaſionem, & non cauſſam ruinæ eorundem; tum quia intentio interna illi recta in ſcandali definitione, cuius eſt præbere alteri occaſionem ruinæ, quia non proponitur alteri, vt obex diſponens ad ruinam, non habet locum, vt *cap. 5. §. 4. num. 44. & 45.* cum S. Thoma oſtendi: tum quia adhuc eodem modo exteriùs peccato alterius, inordinatè agens, aut loquens, cooperatur, vt patet. Sed quid tum poſtea, etſi occaſio tantùm, & non cauſſa mulier immodicè ſe ornans, delicti aſpicientium ſit? Num ideo hoc nomine, mortalis culpæ reatum ſubito exuit? At falsò id, & temerè prorſus ſomniatur, quum Theologi omnes ſcandalum actiuum definiant eſſe, quod præbet alteri occaſionem ruinæ, notantque cuncti cum S. Thoma 2. 2. q. 43. *art. 1.* dici occaſionem, & non cauſſam, quia propria cauſſa peccati alterius ſcandalo ſuccumbentis, nonniſi huius voluntas eſt, vt ſupra c. 5. §. 1. *n. 3.* notaui; Ergo falsò quoque, & temerè, mulier immodicè ſe ornans, etſi occaſionem tantùm peccandi aſpicientibus præbet, a mortali idcirco ſubducitur.

Nõ ideo tamen immunis eſt ſcandali lethalis alterius.

Denique interrogo, quo ſenſu dicatur hîc a Caietano mulier vanè ornata, neque per ſe, neque per accidens volens ſe concupiſci? Si I. illud *per ſe*, valet idem, ac vbi quis intendit directè dicto, aut verbo malo ad peccatũ alium inducere, vt ſumit D. Thomas q. 43. *art. 1. ad 4. citato*; Nihil ad præſentem quæſtionem id facit, a qua talis intentio ſupponitur exulare. Si II. illud *per ſe* ſignificat eum, qui facto, vel dicto, quamuis præter intentionẽ directã alium ad peccatũ inducit, dictũq; ipſum, vel factũ, aut peccatum eſt aut peccati ſpeciem habet, vt accipit *ibid.* S. Thomas; tum malè hîc objicitur; quia caſus diuerſus a meo eſt. Nã in meo reuera mulier in hoc ſenſu per ſe vult indirectè concupiſci, illum ornatu immoderato, illicitoq; atq; ad peccatũ inductiuo vtitur. Si III. illud *per accidens* denotat merum ſcandalum paſſiuum, vt *ibidem* placet S. Thomæ, extra præſentem caſum quoque eſt, in quo de actiuo diſſeritur. Si IV. illud *per accidens* indicat præter directam intentionem agentis aliquem facto, vel verbo inordinato alterius delinquere, agentemque ſolùm ſuæ voluntati ſatisfacere, vt certè deſignat S. Thomas *ibid. art. 3. & 4.* malè item hîc talis caſus obtruditur, in quo mulier nec per ſe, nec per accidens velit ſe concupiſci. Quippe in præſenti caſu mu-

Quomodo per ſe vel per accidẽs concupiſci velit ab alijs.

ſu mu-

ſu mulier exornans ſe immodicè, per accidens vult ſe concupiſci, imò & per ſe in priore ſenſu iam explicato. Ergo falsò, & temerè præſens caſus talibus regulis oppugnatur.

CL XXXII *Etſi efficacia periculi immediatè oriatur a temeritate aſpicietis, non tamen excuſatur a mortali immodicè valde ſe ornãs.*

IV. Etſi efficacia periculi non ex ipſo ornatu immediatè, ſed ex temeritate intuentium oriatur; temerè nihilominùs, & falsò a mortali ornans ſe valde immodicè eximitur; ſic quippe & eximeretur quicunque ſine directa intentione ſcandalum actiuum per ſe, vel per accidens ſupra expoſitum alteri præbet, quod tamen falſitatem, & temeritatem ingerit manifeſtam, vt liquet ex dictis.

CL XXXIII. *Fruſtra qi malitia ſolùm cõcupiſcẽtium illã culpa imputatur.*

V. Quod peccatum intuentium, & concupiſcentium ornatam feminam, non ex conditione ornatus, ſed ex malitia ipſorum prouenire dicatur, fruſtra omnino dicitur. Nam eodem modo, ac iure peccatum ſcandali actiui generalis in caſu ſupra *num.* 176. & 177. expoſito, & ſimiliter in alijs in malitiam ſcandalo alterius cedẽtium, & pereuntium, non in conditionem dicti, vel facti obicem ponentis alteri refunderetur; quod falſum iuxta, & temerarium eſt, vt patet. Ergo idem accidit in propoſito.

CL XXXIV *Perperamque effectus ſecutus per accidens dicitur.*

VI. Demum, quòd effectus ſecutus per accidens, licèt præuiſus, non imputetur, niſi formaliter intentus, regula eſt plena æquiuocationis, & fallaciæ. Quæro enim, quo ſenſu effectus ſequi per accidens dicatur? Num eo modo, quo paulò ante ex S. Thoma, & Caietano *num.* 181. explicatum eſt? At tum ineptè omnino huic caſui longè diuerſo talis effectus per accidens aptatur, vt eodem *num.* 181. patefactum eſt. Num quia talis effectus non eſt directè intentus? At tum pullulant alia abſurda iam iam enumerata, omneque ſcandalum actiuum indirectè tantùm intentum abrogaretur, ingenti falſitate, ac temeritate. Ergo a primo vſque ad vltimum doctrina certa relata *nu.* 176. & 177. regulis ſupra *num.* 172. recenſitis temerè falſoque eliditur, vel inaniter præſens caſus impetitur.

CL XXXV. *Tolliturque certiſſima doctrina de muliere rea mortalis temerè ſe obijciente oculis Caij cõcupiſcẽtis.*

Secundò principaliter, certũ apud omnes Doctores eſt, vt *cap.* 5. §. 3. *num.* 29. notaui, feminam, puta Semproniã, quæ domi ad feneſtram, ſuam naturalem pulchritudinem nullo penitùs ornatu præditam, Caio determinatæ perſonæ, a quo ſe turpiter concupiſcendam nouit, ſine mala intentione intuendam offert, peccare mortaliter, quia facilè poteſt ſe eius oculis non offerre, & nihil vtilitatis, vel neceſſitatis in offerendo habet. At hæc doctrina exploratiſſima ijſdem regulis *nu.* 172. commemoratis omnino iugulatur, ſed falsò, ac temerè, vt ex illis, quæ a *n.* 173. vſq; ad 185. diſputaui, ſi hîc pariter vrgeantur, replicentur, & applicẽtur, experiẽti perſpectum eſt. Nã I. Sempronia pariter, præter directam intentionem, eſt occaſio ruinæ Caio. II. Caius concupiſcens malè, voluntariè dãnum peccati ſibi infert. III. Sempronia peccati Caij occaſio tantùm eſt, cauſſa verò propria voluntas eiuſdem Caij, etſi per accidens, hoc eſt, indirectè, tale peccatum ab illa intenditur. IV. efficacia item periculi immediatè a temeritate Caij intuentis oritur. V. Caij malitia duntaxat, & non conditio pulchritudinis eodem modo accuſari poteſt. VI. denique, & effectus per accidens, non intentus, nec imputandus fingi poteſt. At hæc cuncta nullo modo Semproniam a mortali eximunt, vt liquet; eximerent autem neceſſariò, ſi regulæ illæ veræ eſſent. Ergo hæ falſæ, & temerè huc vocatæ. Ergo hæ ornatum notabiliter ad Venerem titillantem à mortali liberare non poſſunt.

CL XXXVI. *Nec reus foret ſcandali mortalis, q̃ ſuo furto dat alijs occaſionẽ furandi aboleretúrque omne ſcandalum actiuũ indirectũ.*

Tertiò principaliter, certũ itidem apud cunctos Theologos eſt, dari peccatum mortale ſcandali actiui, generalis ſaltem, quum quis peccato mortali, v.g. furando, occaſionem alteri furandi quoque præbet; etſi id minimè intendit, vt *cap. 5. num. 21.* animaduerti: eodemque modo idem peccatũ accidere, quoties quis ſuo delicto alteri ſimilis delicti occaſionem dat, quãuis directè id non intendat. At hoc quoque ſcandalum euidenter de medio tolli poteſt earundem regularum prætextu, illo præſertim, quòd efficacia periculi non naſcitur ex ipſo peccato primi furis immediatè, ſed ex temeritate ſecundi furis, & aliorum, qui ſentientes, & experientes periculum in alienis peccatis obſeruandis, nihilominùs temerè volunt obſeruare peccantes; non obſeruent, & nullum periculum habebunt. Atqui huiuſmodi prætextus omnino falſus, & temerarius eſt, ac proinde inualidus ad malitiam actiui ſcandali excuſandam. Ergo neq; ſufficit ad excuſandum a malitia ſcandali immodicum ornatum notabiliter inuitantem ad Venerem.

CL XXXVII. *Ornata nimis fœmina peccat, ob datũ ſcandalum facilè vitabile, ne verò ipſa aſpiciat, perdifficile eſt.*

Quartò principaliter, in communibus hominibus, vt Theologum diſertiſſimum philoſophantem egregiè legi, in ſecularibus viris præſertim, moraliter impoſſibile eſt, hoc eſt, ſummopere difficile, non aduertere ad mulieres nimis exceſſiuè ſe ornantes, eaſque non aſpicere. Quum igitur ex tali aſpectu periculum peccãdi creatur proximo, mulieres, quum poſſint facilè, & ſine multo incommodo ab huiuſmodi immoderato ornatu abſtinere, tenentur omnino.

CL XXXVIII. *Delinquit ẽt, quia temerè cõijcit aſpiciẽtes in magnas anguſtias.*

Quintò demũ principaliter, etiamſi concederem (quod minimè facio) ſcandalum hîc merè paſſiuum, a libero aſpectu eorum, qui periculum in ſe ex ornatæ feminæ intuitu experiuntur, & tamen adhuc intueri volunt, profectum: adhuc ſanè, vt ex eodem Theologo didici, negari non poteſt, quin viri aſpicientes in difficultates magnas inuigilandi, ne concupiſcentiæ motibus conſentiant; in maximas anguſtias, & perplexitates dijudicandi, an delectationi ſubrepenti conſenſerint &c. conijciantur. Quibus grauiſſimis oneribus quum poſſint facilè mulieres ſine vllo ſuo, vel ſaltem leuiſſimo onere viros liberare, ad id lege caritatis, depoſita nimietate muliebris mundi, planè obligantur.

CL XXXIX. *Peccant grauiter nouam veſtis formam proximo damnoſam inuehentes ex Caietano. A quo tamen fruſtra deinde excuſantur.*

Ex his facilè difflantur, quæ ex Caietano 2. 2. q. 169. *art. 2. Ad ſecundũ dubium, Verſ. Ad obiectionem* ſupra *num.* 14 recitaui, vbi valdè perturbatè is loquitur, quanquam ea præſentẽ quæſtionem nihil penitùs vellicant. Nam primò ait, *grauiter peccare primos, vtentes nouitatibus occaſionaliter damnoſis proximo, præferentes ſuæ vanitatis affectum proximorum neceſſitati.* Quæ ſententia, & cenſura legitima, & vera eſt. Deinde hos ſtatim excuſat negans contra iuſtitiam, aut caritatem peccare, quia poſſunt cauſſari, ac dicere: Non imitetur *nos, qui non poteſt, vnuſquiſque faciat ſumptus iuxta ſuas facultates, & non ſit ſtultus.* At huiuſmodi excuſatio I. ſatis ex dictis perimitur, quia licèt peccatum a voluntate eius, qui liberè id admittit, cauſſetur, non tamen illius occaſio ſine præponderante cauſſa, vt hîc accidit, cuiquam danda eſt; alioqui hoc prætextu cuncta ſcandala etiam actiua excuſarentur, vt ſupra demonſtratum eſt, quod ſine temeritate affirmari non poteſt. II. ab eodem quoque Caietano *ibidem* ita non obſcurè reprobatur: *Valde tamen reprehenſibilis eſt iſte actus propter multas deformitates, & graues, quas habet, dum & conſuetudo violatur, & occaſio damni datur, & inanis*

nis gloria, ac ſtultitia non ſine ſcandalo committitur. Nàm ſi talis actus propter damni occaſionem datam, ſtultitiamque non ſine ſcandalo commiſſam &c. valde reprehenſibilis eſt, quo pacto, quæſo, tanquam innoxius excuſari poteſt? Hæc inter ſe quomodo cohærent? quo modo concinunt? occaſionẽ damni proximo datam quomodo intra paucos verſus nunc damnat, nunc abſoluit, nunc iterum damnat? Iſta componat alius; nam ego planè neſcio.

§. XVII. Effugium VI. de immodico ornatu ſolito, & innoxio eliditur.

CXC. *Immodicus ornatus defēditur ob conſuetudinē.*

RElìquum eſt, vt ornatui immoderato auxilium nonnemo a conſuetudine petat, illumque, vbi in morem iam abijt, non eſſe illicitum, aut ſaltem non lethalem, tueatur. Conſuetudo enim, vt rectè obijcit Carthuſianus in *Directorio Vitæ Nobilium art.* 15. habet vim legis, & ſingularitas eſt vitanda. Ergo matronæ puellæque nobiles debent ſe conformare conſimilibus ſibi, & non eſſe ſingulares. Ergo licèt ornatus foret maximè ad malum prouocatiuus, quum iam vſitatus eſt, poſſent mulieres, ac deberent eum induere. Et confirmatur I. quia nemo debet dare alteri occaſionem obloquendi, irridendi, indignãdi, ſimiliumque malorum, quippe ſic alium ſcandalizaret. At mulieres, quæ ab vſitato ornatu quamuis immodico diſcrepant, dant alijs occaſionem detractionum, irriſionum, atque indignationum. Ergo &c. Confirmatur II. quia conſueta minùs mouent. Ergo, vbi conſuetus iam euaſit ornatus immodicus, ad libidinem minùs incitat. Ergo ſicut nuditatem pectoris muliebris, vbi vſitata eſt, a peccato pleriq; Doctores ea propter, quia ad malum minùs incitat, immunem tradunt, vt infra *diſp.* 2. videbimus; eodem modo & ornatum quantuncunque immodicum, dummodo conſuetum, extra delicti aleam eſſe fatendum eſt. Hæc in ſpeciem ſatis neruosè.

CXCI. *Præceptum de vitando ſcandalo diuinum eſt, ac naturale.*

Sed animaduertendum I. eſt, præceptum de vitando ſcandalo proximi eſſe de iure diuino, in Euangelio a Chriſto Domino, vt bene idem Carthuſianus *loc. cit. art.* 12. obſeruat, perſpicuè inculcatũ. *Qui ſcandalizauerit,* inquit, Matth. 18. *vnũ ex ijs puſillis qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Rurſumque: *Væ mundo a ſcandalis.* Statimque poſt: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Imò vitandi ſcandali præceptum non tantùm de iure diuino eſt, ſed etiam de naturali, ab ipſamet natura cuique, vt idem Dionyſius Carthuſianus illic ſubdit, inditum. Quum enim teneamur proximos diligere, ſicut nos ipſos, vt mandat Chriſtus Dominus, *Matth.* 22. & monet ipſa etiam natura, nihil quippe tam naturæ conſentaneum eſt, vt ait S. Ambroſius ab eodem Dionyſio ibi laudatus, quàm naturæ conſortem amare, vnde & ab Eccleſiaſtico *cap.* 13. iure ſcriptum eſt, *omne animal diligere ſimile ſibi*; profectò præbere occaſionem ruinæ proximo, ſeu illum ſcandalizare, non ſolùm iuri diuino, ſed etiam naturali repugnat. *Quocirca ſuper præfata Chriſti præcepta, ac iura diuina de ſcandalis puſillorum,* inquit Dionyſius *loc. cit.* (*id eſt, hominum imperfectorum ad peccata procliuium*) *euitandis non cadit diſpenſatio, nec eis præiudicare poteſt aliqua conſuetudo: Sed omnis conſuetudo eis contraria eſt vitioſa, & magis dicenda eſt corruptela, quàm conſuetudo.* *Cui nulla conſuetudo obſtare poteſt.* *Quicquid enim contrariatur bonis moribus, aut Scripturis, ſeu iuri diuino, eſt corruptela, non conſuetudo bona: imò*

tanto eſt vitioſius, quanto conſuetius, vt Sancti Doctores, ac Præſules Cyprianus Martyr, & Auguſtinus Confeſſor teſtantur, quorum verba ſuper hoc in prima parte Decreti copioſè ſunt ſcripta.

CXCII. *Conſuetudo irrationabilis ſeu mala nō excuſat, ſed grauat.*

Animaduertēdum II. ſicut vitioſa conſuetudo reuera eſt corruptela, nihilque habet virium, vt in confeſſo eſt apud omnes; ita conſuetudinem omnem, quò ſit legitima, legemq; oppoſitam queat elidere, exigere neceſſariò e Doctorum omnium ſententia, vt ſit rationabilis, quemadmodum infra *diſp.* 2. liquebit; alioqui irrationabilis minimè excuſat, l. *quod non ratione*, ff. *de legib.* imò potiùs grauat, *extra. de conſuet.* c. *fin.* vt notat Nicolaus ab Auſino in Supplemento Piſanellæ, *verbo, ornatus, Verſ. 3. ratione honeſtatis*. Vt verò irrationabilis conſuetudo eadem plerumque eſt, ac mala conſuetudo: ita contra conſuetudo rationabilis eadem ferè, ac conſuetudo bona. Porrò *bona conſuetudo*, vt ſapienter Carthuſianus *loc. cit. art.* 16. *dicitur illa, quæ non eſt contraria bonis moribus, nec diuinis præceptis, nec Scripturarum doctrinis*. Vbi autem conſuetudo non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, circa moderationem eius attendenda eſt velut moralis regula hac in re ipſa praxis non quorumuis, ſed proborum dumtaxat. Vnde S. Auguſtinus *lib.* 3. *de doctrina Chriſtiana* ad hanc proborum praxim conſuetudinem exigens, meritò ita pronuntiat: *Quiſquis ſic vtitur exterioribus rebus, vt metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignat, aut flagitioſus eſt*. Haud ſecus quoque S. Carolus in ſuis ad Confeſſarios monitis de ornatus conſuetudine nominatim agens, eam ex vſu probatarum perſonarum eiuſdem ſtatus metiendam eſſe decernit: generatim verò bonorum conſuetudinem eſſe attendendam ſtatuitur *diſtinc.* 41. c. 1. iuncta Gloſſa, vt notat Silueſter *verbo, ornatus*, q. 8. §. 2. His poſitis.

Bonæ verò cōſuetudo, quæ diuino iuri, aut bonis morib⁹ non repugnat, ex bonorū praxi metienda eſt.

Aio ſuperfluo, atque immodico ornatui nihil in conſuetudine reſtare præſidij. I. quia ad immodicum ornatum iure diuino in Scripturis ſacris prohibitum honeſtandum conſuetudo humana, aut præſcriptio nihil penitùs valet, vt *cap.* 2. *num.* 8 & *ſeqq.* docui. CXCIII.

Ornat⁹ nimius non poteſt excuſari conſuetudine, quia iuridiuino aduerſat.

II. Quia humana conſuetudo, vt aduersùs ius diuinum nihil poteſt, ita neque contra ius naturale. vt Doctores in *cap. conſuetudo, diſt.* 1. & in *cap. Quæ contra mores, diſt.* 8. apud Barboſam in *collectaneis* obſeruant. At notabilis prouocatiuo ad libidinē ex immoderato valde ornatu manās, iure etiam naturali vetita eſt, vt conſtat. Ergo. CXCIV. *Et naturali.*

III. Quia etſi ſolo iure humano immodicus ornatus foret prohibitus, tamen aduerſa conſuetudo nunquam poteſt eſſe legitima, quoties Princeps expreſsè illi obſtat, vt infra *diſp.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. patebit. At ornatui immodico vtcunque etiam conſueto veteres Patres *cap.* 2. in aciem educti obluctantur, publicæ Concionatorum obiurgationes illum velut magnam corruptelam carpunt; ipſimet Epiſcopi, Principes nempe Eccleſiaſtici, hāc reprehendendi curam iiſdem Concionatoribus ſeriò commendant, nec non ipſi etiam in ſuis literis ac monitis paſtoralibus exercent; atque ita tum per ſe, tum per Concionatores corruptelę inundanti perpetuò reſiſtunt. Ergo. CXCV.

Et paſſim a viris ſacris reprehenditur.

IV. Quia immodici ornatus conſuetudo nullo modo rationabilis eſſe poteſt, quum hæc iuri diuino, & naturali, vt dictum eſt, aduerſetur; ac præterea magnis corruptelis laboret, ingentibusque damnis, vt ſupra §. 12. & deinceps monſtraui, referta ſit. CXCVI.

Et talis conſuetudo irrationabilis eſt.

CXCVII. *Et prorſus inanu.*

V. Quia vel conſuetudo, quæ efficit, vt vſitata minùs moueant, iam obtinuit; vt immodicus valde ornatus, qui ante quàm ipſa legitimè eſſet præſcripta, ad malum irritabat; iam poſt ipſam legitimè introductam leuiter tantummodo incitet: vel non obtinuit; ſed quamuis minùs, quàm priùs, adhuc tamen notabiliter incitat, ac prouocat. Si adhuc notabiliter prouocat, talis conſuetudo adhuc inanis eſt, adhuc corruptela eſt, adhuc argumenta, quæ hanc, vt modò oſtendi, oppugnant, inexpugnata, atque immota manent, vt teſtatum eſt. Sin autem notabilis prouocatio ad malum poſt inductam conſuetudinem ceſſat, iam extra præſentem controuerſiam, quæ de notabili tantùm ad libidinem prouocatione inſtituitur, ſiue hæc ex immoderato, & inuſitato, ſiue ex immoderato pariter, ſed vſitato ornatu proficiſcatur, verſamur.

CXCVIII. *Vt euincit exemplo ſolitorũ oſculorũ.*

VI. Quamuis tactus honeſti manuũ, & oſcula promiſcua virorum cum fœminis, vbi ſunt iam in vſu, a mortali culpa communiter liberentur, etiamſi alter tangentium, vel oſculantium prauo deſiderio ardere ab altero innocẽte animaduertatur; ſi tamen, quis cõmodè poteſt huiuſmodi contactus, & oſcula declinare, ne alter peccet, lethiferè delinquit, niſi declinet, neque ob communem conſuetudinem eximitur a tali culpa, vt disertè tradunt Silueſter *verbo, delectatio, q.* 5. Tabiena *in Summa, verbo, oſculum, & cogitatio moroſa, tit.* 8. Armilla *verbo, oſculum, & impudicitia, nu.* 1. Azor *par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. *q.* 4. Graffius *lib.* 2. *par.* 1. *cap.* 72. *nu.* 12. Leſſius *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 3. *nu.* 64. Bonacina *de matrimonio quæſt.* 4. *punct.* 9. *n.* 10. & alij paſſim ſine controuerſia. Ergo ſicut conſuetudo non excuſat a mortali oſcula, & contactus cum alterius ruina ſpirituali coniunctos, quando commodè vitari queunt: ita neq; eximit a pari culpa habitum valde prouocatiuum libidinis, vtcumque ſit vſitatus, quum facilè, & commodè omitti queat.

VII. Conſuetudo inueterata puellis aſpiciendi adoleſcentes, non reddit vllam immunem delicti lethalis, quæ ſine legitima cauſsa oculis illius, a quo turpiter ſe appetendam nouit, exponit, vt Doctores omnes ſupra *cap.* 5. §. 3. relati decernunt. Ergo neque conſuetudo geſtandi ornatum valdè incitantem ad laſciuiam, excuſat a lethali ſcelere conſciam ob talem ſuum ornatum in culpam mortiferam pleroſque, vel aliquem labi. — CXCIX. *Et moris puellas aſpiciendi.*

VIII. Inuitantes ad bibendũ, proſpicienteſq; aliquem ex inuitatis inebriandum, peccant mortaliter, vt cũcti Doctores ſupra *cap.* 5. §. 4. *num.* 41. adducti, nemine diſcrepante, ſanciunt, neque ab vllo Doctorum excuſantur ob conſuetudinem ita inuitandi ad æqualia pocula. Imò nonnulli ex Doctoribus, etſi viuebant, vbi mos eiuſmodi inuitamenti erat vſitatiſſimus, nihilominùs eum mortalis damnarũt. Ergo mos geſtandi cultum valde allicientem ad malum nequaquam excuſat geſtantem. — CC. *Et inuitãdi cõuiuas ab bibẽdum.*

IX. Certum eſt, eum, qui ſine iuſta cauſſa exponit ſe occaſioni proximæ, ſeu periculo probabili delinquendi lethiferè, lethaliter delinquere, vt ſupra *cap.* 5. §. 11. *num.* 173. vidimus. Certum item eſt, qui cum tali periculo ducit choreas, mortali etiam peccato obſtringi, neque ab vllo Doctore excuſari eo quòd eiuſmodi choreæ ſint conſuetæ, vt manifeſtum eſt ex Silueſtro *verbo, chorea* §. 6. *& verbo, ludus, q.* 2. Caietano, & Armilla *verbo, chorea, num.* 4. Nauarro *in Manuali cap.* 23. *num.* 123. Bonacina *de matrimonio* — CCI. *Nec cõſuetudo prabet iuſtam cauſſam exponẽdi ſe occaſioni proxima peccandi mortaliter.*

trimonio, quæſt. 4. punct. 9. nu. 24. Nec quiſquam etiam Doctorum liberat a mortali exponentem ſe periculo probabili peccandi mortiferè, ex eo præcisè, quòd illa actio per ſe indifferens, in qua tale periculum præuidetur, ſit vſitata, vt patet. Licèt autem communiter doceāt omnes, fas eſſe, ob grauem cauſſam, vel magnum incommodum vitandum, exponere ſe eiuſmodi periculo, nullus tamen cōcedit, conſuetudinem rei, vel actionis, in qua dictum periculum verſatur, eſſe cauſſam grauem, aut magnum incommodum, præ quo dictum periculum licitè adiri queat. Ergo neque conſuetudo rei, vel actionis periculoſæ, nempe ornatus valdè prouocatiui libidinis liberat a mortali vtentem tali ornatu, neq; ipſa præcisè ſuppeditat iuſtam cauſsā, aut magnum incommodum, ob quod declinandum liceat nihilominùs eum ornatum adhibere.

CCII. *Tenentur feminæ abſtinere veſtitu ſcandaloſo.* Ex quibus *innoteſcit* (inquit Carthuſianus *loc. cit. art. 12.*) *quod vniuerſæ matronæ, ac puellæ, quantumcunque nobiles, aut illuſtres, tenentur ſe ſub his limitibus coarctare, ſub hac menſura conſtringere, ſub hoc iure diuino frenare, vt ita ſe veſtiant, & ſic ornent, quòd ſuo veſtitu, & ornatu neminem, quantum in ipſis eſt, ſcandalizent. Ideo diuino obligantur præcepto talem veſtitum vitare* (imò & naturali) *& talia ornamenta abijcere, quæ ex ſua diſpoſitione ſunt incitatiua aliorum ad incautum, & periculoſum aſpectum, & inflammatiua illorum ad libidinoſum affectum, & inductiua ad vitioſam imitationem: quia quod vna femina videt in alia, hoc ſi decorum eſt, cupit habere, & ſequi, aut etiam vincere, atque ſupergredi; quoniam pronæ ſunt mulieres ad deſideria puerilia, & cupidæ laudis humanæ; faciliter quoque eis apparet, quòd contemnantur.* Hæc magnus ille ſacrarum Scripturarum Interpres, & Theologus ſapientiſſimè. Quibus addo, probarum mulierum vſum in metiendo moderato ornatu ſpectandum eſſe, vt dixi; quæ autem probæ ſunt, non committent, vt cultum a diuinis Scripturis, atque a natura ipſa damnatum, vt pote notabiliter ad laſciuiam prouocantem, induant; aut ſi id etiam audeant (niſi illas inuincibilis ignorantia excuſet) probæ non ſunt, vel probæ eſſe deſinunt. Neque ferendum eſt, aut ratio patitur, vt quicquid ornamentorum, & fucorum muliebri leuitati, ambitioni, ſuperbiæ, luxuique adlubeſcit, ſtatimque ac vna præiuit exemplo nō bono, cæteræ omnes impotentiſſima æmulatione illico arripiunt, certatimque ſingulæ æquare, plurimæ etiam ſuperare conantur (qua in contentione datur proceſſus in infinitum actu vſque ad exinanitionem marſupiorum, & familiarum, quæ penitùs ſubinde exhauriuntur, de quo proceſſu, & contentione pulcherrimè S. Bernardinus Senenſis *Tom. 1. de Christiana Religione, ſerm. 46. art. 2. cap. 3.*) id continuò tanquam bona, & legitima conſuetudo habeatur. Hoc enim verò falſum eſt: vel ſi tanquam verum recipitur, fruſtra Doctores omnes cōſuetudinem bonam a mala; rationabilem ab irrationabili; legitimam a corrupta, quæ & corruptela dicitur, diſcriminant. At quis id, obſecro, ſibi prudenter, aut alijs perſuadeat? Actū de omnibus legibus eſt, actum de iure diuino, & naturali, ſi tam peruerſum oſtium vitioſæ conſuetudinis illis eludendis ſemel aperitur.

Legitima conſuetudo moderati ornatus ex vſu probarum ſpectanda.

Hinc nullo negotio, quæ principio obiecta ſunt, diluuntur. Nam vim legis non habet niſi rationabilis, & bona conſuetudo, qualis non eſt immodici ornatus ad malum valde prouocatiui, hæc enim mera corruptela eſt, à iure naturali, CCIII. *Obiecta reijciũtur.*

naturali, a diuina Scriptura, ab antiquis, & ſanctis Patribus penitùs reprobata, tanto peior, & magis vitanda, quanto communior, & magis inueterata. *Abſit ergo*, inquit Carthuſianus *art. 16.* citato *vt vna femina nobilis conformet ſe alteri in aliqua vanitate, pompa, & ſcandaloſitate*, quæ nimirum alijs mortaliter peccandi occaſionem proximam, ac moralem præbet, ac proinde & ipſa lethiferæ culpæ rea eſt. *Singularitas quoque, quæ eſt virtuti, & obſeruantiæ iuſtæ contraria, eſt vitanda: non illa, quæ communibus vanitatibus, & peccatis contrariatur*. Ad primam confirmationem reſpondet ibidem Carthuſianus, *vnum non debere alteri dare occaſionem peccandi, ſeu alium ſcandalizare, faciendo aliquid mali, aut omittendo aliquid boni, ad quod tenetur. Poteſt tamen, imò & debet facere, quæ bona, & iuſta ſunt, quamuis alij inde ſcandalizentur: quoniam tale ſcandalum oritur ex aliorum peruerſitate, prauitate, & inſipientia, vocaturque ſcandalum Scribarum, & Phariſæorum, quod ſecundùm Chriſti doctrinam non eſt vitandum. Si autem aliqua nobilis femina, aut illuſtris virgo ab alijs diffamatur, irridetur, aduerſaq; patitur, quia non vult ſe illis conformare in vanitatibus, atq; ſuperbijs, debet hoc propter Deum libenter, & cum gaudio ſuſtinere* (hîc præſertim, vbi de præcepto agitur, ad quod obligatur) *& recordari, quod ait Saluator*: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. *Et rurſus*: Beati eritis, quum vos oderint homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos &c. *Et item quod ait Apoſtolus*: Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. *Hinc ait venerabilis Iudith*: Omnes, qui Deo placuerunt, per multas tribulationes, & tentationes tranſierunt fideles. Qui autem tentationes, & tribulationes non acceperunt in timore Dei, perierunt. Ad ſecundam verò confirmationem patet reſponſio ex dictis in quinta ratione.

Singularitas vitioſa vitãda, proba autem tenẽda. In ornatu moderato ferendo ſcãdalũ Phariſaicum non curandũ.

Marc. 6.

Matth. 5.

Luc. 6.

Ex quibus liquidò perſpectum eſt, omnes euaſiones, effugia, & prætextus ad aſſertionem ſupra §. 2. defixam eludendam hucuſque allatos nullius penitùs eſſe momenti, nullaque probabilitate niti, ac fruſtra omnino obtendi, vt antea §. 10. in fine me demonſtraturum recepi, quod ego iam, ni fallor, abunde præſtiti.

§. XVIII. *Difficultates contra explicatam doctrinam ſoluuntur.*

QVamuis obſtacula, quæ in ſingulis argumentis obuiam veniebant, remoui; lubet nihilominùs alijs machinis concluſionem denuo oppugnare, quas ego ipſe vltro fabrico, vrgeoque.

I. Ornatus notabiliter excedens ſine graui incommodo ordinariè omitti non poteſt. Ergo a culpa mortali immunis eſt. Antecedens patet, quia ſicut ornatus leuiter excedens idcirco a lethifero peccato ſupra *cap. 6. §. 1. nu 5.* exemptus eſt, quia res eſſet expoſita ſcrupulis, & nimis oneroſa, ſi mulier ornatui moderato leue aliquod ornamentum ſupperaddens, perpetuò ſcrupulis peccati mortalis in examinanda huiuſmodi leuitate, & diſcriminanda a grauitate vexari cogeretur. At hoc ipſum ſcrupulorum incommodum vrget quoque in diſcernenda notabili ornatus prouocatione ad malum. Ergo hæc quoque extra lethiferam culpam eſt. Verùm longè diſpar vtriuſque caſus ratio eſt, vt *cap. 6. §. 1. num. 12.* indicaui. Nam in primo diſcernere ſemper leuem exceſſum a moderato ornatu, omnino difficile, & arduum: at a valde ſuperfluo facile,

CCIV. Ornat° valde excedẽs poteſt ſine graui incõmodo omitti.

facile, & expeditum, quod planiſſimo conſtat exemplo. Nam diſcernere in particulari circa potum, & cibum leues intemperantiæ exceſſus ſupra neceſſarium, & honeſtum nutrimentum omnes & ſingulos, valde operoſum; at graues & notabiles, procliue. Quis enim ebrium, vel viginti, aut triginta pocula exhaurientem a potante tantùm duo, vel tria in eodem prandio, ſeu alium vnum eundemque, ſeu ſeipſum, nullo prorſus negotio non diſcriminet? Res extra controuerſiam comperta. Haud ſecus & notabilem ornatus ad malum prouocationem diſcernere minimè laborioſum. Aliquis vſu didicit tria vini pocula v. g. in prandio, vel cœna eſſe moderatam ſibi potus menſuram: ſi præterea ebibat vnum cyathum, ſcit fore exceſſum leuem; ſi duos, adhuc leuem; ſi tres, eſto, adhuc leuem. At ſi decem inſuper, omnino grauem; ſi quindecim, multo magis, & ſic deinceps. Eodem modo nouit Lucretia talem & talem ornatum eſſe moderatum, vt pote a probis feminis ſine cuiuſquam prudentis reprehenſione vſurpatum. Cui ſi floſculum adiungat, exceſſum futurũ leuem; ſi adhoc vnum cincinnum, adhuc leuem; ſi paulum ceruſſæ aut fuci, adhuc leuem. At ſi & auri, & argenti, & gemmarum, & veſtium pretioſarum, & colorum titillantium, & fucorum, atque illecebrarum magnam præterea, multamque vim adhibeat, grauem & notabilem exceſſum euaſurum, neque ſecus notabilem quoq; ad malum prouocationem.

Facile quæ diſcerni notabilis prouocatio ad malum.

CCV. At alius nonnemo objiciet II. ex Caietano 2. 2. q. 169. *art. 2. dubio* 5. ſequi ex poſita concluſione *hoc* abſurdum, *quod mulier ob veniale peccatum ex ſuo genere peccaret mortaliter ſine alia eius culpa*. Nam ſi leniter excedens in ornatu, & ſic venialiter delinquens, ab alijs concupiſcitur, ipſa ſine alia eſt culpa, & tamen illi peccata aliorum, quæ ſunt mortalia, imputantur. Augetur etiam, & confirmatur I. difficultas a doctiſſimo Theologo, quia ex doctrina ſupra probata omne peccatum veniale ratione ſcãdali paſſiui fieret mortale, quod eſt duriſſimũ. Nam etſi peccans venialiter, nullam habet quidem iuſtã cauſſam peccandi venialiter (id enim implicat contradictionem in terminis) poteſt tamen habere iuſtam cauſſam, ne ea actio venialis ei ſub mortali prohibeatur. Lex quippe prohibitiua ſcandali paſſiui hanc conditionem habere debet, ne ipſamet lex ſit magis ſcandaloſa, quàm ſit eius actio reſpectu patientis ſcandalum paſſiuum ex illa actione. Imprudens enim eſſet legiſlator, qui vt vitet vnum periculum peccandi minus, faceret legem multo magis periculoſam. Quis autem non videat multo magis periculoſam eſſe legem prohibentem ſub mortali peccatum veniale difficillimè vitabile, quàm actionem potentem afferre ſcandalum paſſiuum faciliùs vitabile? Ergo &c. Confirmatur II. quia alioqui omnia peccata Principũ, & Superiorum, quæ ſi vitarentur ab ipſis, conferre poſſent, vt multa delicta mortifera vitarentur, forent lethales culpæ: Nam certum eſt, optimum Superiorũ ac Principum exemplum in cauſa eſſe, vt multa peccata mortalia vitentur. Huiuſmodi autem exemplum ab ipſis daretur, ſi ij cuncta peccata venialia vitarent, vt conſtat. Nam Princeps, & Prælatus, qui illa vitaret, eſſet ſanctiſſimus. Atqui nec Princeps, nec Prælatus iuſtam vllam cauſſam habent cõmittendi vel leuiſſimum peccatum veniale, vt exploratum eſt. Ergo omnia venialia, quæ ijdem committunt, in mortalia ratione ſcandali paſſiui, ipſis

Objicitur ceu abſurdum ob peccatũ ex ſe veniale peccari

mortifere.

ipſis conuertuntur, quod eſt perabſurdum. Ergo eodem modo ſi mulier in ornatu leuiter excedat, & peccet venialiter, hoc ipſo ratione ſcandali paſſiui delinquet mortaliter, quod æquè abſurdum eſt.

CCVI. *Sed fruſtra, quū veniale in mortale ob paſſiuū ſcandalum degeneret.*

Reſpondeo in hac difficultate nihil penitùs eſſe difficultatis. Nam quod I. opponitur, velut abſonum; omne peccatum veniale ratione ſcandali paſſiui fieri mortale, quis neſcit, vbi cauſſa iuſta talis ſcandali permittendi deeſt, id non eſſe abſurdum, ſed communem doctrinam, & regulā omnium Theologorum? cui ignotum eſt celebre axioma D. Auguſtini, quod refertur c. *vnum orarium*, *diſt. 25.* §. criminis, *nullum eſſe adeo veniale, quin fiat criminale, dum placet*? & a Theologis exponitur de veniali migrante in mortale, aut induente culpam grauem ratione ſcandali paſſiui, vt nominatim explicant id ipſum S. Antoninus 2. *par. Summæ, tit. 4. cap. 5.* §. 7. *Verſ. Si autem*, Petrus de Tarantaſio ab eodem Antonino relatus, Baptiſta de Salis in *Summa, verbo, ornatus, concluſ. 3.* Baptiſta Trouamala, *eodem verbo, in Roſella, concluſ. 3.* Silueſter in *Summa, eodem verbo, q. 4.* in fine, Nauarrus in *Manuali, cap. 23. n.* 17. & cæteri Doctores paſſim. Quem latet a Theologis diſputationem inſtitui, & doceri communibus ſuffragijs, & a Thoma Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 6.* titulum præſcribi, *qualiter opus veniale in mortale ratione ſcandali tranſeat*? Verùm non ſolùm peccatum veniale; ſed etiam opus alioqui indifferens, ratione item ſcandali fieri mortale, tradunt cuncti Theologi apud eūdem Sanchez *ibidem* toto *cap. 7.* Nec ſolùm opera indifferentia, ſed aliquādo opera etiam bona ad vitandum ſcandalum puſillorum paſſiuum, modò ea ad ſalutem neceſſaria non ſint, eſſe omittenda, vel differenda ſub mortali, docet pariter ſine controuerſia Theologi cum S. Thoma 2. 2. *q. 43. art. 7.* *vt cap. 5.* §. 7. *nu. 95.* oſtendi. Ergo neque nouum, neque abſurdum, neq; mirum eſt, ſi contingat interdum, ornatum mulieris vel leuiter excedentem, & venialis culpæ reum, vel moderatum etiam, & licitum ratione ſcandali paſſiui vitandi in aliquo caſu eſſe ſub mortali deponendum, vt ſupra *cap. 6. num. 2.* præmonui. At ordinariè id non accidit, ſed quum exceſſus ornamentorum eſt leuis, & venialis, cōmuniter non eſt obligatio ſub mortali illius omittendi ob rationes ſupra eodem *cap. 6. num. 3. & ſeqq.* expoſitas, quæ etiam non parum ab ijs, quæ ante in prima confirmatione allata ſunt, corroborantur. Tum enim lex ipſa vitandi alieni ſcandali perpetuò ſub mortali, declinando proprium veniale, multo perículoſior, ac proinde & oneroſior euaderet. Quamobrem neque ipſa obligaret, neque eſſet lex; nec quiſquam cum tanto grauamine ei parêre teneretur, vt pluribus illo *num. 3.* explanatum eſt.

Imò & opus ēt indifferens, & bonum quoque aliquādo.

CCVII. *Principes tamen, & Prælati non tenentur ſub mortali cūcta venialia vitare, quò plura mortalia ſubditorū impediāt.*

Quod autem in altera confirmatione tangitur de Principibus, reſpondeo, ſi ab ijs, vt etiam a Prælatis omnia peccata venialia collectiuè ſumpta vitarentur, fore quidem eos perfectos, & tali exemplo multa ſubditorum peccata mortalia minuenda; at ipſos ad tantam perfectionem minimè teneri, quia ad vitanda omnia peccata venialia ſimul ſumpta non datur in hominib' communiter, niſi libertas phyſica, quæ propter inſuperabilem moraliter difficultatem nunquam reducitur ad actum: ac propterea nemo ad hoc grauiſſimum incommodum, & onus ineluctabile ſubeundum ſub mortali compelli poteſt, vt euidens eſt. Exemplum autem efficax ad vitanda

ſubditorum mortalia non deſumitur niſi a fuga omnium venialium in Superioribus, ad quam vt pote nimis grauem ij minimè tenentur. De ſingulis verò venialibus longè alia eſt ratio, vt conſtat. Ad quæ tamen etſi libertas etiam moralis datur; adhuc tamen foret ingens grauamen, ſi quis eorum ſingula ſub mortali ſemper cauere, quo alienum peccatum mortale impediat, cogeretur. Secus verò eſt in aliquo caſu, atque ad breue tempus, vt *cap. 6. nu. 2. & 3.* enodatum eſt, quum ſcilicet graue incommodum non eſt abſtinere culpa veniali, imò & opere indifferenti, & licito.

CCVIII. *Licèt quis non habeat ius ad vllũ peccatũ veniale, poteſt tamen habere cauſſam, ne ſub mortali cauere veniale debeat.*

Quod verò poſtremò innuitur, non haberi iuſtam cauſſam committendi vel minimum veniale, veriſſimum quidem eſt, & per ſe patet: at ex ſuppoſitione quod quis velit peccare venialiter, puta, mentiri, poteſt habere iuſtã cauſſam, ne ſub mortali ad omittendum mendacium obligetur. Fingamus enim aliquem Prælatum non poſſe propria ſcelera grauiſſima, quæ patrauit, ſine extrema famæ, & vitæ pernicie detegere, nec ſcire vti licita æquiuocatione ad ea occultanda; ac proinde iam ſecum deliberaſſe illa eadem mendacio inuoluere: ex alia verò parte nonnullos ſubditorum ex talis Prælati mendacio veniali occaſionem ſumere labendi in delicta mortifera. In huiuſmodi caſu etſi Prælatus non habet iuſtam mentiendi cauſſam; ſuppoſito tamen quòd mentiri velit, vt mendacio vitam famamque tueatur, & ſic damna oppoſita grauiſſima, mortem, atque infamiam caueat; habet ſanè iuſtam cauſſam, ne peccatis ſcandali paſſiui ſubditorum, v.g. furtis, vel laſciuijs e ſuo veniali mendacio deriuatis cooperari, ne indirectè quidem exiſtimetur; quandoquidem furtis, & laſciuijs ſubditorum cum tanto onere & damno ſuæ famæ, ac vitæ non tenetur ex motiuo caritatis; vel iuſtitiæ, & caſtitatis, quæ furtis, & laſciuijs opponuntur (ad has enim duas virtutes, in hoc caſu præceptum caritatis vitandi ſcandali generalis reducitur, vt e *cap. 5. §. 9.* notum eſt) occaſionem cadendi ſubtrahere neque ſub mortali, neque ſub veniali. Sic meretrix, licèt nullum ius habeat ad corpus proſtituendum; ſuppoſito tamen quod velit proſtituere, habet ius ad pretium proſtitutionis exigendum. Sic Titius inuitans alium ad æqualia pocula ebibenda, peccat mortaliter in omnium ſententia, ſi eũ inebriandum præuidet, vt *cap. 5. §. 4. num. 41.* obſeruaui. At ſi is Vrbem certò proditurus hoſti eſt, vel hæreſi infecturus, nec aliter tantum damnum proditionis, vel infectionis, quàm eo inebriato, arceri poteſt, fas eſt Titio ad tale damnum propulſandum, inuitare illum ad æqualia pocula, quæ alias actio indifferens per ſe eſt, ac eiuſdem ebrietatem, quam præuidet, permittere. Ponamus iam Titium inuitantem bibendo delinquere venialiter, intemperantiâ nimirum veniali, & ebrietate imperfecta. Tum is non habet quidem iuſtam cauſſam talis intemperantiæ venialis; habet tamen ſuppoſito, quòd intemperantiæ veniali indulgere velit, iuſtam cauſſam, ad vitandum proditionis, vel hæreſis detrimenta, permittendæ alienæ ebrietatis, materiamq; indifferentem inuitationis ad ęqualia pocula, intemperantiâ veniali potando eidẽ ſuppeditandę, quâ ebrietatẽ cũ tanto ſuo damno nec ſub mortali, nec ſub veniali tenetur impedire.

Vbi animaduerto graue incommodũ, præ quo non tenetur Prælatus ſub mortali abſtinere proprio mendacio veniali, quò vitet delicta ſubditorum, non ſumi hic à perpetuitate ſemper CCIX.

per abſtinendi eiuſmodi mendacio veniali, ad quod nullum ius cuiquam eſſe poteſt: nam ſupra §. 12. *num.* 156. iam docui, nullum graue incommodũ hinc peti poſſe: ſed aliunde deriuari, ab extrema nimirum famæ, & vitę pernicie, cum quia non obligatur ille ſemper vitare ſub mortali proprium veniale, quo vitet lethalia aliorum. Eademque ratio, & differentia militat in ſimilibus caſibus tam relatis, quàm alijs.

CCX. *Licitè ſe ornans exteri⁹, ſed ex fine vanæ oſtẽtationis veniali, ſcandali malitiam nõ contrahit.* Alium omnino caſum de femina, quæ licitè exteriùs ſeſe ornat, & comit, ſed interiùs inani ducta fine, id facit cũ peccato veniali vanæ oſtentationis, proponunt Salas *par.* 2. *tom.* 1. *tract.* 13. *diſp.* 5. *num.* 132. Zumel *par.* 2. *q.* 73. *art.* 8. *dub.* 2. *concl.* 3. Hurtado de Mendozza 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 24. §. 229. & Diana *par.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 31. *Verſ. Sed non deſinam*, ac quærunt, num huiuſmodi mulier in tali caſu malitiam ſcandali contrahat? reſpondetque negatiuè, & meritò ſanè. Rationem aſſignat Mendozza, a Diana probatus, his verbis: *Alienum peccatum mihi non imputatur, quando ſequitur ex meo facto, cuius ſubſtantiam ego non teneor vitare lege caritatis, vt conſtat propoſito exemplo, femina enim non tenetur abſtinere tunc a ſubſtantia ornatus, vt pono. Ergo peccatum alienum occaſionatum ex illa ſubſtantia non poteſt imputari feminæ, quia illa non tenebatur vitare hanc occaſionem. Quod verò femina peccauerit prauo fine, nihil refert ſcandali paſſiui; quia illud non fuit ortum ex prauo fine, ſed ex operis ſubſtantia. Vnde nullum peccatum feminæ fuit cauſſa alterius ruinæ.* Rectè hactenus. At clariùs iuxta doctrinam ſupra enodatam reſpondeo, quum ornatus ipſe externus ſit licitus, ac proinde moderatus, vt ſupponitur; feminam ad hunc habere ius illius geſtandi, quo ſine graui incommodo priuari nequit ac proinde non teneri ex caritate ornatum ſuo ſtatui conuenientem cum tanto ſuo incommodo ad proximi culpam impediendam ſemper omittere. Intentio verò praua finis venialiter mali non reddit ornatum ipſum ſcandaloſum; quum hæc non proponatur alteri vt obex diſponẽs eum ad ruinam, atque ita nequeat habere rationem ſcandali, vt *cap.* 5. §. 4. *nu.* 44. & 45. e S. Thoma animaduerti; neque ea tollit, quin carere ſemper ornatu moderato feminæ ſit graue incommodum; atq; adeò, quin ad id vitandum poſſit illum geſtare, & alterius delictum ſine caritatis fraude, ſcandalique malitia permittere.

CCXI. *Doctrina Mẽdozzæ, & Dianæ de ſubſtantia operis vitanda ratione circumſtãtiæ etiã ſine ſcandali alieni reſpectu.* Pergit deinde Mendozza *ibidem; Si verò ratione circumſtantiæ malæ teneatur femina vitare ſubſtantiam ornatus independenter a ſcandalo alieno tunc ei vitio vertetur v. g. ſi ex temporis circumſtantia, aut ex mariti præcepto, aut ex voto, tenetur femina abſtinere ab ornatu; tenetur etiam ex præcepto caritatis, quia tunc ex eius peccato, vt peccatum eſt, oritur alienum ſcandalũ, oritur enim ex ſubſtantia ornatus hîc & nunc, quem hîc, & nunc tenebatur vitare.* At ego, vt mei tarditatem ingenij fatear, huius doctrinæ probabilitatem non percipio.

CCXII. *Reijcitur, quia omnis exceſſus venialis in ornatu foret ſub mortali cauendus.* Nam I. dum ait Mendozza, & Diana feminam, quæ vouit abſtinere ab ornatu, teneri etiam abſtinere ab eo ex præcepto caritatis, ſine dubio intelligit teneri ſub mortali ex vtroque capite & voti, & præcepti, præſertim quia præcepta de ſe ad mortale obligant, vt vulgatum eſt. At hinc ſequitur, omnem feminæ exceſſum in ornatu leuem, & venialem fieri reum peccati mortalis alieni, & ſcandali paſſiui, quod eſſe abſurdum iam ſupra *c.* 6. §. 1.

num. 3. & *ſeqq.* oſtendi. Ergo. Probo ſequelam, quia femina ratione circumſtantiæ malæ, immodici nempe leuiter ornatus, tenetur vitare ſubſtantiam talis ornatus independenter a ſcandalo alieno, vt patet; tenetur enim talẽ ornatus exceſſum venialem cauere. Sed is exceſſus hîc, & nunc totam ornatus ſubſtantiam independenter a ſcandalo alieno afficit, ad quam femina hîc, & nunc non habet ius, ſed tenetur eâ abſtinere. Neque minùs eam afficit hæc mala leuis exceſſus circumſtantia, quàm afficeret mala circumſtantia temporis, ſi ex voto in Quadrageſima teneretur eâ abſtinere. Nam vt in hoc caſu, quem admittit Mendozza, & Diana, non tenetur mulier ſimpliciter ornatus ſubſtantiâ abſtinere, ſed tantùm in tali circumſtantia temporis: Sic etiam in priori non tenetur ſimpliciter vitare ſubſtantiam ornatus, ſed hîc, & nunc dumtaxat in tali mala circumſtantia leuis exceſſus. Ergo ſi non illam vitat, vitio ei vertitur peccatum mortale alienum, & ipſa talem ornatum adhibendo peccat ſemper mortaliter contra caritatem, quod eſt abſonum.

CCXIII. *Et quia alio abſurdo labitur.* II. Ex eadem doctrina ſequitur, ſi quis voueat, ſe daturum decem millia aureorum Hoſpitali, videatque tali pecunia aliquod peccatum mortale Petri in eodem Hoſpitali degentis certò impeditum iri; ſed votum poſtea minimè implens, illam ipſam numero pecuniam Hoſpitali ex voto debitam in alios profanos vſus ſine cauſa excuſante, ſacrilegè expendat, hunc duplici peccato mortali fore obſtrictum, & contra religionem, & contra caritatem, contrahereque malitiam ſcandali, & peccati alieni. At hoc eſt falſum, & nullo modo probabile. Ergo & id, vnde ſequitur. Sequelam maioris probo, quia ex voto tenetur abſtinere ab expendenda ea pecunia in alios vſus, quàm Hoſpitalis, teneturque talem expenſæ ſubſtantiam independenter a ſcandalo alieno vitare, vt liquet. Ergo per Mendozzã, & Dianam tenetur etiam ex præcepto caritatis eandem expenſæ ſubſtantiam vitare, quia ex ſubſtantia talis expenſæ in alios vſus, quàm Hoſpitalis, quam hîc, & nunc tenetur vitare, alienum ſcandalum hîc, & nunc oritur, vt palàm eſt. Ergo. Minorem demonſtro, quia votum tantæ pecuniæ Hoſpitali donandæ non efficit, vt eiuſdem pecuniæ donatio nõ ſit illi valde graue incommodum, etſi ſponte huic ille ſe ſubiecit. Ergo etſi ad talem donationem tenetur ex voto, nullo tamen modo ex caritate, quò peccatum alienum vitet; neque enim caritas eum ad vitandum alterius delictum cum tanto grauamine decem millium aureorum elargiendorum obligat, licèt iſta ex voto debeat; adhuc quippe poſito voto incommodum grauiſſimum id illi eſt. Haud ſecus etiam qui vouit ſe auſteriſſimam Capucinorum Religionem ingreſſurum; ſi deinde votum non exequatur, peccat ſanè contra votum, at non contra caritatem malitia ſcandali, eo quod multorum peccata mortalia, quæ factus Capucinus orando, & concionando &c. ſine dubio impediuiſſet, minimè impediuit; tametſi eam Religionem ingredi ex voto tenebatur. Emiſſum enim votum nòn tollit, quin vitam Capucinorum perpetuò agere, grauiſſimum humanæ libertati incommodum ſit, cui etſi quis ex voto ſponte ſe ſubdit, haud quaquã tamen tantum incommodum ad aliorum peccata vitanda ſubire ex caritate tenetur, vt apud omnes, ni fallor, indubitatum eſt. Ergo ea Mendozzæ, & Dianæ doctrina minimè ſubſiſtit. Sed quum hæc Concluſioni meæ nihil

aduer-

aduerſetur, quicquid tandem de ea ſit.

CCXIV. Obijcies III. Si in aliqua regione non erat vſitatus ornatus elegantior feminarum; eaq; regio argento, & auro poſtea locupletetur, ſequi ex dictis, vt feminę eiuſdem regionis nequeant augere ornatum, quia creſcit periculum, & inducunt nouam conſuetudinem in cultu femineo. At hoc eſt contra omnes Doctores. Ergo. Reſpondeo negando ſequelam maioris; nam vnaquæq; regio habet ius, vt feminæ moderato ornatu ob rationes a Doctoribus ſupra *cap. 1.* explicatas, ſingulæ pro ſua conditione vtantur. Iam ſi qua regio præ inopia non potuit moderatè etiam feminás ſuas exornare, facta locupletior, poterit id licitè facere, & vti iure ſuo, quia habet iuſtam cauſſam ita illas exornandi, periculo alieni abuſus ſatis præponderantem. Sicut etiam in vrbe opulenta, vbi ornatæ incedunt mulieres, quæ priùs, egena ornare ſe non poterat, facta diues, vtiq; poteſt, habetq; iuſtam cauſſam permittendi aliena peccata inde ducta. Eodem modo, etſi nouum ornatum moderatum regio priùs inops, dein ditata inuehit; tamen quia ad hunc ius habet, iuſtâ etiam cauſsâ nititur permittendi aliorum culpas, quę inde occaſionem ſumunt, vt liquet. Quod ſi regio facta ditior, leuiter excedat in ornatu, is erit venialis, vt patet.

Regio facta ditior licitè vti poteſt ornatu moderato, quo priùs præ inopia non poterat, & ita peccata aliena hinc orta permittere.

CCXV. Sin autem exceſſus euadat notabilis in ratione pretij tantùm, is erit iuxta probabilem Caietani, & aliorum ſententiam *cap. 4. num. 11.* relatam nō plus etiam quàm venialis. At ſi fiat notabiliter ad Venerē prouocatiuus, erit omnino mortalis ob rationes hactenus expenſas, a qua nota nullus planè Doctorum eum liberat, vt perſpectum eſt.

Sin valde exce-dat in ratione pretij, peccat venialiter, mortiferè autem, ſi valde prouocet.

CCXVI. Obijcies IV. Sancta regina Eſther eas inter puellas, quæ muliebri mundo ſeſe exornabant, oleoq; myrtino, pigmentis, atq; aromatibus ad formā venuſtandam vtebantur, recenſetur, vt ex ipſius hiſtoria Eſther 2. teſtatum eſt. At huiuſmodi ornamenta cum ſingulari eiuſdem Reginæ pulchritudine coniuncta, dubium non eſt, quin plerosq; ad laſciuiā notabiliter prouocauerint; & tamen certū eſt, ab illa in his peccatum non eſſe. Ergo concluſio ſupra probata claudicat. Reſpondeo I. omnia ea ornamenta non exceſſiſſe modū ſtatui, & dignitati eiuſdē Eſther Reginę congruētem, ac proinde aliena peccata illi, quæ honeſtum, & moderatum ornatum adhibebat, imputari non potuiſſe. II. dato etiā quòd ea ornamenta exceſſiſſent, nec leuiter, ea ob grauiſſimam, & iuſtiſſimam cauſſam, vt populum Hebræum ab oppreſſione, conciliatâ ſibi Aſſueri gratiâ, vindicaret, ab illa fuiſſe vſurpata. III. ex Dionyſio Carthuſiano in *Directorio Vitæ Nobilium, art. 16.* Sicut beata Eſther ex diſpenſatione, imò & ordinatione diuina Ethnico Imperatori contra Legem Moyſis nupſerat, ſic ex diuina diſpenſatione regia ornamenta ſumpſiſſe ad Iſraeliticæ plebis redemptionem. At enim ipſa, vt idem Dionyſius notat, omnem huiuſmodi ornatum animo in Cælum erecto penitùs contempſit, atq; inuitiſſimè geſtauit; neq; cum eo in publicum, niſi neceſſitate vrgente proceſſit, tantum abeſt, vt eo oblectaretur. Quocirca ſic etiā in ſua oratione Eſther 14. Deū ipſum teſtata eſt: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei; & quod non comederim in menſa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim*

Eſther Regina ſine culpa ornamentis uſa eſt, etſi alij hinc fortè peccarunt.

Inuitâ prorſus, & ex neceſſitate ſola illa adhibuit.

rim vinum libaminum, & nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.

CCXVII. Obijcies V. De ſancta vidua Iudith *cap.* 10. eiuſdem hiſtoriæ proditum memoriæ eſt, quòd *exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuũ, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui; & impoſuit mitram ſuper caput ſuum; & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.* Atqui hæc omnia ornamenta adhibita ab illa formoſiſſima Vidua Holofernem, cuius gratiâ ita ea ſeſe compſit, notabiliter illico ad libidinẽ prouocauit. Nam quum illa *intraſſet ante faciem eius*, ſtatim *captus eſt in ſuis oculis Holofernes*, vt ibidem ſubditur, & *cap.* 12. additur: *Cor autem Holofernis concuſſum eſt: erat enim ardens in concupiſcentia eius.* Et tamen Iudith non propterea peccauit. Ergo neque cæteræ peccant ob ſimiles prouocationes. Reſpondeo quãuis conſentiunt ferè Auctores a Celada in Iudith *cap.* 9. *Verſ.* 13. §. 25. *num.* 137. & *cap.* 10. *Verſ.* 12. & 13. relati eandem Iuditham non peccaſſe, grauiſſimam tamen eſſe difficultatem in modo eam a culpa liberandi, vt idem Celada *num.* 137. citato & deinceps oſtendit. Lyra, Carthuſianus, Serrarius, Sa, Sanctius, Salianus, & Tirinus ſeriò cenſent, verè illam optaſſe, vt ab Holoferne ardore libidinis ad concubitum, ſed licitum per coniugium initum, quo honeſtaretur concubitus, adamaretur. Etſi verò vetita erant connubia mulieri Hebrææ cum viro Ethnico e lege Deuteronomij, tamen Ethnicus vir licitè poterat eã in matrimonium ducere, hocque ipſam expetijſſe, ſimulque ſtatuiſſe talibus nuptijs vt pote ſibi illicitis minimè annuere, vt exponit Lyra. Addit Salianus benè potuiſſe Iuditham Hebræam nubere Gentili viro pro Dei gloria, pro religionis conſeruatione, & totius populi ſalute, quæ viduitatis bono longè præponderant. Quæ explicatio tantum abeſt, vt reliquarum mulierum ornatum valde ad Venerẽ prouocatiuum a delicto eximat, vt potiùs condemnet. Nam tum coniugia ſtatim mutuo conſenſu perficiebantur, & licitè a Iuditha matrimoniũ cum Holoferne illicò potuiſſet conſummari. At modò, quamuis fas ſit feminæ ornare ſe eo fine, vt in vxorem expetatur, nequaquam tamen, vt libidinosè ametur, quemadmodum ex valde prouocatiuo ornatu plerumque ante, quàm ad coniugium veniatur, contingit; quibus delictis occaſionem præbere eiuſmodi prouocatiuo habitu conceſſum mulieri non eſt.

Iudith quoque innocenter ornamentis vſa eſt.

Etſi valde illa ad Venerem accendebant.

Quæ tamen cæteris feminis inconceſſa ſunt.

CCXVIII. Sed meliùs reſpondeo ex Lyrano, Carthuſiano, Tirino, Sa, & Celada Iuditam intendiſſe primò liberationem patriæ, tum cædem Tyranni licitam elegiſſe; præuidiſſe autem, ſed non intendiſſe libidinem Holofernis; hinc comptiùs omni lenociniorum genere ſe ornaſſe (quæ tamen ornamenta omnia in ſe erant indifferentia) ex quibus natiuæ pulchritudini additis certò nouerat, cognita viri intemperantia ardentiſſimè ſe fore ab illo adamandam, quem tamen amorem laſciuum ipſa minimè intendit: nec deliquit, etſi ei occaſionem ſua pulchritudine, & ornamentis dedit, quandoquidem id ex grauiſſima, & iuſtiſſima cauſſa fecit, ad liberandam nempe patriam a tyrannide; non ſecus ac licitũ eſſe etiam inuitare ad æqualia pocula proditorem Vrbis, vnde huius ebrietas manatura præuidetur, ad tantum

Iudith vero etſi præuidit Holofernis amorẽ turpem erga ſe, non tamen eũ intẽdit.

damnum

damnum proditæ Vrbis auertendum, Doctores, quos ſupra *cap.* 5 *num.* 41. retuli, tradunt. Quare hec Iudithæ exornatio, vt rectè Carthuſianus *in Directorio, art.* 16. *cit.* monet, in exemplum imitationis ab alijs, quæ ſine neceſſitate, & ex mera vanitate ornatum valde prouocatiuum libidinis induũt, trahi nullo modo poteſt; præſertim quum de ſancta illa vidua ſacer Hiſtoricus *loc. cit. cap* 10. *Iudith.* memoret: *Dominum contuliſſe ei ſplendorem; quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat; & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.*

§. XIX. *Alij contra aſſertionem implicati nodi enodantur.*

CCXIX. *Ornatus ſuperfluus multiplici capite dãnatus.* OBijcies VI. A ſacris Scripturis, & Patribus damnari ſuperfluum ornatum feminarum, & iure quidem, tum propter intemperantiam, & leuem prouocationem, vtranq; malam de iure naturæ; tum propter multa peccata mortalia, quæ ſecum ferre poſsũt ratione ſcandali directi, ſi femina intendat ruinam proximi, vel vniuerſaliter, vel particulariter; ratione ſcandali annexi, ſi vtatur veſte non tegente partes pudendas; ratione ſcandali impliciti, ſi vtatur habitu meretricio; ratione affectus, ſi in illis vltimus finis conſtituatur; ratione effectus, furti, & innumerabilium damnorum temporalium; ratione mali finis peccaminoſi mortaliter: nullum verò textum apparere, qui notabilem prouocationem ad malum in ornamentis artificialibus ſuadeat.

CCXX. *A Patribus exiſtimatus* Reſpondeo I. concluſionem hanc §. 2. poſitam, ſanctorum Patrum auctoritate & rationibus præcipuè a me fuiſſe probatam, tum etiam Scripturæ ſacræ teſtimonijs confirmatam. Quanquam autem enumerata hîc capita, ob quæ immodicus mulierum ornatus meritò reprehenditur, vera ſint, atque a me vltro admittantur; hæc tamen non ſatisfaciunt textibus S. Cypriani, S. Hieronymi, S. Clementis, S. Chryſoſtomi, ſupra §. 6. relatis, expenſiſq;, q notabilem ornatus ſuperflui prouocationem ad mortale ſcelus mortiferam eſſe expreſsè deſignant, feminiſque vitio vertunt, vt ibi docui. Quod ſanè ſi quis fortè adhuc neget, is ea loca non bene legit, ſed prætervolauit; tamque violenta inficiatione, & eluſione aditum pernicioſiſſimum Hæreticis aperit eludendi veterum Patrum plana teſtimonia a Catholicis Doctoribus pro Catholicorum dogmatum præſidio allata, & producta, quod nullo modo tolerandum. *ad Venerem valde incitare.*

Dices a S. Cypriano, S. Clemente, & S. Chryſoſtomo notabilem prouocationem in ornamentis artificialibus vniuerſaliter minimè ſuaderi. Sed cõtra, quia I. certum eſt, vt ibi oſtendi, talem prouocationem damnari ab eis peccati mortalis, atque adeo ſupponi ab ijs eſſe notabilem, ne alioqui abſurdam doctrinam tradant, vt §. 9. ſupra obſeruaui. II. talem prouocationem notabilem e ſuperfluo ornatu artificiali manantem ab ijſdem delineari. III. certum eſt, quanuis, vt paſſim fit, in ſingulari loquantur, tamen quum indefinitè loquantur, generaliter ab ipſis intelligi, & cõprehendi eas omnes feminas, quæ ſimiliter nimis ornatæ, ſimilem notabilem prouocationem gignunt, vt per ſe liquet. IV. perſpicuum etiam eſt, quum talis doctrina, & experimenta ab ipſis nullo modo reſtringantur ad vllam particularem hypotheſim, ſed vniuerſè tradãtur, ſine vllo fundamento ad caſum ſingularem, vel ad paucos limitari. Præ- CCXXI. *Vt palàm fit.*

ſertim

ſertim quia iam ſolidè §.*9.cit.* demonſtratum eſt, eundem effectum notabilis prouocationis, poſito eodem apparatu ornamentorum, atque illecebrarum &c. ſequi in alijs pluribus eiuſdem diſpoſitionis, vnde moralis vniuerſalitas ſatis ſe prodit.

Reſpondeo II. quum leuis prouocatio ad libidinem in ipſa obiectione concedatur, hinc colligi neceſſariò, etiam notabilem omnino dari, tum vniuerſaliter loquendo, vt ſupra §. *9.* cit. docui; tum in citatis Patribus, vt ibi obſeruaui.

CC. XXII. *Auctores aſſertionis fruſtra eluduntur.*

Obijcies VII. Auctores antea §. 4. & 5. allatos non obſtare, quia aliqui eorum nimis probant; alij verò damnant, quando adeſt directus contemptus ſalutis proximi; vel, vt noſtri præſertim recentiores, abſolutè excuſant a mortali ornatum mulierum ſine praua intentione. Quum autem homines docti, & aſſueti diſtinguere, quum opus eſt diſtinctione, abſolutè loquantur, iuxta genuinum ipſorum ſenſum non videntur debere cum diſtinctione explicari. Reſpondeo vtramque euaſionem eſſe nullius momenti, neq; contra apertam mentem, & verba Doctorum recipi poſſe, quin modus peruertendi plurima Auctorũ loca, & teſtimonia, quanquam explicata, & dilucida ſimul recipiatur. Non ſatis eſt ita generatim negare, niſi verbis Doctorum ſupra recenſitis ingenuè fiat ſatis, & cunctis argumentis illic libratis reſpondeatur. Quod aliqui nimis probẽt; primò ij pauciſſimi ex enumeratis ſunt. Produxi §.4. meę concluſionis patronos hos omnes, Alexandrum Alenſem, Baptiſtam de Salis, ſupplementum Summæ Piſanellæ, Baptiſtam Trouamalam, S. Antoninum, Silueſtrum, Angelum, Ioannem Tabienam, Alexandrum Anglum, Nicolaum Aurificum, Ioannem Herolt, Ioannem Azor, Franciſcum Suarez, Iacobum Gordonum, Iacobum Granado, S. Bernardinum Senenſem, Auguſtinum Mazzinum, S. Carolum, Bernardinum Buſtum, & Dionyſium Carthuſianũ, vt diſſimulem hîc reliquos, quos §.5. recenſui. Ex his iam nominatim appellatis, Alenſi dumtaxat, Azorio, & Herolto explicationem congruentem adhibui; cæteri verò nõ nimis probant, ſed meam aſſertionem tradunt diſertiſſimè; niſi fortè hoc nimis probare putet, qui ſic opponit.

Qui nimis non probãt.

At hoc ipſum probandum erat, nimis tales Doctores probare, & oſtendendum, in quo nimis probent, quod factum non video. Sed eſto, aliquis huiuſmodi Auctorum nimis probet. quid tum poſtea? num propterea minùs clarè ſuam ſententiam explicat? Imò magis. Atqui in referendis Doctoribus non id ego modò ago, vt rationes, & argumenta ipſorum ad concluſionem meam probandam vſurpem; ſed vt mentem, & iudicium eorundem planiſſimum bono in lumine collocem; quicquid deinde ſit de illorum argumentis. Omnes porrò, quos retuli, tam §. 4. quàm 5. meæ aſſertioni ſuffragari fatebitur quiſquis procul a ſtudio partium, candidam veritatem amat, ac profitetur. Adde quòd nemo ex citatis Auctoribus, ſi, vt par eſt, intelligatur, nimis probat. Neq; enim id, vt dixi, probatum huc vſq; eſt.

CC XXIII. *Et cum diſtinctione accipiẽdi ſunt, etſi abſolutè loquantur, tamereq; ſine illa intelliguntur.*

Sed illud vrgetur maximè, homines doctos, & aſſuetos diſtinguere, quum opus eſt diſtinctione, quandoquidem abſolutè loquuntur, iuxta genuinum ipſorum ſenſum non videri cum diſtinctione explicandos. At ego miror valde huiuſmodi exceptionem, vel regulam opponi, quæ omnino falſa eſt, & ingenti cum ignominia Doctorum omnium coniuncta. Nam hinc fit, vt quum apud Theologos, & Caſiſtas do-

ctos,

ctos, & aſſuetos diſtinguere, quum opus eſt diſtinctione, legimus furtum, detractionem, violationem diei feſti per opera ſeruilia, fractionem ieiunij præcepti, omiſſionem Miſſæ die feſto, & ſimilia, eſſe peccata mortalia, nullâ aliâ appoſitâ diſtinctione, continuò ita eſſe iuxta genuinum ipſorum ſenſum interpretandos, vt velint furtum etiam vnius oboli eſſe lethale; leuiſſimam etiam detractiunculam eſſe lethalem; opus ſeruile in feſto die, ſpatio dimidiati etiam quadrantis factum eſſe lethale; comeſtionem vnius etiam ciceris extra prãdium, & veſpertinam collationem in die ieiunij præcepti eſſe lethalem; neglectum minimę particulæ Sacri non auditæ die feſto eſſe quoq; lethalem. At quis Doctorum, qui non penitùs deſipiat, hanc regulam, vel interpretandi normam non explodat? Quis neſcit, vbi lex habet latitudinem materiæ, culpam grauem in leuem ex leuitate materiæ degenerare; & quum graue crimen pronuntiant Doctores, grauem quoq; materiam criminis grauitati congruentem deſignare? Quis non Doctorum in rebus notiſſimis, qualis hæc de leuitate, & grauitate materię culpam de veniali in lethalem vertente, omittit diſtinctionem, generatimq; vt res ipſa naturâ ſuâ fert, loquitur, ac præcipit? Et ſtatim hi cuncti ad hanc violentam explicationem torquendi ſunt, vt quamcumq; tranſgreſſionem etiam in materia leuiſſima, quia diſtinctionis expreſſiſſimè non meminerunt, mortiferam eſſe decernant? At hoc non eſt Doctores explicare, ſed prodere, intolerabiliq; ignominia dehoneſtare. Qui verò ſapiunt, perſpectum habēt, Doctores ex genere ipſo rei ita loqui, quum grauis culpæ aliquid notant, tametſi id ex leuitate materiæ in veniale peccatum dumtaxat abeat. Ergo eodem modo Doctores a me recenſiti ſuperfluum ornatum mulierum prouocantem ad libidinem mortali ſcelere obſtrictum generatim ſtatuentes, de notabili tantùm, & graui prouocatione ab eo, qui ſapit, neceſſariò interpretandi ſunt, & qui aliter eos accipit, ipſos non doctos eſſe homines iudicat, ſed imperitos planè, ſtupidos, ac bardos inſigni cum iniuria facit, quod eſt abſurdum.

Quid quòd aliqui etiam diſtinctionis mentionem de graui exceſſu, qui idem prorſus, ac notabilis prouocatio in caſu ab ijsdem propoſito ſignificat, manifeſtò faciunt? Baptiſta de Salis *num.* 130. citatus, *Poterit eſſe tantus exceſſus, quòd erit occaſio data etiam ex parte mulieris ſe ornantis*, Eodem pacto & Baptiſta Trouamala *num.* 35. allatus. Explicatiſſimè etiam S. Antoninus *ibidem* memoratus: *Ornatus vtiq; tam inordinatus eſſe poteſt, quòd erit occaſio efficaciter data; vnde & mortale.* Silueſter pariter *num.* 36. adductus rotundiſſimè: *Eſt mortale dupliciter, ſi conſideratâ circumſtant à perſonæ, officij, loci &c. ſit exceſſus notabilis &c. vel detur occaſio peccati mortalis, quod eſt, quando exceſſus notabilis eſt.* Diſtinctiſſimè etiam Angelus *num.* 37. recitatus: *Quando eſt in ornatu exceſſus, præſertim prouocatiuus ad libidinem.* Suarez quoque *num* 43. indicatus, planiſſimè: *Si eſſet ornatus ſuperfluus, & maximus, vel ſi de ſe eſſet prouocatiuus ad malum.* Dilucidè etiam Gordonus *num.* 44. *ibidem* laudatus: *Nimius ornatus, & qui incitaret ad ſcandalum paſſiuum, reprehenditur a Nauarro, & Caietano, & rectè ſentiunt Antoninus, & Silueſter eſſe mortale.* Granado item clariſſimè. *Si ornatus eſſet valde nimius, non foret excuſanda fœmina a mortali* &c. Nec minùs etiam perſpicuè alij ſupra enumerati loquuntur.

CC XXIV. *Imò aliqui grauis exceſſ' diſertè meminerunt.*

Ee Quo

Quo igitur fundamento dicitur, abſolutè ſine diſtinctione hos loqui, quum diſtinctionem ſole meridiano clariorem adhibeant?

CC XXV. *Et indirectum quoque contemptũ ſalutis proximi indicant eſſe mortalem.* Alterum ſubterfugiũ, quòd memorati Auctores damnẽt ſolùm mortalis ornatum, quando adeſt directus contemptus ſalutis proximi, eſt omnino falſum, quum ijdem apertiſſimè indirectum etiam contemptum dumtaxat ad talem culpam incurrendam ſufficere doceant tam illi, qui §. 5. quàm qui §. 4. relati ſunt, præſertim *num.* 148. & 149. nec non de indirecto huiuſmodi contemptu diſputantes, directum a ſe excludi manifeſtè denuntient: quod qui inficiatur adeo confidenter de omnibus, vel ipſos Auctores nunquam legit; vel ſi legit, non intelligit; vel ſi intelligit, merum meridiem cæcæ noctis inſtar habet. *Quis ſit directus contemptus proximi.* Directus quippe contemptus ſalutis proximi a Doctoribus peccati mortiferi meritò damnatus, non eſt quædam elatio, qua ſe quis alijs præfert, aliosq; paruipendit. hæc enim eſt peccatum iactantiæ, vanę gloriæ, atq; arrogantiæ, quod communiter mortale non cenſetur a Doctoribus, vt videre eſt apud Leſſium *lib. 4. de Iuſt. cap. 4. dub. 9. num. 68. verſ. ſi verò loquamur. & dub. 10. num. 76. verſ. ſextus eſt.* Nam in tali arrogantia, & prælatione ſui non contemnitur ſalus animæ proximi, qualis contemptus ad culpam mortalem a Doctoribus requiritur, ſed conditio temporalis pro huius vitæ ſtatu præſenti alterius perſonæ deſpicitur. Vnde directus ſalutis proximi contemptus alius non eſt, quàm directa intentio inducendi alium ad peccatum. Præter quem tamen directum contemptum, Doctores alium quoque indirectum planè agnoſcunt, explicantq;, & lethalem eſſe perſpicuè decernunt, in ſuperfluo etiam ornatu nominatim. Similis farinæ alter prætextus eſt, quòd ijdem Doctores abſolutè excuſent a mortali ornatum mulierum ſine praua intentione, quod eſt falſiſſimum, & falſitatis palpabilis ab ijſdem Auctoribus palàm conuincitur, dum in propoſito caſu omnis praua intentio mulieris ab ipſis palàm excluſa ſupponitur, & nihilominùs nimius ornatus illius ad libidinem prouocans lethalis iudicatur; de caſu verò prauæ intentionis directæ ſeparatim omnino ab ijs diſſeritur, vt eos inſpicienti, ac diligenter conſideranti compertum eſt.

Deniq; vtraq; euaſio, & tota obiectio euertitur funditus ex eo, quòd duplici, ac perridicula abſurditate laborat. Nam ea hinc ponit, Doctores abſolutè loquentes eſſe abſolutè ſine vlla diſtinctione, etiam in ſenſu valde falſo, abſonoq;, etſi rectus, & legitimus ex ordinaria ſapientum interpretandi lege commodiſſimè elici poſſit, intelligendos, quod abſurdiſſimum eſt, vt §. 9. patefeci. Sicut enim abſurdus legis publicæ ſenſus cauendus ſemper eſt, verbis etiam ad impropriam ſignificationem traductis, vt docent cuncti Theologi, & Iuriſconſulti in tractatu de Legibus, quia legislator præſumitur ſemper prudenter legẽ condidiſſe, adeoque ſenſum bonum legi etiam indidiſſe; ita quoque Doctor quilibet, qui priuatus quaſi legislator eſt, doctrinæque, & prudentiæ pręſumptione potitur, ſemper in eo ſenſu, qui non ſit abſurdus, ſed rectus, iure explanandus eſt, niſi aliunde probetur eũ fuiſſe allucinatum. Hîc verò in obiectione traditur, Doctores abſolutè ſine diſtinctione loquentes, quanquam in ſenſu planiſſimo, & communiſsimo, & probatiſsimo accipi poſsint, adhibita diſtinctione etiam ſaniſsima, & vulgatiſsima; tamen abſolutè in ſenſu etiam abſurdiſsimo ſine vlla diſtinctione eſſe acci- CC XXVI. *Ridicula oſtenditur obiectio.*

accipiendos, quod abſurdiſsimum; & perridiculum eſt, vt patet. Illinc verò eadem obiectio ijſdem Doctoribus a me citatis, quos abſolutè locutos ait, interpretandis duplicem diſtinctionē de contemptu directo ſalutis proximi, & de excuſatione carentium praua intentione, tametſi vtramq; falſam, violentam, & contra aperta eorundē Doctorum verba pugnantem, vt dixi, apponit, & præſcribit, quo nihil abſurdius, aut magis ridiculum. Non vis adhiberi diſtinctionem, vt rectè ſenſiſſe videantur Doctores, ſed mauis eos deliros cenſeri, etſi nihil id ſuadeat, ſed exaduerſo legitimi ſenſus fundamenta oculis cernantur: iubes verò adhiberi diſtinctionem præpoſteram, & fatuam, quæ fatuos illos eſſe cogat, dum affirmant, quod expreſsè negant. Quàm vereor, ne hic illud Horatianum locum habeat. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?*

CCXXVII. *Et omnino improbabilis.* Ex quibus bene perpenſis conſtat, præſentem obiectionem cum ſuis excuſationibus eſſe prorſus inanem, atq; improbabilem, neq; ab alio, quàm ab eo fieri poſſe, qui ſine vllo fundamento ex mera voluntate primò fingit ſibi, non dari notabilem prouocationem ad Venerem ex immodico ornatu muliebri; deinde, vt hoc ſemel conſtitutum & fixum quocunq, modo tueatur, in omnia diuerticula profugus ſe abdit, manusq; violentas Doctoribus contra meridianam veritatem inferre non dubitat, perabſurdè eos explicando, atque ad ſenſum falſum abſonumque torquendo, quod nefas eſt.

CCXXVIII. *Nec ſequitur, diuitias quoque fore vitandas.* Obijcies VIII. Nihil a Scripturis ſacris æquè plenum occaſionum eſſe, & periculorum delinquendi refertur, ac diuitias, vt notum eſt: & tamen nemo has, vt tales occaſiones vitet, relinquere tenetur. Ergo non ſecus nimius ornatus, vtcunq; peccandi occaſio ſit, ſub mortali a feminis vitandus minimè eſt. Reſpondeo, & militiam, quæ peccandi periculis etiam abundat; & mercaturam, quæ ijſdem obnoxia eſt; & cauſſidicinam, quæ ijſdem expoſita eſt; imò & creaturas omnes, quæ *in muſcipulam pedibus inſipientium factæ ſunt*, pari iure hîc obiectari poſſe. *Sap. 14.* Verùm aio, eſſe diſparitatem. I. Quia occaſiones, e diuitijs, militiâ, mercaturâ, &c. ortæ, ſunt remotæ duntaxat, talesq; à Doctoribus paſſim reputantur, quando ſcilicet nō agnoſcuntur coniunctę hîc, & nunc cum probabili periculo culpæ mortalis, nec determinatæ, ſed indefinitæ ſolùm, vt ſupra *c. 5 §. 11. n. 191.* obſeruaui; quę verò ex habitu valde prouocatiuo manant, proximæ, vt ex productis Doctoribus §. 4. & 5. manifeſtū eſt. II. Quia licèt militia, & mercatura remotæ tantū occaſiones plerisq; ſint; Si quis tamen in illis nonnullas proximas ſibi euadere experiatur, tenetur ipſas, ſi poſſit ſine graui incommodo, deſerere, vt e communi doctrinâ vulgatum eſt; ſicut certum quoq; eſt, defigere oculos in formoſâ muliere eſſe occaſionem tantùm remotam: at ſi quis expertus eſt, vix ſine culpâ mortali a ſimili aſpectu ſe diſcedere, ſit huic talis aſpectus occaſio proxima, quam debet ſub mortali vitare. III. Quia qui militiam adeunt, mercaturā exercent, diuitias habent, quæ ſunt res omnino indifferentes ex ſe, præciſè ſine culpa etiam veniali in tali ſtatu verſantur. At immodicus ornatus ad malum prouocatiuus ſaltem leuiter, peccati venialis reus eſt iure naturæ, vt Doctores omnes ſanciunt. Vnde aliud diſcrimen patet, quia in tali ornatu illicito eſt pellacia, atq; illecebra moralis, & phyſica ad libidinem ſollicitans, non autem in diuitijs, aut in

mili-

militia intrinſecus, ſed extrinſecus. IV. Quia diuitiæ ſunt occaſiones delinquendi ipſimet poſſidenti. At ornatus ad libidinem alliciens occaſionem talis culpæ non ipſimet allicienti & prouocanti, ſed alijs prouocatis ordinariè præbet. V. Quia etiamſi concederetur (quod tamen minimè concedo) a diuitijs occaſiones proximas delinquendi mortaliter conflari tum ipſis poſſidentibus, tum alijs, adhuc nemo ex diuitibus eas hoc nomine deſerere teneretur, quia nemo cum graui ſuo incommodo tenetur vitare ſibi, vel alijs periculum proximum lethaliter peccandi, vt patet e vulgata doctrina. Atqui abijcere magnas diuitias, e quibus tot pericula exiliunt, in communi ſapientum æſtimatione graue admodum incommodum eſt; non eſt autem graue relinquere valde immoderatum ornatum, vt §. 12. demonſtraui. Ergo longè diſpar vtriuſq; caſus ratio eſt.

Nonnullas alias difficultates proponit, & ſoluit Dionyſius Carthuſianus in ſuo *Directorio cit. art. 15. & 16.* quas, quia nullius ferè momenti ſunt, & ex dictis nullo negotio hactenus difflari poſſunt, de induſtria prętermitto.

CCXXIX. *Cōtraria opinio ornatum valde prouocatiuū libidinis negans eſſe lethalē, improbabilis eſt.*

Quibus ita commodè abſolutis, apteque concluſis, quum ſententia damnans culpæ mortalis immoderatum valde ornatum mulierum ad Venerem notabiliter prouocantem, hucuſque propugnata, tam firmis rationibus nitatur, tantàque Doctorum conſpiratione muniatur, vt nullus planè eam negare audeat (nemo quippe hanc propoſitionem; *ornatus muliebris valde immodicus ad libidinem notabiliter prouocans eſt mortalis*; inficiatur, etſi plerique diſtinctionem leuis prouocationis a notabili minùs cautè omiſerint) iure optimo nunc pronuntio, contrariam opinionem, ſi quis fortè eam primus vellet obtrudere; quum & ratione, & Doctorum auctoritate deſtituatur, nec non communi Doctorum ſententiæ, validiſque rationibus aduerſetur, eſſe omnino improbabilē. Quæ omnia ſatis dilucidè, & ſolidè antea explicata ſunt, atque oſtenſa; Atq; hæc ſanè non pauca de aſſertione prima ſupra §. 2. explicata abunde ſufficiant.

CCXXX. *Caſus precedētis doctrinæ practicus eſt.*

Aſſero preterea caſum expoſitæ doctrinæ eodem illo §. 2. *num.* 25. & deinceps probatæ non eſſe merè ſpeculatiuum, & Metaphyſicum, ſed moralem, & practicum; tum quia ſancti Patres antea recenſiti in eiuſmodi corruptelam tanquam paſſim vſitatā, acriter inuehuntur; tum quia tam multi Doctores §. 4. & 5. allati eandem veluti in vſu a feminis poſitam mortalis culpæ notant; tum quia multas feminas hac de cauſsâ æternūm damnari, locupletes Auctores antea adducti, & comperta etiam exempla pariter recitata teſtantur; tum quia experientiâ conſtat, a feminis, quæ ſimplicitatem iam exuerunt, & obſcœnis cogitationibus ſaltem titillantur, vexanturq; ſubinde, minimè ignorari, ſe a viris, ſeu ab aliquo particulari noto, vt a Titio, vel a Caio, ſeu ab aliquo indefinito in occaſionibus hîc, & nunc determinatis, vt in hodiernis choreis, in hodierno ludo, in hodierno concurſu, in hodiernâ conuerſatione, & confabulatione &c. ob talem immodicum valde ornatum laſciuè appeti, vt ſatis ex diſputatis ſupra §. 8. & 9. conuincitur, quæ facilè perſuadent, ſicut ab immoderato notabiliter ornatu mulierum occaſio proxima delinquendi lethiferè præbetur hîc, & nunc, ſeu vni determinato, ſeu indeterminato hîc, & nunc etiam; ita ipſas pariter hîc, & nunc talis ruinæ a ſe alteri, vel pluribus creatæ ſufficienter eſſe conſcias, atq;

atq; adeo etiam reas.

CCXXXI. Aſſero denique, mulieri cuicunque ſatis conſciæ, ſuum ornatum eſſe valde prouocatiuum libidinis, non ſatis eſſe, quò in cotidianis occaſionibus conuerſandi, confabulandi, incedendi per vias a viris frequantatas, &c. a mortali culpa eximatur, ſi neſciat a ſe vllum morale, ſeu proximum, vel probabile periculum labendi in lethale crimen alicui particulari, aut indeterminato per talem ſuum ornatum præberi; ſed neceſſe etiam eſſe, vt ei prudenter ex circumſtantijs conſtet, nullum ſimile periculum cuiquam, ſeu particulari, ſeu indefinito in dictis occaſionibus hîc, & nunc occurrentibus, & determinatis a ſe per eiuſmodi ſuum ornatum creari. Do vtriuſque caſus exemplum. Lucretia gnara ſui ornatus valde ad malum prouocatiui, intereſſe debet hodierno conuiuio numeroſo, in quo aderunt plures feminæ, & plerique etiam viri; omnes tamen vel præ ſenili ætate, vel ob timorem Dei, robuſtamque virtutem immunes fore probabilis periculi cadendi in mortale ex ſuo tali prouocatiuo ornatu, prudenter ſibi ex circumſtantijs perſuadet: contra verò eadem Lucretia cum eodem ornatu exit e domo, ac per viam publicam pergit ad Templũ vel ad choreas, vel ad alia loca, vbi a varijs viris ſe conſpiciendam ſatis nouit, quorum ſingulos omneſque ſimul non poteſt prudenter exiſtimare tãtos fore a probabili periculo delinquendi mortiferè ob ſuum ornatum; imò, quia compertum habet, nonnullos ex ipſis indeterminatè, etſi ſpeciatim in indiuiduo ignoret, quinam ſint, valde eſſe ad peccata laſciuię procliues, nulloque ferè, aut perexiguo Dei timore coercitos, facilè ruere ſaltem in deſideria carnis; prudenter cenſere debet talem ſuum ornatum, quem ſcit eſſe valde libidinis prouocatiuum, fore illis ſcandalo, & graui ruinæ ſpirituali, nequo oppoſitum prudenter opinari poteſt: ac proinde in priore caſu extra culpam mortalem eſt, in poſteriore autem ſi citra graue incommodum eo ornatu abſtinere poteſt, & non abſtinet, delinquit lethiferè. Sic explanata aſſertio, euidẽter infertur ex diſputatis, & cõcluſis *cap. 5. 6.* & 7. facileq; ac breuiter oſtenditur, præſcindendo tamen ab omni inaduertẽtia, ignorãtia, vel alia cauſa legitimè excuſante.

Peccat mulier lethiferè, niſi ei conſtet prudenter, nemini eſſe nimiũ ſuũ ornatũ valde periculoſum.

CCXXXII. I. Quia ita expoſita aſſertio reuera eadem eſt, ac prima, a qua nihil prorſus diſcrepat, vt conferenti vtramque perſpectum eſt; etſi operæ pretiũ fuit, paulo clarius illam hîc explicare.

Vt patet ex I. cõcluſione.

CCXXXIII. II. Quia quilibet tenetur ſubtrahere proximo occaſionem mortalis culpæ, quando eum ex paſſione, & infirmitate ob rem, indifferentem etiam, a ſe ſubminiſtratam, in proximum delinquendi mortaliter periculum, conijciendum probabiliter etiam duntaxat, ſeu prudenter, ne dum certò, præuidet, vt ſupra *cap. 5. §. 4. num. 53.* vidimus. At in caſu poſteriore propoſito Lucretia probabiliter, & prudenter debet credere aliquem ex aſpicientibus in morale, & graue periculum delinquẽdi mortaliter ob ſuũ immodicũ valde ornatum, caſurum; nec aliter prudenter iudicare poteſt; ſi quidem ſupponitur noſſe aſpicientes in laſciuiam pronos, facilè in culpam mortalem labi, ſuumque cultum eſſe libidinis valde prouocatiuum, adeoque nequit prudenter credere ipſos oblatã ſibi tali laſciuiæ proximã occaſione non conijciendos in manifeſtum luxuriæ periculum, vt patet. Ergo niſi omittat talem cultum, peccat mortaliter.

Tum ex dubio de ruina proximi.

CCXXXIV. III. Quia quando res ſunt tales, vt ſeu ex inſtitutione ſua, ſeu ex vſu hîc, & nunc

Et ex cultu ip-

nunc

ſo pro-uocatiuo ad ma-lum. nunc ad malum finem deſtinatæ ſint, ita vt moraliter ſemper probabiliter timeatur prauus vſus, non licet eas ſubminiſtrare alteri, niſi in particulari conſtet ceſſare periculum praui vſus, vt ex communi Doctorum ſententiâ ſupra *cap.* 5. §. 7. *num.* 96. obſeruaui. Sed in præſenti caſu ſupponitur ornatus eſſe valde irritatiuus libidinis, probabiliterque timeri communiter prauus eius vſus. Ergo niſi prudenter conſtet feminæ hîc, & nunc ceſſare periculum praui vſus, peccat mortaliter adhibendo eiuſmodi ornatum.

CC XXXV *Nec nō ex aliis exēplis.* IV. Quia certum eſt, nefas eſſe, vendere venenum, niſi ijs, qui præſumūtur prudēter eo nō abuſuri, vt ſupra *cap.* 5. §. 7. *num.* 96. notaui. Certum pariter, edere libros laſciuos, aut laſciuā pingere imaginē, aut pronos in ebrietatem inuitare ad bibendum, culpæ mortalis a Doctoribus ſine controuerſiâ damnari, vt dicto *cap.* 5. §. 4. *nu.* 41. & 43. planum feci. At certum item eſt, tales actiones non eximi a mortali niſi prudenter quis hîc, & nunc cenſeat ceſſare in ipſis periculū abuſus lethalis, vt quando inuitat tam ſobrios ad bibendum, vt eos a periculo ebrietatis abeſſe merito reputet; vel oſtendit imaginem, aut librum laſciuum nonnullis viris fortiſſimæ caſtitatis, quos minimè ad malum incitandos propterea, haud temerè arbitratur. Verùm quia pingere laſciuam imaginem, ſeu edere laſciuos libros ſemper habet morale periculum, vt exponantur oculis aſpicientium, aut legentium cum graui periculo lethiferæ ruinæ, idcirco eæ actiones ex ſe mortales ſunt. Sed ornatus valde ad Venerem laceſſens eiuſdem prorſus conditionis eſt, ac venditio veneni, inuitatio ad bibendum &c. editio libri laſciui, imago turpis &c. quantum ad præſentem caſum attinet, etſi aliunde diſcriminentur, quia illæ etiam actiones non ſunt intrinſecè omnino malæ, ſed poſſunt ex graui aliqua neceſſitate honeſtari, vt ſupra ponderaui. Ergo ſicut hæ non ſunt licitæ, niſi hîc, & nunc prudenter conſtet, eas carere periculo probabili abuſus &c. ita quoque neque ornatus valde prouocatiuus laſciuiæ licitus eſt, niſi hîc, & nunc ſciat femina prudenter, neminem idcirco grauiter periclitaturum.

V. Denique, quia Patres §. 6. 7. & 8. allati, idcirco ſignanter culpæ mortalis nimium feminæ ornatum damnant, quia *aliis ſit exitio, & pro gladio ad necem alterius, & concupiſcendi libidinem nutriat, & peccandi fomenta ſuccendat, & velut gladium, et venenum videntibus ſe præbeat*, vt loquitur S. Cyprianus; *& venenum afferat aliis, ſi adſit, qui bibat*, vt ſcribit S. Hieronymus; *& venenum offerat, etſi nullus, qui biberit, inuentus ſit; & gladium acuat, & accendat ignem, & dexteram armet, & adulteros præparet, calicem pernicioſum miſceat, ac præbeat*, vt luget S. Chryſoſtomus; & *aucupium hominum ſit, & immanes voluptates procreet*, vt ait Clemens Alexandrinus; *& pudicis afferat excidium*, vt S. Petrus Eremita teſtatur; *& incentiuum vitiorum ſit*, vt fidem facit S. Ambroſius; & *oculos intuentium faſcinet*, vt auctor eſt Hildelbertus; & *ignem iuuenum, ac fomenta libidinum* ſuppeditet, vt S. Hieronymus iterum memoriæ prodit. Atqui ornatus valde prouocatiuus libidinis agnitus vt talis, quamdiu non conſtat prudenter, illum geſtanti, ceſſare in eo hîc, & nunc periculum morale praui vſus, obnoxius eſt omnibus illis ſcopulis, & corruptelis, quibus memorati Patres obnoxium eum vociferantur, ac proinde & delicti grauis reum indicant, vt *loc. cit.* expendi. Ergo CC XXXVI. *Tum ex documentis Patrum.*

Lucretia

Lucretia in caſu poſteriori præſentis aſſertionis geſtans habitum valde incitantem ad libidinem, peccat toties mortaliter, quoties ſine alia iuſta cauſſa excuſante hîc, & nunc in cotidianis occaſionibus cum eo prodit, vel domi eo vtitur, neque tamen ipſi prudenter conſtat, eum expertem eſſe probabilis periculi labendi in lethale crimen alicui ſeu particulari, ſeu indefinito hîc, & nunc afferendi, vt ex dictis manifeſtum eſt. Et hoc ipſum quoque ſanciunt vniuerſi Doctores §. 4. & 5. producti.

CCXXXVII *Vnde liquet caſum lethiferi ornatus eſſe nimis frequentē.* Ex quibus ita expenſis multo magis perſpicuum eſt, caſum præſentis aſſertionis, & primæ, quæ reipſa vna, ac ſola eſt, non eſſe metaphyſicum, ſed practicum, & in cotidiano vſu nimis etiam frequentem; quandoquidē pluribus feminis ſimplicitate carentibus, & a Veneris prauis ſaltem cogitationibus minimè liberis ſat notum eſt, ſuum nimium cultum, eſſe notabiliter prouocatiuum libidinis, compluresq; ex viris aſpicientibus ſiue particulariter, ſiue indeterminatè dumtaxat cognitis, luxuriæ facilè ſuccumbere; ac proinde probabiliter quoque ob talē ſuum ornatum prouocatiuum in morale periculum delinquendi mortaliter lapſuros: neque prudenter iudicare poſſunt, tale periculum a ſe nemini ſuppeditandum, dum ſeſe liberè ita ornatas exponunt oculis eorum, quos Veneris flammis ſuccenſos non ignorant; ac propterea mortalis delicti ree omnino ſunt.

Vnus hîc inijci fortè poſſet ab aliquo ſcrupulus de perplexitate, de periculis, & de damnis, quæ ab aſſertionibus modò ſtatutis afferri poſſunt tā Confeſſarijs ipſis, quàm Pœnitentibus. At is infra *diſp.* 2. commodiùs excitabitur, & diſſipabitur.

Variæ excuſationes, & cauſſæ, quæ notabilem prouocationē ornatus ad malum a culpa mortali liberare queat, expenduntur.

Cap. VIII.

QVanquam ornatus immodicus ad libidinem valde prouocatiuus diuino, & naturali iure, vt ſupra §. 17. & *cap.* 2. enucleaui, prohibitus ſit; non tamen ita intrinſecè malus cenſendus eſt, quin ex aliquâ circumſtantiâ honeſtari poſſit, vt cū tali circumſtātiâ minimè prohibitus iure exiſtimetur. *Ex graui cauſſa ferēs ornatū valde prouocatiuum Veneris, non peccat, nec indirectè quidem.* Hec autē circumſtantia, eſt iuſta cauſſa, opus aliàs indifferens agendi, quâ poſitâ, ſuppeditare alteri abuſuro ad culpam, materiam, vel occaſionem indifferentem, vacat culpâ, vt pluribus *cap.* 5. explanaui. Sicut etiam exponere ſeipſum periculo proximo peccandi mortaliter, iure diuino, & naturali vetitum eſt, adeoque & delictum lethiferum, vt tradunt omnes. Nihilominùs, vbi quis ex iuſtâ cauſsâ tali periculo ſe exponit, minimè peccat, vt ſine controuerſia fatentur Theologi apud Thomam Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 8. *num.* 3. ſupra *cap.* 5. §. 11. *nu.* 177. vidimus. Ergo neque peccabit ex iuſta cauſſa eidē exponens proximum, quum nemo plus diligere proximum, quàm ſeipſum, ſed dumtaxat ſicut ſeipſum teneatur. Ratio eſt, quia lex de vitando ſcandalo tam proprio, quàm alieno, non vetat ſimpliciter actionem, vel materiam indifferentem, ex qua ſequitur ruina proximi, ſed tantùm cum tali circumſtantia, quando deeſt cauſſa iuſtificans eandem actionem, vel materiam. At ſublatâ tali circumſtantiâ & poſitâ circumſtanti-

cumſtantiâ, oppoſitâ iuſtæ cauſſæ, iam ceſſat materia legis, & ipſa lex, vt ex tractatu de Legibus ſuppono, & compertum eſt. Haud ſecus etiam ſi quâ neceſſitate graui vrgeatur femina ad ornatum immodicum notabiliter ad malum irritantem geſtandum, etſi hic nihilo ſecius irritabit, ipſa tamen delicti, & indirectæ cooperationis erit immunis, quia lex caritatis non obligat ad alienum peccatum vitandum cum tanto onere, vt planum eſt. Iam quænam ſint huiuſmodi cauſſæ iuſtæ, & legitimæ, indagandum.

II. *Feminæ falsò prætexunt, ſe ornari ſuperfluè maritorum gratia.*

In primis mulieres pro iuſta cauſſa, & legitima excuſatione ſui immodici, ac luxuriantis ornatus, ſuorum maritorum gratiam, ac voluntatem teſtari ſolent. At certa ab incertis ſecernamus. Licet ſanè feminæ ornare ſe moderatè, vt placeat viro ſuo; & ſi fortè in ornatu leuiter excedat, non peccat niſi venialiter; imò etiamſi ornatus valde immodicus ſit in genere pretij, non delinquit tamen mortaliter iuxta probabilem Caietani, & aliorum ſententiam, vt ſupra *cap. 4. num. 11.* iam explicaui. Sin autem notabiliter ad Venerem prouocet, lethiferæ culpæ rea eſt, niſi aliunde excuſetur. Nunc quid Sancti Patres aduersùs has, quæ maritorum cauſsâ ornatum a ſe affectari, non tam aiunt, quàm comminiſcuntur, ſentiant, audiamus. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom. 10. in Epiſt. ad Coloſs.* falſitatis ipſas egregiè ita coarguit, *Quid ornaris, dic, quæſo? vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hîc verò contrarium fit, ſcilicet domi ſumma incuria, ſi foras itur, annus eſt, dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, alijs ne cura, vt placeas. Si verò alijs placere vis, non potes placere tuo.* Eodem tendunt, quæ S. Clemens Romanus Chriſti Vicarius *lib. 1. Apoſtol. Conſtitut. cap. 8.* ſic præclarè monet: *Ne igitur vos, quæ Chriſtianæ eſtis, tales imitemini. Si autem vis fidelis eſſe viro tuo, ſtude, vt ei tantùm placeas: in plateis verò caput tuum obnube. obtegendo enim caput, aſpectum curioſioribus occludes.* Veteribus Patribus ſubſcribit quoq; Gulielmus Peraldus Epiſcopus Lugdunenſis *Tom. 2. Summæ, Tit. de Superbia, cap. 11. Regina Eſther,* inquit, *quæ cor nobile habebat, abominabatur ſignum ſuperbiæ, quod in capite ſuo erat. Notanter dicit,* quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ: *ornatum enim ſuum non ferebat, niſi quando Regi marito ſuo ſe oſtendebat. In quo mulieres noſtri temporis multum ſunt ei diſſimiles, quæ quum ſunt cum maritis, non curant de ornatu: quandò verò in publicum volunt procedere, volunt eſſe ornatæ, & tamen dicunt, quòd ornant ſe propter maritos ſuos.*

III. *Neq; ſucis gratiam eorum ſibi cõciliãt.*

Sed demus mulieribus, nõ malo dolo, ſed bona fide eas ſe ornare, quò maritis ſuis placeant. At dum fucos adhibent, vt fallant, falluntur ipſæ; dum conãtur decipere, decipiuntur. Neq; enim ita pigmentis, ac figmentis coniugum ſuorũ gratiam ſibi conciliant, ſed potiùs alienant. Quò pertinet celeberrimum illud S. Auguſtini effatum *Epiſt. 73. ad Poſſidium,* quod & *cap. fucare, de conſecr. diſt. vlt.* refertur, paſſimq; a Doctoribus, & Theologis hactenus citatis ingeritur: *Fucare pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior, vel verecundior appareat: adulterina fallacia eſt, qua nõ dubito etiam maritos ſe nolle decipi, quibus ſolùm permittendæ ſunt feminæ ornari ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. Nam verus ornatus, maximè Chriſtianorum, & Chriſtianarum non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt.*

IV. Aliam rationem ad vxores ab hac inſania, fatuoq; maritis ſuis lenocinandi

Fucis verò abſtinentes Deũ glorificant.

nandi conſilio reuocandas S. Chryſoſtomus *hom. 4. in cap. 1. Epiſt. 1. ad Timoth.* ſuggerit, vbi quum quæſiſſet, quę nam Deum in corpore ſuo glorificaret, ſic philoſophatur. *Quæ vnguentis delibuta non pergit, quæ faciem nequaquam fucis, atque coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio, nihil ex ſe addere quaſi arte molitur. Quid enim ſtudium tuum? Quid artem conſummato a Deo opificio admouere præſumis? Non tibi ſufficit diuina formatio? An verò velut excellentior opifex diuinũ opificium corrigere impiâ moliris audaciâ? atque ad auctoris iniuriam ornaris, vt poſt te greges iuuenum trahas? Et quid, inquies, ego facere poſſum? Non enim hæc ego volo, ſed viri cauſsâ hæc facere compellor. Adamari non poteſt, quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, vt in hoc ipſe laudetur, & admirationi ſit opificium eius, non vt patiatur iniurias. Noli hanc illi vicem reddere; ſed pudicitiâ, & verecundiâ te ornare contende.*

Fucatio exagitatur.

V. *Mulieres fruſtra ſe ornant, quò maritos ſuos a pellicibus abſtrahant, quos potiùs virtute ſua lucrarẽtur, luxu autẽ alienãt.*

At maritus non rarò pellicem perditè deperit, a qua vt eum auellat vxor, fucis, & immodicis ornamentis illum aggreditur. Sed temerè, atque inconſultò, nullo prorſus compẽdio plerumque. Huc enim pertinent, quæ ad hunc mulierum prætextum euerberandum validiſſimè idẽ S. Chryſoſtomus *hom. 28. ad Hebræos* hunc in modum intorquet: *Quòd enim ſic non viro placere deſideres, & non ob hanc cauſſam te cupias ornari, ex ijs, quæ facis, manifeſtum cunctis apparet. Quum limen tui thalami fueris ſupergreſſa, confeſtim cuncta illa deponis, & veſtimenta, & auramenta, & margaritas, & in ædibus potiſſimùm nihil horum geſtas. Si autem viro cupis omnino placere, eſt vnde complaceas, per manſuetudinem, per placiditatem, per pudicitiam. Crede mihi mulier, etiãſi multũ ſit vir ille inferiora ſapiens, hæc illum magis illiciunt: hoc eſt, manſuetudo, pudicitia, habitus ſine typho; ſine multis expenſis, vilis, & humilis. Impudicum quippe virum, etiamſi multa excogites ornamenta, non obtinebis. Et hoc nôrunt quotquot huiuſmodi viros habuere. Quantumlibet enim tu ſtudeas adornari, ille, ſi incontinens eſt, ad alteram pergit. Pudico verò & caſto talibus minimè complacebis, ſed magis horum contrarijs. His autem eum contriſtabis, quum de te ſuſpicionem facis appetentis ornatum. Quid enim? Etiamſi vir ille reuerentiâ manſuetus, hoc tibi ſicut pudicus & mitis dicere noluerit, ſed intra ſe plurimum reprehendit; & zelum, & inuidentiam non cohibet, an non omnem voluptatem, & iucunditatem illi in poſterum eximis? inuidentiam contra teipſam excitans?*

Imò non ſolùm fructu nullo, ſed non leui quoq; ſæpe damno proprio illuſæ feminæ ad has artes confugiunt. Teſtor eundem S. Chryſoſtomum loco paulò ante laudato clauam feminarũ Herculeam, qua ſe tuentur, cauſſatæ ſe ornari virorum gratiâ, in ipſas bellè retorquentẽ ijs verbis: *Si ad id deſeruiat ornatus, citò vir tuus, huiuſmodi faciem amare conſuetus, meretricio vultu delectabitur, & capietur. Quòd ſi illum docueris amare in vxore mores, venuſtamq; dignitatem; non facilè coruolabit ad ſcorta, neque hæc in meretrice reperiet. Noli docere virum riſus ſecuritate decipi, neque fracto ſoluti que inceſſu capi, ne aduersùs teipſam illi arma miniſtres: inſtrue illum caſtitate gaudere; hocque praſtare poteris, quum huiuſmodi habitum perferes.* Concinit ferè S. Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum* amandæ vxoris modum requirens, ac intemperantiam damnans. VI.

Origo quidem amoris honeſta erat (inquit, habeturq; etiã 32. q. 4. c. origo) *ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, ex qua honeſta cauſſa quis inſaniat. Vnde & Xyſtus Pythagoricus in ſen-*

Amor in vxorem nimius adulter eſt.

ſententijs, Adulter eſt, inquit, in ſuam vxorẽ amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil eſt fœdius, quàm amare vxorem, quaſi adulteram. Illæ ergo vxores, quæ fucorum, lenociniorum, immodiciq́ue ornatus pellaciâ a maritis ſuis amari ſe ſtudent, non vt vxores, ſed vt adulteras; nec affectu maritali, ſed meretricio; nil aliud lucrantur, niſi quòd eos iiſdem artibus inſtruunt, vt ad meretrices, ad ſcorta, ad pellices conuolent.

VII. Vxores nimis ſe ornãtes, vt ſuis maritis placeãt, a culpa non eximũtur.

Verùm *ſi e ſententia Chriſoſtomi*, vt probè Gabriel Aluarez in *cap. 3. Iſaiæ, Verſ. 26. num. 94.* ratiocinatur, *ne maritatis quidem feminis, vel prætextu continẽdi in officio maritos, & alliciẽdi, licet, decetue ſe polire, pingere, fingere, & aliam quaſi perſonam pigmentis, monilibus, veſtibus, adhibitis, induere*; vnde *facilè intelligitur, quàm rarus, quàm moderatus debeat eſſe eiuſmodi rerum vſus.* Quocirca Alexander de Ales parte 4. *Summæ, quæſt. 11. de manducatione Eucharestiæ art. 2. §. 4 quæſt. vlt.* diſertiſſimè ad id, quod ſibi initio obiecerat, mulieres ita ſe ornare, vt placeãt viris ſuis, reſpondet, *Dicendum, quòd voluntas placendi maritis ſuis, ſiue ipſa placentia non excuſat eas a peccato mortali: quia modus, per quem placent, vel placere intendunt, nec Deo placet (vt ex dictis patet) neque maritis.* Cui opinioni totidemq́ue verbis recitatis Diuus quoque Bernardinus *tom. 1. de Chriſtiana Religione, Serm. 47. art. 1. cap. 3.* omnino ſubſcribit. Quæ ita accipienda ſunt, vt de ornatu notabiliter ad laſciuiam prouocante dicta locum habere exiſtimentur. Quo item ſenſu Dionyſius Carthuſianus in *Directorio Vitæ Nobilium art. 15.* quum e Gloſſa, & Alberto magno in ea S. Petri verba *Epiſt. 1. cap. 3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura &c.* retuliſſet, mulieribus fas eſſe, vti ornamentis primò, vt maritos ſuos ab adulterio reuocent, deinde vt viris ſuis tantùm placeant; mox *artic. 16.* ſequenti reſpondet, *quòd mulieres poſſunt ſuos ornatus excuſare per ſuos maritos modis prætactis* (nempe vt auocent ab adulterio, vt ipſis tantummodò placeant) *dummodo non excedant ſe ornando pompaticè, aut curioſè, & vltra decentiam ſui ſtatus, ſicque quòd contra præcepta diuina non agant. Nec ad retrahendum viros ſuos ab adulterio, vel ad complacendum eis tantummodo, debent aliquid agere contra præceptum Dei, & proprias perdere animas, aut proximos ſcandalizare: quia tenentur Deum incomparabiliter plus amare, ac venerari, quàm ſuos maritos; imò ſeipſas, & proprias animas obligantur magis diligere, quàm proprios viros: nec ad complacendum ſuis viris licet eis laqueum damnationis, & incentiuum carnalis concupiſcentiæ exhibere, aut iniicere alijs viris, ſed implere, quod ait Apoſtolus:* Vnuſquiſq; proximo ſuo placeat in bono ad ædificationẽ. *Rom. 15.*

VIII. Quando nempe ſine graui incõmodo poſſunt ornatum nimium omittere.

Nihilominùs hæc omnia ita temperanda arbitror, vt vera ſint, obligentq́ue feminam quamcunque, nedum coniuges, ad abſtinendum a valde prouocatiuo ornatu ad libidinem, quoties ſine graui incommodo, alias minimè, vt ex dictis, & ſæpius repetitis ſatis liquet. Sed quæ tandem ſunt grauia incommoda, quæ mulieres vtentes cultu notabiliter ad malum ſollicitante legitimè excuſant? Omnia enumerari non poſſunt, nonnulla in exemplum ſufficient. Sed vera, & genuina a fucatis, & commentitijs diſcriminanda ſunt:

IX. Aliquã-

I. Quoniam ſupra *cap. 5. §. 7. num. 97.* animaduerti ex communi Docto-

do etiã cum vitæ iactura omittẽdus.

rum regula, quando rationabiliter iudicatur, ex aliquo opere, aliàs etiam bono, magnam hominum multitudinem in aliqua communitate vel ex infirmitate, vel ex ignorantia inducendam in grauia peccata, tale opus eſſe omittendum cum vitæ quoq; & bonorum ſpiritualium etiam, quæ ad ſalutem minimè ſunt neceſſaria, iacturâ: quoties præuideretur, ex quocunque habitu notabiliter ad malum prouocante magnam multitudinem hominum in grauia flagitia eſſe inducendã, omittendus vtiq; talis quoq; habitus foret cum vitæ etiam iactura, nedum cum grauium verberum tolerantia, & cum damno etiam bonorum ſpiritualium, quæ ſaluti neceſſaria non ſunt, quemadmodum ex prædicta regula planè conficitur. Verùm vt hæc in praxi habeat locum, diligenter duo alia documenta, quæ ſupra *cap.* 5. §.4. *num.* 35.& 54. expoſui, ſunt obſeruanda. Nam, quum ex occaſionibus peccandi etiam proximis nonnullæ abuſui peccaminoſo viciniores ſint, quàm aliæ; & qui re indifferenti abuſurus creditur, ad malum vſum magis minuſue paratus ſit; & peccatum ipſum, in quod lapſurus eſt, nunc grauius, nunc leuius, interdum contra ſolam caritatem, aliquando contra iuſtitiam proſpiciatur; diuerſa cauſſa ad excuſationem, vel damnationem ſuppeditantis rem indifferentem requiritur. Vnde ſi contingat peccata grauia, in quæ magna hominum multitudo inducenda ex valde immodico ornatu eſt, ita excedere quantitatem damni, quod ad ea vitanda ſubeundum eſt, vt penſatis omnibus, iudicio prudentis damnum ſpirituale communitatis imminens præponderare cenſeatur iacturæ etiam vitæ temporalis, & bonorum quoq; ſpiritualium, quæ ſaluti neceſſaria non ſunt, profectò talis iactura talium bonorum, & vitæ quoq; temporalis ad longè maiora, & grauiora damna communitatis arcenda ex lege caritatis facienda eſſet. At hic caſus a cotidiana praxi diſtat ſummoperè. Quanquam enim mulieres pleræque non ignorant ex ſuo valde ſuperfluo ornatu aliquem, aut nonnullos in mortalia delicta hîc, & nunc incidere, neſciunt tamen (neque accidit) magnam hominum multitudinem in cõmunitate in occaſionibus hîc, & nunc determinatis idcirco in mortale ſcelus ruere.

Quod in praxi non accidit.

X. *Quando vnus, vel duo lapſuri prauidẽtur, quãto incõmodo minus ornatus relinquẽdus.*

II. Etſi, vbi probabiliter cernitur vnum, vel duos ad peccandum inducendos opere alioqui nec malo, nec inductiuo ad peccatum; omittendum tale opus non eſt cum vitæ iactura, aut cum graui alio famæ, vel bonorum temporalium detrimento, vt *cap.* 5. §. 7. *num.* 98. notaui; tamen, quum ornatus valde ad libidinem prouocans, ſpectatâ communi imbecillitate humanâ ſit ad peccatum per ſe inductiuum, vt a culpa lethali eximatur, grauiſſima neceſſitas exigitur iuxta regulam eodem §. 7. *num.* 96. defixã. Iam ſi qua mulier ad ornatum valde prouocatiuum libidinis adhibendum grauibus contumelijs, aut iurgijs, vel leuibus etiam verberibus adigeretur, non exiſtimo eam hinc ſufficienter a mortali, ſi eum adhibeat, excuſari, quia graues contumeliæ, vel iurgia, aut leuia verbera in morali æſtimatione nõ inferunt grauiſſimam neceſſitatem, quæ ad talia excuſanda requiritur. Sicut neq; excuſaretur a lethali, qui leuibus verberibus, vel iurgijs, vel contumelijs, etiam grauibus ad publicandum librum valde laſciuum compelleretur; etſi ille liber non incitaret directè ad libidinem, adeoque non eſſet intrinſecè malus, ſed indifferens, verbiſque amatorijs indirectè ſolùm ad

laſciuiam proritaret, vt eo *num.* 96. explanaui; quum omnia hæc incommoda nondum grauiſſimam neceſſitatem vulgandi talis libri iudicio prudentum creare reputentur. Atqui vt liber amatorijs tantùm verbis, licèt in ſe indifferentibus, tamen ſpectatã cõmuni fragilitate ad laſciuiam indirectè inducere cenſetur; ita etiam ornatus eadem communi fragilitate ſpectata, indirectè ad laſciuiam, non quidem verbis repræſentantibus, ſed re ipſa repræſentata, hoc eſt, toto mulieris illecebroſo cultu, nihilo minùs, ne dicã, multo magis inducit: Ideoque par ad minimum ratio in vtroque caſu militat. Quod ſi verbera non leuia, ſed grauia ingruerent, hæc ſanè grauiſſimam neceſſitatem imponere viderentur; adeoque a culpa etiam tum vtentem valde prouocatiuo libidinis ornatu, tum edentem in lucem librum notabiliter laſciuum, non quidem ad laſciuiam directè incitantem, adeoq; intrinſecè malum, ſed indirectè ſolùm, & per ſe indifferentem, vt ſupra explicaui, vindicarent. Sed hic etiam caſus Metaphyſicã dumtaxat redolet, adeo a cotidiano vſu longè peregrinatur.

XI Vxores liberiore cultu vtentes excuſatione carent. Hinc Hieronymus Sopranis olim in Collegio Romano Theologiæ profeſſor, & ſtudiorum præfectus, ea, quæ in praxi vt plurimum accidunt, prudenter conſiderans, in Commentario in Dauid, digreſſ. 1. cap. 2. §. 2. pag. 431. meritò pronunciat, *nullam iuſtam excuſationem feminas habere, quum liberiore cultu compta, cum alijs, quam marito, verſantur. Nam vel eodem modo, & in eundem finem volunt alijs placere, quo viris, & adulteræ ſunt; vel vt placeant viris, aliorum periculum non verentur, & homicidæ ſunt. At aliquando id mariti præcipiunt; audiendi non ſunt. Quid enim ſi iubeant etiam, vt alijs proſtituantur, aut cum alijs impudicè verſentur? Hi enim ius tantùm habent in vxores, vt ita comantur, quatenus illis placeant, aut etiam non diſpliceant; non ita, vt ex illarum aſpectu alij vulnerentur. Vel enim maritus ita vult vxorem ſuam alijs, vt ſibi, placere, & in id ipſum, ad quod illam amat, ab illis amari, & leno eſt, non maritus; vel ſibi tantùm vult placere, non alijs; & ſic nec in eodem ornatu, quo ſibi placet, illam debet alijs exponere; Quod ſi aliud vult, & aliud exequitur, abſurdè vult, ob id nec audiendus.* Quippe *maritus quilibet* (vt rectiſſimè Tertullianus *c.* 3. de cultu feminarum, ab eodem Sopranis allatus) *& non adulter, caſtitatis exactor eſt in vxore; quæ in tantum viro ſuo placet, in quantum alteris eo modo, quo placet viro, placere non curat.*

XII. Minæ, & obiurgationes ornatus periculoſo excuſando ſatis nõ ſunt. III. Quoniam verò leuia verbera inflicta, vel infligenda feminas a mortifero delicto, ſi eorum metu victæ, valde prouocatiuum libidinis ornatũ geſtent, minimè liberant, vt palàm feci, multo minùs cenſeo fas eſſe vxori aut filiæ ſimilem habitum ad malum laceſſentẽ ferre, ob ſolas minas, vel obiurgationes, quæ vel a marito in vxorẽ, vel a Patre, aut a Matre in filiam intentantur, ſed vnà cum verbis innoxias euaneſcere, vſu perſpectum eſt; idemque & de quacumque alia etiam muliere paribus minis, aut reprehenſionibus oppugnata; nec non etiam de ea, quæ iocis, ludificationi, & irriſioni nonnullarum, niſi eiuſmodi habitũ ferat, expoſita eſt, decerno. Quippe in ciuili vita, ſicut paſſim conſimiles minæ, obiurgationes, & ludificationes, nihil damni præter ſtrepitum verborum inferentes, contingunt; ita iudicio prudentum grauia incommoda non reputantur; ac proinde quælibet mulier tenetur ex caritate ad proximi ruinam, ſubtracto immodico valde

de ornatu, prouocatiuo; vitandam, ea contemnere. Quod liquet I. ex dictis, quia ad ſcandalum actiuum, & paſſiuũ puſillorum cauendum, damnum aliquod bonorum temporalium faciendum eſt; vt cum S. Thoma 2. 2. q. 43. *art.* 8. docent communiter Theologi, & ſupra, *cap.* 5. *num.* 94. obſeruaui. Rurſum, quoties aliquid conſideratâ communi hominum fragilitate, inducit alios ad peccatum, ſeu inductiuum eſt ad peccatum, ſine graui neceſſitate nefas eſt illud agere, vt ſentiunt Doctores paſſim, vt videre eſt apud Suarez *diſp.* 10. *de carit. ſect.* 4. *num.* 6. vbi ait eſſe communem ſententiam, apud Conincum de *Carit. diſp.* 32. *num.* 65. apud Caſtro Palaum *Tom.* 1. *Trac.* 6. *diſp.* 6. *pun.* 8. *num.* 3. & apud alios, vt ſupra *cap.* 5. *num.* 95. vidimus, & paulò ante commemoraui. At ornatus immodicus ſupponitur hic notabiliter ad libidinem prouocatiuus. Ergo ſine graui neceſſitate non licet hunc geſtare. Talis verò neceſſitas non infertur, ſicut nec graue damnum temporale, a memoratis incommodis, nempe a minis verboſis, a reprehenſionibus, vel irriſionibus, vt conſtat; ergo. II. Quia ab obligatione correptionis fraternæ, vbi neceſſariæ circumſtantiæ concurrunt, non eximitur quis, etſi ob eius executionem ſubiret certò aliorum ludificationem, vel aliquot iniurijs affliceretur, vel aliquod odium, ſibi tamen non valde noxium, incurreret, vt notat ſine Auctorum controuerſia idem Coninkus *ibid. diſp.* 28. *dub.* 6. *num.* 126. Ergo multo minùs huiuſmodi ludificationes, iniuriæ, odia, liberant ab obligatione omittendi ornatus valde prouocatiui ad malum quamlibet fœminam, quia longè facilius, & commodiùs id poteſt facere, quàm alterum corripere &c. III. Quia Reipublicæ rationali magis expedit in talibus circumſtantijs tales actiones moraliter ad malum prouocatiuas, quanquam phyſicè indifferentes, vbi leuia tantùm incommoda minarum, obiurgationũ, ludibriorum negotium faceſſunt, eſſe adhuc grauiter prohibitas, quàm non prohibitas, alioqui oſtium vaſtiſſimũ obſeruantiæ plurimarum legum, & præceptorum ſimilibus prætextibus eludendæ aperiretur, quod eſt intolerabile inconueniens: eodemq; fuco, atque obtentu & nerui virtutum omnium eneruarentur; quod ex æquo abſurdum eſt.

XIII. Qualē ornatū puella, vt ſponſum acquirat, adhibere queat.

IV. Sed quid opinandum de puella, quæ immodicum ornatum a ſe geſtari cauſatur, vt aliquem ſibi ſpōſum lucretur, aliàs minimè lucratura, quo alioqui carere incommodum illi valde magnum eſt? Integram, longamque diſputationem in perſimili caſu conflaui in meo *Chorearum Speculo*. Breuiter hic me expedio, negoque conceſſum vlli mulieri, vt ornatu valde ad Venerem prouocatiuo, de quo ſolo hîc quæſtio eſt, ſponſum aucupari ſtudeat. Ratio eſt, quia etſi carere, vel excidere ſponſo graue admodum incommodum mulieri eſt, nefas tamen illi eſt, id declinare ordinando id, quod eſt ad malum inductiuum moraliter, ad amorem alterius cum morali huius periculo, quia hoc eſt moraliter hunc ad malum inducere, quod non licet. At mulier refert talem ornatum valde prouocatiuum libidinis ad amorē alicuius, nuptiarum gratiâ, accendendum cum morali iſtius periculo laſciuiæ, etſi illa hoc nō intendit, vt liquet. Ergo id ei non licet. Confirmatur, quia ſi licitum amorem nuptiarum gratiâ in ſponſo cupit excitare, hunc probis moribus, & moderato ornatu multo magis poteſt ſibi conciliare, vt in praxi cotidiana perſpectum eſt, quàm immoderato, & valde ad libidi-

Non ſanè prouocatiuū valde libidinis.

nem inflammante, hoc enim, quid niſi Venereas flammas accendat? Ergo tenetur hoc abſtinere. In cæteris verò incommodis cauendis non ordinatur ipſemet ornatus prouocatiuꝰ ad amorem cuiuſquam eblandiendum; ſed geſtatur tantùm, vt ea incommoda declinentur. Plura ad hanc difficultatem illuſtrandam, ac profligandam *loc. cit.* diſſerui, quæ hîc repetere nimis longum eſſet. Summa eſt, permulta grauia abſurda, ac non ferenda neceſſariò ſequi, ſi ſemel admittatur, poſſe matrimonij gratiâ ordinari, & rectè dirigi ſeu choreas, ſeu ornatum ad affectum illius excitandum, quem turpē futurum eſſe, vel certum, vel probabile eſt, vt illic oſtendi.

XIV. *Vt verò proſpiciat ſuæ incontinentiæ, quid poſſit facere.* V. Sed quid ſentiendum de puella, quæ flagitijs carnis obnoxia, caſtè viuere ſine marito difficillimè poteſt, & aliàs ſponſum abſque ornatu ad Venerem valde incitante aucupari nequit, ſi talem ornatum referat, ordinetque non ſanè ad laſciuiam ſponſi, ſed ad propriam caſtitatem tuēdam, vel procurandam? Exiſtimo ego hunc etiam caſum non ex morali vſu, ſed ex Metaphyſicis pigmentis eſſe delineatum. Cæterùm ſi in praxi is contingat, & puella proſpiciat vnum, vel alterum ob ſuum talem ornatum valde prouocatiuum libidinis mortiferè peccaturum, puto eam excuſari, ſi, vt ſuæ conſulat caſtitati, eum adhibeat. Ratio eſt, quia etſi habitus ſupponatur inductiuus ad peccatum, atque adeo nō quoduis graue incommodum, vel dānum ſufficiat ad eum excuſandum, vt elicitur ex dictis *cap. 5. §. 7. num. 98.* ſed grauiſſima neceſſitas exigatur, vt *ibidem nu. 96.* animaduerti, puella in memorato caſu reuera vrgeri grauiſſima neceſſitate videtur, quæ vt propriæ incontinentiæ medeatur, iure optimo nuptias, & ſponſum quærit. Nec obſtat, talem incontinentiam eſſe voluntariam, ſiquidem voluntaria etiam eſt culpa proximi ob ornatum prouocatiuum delinquentis. In pari autem incommodo, ac damno maior, ac præponderans neceſſitas puellæ verſantis in dānationis periculo videtur, quàm alterius, adeoque meritò penſatis omnibus præferenda neceſſitati alterius, & conſequenter grauiſſima quoque in tali caſu reputatur. Quod ſi puella ex ſuo ornatu inductiuo ad Venerem non vnum duntaxat, alterumuè, ſed magnam hominum multitudinem in aliqua communitate in grauia peccata caſuram prouideret; tum minimè excuſanda videretur, vt pote quæ in neceſſitate grauiſſima, & præponderante, penſatis omnibus, reſpectu magnæ multitudinis lapſuræ in grauia peccata nequaquam verſari cenſeretur, ſed deberet illo abſtinere. Ratio eſt, quia quoties rationabiliter iudicatur ex aliquo opere aliàs etiam bono magnam hominum multitudinem ex aliqua communitate in grauia peccata vel præ infirmitate, vel præ ignorātia inducendam, omittendum tale opus eſt, vel cum vitæ iactura, vt paulò ante *num. 9.* notaui. Ergo in tali caſu omittendus etiam eſt ornatus puellæ cum vitæ quoque iactura, nedum cum perpetua ſponſi priuatione, quæ leuius ſine dubio incommodum eſt. Confirmatur, quia in tali caſu non tenetur puella cum vitæ iactura auertere periculum incontinentiæ; & tamen ad vitanda grauia multitudinis ſcelera tenetur vitam etiam amittere. Ergo incommodum, & damnum multitudinis peccaturæ præponderat damno, & incommodo ex periculo incontinentiæ; adeoq; puella adhuc tenetur abſtinere eiuſmodi ornatu, & alijs remedijs mederi incontinentiæ.

VI. Quid verò ſi vir a pellice aliter, XV.

quàm

Quid vxor, vt virũ a pellice abducat.

quàm immodico valde ornatu ad Venerem notabiliter prouocante ab vxore abduci nequit? Hoc etiam in praxi, vt plurimum, merum eſt ſomnium, quum mariti adulteri hiſce fucis, ac meretricijs artibus non abſtrahantur a pellicibus, vt docet experientia; ac propterea Patres, ac Doctores adducti id, quod in vſu cotidiano ferè eſt, ſpectantes, huiuſmodi excuſationem tanquam inanem, & falſam prudentiſſimè reiecerunt. Si tamen reuera ita in praxi accideret, arbitror, illum ornatum, quando ruina vnius, vel alterius ex eius occaſione præuidetur, licitè ab vxore in eum finem vſurpari poſſe; ſecus verò, ſi magna multitudo in grauia peccata lapſura creditur. Ratio poſterioris partis ex dictis euidens eſt, quia in tali caſu neq; vt auertat periculum propriæ incontinentiæ, poteſt tali ornatu aucupari nuptias, ſed alijs remedijs vti debet. Ergo multo magis eo debet abſtinere, & alia remedia adhibere, quo maritum a pellice auocet. Ratio item prioris partis in promptu eſt, quia quum ille ornatus, etſi ad malum inductiuus, adhuc in ſe ſit indifferens, vxor graue incommodum carendi vſurâ corporis mariti proprij, nec non ſalutis animæ tum mariti adulteri, tum adulteræ meritò præferre poteſt ruinæ alterius vnius, aut duorum, vt ſatis ex diſputatis deducitur.

XVI. *Mulieres fruſtra cauſſantur ſe cogi ad nimium cultum, quum ipſæ potius cogant.*

At quid ego de incommodis, quæ feminis quaſi inuitis, ac reluctantibus ab externa vi, a minis, ab obiurgationibus, a verberibus, a diſcordijs, a iurgijs, ab incontinentiæ periculo ſuo, vel alieno, niſi immoderatum ornatum valde ad libidinem prouocatiuum induant, impendent, diſputo; quum hæc a communi vſu longè ſint aliena; contraque ipſæ intolerabilem moleſtiam vxores maritis; filiæ parentibus; neptes auunculis, & materteris; feminæ viris in muliebri mundo nunquam ſatis iiſdem eleganti, & concinno procurando exhibeant; neque cogantur ipſæ ad ornatum immodicum, ſed cogant vel reclamantes, & conquerentes viros, qui inexplebili earum vanitati, ambitioni, importunitatique nunquã ſatis poſſunt facere; & niſi indulgeant omnia, quæ petunt; ædes clamoribus, viciniam querelis, totam familiam iurgijs implent; quemadmodum ſine fuco bellè explicat S. Bernardinus Senenſis *tom. 1. de Christiana Religione, ſerm. 46. art. 2. cap. 3*? Propterea mariti, & parentes ſæpenumero ad redimendam tantam vexationem; & ne illæ a procis, pudore proſtituto, quærant, atque obtineant, quod ab ipſis iure impetrare nequeunt, inuiti, & coacti earum poſtulatis, quanquam iniquis, conniuent; ſintque a peccato indirectæ cooperationis immunes, quia ex iuſta cauſſa, ad maiora mala arcenda, habenas illarum cupiditati laxant. Vnde patet huiuſmodi feminas hiſce artibus immodicum valde ornatum ad libidinem vehementer prouocatiuum extorquentes, eſſe omnino inexcuſabiles, ac damnationis æternæ reas; præterquàm quòd peccato prouocatiui ornatus alia quoque delicta lethifera ſolent adiungere; maritos, & parẽtes ad iniuſta lucra, & alios illicitos contractus, quo poſſint in earum ornatum ſuperfluum impenſas ſuppeditare, nefariè compellentes, de quibus ſapientiſſimè idem S. Bernardinus ibidem *ſerm. 44. art. 1. cap. 1. & ſerm. 46. art. 1. cap. 1.*

Adeoq; peccant quàm maximè.

XVII. *Delinquunt etiam Mariti, ac Parẽtes nimis illis indulgentes.*

In eo tamen maritorum, & parentum quàm plurimi peccant nimio opere, quod vxorum, filiarum, mulierumque artibus, ſeu blanditijs deliniri, ſeu clamoribus terreri, ſeu querelis frangi, ſeu importunitate expugnari ſe ſinunt. Si virilem ipſi induerint animum, & com-

commaſculata fronte earum petulantiam acriter tempeſtiuè increparent, atq; compeſcerent, docerent eas effeminatos exuere mores, modeſtiam diſcere, officium facere. Nunc e contrario dum earum inſanis cupiditatibus ſeruiunt, magis inſaniũt ipſi, quàm illæ; nec viri ſunt, ſed mulierum mancipia.

XVIII. *Tenenĩ mulieres ſub mortali adhibere artes aliequi ſibi familiares, et licitas ad eludenda iuſſa imperãtium ornatum valde immoditum.*

Denique feminis non ita arrogantibus, neq; tam duræ ceruicis, ſed mollioris ingenij, ſi quando parentes, mariti, vel conſanguinei eas ad inmodica ornamenta valde prouocatiua vſurpanda inuitant, vrgentque, illud ego in memoriam reuoco, teneri eas ad declinandas illorum offenſiones, & proximi ruinam vti ijs artificijs, atque excuſationibus, quibus vti ſolent, quũ quidpiam nolunt agere, & viris dexteritate mirâ imponunt. Quum mulier ab aliqua re abbhorret, ſtatuitque ſecũ ab ea ſibi cauere, incredibile dictu eſt, quàm innumeri prætextus, & colores derepente ei in promptu ſint. Subitò ægrotat, tuſſit, ructat, languet, vertigine caput circum agitur, caligant oculi, ſtomachus cruciatur; hoc amiſit, illud non reperit, aliud alius furtim abſtulit. quid non ſtropharum, & fabellarum comminiſcitur? Ita feminæ maritorum, parentum, conſanguineorum, ac maiorum imperia, quamuis ſæpiſſimè honeſta, ac iuſta, quibus obſequi debent, & reluctãdo delinquũt, frequentiſſimè eludunt, & ſine vllo ſuo incommodo euertunt; quod iubentur, minimè exequentes, & iubentibus viris mirè traductis, adhuc inoffenſis, quin etiam propitijs, & beneuolis potientes. Ergo ſub mortali has eaſdẽ artes tenentur quoque adhibere, & multo magis, quando a viris ad ornatũ valde prouocatiuum ad Venerem ſeriò, & magna vi impelluntur. Conſequentia eſt clara, quia has omnes ſine graui ſuo incommodo poſſunt vſurpare, & licitè, iuſta æquiuocatione vtentes, vt ſuppono, & moraliter in praxi euidens eſt. Ergo ex caritate, vt vitent aliorum peccata mortalia prætermiſſo eiuſmodi ornatu, ad eaſdem adhibendas tenentur, & multo magis: nam ſi illas ſine graui incommodo frequentant, quando deberent obedire, & illicitè iuſſa detrectando peccant: multo magis ipſas in vſum reuocare tenentur, quando ad ruinam proximi, ſubtracto prouocatiuo ad malum cultu, declinandam iuſtè repugnare poſſunt, ac debent. Ergo etiamſi viris obſtinatè cogentibus, feminæ ingentia incommoda verberum grauium, grauium iurgiorum, & diſcordiarum ſubituræ forent, pertinaciùs immoderato valde ornatui obluctantes; atq; ita, ſi huiuſmodi incommoda aliter repelli non poſſent, fas illis eſſet talem ornatum geſtare, vt ſupra dixi; nihilominùs, ſi licitis artibus vſæ, talia incommoda cauere, omiſſo etiam eo ornatu, commodè queunt, atq; hoc pacto vitare proximi delicta poſſunt, ad has ſub mortali adhibendas vtiq; obligantur, vt è ſuperioribus diſputationibus ſat manifeſtum eſt.

Quomodo Confeſſarij erga pœnitentes ornatum valde prouocatiuum libidinis ferentes ſe gerere debeant.

Cap. IX.

I. *Monſtrũ eſt, a feminis nimio ornatu valde prouocante ad libidinẽ fre-*

NON poſſum me hoc loco diutius continere, quin portentum ingens, valdeque noxium intento oſtendam digito, ſimulque maiorem in modum admirer, dicamne, an indigner, a nemine ferè id obſeruari, ſed vltro hoſpitio quoque tanquam innocens benignè

quentari Sacramenta.

nignè recipi. Nam I. certum eſt, vt probaui, ab illecebroſo, valdeque immoderato mulierũ ornatu quàm plurimos virorum ad Venerem notabiliter proritari. II. certum eſt, huiuſmodi mulieres ob talem ornatum ita prouocatiuum mortaliter delinquere, vt pariter demonſtraui. III. certum quoq; eſt, ab hiſce iiſdem mulieribus diuina Sacramenta obiri, neque tamen a Confeſſarijs communiter vllũ ſcrupulum de huiuſmodi ornatu ipſis inijci; ſed eaſdem tam ſecurè, tam facilè, tam liberaliter ſine vlla mentione emendationis abſolui, perinde ac ſi omnia fulmina, quæ in eundem ornatum & Sancti Patres, & Sacri Doctores paſſim, & rationes ineluctabiles intorquent, meræ eſſent fabulę Æſopi.

II. Væ Confeſſarijs, qui conniuent ornatui mulierũ valde ad libidinẽ prouocanti, animaſque illaqueãti.

II. Hoc enimuerò piaculũ perindignũ, peruerſumque valde eſt, in quod ſeuerè animaduertet Deus, qui tales Confeſſarios, & pœnitentes ſuo in iudicio multò aliter, quàm homines, iudicabit; ille, qui *teſtis erit aduersùm* eos, Micheæ 1. ille, qui *Renum* ipſorum, *& cordis ſcrutator eſt verus* Sap. 1. ille, qui ſimul erit *index, & teſtis*. Ierem. 29 *Væ illi, per quem ſcandalum venit*, exclamat Chriſtus Dominus *Matth.* 18. *Væ autem importat damnationem æternam,* inquit S. Antoninus *par. 2. Summ. Tit. 7. cap. 4. §. 3. & ſignanter dicit,* venit, *quaſi dicat, etiamſi hec non intenderet, ſcilicet ſcandalizare, tamen opus eius tale eſt, quod inde venit ſcandalum.*

III. Quã ſit petra ſcandali, & plurimis damnationis æternæ offendiculum.

III. Continuò autem poſt idem S. Antoninus meritò queribundus vociferatur: *O quàm hoc miſerabile peccatum in Mundo abundat, & nullam videntur ſibi homines facere conſcientiam; ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus. quid eſt, niſi magnum ſcandalum, & laqueus animarum?* Ecce mulier, *inquit Salomon Prouer.* 7. in habitu ornata meretricis ad capiendas animas. *Quaſi dicat, ad hoc operatur ille ornatus ad ſcandalizandum, & capiendum animas peccato luxuriæ.* Sancta Liduuina Virgo, vt Andreas Gelſominius ex D. Auguſtini Ordine Theologus in ſuo *Theſauro Cæleſti, cap.* 12. ſapienter ratiocinatur (cuius ego verba ex Italico idiomate Latinè hîc germana fide reddo) dum ad diuinam » Hoſtiam participandam accedebat, » Chriſti patientis exempla cruciabilia » contemplans, tanto dolore ipſius an- » gorum commouebatur, vt lacrymas » inſtar guttarum ſanguinis, quas ſui vi- » ridarij roſas vocabat, funderet. Nos » appoſitè addimus, huiuſmodi roſis » mulierem, quæ ſacro altari, Chriſtum » manducatura, ſe ſiſtit, exornari par » eſſe; non autem floribus, fucis, vaniſq; » ornamentis luxuriantem cæleſti menſę » ſeſe obtrudere. Nihilominùs mulie- » res noſtri temporis (indignum facinus » lacrymis etiam cruentis deplorandũ!) » nouarum cultus illecebrarum excogi- » tandi incredibili auiditate tenentur, » tamque inſano ſtudio inanem, ac ſu- » peruacuum capitis, habituſque mun- » dum ſectantur. Et tamen femina ſpe- » cioſè phalerata, pretioſiſque veſti- » bus, tum fucis ſordidis, ac adulterinis » cincinnis inſtructa, in publicum pro- » cedens, vexillum eſt, quo Dæmon plu- » res in ſua caſtra traducit; offendicu- » lum ruinæ eſt, & petra ſcandali mille » infelicibus, ac miſeris; lues, & peſtis » eſt, quæ totum orbem inficit, occaſio- » nem præbens, vt multi atq; innumera- » biles viri ad peccatum, & praua deſi- » deria proritati, labantur, æterniſque » ſupplicijs, vt, inquit ſapiens, idcirco » addicantur. O quàm valde hoc ſcelus » Deo, Virginique Matri diſplicet! O » quàm multæ mulieres præ vanis, im- » modicis, ac laſciuis ornamentis dam- » nantur! o quot idcirco ruunt ad Infe- » ros! At quanis vrbes & oppida id genus feminis nimio cultu perniciem

afflantibus referta ſint, tamen indulgentes ijs Confeſſarij, qui ſacroſancta ipſis Myſteria libenter impertiunt, nec verbo eas corripiunt, minimè deſunt.

IV. *Vtinam autē reſipiſcerēt, modumq; tractādi pœnitētes diſcerent. exemplo S. Bernardi ſororē ornatā increpātis.*

Vtinam ſaperent hi, atq; intelligerent, ac nouiſſima prouiderent! Vtinam a S. Bernardo ſororem propriam ſuperuacaneo cultu expolitam ad ipſum inuiſendi gratiâ accedentem, primùm ſeriò repellente, deinde grauiter increpante, modum tractandi pœnitentes feminas, quæ ſine vlla lethiferæ prouocationis ad malum, ex immodici cultus luxu, pœnitudine, diuina myſteria frequentant, aliquando diſcerent! Audiant iſti, quid de ſanctiſſimo illo Abbate D. Guilielmus S. Theodorici Abbas in vita ipſius *cap. 6.* commemoret. *Soror* inquit, *eorum*; (nempe complurium fratrum, qui Mundo terga verterant, Deoque intra Religioſa clauſtra ſeſe deuouerant) *in ſeculo nupta, & ſeculo dedita, quum in diuitijs, & delicijs ſeculi periclitaretur, tandē aliquando inſpirauit ei Deus, vt fratres ſuos viſitaret. Quumque veniſſet, quaſi viſura venerabilem fratrē ſuum, & adeſſet cum comitatu ſuperbo, & apparatu, ille deteſtans, & execrans eam, tanquam rete Diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquieuit exire ad videndam eam. Quod audiens illa confuſa, & compuncta vehementer, quū ei nullus fratrum ſuorum occurrere dignaretur, quum a fratre ſuo Andrea, quem ad portam inuenerat Monaſterij, ob veſtium apparatum ſtercus inuolutum argueretur, tota in lacrymas reſoluta: Etſi peccatrix ſum (inquit) pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum, idcirco conſilium, & colloquium bonorum requiro. Et ſi deſpicit frater meus carnem meam, ne deſpiciat ſeruus Dei animam meam. Veniat, præcipiat, quicquid præceperit, facere parata ſum. Hanc ergo promiſſionem tenens, exijt ad eam cum fratribus ſuis frater eius. Et quia eam a viro ſeparare non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu veſtium & in omnibus ſeculi pompis & curioſitatibus interdixit; formam vitæ matris ſuæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & ſic eam a ſe dimiſit. Illa verò obedientiſſimè parens præcepto, redijt ad propria, repente mutata ſecundùm omnipotentiam dexteræ excelſi. Stupebant omnes adoleſcentulam nobilem, delicatam, ſubita mutatione in habitu, & victu, in medio ſeculi vitam ducere eremiticam, inſtare vigilijs, & ieiunijs, & continuis orationibus, & ab omni ſeculo prorſus ſe facere alienam.*

V. *Si Confeſſarij ſeriò corriperent mulieres, nimis ſe exornātes, plurimas earū a corruptela reuocarēt.*

O ſi Confeſſarij omnes hanc Apoſtolicam ſpiritus libertatem imitarentur? o ſi nihil aliud ſincerè, & purè, quàm Deum, & ſalutem animarum, quærerent? o ſi puellis, virginibus, matronis, nobilibus, diuitibus, illuſtribus pellaci libidinis cultu exornatis paterna caritate exponerent, quàm magnum, vaſtumq; Diaboli rete ad capiendas animas ſeſe præbeant? o ſi candidè eas monerent, quàm multos in grauium delictorum occaſiones proximas conijciant? quàm ſæpe & ipſæ in obſcœni amoris laqueos incidant? quàm certò plurimis alijs, & ſibi damnationis æternæ non dubiam notam non ex ſcrupuloſa alicuius ineruditi Anachoretæ opinione, ſed ex communiſſima prorſus ſapientum Doctorum ſententia inurant? quàm multæ reſipiſcerent? quàm multæ incitamenta laſciuiæ exuerent? quàm multæ ſancto Dei timore corriperentur? quàm multæ redirent ad cor, & ornamenta virtutum potiùs aucuparentur? quàm multæ ex ijs, quę ſimplici mente ex ignorantia errant, errantium aliarum prauum exemplum ſecutæ, errare deſinerent, atque ad modeſtiam ſeſe componerent?

Idcirco

VI. *Debent Confeſſarij, & Concionatores luxũ ornat⁹ valde reprehẽdere.*

Idcirco iure optimo clamat Siluester in *Summa, verbo ornatus, q. 7. vt Confeſſor in talibus, quantum licitè poteſt, reſtringat.* Clamat Baptiſta de Salis in *Summa, eodem verbo, Verſ. Ex prædictis igitur*, clamat S. Antoninus in *Summa, par. 2. tit. 4. cap. 5. §. 8. Verſ. Ex prædictis*, clamat Baptiſta Trouamala in *Roſella, verbo, ornatus num. 7.* clamant reliqui Theologi, *quòd & Prædicatores in prædicando, & Confeſſores in audientia confeſſionum debent talia deteſtari, & reprehendere, & perſuadere ad dimittẽdum, quum ſint nimia, & exceſſiua, vt communiter accidit.* Audiui ego Mediolani in templo Roſæ ex ore P. Cãpanæ celeberrimi ex Dominicano Ordine Concionatoris in publica concione apophthegma de quodam Principe pulcherrimum, qui quum Sacerdotem, quem ſibi Cõfeſſarium cupiebat deligere, quęreret, aiebat illum ea conditione præditum velle, non qui timeret Principem, ſed qui Principi timorem incuteret. O aureum dictum, non quouis tantùm Principe, ſed Principum quoque ſapientiſſimo Salomone digniſſimum? Qui Confeſſarij munere rite fungi vult, neceſſe omnino eſt, ne quenquam, aut vllam ſuorum, vel ſuarum Pœnitentium metuat, nec vereatur vllum, vllámue, vbi officij proprij faciendi articulus, & conſcientia vrget, amittere, vel dimittere. Quo virili animo imbutus Confeſſarius, humana ſpernens, faciem hominum formidare neſcius, Deique gloriam, & animarum bonum dumtaxat ſpectãns, pœnitentes, quæ monendæ ſunt, liberè monebit, à via perditionis reuocabit, lethiferi ornatus luxum deponere iubebit, opportunis remedijs imbecillas curabit. At vbi ipſe in metu eſt, ne detectâ veritate, & paternâ monitione adhibitâ Pœnitentes alienet, atq; hæ alium ſibi Confeſſarium adoptent; in magno ſanè damnationis æternæ periculo tam Confeſſarius ipſe, quàm Pœnitentes verſantur. Nam huiuſmodi Confeſſarius ingẽti diſcrimini ſemper obiectus eſt, ne huiuſmodi anxio timore, qui totus ex aliqua caducæ rei cupiditate, quæſtuque naſcitur, fallente, excæcante, illaqueante, veritatem, quum aperire debet, ſupprimat; occaſionibus proximis interdicere negligat; opinionibus, quæ verè probabiles non ſunt, nitatur; non ſalutem Pœnitentium, ſed propria lucra, & commoda ſectetur; atque ita propriam conſcientiam illaqueet; quumq; ſub mortali admonere tenetur, ignauè diſſimulet; atque ita animam ſuam ipſemet perdat, vnaque plurimas aliorum, atq; aliarum, quibus dux ad ſalutem eſſe debuerat, contra autem ipſe iiſdem ruinæ ac præcipitij factus eſt auctor; toties ideo iure perdendus, atq; damnãdus ipſe, quoties mortifera ſua adulatione, tergiuerſatione, ludificatione vnum, vel vnam e ſuis Pœnitentibus perditionis, ac damnationis viam ingredi, & currere permiſit; nec ſeriò prohibuit.

Nec metuere debent, ne ita a Pœnitẽtib⁹ deſerãtur.

Alioqui in periculo dãnationis vnà cũ ipſis verſantur.

VII. *Vt Sanct⁹ Bernardin⁹ etiam, & Sanctus Carolus teſtantur.*

Non auderem ego profectò tam confidenter hac de re mea animi ſenſa depromere, niſi priùs S. Bernardinum Senenſem *Tom. 1. de Chriſtiana Religione, Serm. 44. art. 1. cap. 1.* diſtinctè, & articulatè hoc pacto vociferantem legiſſem: *O infelix ſtultitia mundanorum! o cæca amentia vanitatum? o inconſiderata dementia propter hoc pereuntium animarum! Inter quas vtinã, vtinam, & iterum vtinam plerique non ſint participes, Confeſſores, & alij ignoranter, vel carnaliter conſulentes, & prædicantes; non intelligentes, nec aliqui eorum intelligere volentes, quæ intelligunt Doctores de mulierum ornatu, iocalibus, atq; veſtitu; quum dicunt,*

ſo prouocatiuo ad malum. nunc ad malum finem deſtinatæ ſint, ita vt moraliter ſemper probabiliter timeatur prauus vſus, non licet eas ſubminiſtrare alteri, niſi in particulari conſtet ceſſare periculum praui vſus, vt ex communi Doctorum ſententiâ ſupra *cap. 5. §. 7. num. 96.* obſeruaui. Sed in præſenti caſu ſupponitur ornatus eſſe valde irritatiuus libidinis, probabiliterque timeri communiter prauus eius vſus. Ergo niſi prudenter conſtet feminæ hîc, & nunc ceſſare periculum praui vſus, peccat mortaliter adhibendo eiuſmodi ornatum.

CC XXXV *Nec nō ex alijs exēplis.* IV. Quia certum eſt, nefas eſſe, vendere venenum, niſi ijs, qui præſumūtur prudēter eo nō abuſuri, vt ſupra *cap. 5. §. 7. num. 96.* notaui. Certum pariter, edere libros laſciuos, aut laſciuā pingere imaginē, aut pronos in ebrietatem inuitare ad bibendum, culpæ mortalis a Doctoribus ſine controuerſiâ damnari, vt dicto *cap. 5. §. 4. nu. 41. & 43.* planum feci. At certum item eſt, tales actiones non eximi a mortali niſi prudenter quis hîc, & nunc cenſeat ceſſare in ipſis periculū abuſus lethalis, vt quando inuitat tam ſobrios ad bibendum, vt eos a periculo ebrietatis abeſſe merito reputet; vel oſtendit imaginem, aut librum laſciuum nonnullis viris fortiſſimæ caſtitatis, quos minimè ad malum incitandos propterea, haud temerè arbitratur. Verùm quia pingere laſciuam imaginem, ſeu edere laſciuos libros ſemper habet morale periculum, vt exponantur oculis aſpicientium, aut legentium cum graui periculo lethiferæ ruinæ, idcirco eæ actiones ex ſe mortales ſunt. Sed ornatus valde ad Venerem laceſſens eiuſdem prorſus conditionis eſt, ac venditio veneni, inuitatio ad bibendum &c. editio libri laſciui, imago turpis &c. quantum ad præſentem caſum attinet, etſi aliunde diſcriminentur, quia illæ etiam actiones non ſunt intrinſecè omnino malæ, ſed poſſunt ex graui aliqua neceſſitate honeſtari, vt ſupra ponderaui. Ergo ſicut hæ non ſunt licitæ, niſi hîc, & nūc prudenter conſtet, eas carere periculo probabili abuſus &c. ita quoque neque ornatus valde prouocatiuus laſciuiæ licitus eſt, niſi hîc, & nunc ſciat femina prudenter, neminem idcirco grauiter periclitaturum.

V. Denique, quia Patres §. 6. 7. & 8. allati, idcirco ſignanter culpæ mortalis nimium feminæ ornatum damnant, quia *alijs ſit exitio, & pro gladio ad necem alterius, & concupiſcendi libidinem nutriat, & peccandi fomenta ſuccendat, & velut gladium, et venenum videntibus ſe præbeat,* vt loquitur S. Cyprianus; *& venenum afferat alijs, ſi adſit, qui bibat,* vt ſcribit S. Hieronymus; *& venenum offerat, etſi nullus, qui biberit, inuentus ſit; & gladium acuat, & accendat ignem, & dexteram armet, & adulteros præparet, calicem perniciosum miſceat, ac præbeat,* vt luget S. Chryſoſtomus; & *aucupium hominum ſit, & immanes voluptates procreet,* vt ait Clemens Alexandrinus; *& pudicis afferat excidium,* vt S. Petrus Eremita teſtatur; *& incentiuum vitiorum ſit,* vt fidem facit S. Ambroſius; & *oculos intuentium faſcinet,* vt auctor eſt Hildelbertus; & *ignem iuuenum, ac fomenta libidinum* ſuppeditet, vt S. Hieronymus iterum memoriæ prodit. Atqui ornatus valde prouocatiuus libidinis agnitus vt talis, quamdiu non conſtat prudenter, illum geſtanti, ceſſare in eo hîc, & nunc periculum morale praui vſus, obnoxius eſt omnibus illis ſcopulis, & corruptelis, quibus memorati Patres obnoxium eum vociferantur, ac proinde & delicti grauis reum indicant; vt *loc. cit.* expendi. Ergo

CC XXXVI. *Tum ex documentis Patrum.*

Lucretia

Lucretia in caſu poſteriori præſentis aſſertionis geſtans habitum valde incitantem ad libidinem, peccat toties mortaliter, quoties ſine alia iuſta cauſſa excuſante hîc, & nunc in cotidianis occaſionibus cum eo prodit, vel domi eo vtitur, neque tamen ipſi prudenter conſtat, eum expertem eſſe probabilis periculi labendi in lethale crimen alicui ſeu particulari, ſeu indefinito hîc, & nunc afferendi, vt ex dictis manifeſtum eſt. Et hoc ipſum quoque ſanciunt vniuerſi Doctores §. 4. & 5. producti.

CCXXXVII *Vnde liq̃t caſum lethiferi ornatus eſſe nimis frequentẽ.* Ex quibus ita expenſis multo magis perſpicuum eſt, caſum præſentis aſſertionis, & primæ, quæ reipſa vna, ac ſola eſt, non eſſe metaphyſicum, ſed practicum, & in cotidiano vſu nimis etiam frequentem; quandoquidẽ pluribus feminis ſimplicitate carentibus, & a Veneris prauis ſaltem cogitationibus minimè liberis ſat notum eſt, ſuum nimium cultum, eſſe notabiliter prouocatiuum libidinis, compluresq; ex viris aſpicientibus ſiue particulariter, ſiue indeterminatè dumtaxat cognitis, luxuriæ facilè ſuccumbere; ac proinde probabiliter quoque ob talẽ ſuum ornatum prouocatiuum in morale periculum delinquendi mortaliter lapſuros: neque prudenter iudicare poſſunt, tale periculum a ſe nemini ſuppeditandum, dum ſeſe liberè ita ornatas exponunt oculis eorum, quos Veneris flammis ſuccenſos non ignorant: ac propterea mortalis delicti reę omnino ſunt.

Vnus hîc iniici fortè poſſet ab aliquo ſcrupulus de perplexitate, de periculis, & de damnis, quæ ab aſſertionibus modò ſtatutis afferri poſſunt tã Confeſſarijs ipſis, quàm Pœnitentibus. At is infra *diſp.* 2. commodiùs excitabitur, & diſſipabitur.

Variæ excuſationes, & cauſſæ, quæ notabilem prouocationẽ ornatus ad malum a culpa mortali liberare queãt, expenduntur.

Cap. VIII.

QVanquam ornatus immodicus ad libidinem valde prouocatiuus diuino, & naturali iure, vt ſupra §. 17. & *cap.* 2. enucleaui, prohibitus ſit; non tamen ita intrinſecè malus cenſendus eſt, quin ex aliquã circumſtantiã honeſtari poſſit, vt cũ tali circumſtãtiã minimè prohibitus iure exiſtimetur. Hęc autẽ circumſtantia, eſt iuſta cauſſa, opus aliàs indifferens agendi, quâ poſitâ, ſuppeditare alteri abuſuro ad culpam, materiam, vel occaſionem indifferentem, vacat culpâ, vt pluribus *cap.* 5. explanaui. Sicut etiam exponere ſeipſum periculo proximo peccandi mortaliter, iure diuino, & naturali vetitum eſt, adeoque & delictum lethiferum, vt tradunt omnes. Nihilominùs, vbi quis ex iuſtâ cauſſâ tali periculo ſe exponit, minimè peccat, vt ſine controuerſia fatentur Theologi apud Thomam Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 8. num.* 3. ſupra *cap.* 5. §. 11. *nu.* 177. vidimus. Ergo neque peccabit ex iuſta cauſſa eidẽ exponens proximum, quum nemo plus diligere proximum, quàm ſeipſum, ſed dumtaxat ſicut ſeipſum teneatur. Ratio eſt, quia lex de vitando ſcandalo tam proprio, quàm alieno, non vetat ſimpliciter actionem, vel materiam indifferentem, ex qua ſequitur ruina proximi, ſed tantùm cum tali circumſtantia, quando deeſt cauſſa iuſtificans eandem actionem, vel materiam. At ſublatâ tali circumſtantiâ & poſitâ circumſtantia *Ex graui cauſſa ferẽs ornatũ valde prouocatiuum Veneris, non peccat, ne indirectè quidem.*

cumſtantiâ, oppoſitâ iuſtæ cauſſæ, iam ceſſat materia legis, & ipſa lex, vt ex tractatu de Legibus ſuppono, & compertum eſt. Haud ſecus etiam ſi quâ neceſſitate graui vrgeatur femina ad ornatum immodicum notabiliter ad malum irritantem geſtandum, etſi hic nihilo ſecius irritabit, ipſa tamen delicti, & indirectæ cooperationis erit immunis, quia lex caritatis non obligat ad alienum peccatum vitandum cum tanto onere, vt planum eſt. Iam quænam ſint huiuſmodi cauſſæ iuſtæ, & legitimæ, indagandum.

II. *Feminæ falsò prætexunt, ſe ornari ſuperfluè maritorum gratia.* In primis mulieres pro iuſta cauſſa, & legitima excuſatione ſui immodici, ac luxuriantis ornatus, ſuorum maritorum gratiam, ac voluntatem teſtari ſolent. At certa ab incertis ſecernamus. Licet ſanè feminæ ornare ſe moderatè, vt placeat viro ſuo; & ſi fortè in ornatu leuiter excedat, non peccat niſi venialiter; imò etiamſi ornatus valde immodicus ſit in genere pretij, non delinquit tamen mortaliter iuxta probabilem Caietani, & aliorum ſententiam, vt ſupra *cap. 4. num. 11.* iam explicaui. Sin autem notabiliter ad Venerem prouocet, lethiferæ culpæ rea eſt, niſi aliunde excuſetur. Nunc quid Sancti Patres aduersùs has, quæ maritorum cauſsâ ornatum a ſe affectari, non tam aiunt, quàm comminiſcuntur, ſentiant, audiamus. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom. 10. in Epiſt. ad Coloſs.* falſitatis ipſas egregiè ita coarguit, *Quid ornaris, dic, quæſo? vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hîc verò contrarium fit, ſcilicet domi ſumma incuria; ſi foras itur, annus eſt, dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, alijs ne cura, vt placeas. Si verò alijs placere vis, non potes placere tuo.* Eodem tendunt, quæ S. Clemens Romanus Chriſti Vicarius *lib. 1. Apoſtol. Conſtitut. cap. 8.* ſic præclarè monet: *Ne igitur vos, quæ Chriſtianæ eſtis, tales imitemini. Si autem vis fidelis eſſe viro tuo, ſtude, vt ei tantùm placeas: in plateis verò caput tuum obnube. obtegendo enim caput, aſpectum curioſioribus occludes.* Veteribus Patribus ſubſcribit quoq; Gulielmus Peraldus Epiſcopus Lugdunenſis *Tom. 2. Summæ, Tit. de Superbia, cap. 11. Regina Eſther,* inquit, *quæ cor nobile habebat, abominabatur ſignum ſuperbiæ, quod in capite ſuo erat. Notanter dicit,* quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ: *ornatum enim ſuum non ferebat, niſi quando Regi marito ſuo ſe oſtendebat. In quo mulieres noſtri temporis multum ſunt ei diſſimiles, quæ quum ſunt cum maritis, non curant de ornatu: quandò verò in publicum volunt procedere, volunt eſſe ornatæ, & tamen dicunt, quòd ornant ſe propter maritos ſuos.*

III. *Neq; ſucis gratiam eorum ſibi cõciliãt.* Sed demus mulieribus, nõ malo dolo, ſed bona fide eas ſe ornare, quò maritis ſuis placeant. At dum fucos adhibent, vt fallant, falluntur ipſæ; dum conantur decipere, decipiuntur. Neq; enim ita pigmentis, ac figmentis coniugum ſuorũ gratiam ſibi conciliant, ſed potiùs alienant. Quò pertinet celeberrimum illud S. Auguſtini effatum *Epiſt. 73. ad Poſſidium,* quod & *cap. fucare, de conſecr. diſt. vlt.* refertur, paſſimq; a Doctoribus, & Theologis hactenus citatis ingeritur: *Fucare pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior, vel verecundior appareat: adulterina fallacia eſt, qua nõ dubito etiam maritos ſe nolle decipi, quibus ſolùm permittendæ ſunt feminæ ornari ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. Nam verus ornatus, maximè Chriſtianorum, & Chriſtianarum non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt.*

IV. Aliam rationem ad vxores ab hac inſania, fatuoq; maritis ſuis lenocinandi

Fucis verò abſtinentes Deũ glorificant. nandi conſilio reuocandas S. Chryſoſtomus *hom. 4. in cap. 1. Epiſt. 1. ad Timoth.* ſuggerit, vbi quum quæſiſſet, quęnam Deum in corpore ſuo glorificaret, ſic philoſophatur. *Quæ vnguentis delibuta non pergit, quæ faciem nequaquam fucis, atque coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio, nihil ex ſe addere quaſi arte molitur. Quid enim ſtudium tuum? Quid artem conſummato a Deo opificio admouere præſumis? Non tibi ſufficit diuina formatio? An' verò velut excellentior opifex diuinũ opificium corrigere impiâ moliris audaciâ? atque ad auctoris iniuriam ornaris, vt poſt te greges iuuenum trahas? Et quid, inquies, ego facere poſſum? Non enim hæc ego volo, ſed viri cauſsâ hæc facere compellor. Adamari non poteſt, quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, vt in hoc ipſe laudetur, & admirationi ſit opificium eius, non vt patiatur iniurias. Noli hanc illi vicem reddere; ſed pudicitiâ, & verecundiâ te ornare contende.* *Fucatio exagitatur.*

V. *Mulieres fruſtra ſe ornant, quò maritos ſuos a pellicibus abſtrahant, quos potiùs virtute ſua lucrarẽtur, luxu autẽ alienãt.* At maritus non raro pellicem perditè deperit, a qua vt eum auellat vxor, fucis, & immodicis ornamentis illum aggreditur. Sed temerè, atque inconſultò, nullo prorſus compẽdio plerumque. Huc enim pertinent, quæ ad hunc mulierum prætextum euerberandum validiſſimè idẽ S. Chryſoſtomus *hom. 28. ad Hebræos* hunc in modum intorquet: *Quòd enim ſic non viro placere deſideres, & non ob hanc cauſſam te cupias ornari, ex ijs, quæ facis, manifeſtum cunctis apparet. Quum limen tui thalami fueris ſupergreſſa, confeſtim cuncta illa deponis, & veſtimenta, & auramenta, & margaritas, & in ædibus potiſſimùm nihil horum geſtas. Si autem viro cupis omnino placere, eſt vnde complaceas, per manſuetudinem, per placiditatem, per pudicitiam. Crede mihi mulier, etiãſi multũ ſit vir ille inferiora ſapiens, hæc illum magis illiciunt: hoc eſt, manſuetudo, pudicitia, habitus ſine typho; ſine multis expenſis, vilis, & humilis. Impudicum quippe virum, etiamſi multa excogites ornamenta, non obtinebis. Et hoc nôrunt quotquot huiuſmodi viros habuere. Quantumlibet enim tu ſtudeas adornari, ille, ſi incontinens eſt, ad alteram pergit. Pudico verò & caſto talibus minimè complacebis, ſed magis horum contrarijs. His autem eum contriſtabis, quum de te ſuſpicionem facis appetentis ornatum. Quid enim? Etiamſi vir ille reuerentiâ manſuetus, hoc tibi ſicut pudicus & mitis dicere noluerit, ſed intra ſe plurimum reprehendit; & zelum, & inuidentiam non cohibet, an non omnem voluptatem, & iucunditatem illi in poſterum eximis? inuidentiam contra teipſam excitans?*

VI. Imò non ſolùm fructu nullo, ſed non leui quoq; ſæpe damno proprio illuſæ feminæ ad has artes confugiunt. Teſtor eundem S. Chryſoſtomum loco paulò ante laudato clauam feminarũ Herculeam, qua ſe tuentur, cauſſatæ ſe ornari virorum gratiâ, in ipſas bellè retorquentẽ ijs verbis: *Si ad id deſeruiat ornatus, citò vir tuus, huiuſmodi faciem amare conſuetus, meretricio vultu delectabitur, & capietur. Quòd ſi illum docueris amare in vxore mores, venuſtamq; dignitatem; non facilè conuolabit ad ſcorta, neque hæc in meretrice reperiet. Noli docere virum riſus ſecuritate decipi, neque fracto ſolutique inceſſu capi, ne aduersùs teipſam illi arma miniſtres: inſtrue illum caſtitate gaudere; hocque præſtare poteris, quum huiuſmodi habitum perfers.* Concinit ferè S. Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum* amandæ vxoris modum requirens, ac intemperantiam damnans. *Origo quidem amoris honeſta erat* (inquit, habeturq; etiã 32. q. 4. c. origo) *ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, ex qua honeſta cauſſa quis inſaniat. Vnde & Xyſtus Pythagoricus in* *Amor in vxorem nimius adulter eſt.*

ſententijs, Adulter eſt, inquit, in ſuam vxorẽ amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil eſt fœdius, quàm amare vxorem, quaſi adulteram. Illæ ergo vxores, quæ fucorum, lenociniorum, immodicique ornatus pellaciâ a maritis ſuis amari ſe ſtudent, non vt vxores, ſed vt adulteras; nec affectu maritali, ſed meretricio; nil aliud lucrantur, niſi quòd eos ijſdem artibus inſtruunt, vt ad meretrices, ad ſcorta, ad pellices conuolent.

VII. Vxores nimis ſe ornãtes, vt ſuis maritis placeãt, a culpa non eximũtur.

Verùm *ſi e ſententia Chriſoſtomi*, vt probè Gabriel Aluarez in *cap. 3. Iſaiæ, Verſ. 26. num. 94.* ratiocinatur, *ne maritatis quidem feminis, vel prætextu continẽdi in officio maritos, & alliciẽdi, licet, decetue ſe polire, pingere, fingere, & aliam quaſi perſonam pigmentis, monilibus, veſtibus, adhibitis, induere*; vnde *facilè intelligitur, quàm rarus, quàm moderatus debeat eſſe eiuſmodi rerum vſus.* Quocirca Alexander de Ales parte 4. *Summæ, quæſt. 11. de manducatione Euchareſtiæ art. 2. §. 4 quæſt. vlt.* diſertiſſimè ad id, quod ſibi initio obiecerat, mulieres ita ſe ornare, vt placeãt viris ſuis, reſpondet, *Dicendum, quòd voluntas placendi maritis ſuis, ſiue ipſa placentia non excuſat eas a peccato mortali: quia modus, per quem placent, vel placere intendunt, nec Deo placet (vt ex dictis patet) neque maritis.* Cui opinioni totidemque verbis recitatis Diuus quoque Bernardinus *tom. 1. de Chriſtiana Religione, Serm. 47. art. 1. cap. 3.* omnino ſubſcribit. Quæ ita accipienda ſunt, vt de ornatu notabiliter ad laſciuiam prouocante dicta locum habere exiſtimentur. Quo item ſenſu Dionyſius Carthuſianus in *Directorio Vitæ Nobilium art. 15* quum e Gloſſa, & Alberto magno in ea S. Petri verba *Epiſt. 1. cap. 3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura &c.* retuliſſet, mulieribus fas eſſe, vti ornamentis primò, vt maritos ſuos ab adulterio reuocent; deinde vt viris ſuis tantùm placeant; mox *artic. 16.* ſequenti reſpondet, *quòd mulieres poſſunt ſuos ornatus excuſare per ſuos maritos modis prætactis* (nempe vt auocent ab adulterio, vt ipſis tantummodò placeant) *dummodo non excedant ſe ornando pompaticè, aut curioſè, & vltra decentiam ſui ſtatus, ſicque quòd contra præcepta diuina non agant. Nec ad retrahendum viros ſuos ab adulterio, vel ad complacendum eis tantummodo, debent aliquid agere contra præceptum Dei, & proprias perdere animas, aut proximos ſcandalizare: quia tenentur Deum incomparabiliter plus amare, ac venerari, quàm ſuos maritos; imò ſeipſas, & proprias animas obligantur magis diligere, quàm proprios viros: nec ad complacendum ſuis viris licet eis laqueum damnationis, & incentiuum carnalis concupiſcentiæ exhibere, aut inijcere alijs viris, ſed implere, quod ait Apoſtolus:* Vnuſquiſq; proximo ſuo placeat in bono ad ædificationẽ. *Rom. 15.*

VIII. Quando nempe ſine graui incõmodo poſſunt ornatum nimium omittere.

Nihilominùs hæc omnia ita temperanda arbitror, vt vera ſint, obligentque feminam quamcunque, nedum coniuges, ad abſtinendum a valde prouocatiuo ornatu ad libidinem, quoties ſine graui incommodo, aliàs minimè, vt ex dictis, & ſæpius repetitis ſatis liquet. Sed quæ tandem ſunt grauia incommoda, quæ mulieres vtentes cultu notabiliter ad malum ſolicitante legitimè excuſant? Omnia enumerari non poſſunt, nonnulla in exemplum ſufficient. Sed vera, & genuina a fucatis, & commentitijs diſcriminanda ſunt.

IX. Aliquã-

I. Quoniam ſupra *cap. 5. §. 7. num. 97.* animaduerti ex communi Docto-

rum

Digitized by Google

do etiã cum vita iactura omittẽdus.

rum regula, quando rationabiliter iudicatur, ex aliquo opere, aliàs etiam bono, magnam hominum multitudinem in aliqua communitate vel ex infirmitate, vel ex ignorantia inducendam in grauia peccata, tale opus eſſe omittendum cum vitæ quoq; & bonorum ſpiritualium etiam, quæ ad ſalutem minimè ſunt neceſſaria, iacturâ: quoties præuideretur, ex quocunque habitu notabiliter ad malum prouocante magnam multitudinem hominum in grauia flagitia eſſe inducendã, omittendus vtiq; talis quoq; habitus foret cum vitæ etiam iacturâ, nedum cum grauium verberum tolerantia, & cum damno etiam bonorum ſpiritualium, quæ ſaluti neceſſaria non ſunt, quemadmodum ex prædicta regula planè conficitur. Verùm vt hæc in praxi habeat locum, diligenter duo alia documenta, quæ ſupra *cap.* 5. §. 4. *num.* 35. & 54. expoſui, ſunt obſeruanda. Nám, quum ex occaſionibus peccandi etiam proximis nonnullæ abuſui peccaminoſo viciniores ſint, quàm aliæ; & qui re indifferenti abuſurus creditur, ad malum vſum magis minuſue paratus ſit; & peccatum ipſum, in quod lapſurus eſt, nunc grauius, nunc leuius, interdum contra ſolam caritatem, aliquando contra iuſtitiam proſpiciatur; diuerſa cauſſa ad excuſationem, vel damnationem ſuppeditantis rem indifferentem requiritur. Vnde ſi contingat peccatá grauia, in quæ magna hominum multitudo inducenda ex valde immodico ornatu eſt, ita excedere quantitatem damni, quod ad ea vitanda ſubeundum eſt, vt penſatis omnibus, iudicio prudentis damnum ſpirituale communitatis imminens præponderare cenſeatur iacturæ etiam vitæ temporalis, & bonorum quoq; ſpiritualium, quæ ſaluti neceſſaria non ſunt, profectò talis iactura talium bonorum, & vitæ quoq; temporalis ad longè maiora, & grauiora damna communitatis arcenda ex lege caritatis facienda eſſet. At hic caſus a cotidiana praxi diſtat ſummopere. Quanquam enim mulieres pleræque non ignorant ex ſuo valde ſuperfluo ornatu aliquem, aut nonnullos in mortalia delicta hìc, & nunc incidere, neſciunt tamen (neque accidit) magnam hominum multitudinem in cõmunitate in occaſionibus hìc, & nunc determinatis idcirco in mortale ſcelus ruere.

Quod in praxi non accidit.

X. *Quando vnus vel duo lapſuri præuidẽtur, quãto incõmodo minus ornatus relinquẽdus.*

II. Etſi, vbi probabiliter cernitur vnum, vel duos ad peccandum inducendos opere alioqui nec malo, nec inductiuo ad peccatum; omittendum tale opus non eſt cum vitæ iactura, aut cum graui alio famæ, vel bonorum temporalium detrimento, vt *cap.* 5. §. 7. *num.* 98. notaui; tamen, quum ornatus valde ad libidinem prouocans, ſpectatâ communi imbecillitate humanâ ſit ad peccatum per ſe inductiuum, vt a culpa lethali eximatur, grauiſſima neceſſitas exigitur iuxta regulam eodem §. 7. *num.* 96. defixã. Iam ſi qua mulier ad ornatum valde prouocatiuum ſibidinis adhibendum grauibus contumelijs, aut iurgijs, vel leuibus etiam verberibus adigeretur, non exiſtimo eam hinc ſufficienter a mortali, ſi eum adhibeat, excuſari, quia graues contumeliæ, vel iurgia, aut leuia verbera in morali æſtimatione nõ inferunt grauiſſimam neceſſitatem, quæ ad talia excuſanda requiritur. Sicut neq; excuſaretur a lethali, qui leuibus verberibus, vel iurgijs, vel contumelijs, etiam grauibus ad publicandum librum valde laſciuum compelleretur; etſi ille liber non incitaret directè ad libidinem, adeoque non eſſet intrinſecè malus, ſed indifferens, verbiſque amatorijs indirectè ſolùm ad

laſciuiam proritaret, vt eo *num.* 96. explanaui; quum omnia hæc incommoda nondum grauiſſimam neceſſitatem vulgandi talis libri iudicio prudentum creare reputentur. Atqui vt liber amatorijs tantùm verbis, licèt in ſe indifferentibus, tamen ſpectatâ cõmuni fragilitate ad laſciuiam indirectè inducere cenſetur; ita etiam ornatus eadem communi fragilitate ſpectata, indirectè ad laſciuiam, non quidem verbis repræſentantibus, ſed re ipſa repræſentata, hoc eſt, toto mulieris illecebroſo cultu, nihilo minùs, ne dicã, multo magis inducit: Ideoque par ad minimum ratio in vtroque caſu militat. Quod ſi verbera non leuia, ſed grauia ingruerent, hæc ſanè grauiſſimam neceſſitatem imponere viderentur; adeoque a culpa etiam tum vtentem valde prouocatiuo libidinis ornatu, tum edentem in lucem librum notabiliter laſciuum, non quidem ad laſciuiam directè incitantem, adeoq; intrinſecè malum, ſed indirectè ſolùm, & per ſe indifferentem, vt ſupra explicaui, vindicarent. Sed hic etiam caſus Metaphyſicã dumtaxat redolet, adeo a cotidiano vſu longè peregrinatur.

XI. Vxores liberiore cultu vtentes excuſatione carent.

Hinc Hieronymus Sopranis olim in Collegio Romano Theologiæ profeſſor, & ſtudiorum præfectus, ea, quæ in praxi vt plurimum accidunt, prudenter conſiderans, in Commentario in Dauid, digreſſ. 1. cap. 2. §. 2. pag. 431. meritò pronunciat, *nullam iuſtam excuſationem feminas habere, quum liberiore cultu comptæ, cum alijs, quam marito, verſantur. Nam vel eodem modo, & in eundem finem volunt alijs placere, quo viris, & adulteræ ſunt; vel vt placeant viris, aliorum periculum non verentur, & homicidæ ſunt. At aliquando id mariti præcipiunt; audiendi non ſunt. Quid enim ſi iubeant etiam, vt alijs proſtituantur, aut cum alijs impudicè verſentur? Hi enim ius tantùm habent in vxores, vt ita comantur, quatenus illis placeant, aut etiam non diſpliceant; non ita, vt ex illarum aſpectu alij vulnerentur. Vel enim maritus ita vult vxorem ſuam alijs, vt ſibi, placere, & in id ipſum, ad quod illam amat, ab illis amari, & leno eſt, non maritus; vel ſibi tantùm vult placere, non alijs; & ſic nec in eodem ornatu, quo ſibi placet, illam debet alijs exponere; Quod ſi aliud vult, & aliud exequitur, abſurdè vult, ob id nec audiendus.* Quippe *maritus quilibet* (vt rectiſſimè Tertullianus c. 3. de cultu fæminarum, ab eodem Sopranis allatus) *& non adulter, caſtitatis exactor eſt in vxore; quæ in tantum viro ſuo placet, in quantum alteris eo modo, quo placet viro, placere non curat.*

XII. Minæ, & obiurgationes ornatui periculoſo excuſando ſatis nõ ſunt.

III. Quoniam verò leuia verbera inflicta, vel infligenda feminas a mortifero delicto, ſi eorum metu victæ, valde prouocatiuum libidinis ornatũ geſſerint, minimè liberant, vt palàm feci, multo minùs cenſeo fas eſſe vxori aut filiæ ſimilem habitum ad malum laceſſentẽ ferre, ob ſolas minas, vel obiurgationes, quæ vel a marito in vxorẽ, vel a Patre, aut a Matre in filiam intentantur, ſed vnà cum verbis innoxias euaneſcere, vſu perſpectum eſt; idemque & de quacumque alia etiam muliere paribus minis, aut reprehenſionibus oppugnata; nec non etiam de ea, quæ iocis, ludificationi, & irriſioni nonnullarum, niſi eiuſmodi habitũ ferat, expoſita eſt, decerno. Quippe in ciuili vita, ſicut paſſim conſimiles minæ, obiurgationes, & ludificationes, nihil damni præter ſtrepitum verborum inferentes, contingunt; ita iudicio prudentum grauia incommoda non reputantur; ac proinde quælibet mulier tenetur ex caritate ad proximi ruinam, ſubtracto immodico valde

de ornatu, prouocatiuo; vitandam, ea contemnere. Quod liquet I. ex dictis, quia ad ſcandalum actiuum, & paſſiuū puſillorum cauendum, damnum aliquod bonorum temporalium faciendum eſt; vt cum S. Thoma 2. 2. q. 43. *art.* 8. docent communiter Theologi, & ſupra, *cap.* 5. *num.* 94. obſeruaui. Rurſum, quoties aliquid conſideratâ communi hominum fragilitate, inducit alios ad peccatum, ſeu inductiuum eſt ad peccatum; ſine graui neceſſitate nefas eſt illud agere, vt ſentiunt Doctores paſſim; vt videre eſt apud Suarez *diſp.* 10. *de carit. ſect.* 4. *num.* 6. vbi ait eſſe communem ſententiam, apud Coninckum de *Carit. diſp.* 32. *num.* 65. apud Caſtro Palaum *Tom.* 1. *Trac.* 6. *diſp.* 6. *pun.* 8. *num.* 3. & apud alios, vt ſupra *cap.* 5. *num.* 95. vidimus, & paulò ante commemoraui. At ornatus immodicus ſupponitur hic notabiliter ad libidinem prouocatiuus. Ergo ſine graui neceſſitate non licet hunc geſtare. Talis verò neceſſitas non infertur, ſicut nec graue damnum temporale, a memoratis incommodis, nempe a minis verboſis, a reprehenſionibus, vel irriſionibus, vt conſtat; ergo. II. Quia ab obligatione correptionis fraternæ, vbi neceſſariæ circumſtantiæ concurrunt, non eximitur quis, etſi ob eius executionem ſubiret certò aliorum ludificationem, vel aliquot iniurijs alliceretur, vel aliquod odium, ſibi tamen non valde noxium, incurreret, vt notat ſine Auctorum controuerſia idem Coninkus *ibid. diſp.* 28. *dub.* 6. *num.* 126. Ergo multo minùs huiuſmodi ludificationes, iniuriæ, odia, liberant ab obligatione omittendi ornatus valde prouocatiui ad malum quamlibet fœminam, quia longè faciliùs, & commodiùs id poteſt facere, quàm alterum corripere &c. III. Quia Reipublicæ rationali magis expedit in talibus circumſtantijs tales actiones moraliter ad malum prouocatiuas, quanquam phyſicè indifferentes, vbi leuia tantùm incommoda minarum, obiurgationū, ludibriorum negotium faceſſunt, eſſe adhuc grauiter prohibitas, quàm non prohibitas, alioqui oſtium vaſtiſſimū obſeruantiæ plurimarum legum, & præceptorum ſimilibus prætextibus eludendæ aperiretur, quod eſt intolerabile inconueniens: eodemq; fuco, atque obtentu & nerui virtutum omnium eneruarentur; quod ex æquo abſurdum eſt.

XIII. IV. Sed quid opinandum de puella, quæ immodicum ornatum a ſe geſtari cauſatur, vt aliquem ſibi ſpōſum lucretur, aliàs minimè lucratura, quo alioqui carere incommodum illi valde magnum eſt? Integram, longamque diſputationem in perſimili caſu conflaui in meo *Chorearum Speculo*. Breuiter hic me expedio, negoque conceſſum vlli mulieri, vt ornatu valde ad Venerem prouocatiuo, de quo ſolo hîc quæſtio eſt, ſponſum aucupari ſtudeat. Ratio eſt, quia etſi carere, vel excidere ſponſo graue admodum incommodum mulieri eſt, nefas tamen illi eſt, id declinare ordinando id, quod eſt ad malum inductiuum moraliter, ad amorem alterius cum morali huius periculo, quia hoc eſt moraliter hunc ad malum inducere, quod non licet. At mulier refert talem ornatum valde prouocatiuum libidinis ad amorē alicuius, nuptiarum gratiâ, accendendum cum morali iſtius periculo laſciuiæ, etſi illa hoc nō intendit, vt liquet. Ergo id ei non licet. Confirmatur, quia ſi licitum amorem nuptiarum gratiâ in ſponſo cupit excitare, hunc probis moribus, & moderato ornatu multo magis poteſt ſibi conciliare, vt in praxi quotidiana perſpectum eſt, quàm immoderato, & valde ad libidi-

Qualē ornatū puella, vt ſponſum acquirat, adhibere queat.

Non ſanè prouocatiuū valde libidinis.

nem

nem inflammante, hoc enim, quid niſi Venereas flammas accendat? Ergo tenetur hoc abſtinere. In cæteris verò incommodis cauendis non ordinatur ipſemet ornatus prouocatiuus ad amorem cuiuſquam eblandiendum; ſed geſtatur tantùm, vt ea incommoda declinentur. Plura ad hanc difficultatem illuſtrandam, ac profligandam *loc. cit.* diſſerui, quæ hîc repetere nimis longum eſſet. Summa eſt, permulta grauia abſurda, ac non ferenda neceſſariò ſequi, ſi ſemel admittatur, poſſe matrimonij gratiâ ordinari, & rectà dirigi ſeu choreas, ſeu ornatum ad affectum illius excitandum, quem turpẽ futurum eſſe, vel certum, vel probabile eſt, vt illic oſtendi.

XIV. *Vt verò proſpiciant ſuæ incontinentiæ, quid poſſit facere.* V. Sed quid ſentiendum de puella, quæ flagitijs carnis obnoxia, caſtè viuere ſine marito difficillimè poteſt, & aliàs ſponſum abſque ornatu ad Venerem valde incitante aucupari nequit, ſi talem ornatum referat, ordinetque non ſanè ad laſciuiam ſponſi, ſed ad propriam caſtitatem tuẽdam, vel procurandam? Exiſtimo ego hunc etiam caſum non ex morali vſu, ſed ex Metaphyſicis pigmentis eſſe delineatum. Cæterùm ſi in praxi is contingat, & puella proſpiciat vnum, vel alterum ob ſuum talem ornatum valde prouocatiuum libidinis mortiferè peccaturum, puto eam excuſari, ſi, vt ſuæ conſulat caſtitati, eum adhibeat. Ratio eſt, quia etſi habitus ſupponatur inductiuus ad peccatum, atque adeo nõ quoduis graue incommodum, vel dãnum ſufficiat ad eum excuſandum, vt elicitur ex dictis *cap. 5. §. 7. num. 98.* ſed grauiſſima neceſſitas exigatur, vt *ibidem nu. 96.* animaduerti, puella in memorato caſu reuera vrgeri grauiſſima neceſſitate videtur, quæ vt propriæ incontinentiæ medeatur, iure optimo nuptias, & ſponſum quærit. Nec obſtat, talem incontinentiam eſſe voluntariam, ſiquidem voluntaria etiam eſt culpa proximi ob ornatum prouocatiuum delinquentis. In pari autem incommodo, ac damno maior, ac præponderans neceſſitas puellæ verſantis in dãnationis periculo videtur, quàm alterius, adeoque meritò, penſatis omnibus, præferenda neceſſitati alterius, & conſequenter grauiſſima quoque in tali caſu reputatur. Quod ſi puella ex ſuo ornatu inductiuo ad Venerem non vnum duntaxat, alterumue, ſed magnam hominum multitudinem in aliqua communitate in grauia peccata caſuram prouideret; tum minimè excuſanda videretur, vt pote quæ in neceſſitate grauiſſima, & præponderante, penſatis omnibus, reſpectu magnæ multitudinis lapſuræ in grauia peccata nequaquam verſari cenſeretur, ſed deberet illo abſtinere. Ratio eſt, quia quoties rationabiliter iudicatur ex aliquo opere aliàs etiam bono magnam hominum multitudinem ex aliqua communitate in grauia peccata vel præ infirmitate, vel præ ignorãtia inducendam, omittendum tale opus eſt, vel cum vitæ iactura, vt paulò ante *num. 9.* notaui. Ergo in tali caſu omittendus etiam eſt ornatus puellæ cum vitæ quoque iactura, nedum cum perpetua ſponſi priuatione, quæ leuius ſine dubio incommodum eſt. Confirmatur, quia in tali caſu non tenetur puella cum vitæ iactura auertere periculum incontinentiæ; & tamen ad vitanda grauia multitudinis ſcelera tenetur vitam etiam amittere. Ergo incommodum, & damnum multitudinis peccaturæ præponderat damno, & incommodo ex periculo incontinentiæ; adeoq; puella adhuc tenetur abſtinere eiuſmodi ornatu, & alijs remedijs mederi incontinentiæ.

VI. Quid verò ſi vir a pellice aliter, XV.

quàm

Quid vxor, vt virũ a pellice abducat.

quàm immodico valde ornatu ad Venerem notabiliter prouocante ab vxore abduci nequit? Hoc etiam in praxi, vt plurimum, merum eſt ſomnium, quum mariti adulteri hiſce fucis, ac meretricijs artibus non abſtrahantur a pellicibus, vt docet experientia; ac propterea Patres, ac Doctores adducti id, quod in vſu cotidiano ferè eſt, ſpectantes, huiuſmodi excuſationem tanquam inanem, & falſam prudentiſſimè reiecerunt. Si tamen reuera ita in praxi accideret, arbitror, illum ornatum, quando ruina vnius, vel alterius ex eius occaſione præuidetur, licitè ab vxore in eum finem vſurpari poſſe; ſecus verò, ſi magna multitudo in grauia peccata lapſura creditur. Ratio poſterioris partis ex dictis euidens eſt, quia in tali caſu neq; vt auertat periculum propriæ incontinentiæ, poteſt tali ornatu aucupari nuptias, ſed alijs remedijs vti debet: Ergo multo magis eo debet abſtinere, & alia remedia adhibere, quo maritum a pellice auocet. Ratio item prioris partis in promptu eſt, quia quum ille ornatus, etſi ad malum inductiuus, adhuc in ſe ſit indifferens, vxor graue incommodum carendi vſurâ corporis mariti proprij, nec non ſalutis animæ tum mariti adulteri, tum adulteræ meritò præferre poteſt ruinæ alterius vnius, aut duorum, vt ſatis ex diſputatis deducitur.

XVI. *Mulieres fruſtra cauſſatur ſe cogi ad nimium cultum, quum ipſa potius cogant.*

At quid ego de incommodis, quæ feminis quaſi inuitis, ac reluctantibus ab externa vi, a minis, ab obiurgationibus, a verberibus, a diſcordijs, a iurgijs, ab incontinentiæ periculo ſuo, vel alieno, niſi immoderatum ornatum valde ad libidinem prouocatiuum induant, impendent, diſputo; quum hæc a communi vſu longè ſint aliena; contraque ipſæ intolerabilem moleſtiam vxores maritis; filiæ parentibus; neptes auunculis, & materteris; feminæ viris: in muliebri mundo nunquam ſatis iiſdem eleganti, & concinno procurando exhibeant; neque cogantur ipſæ ad ornatum immodicum, ſed cogant vel reclamantes, & conquerentes viros, qui inexplebili earum vanitati, ambitioni, importunitatique nunquã ſatis poſſunt facere; & niſi indulgeant omnia, quæ petunt; ædes clamoribus, viciniam querelis, totam familiam iurgijs implent; quemadmodum ſine fuco bellè explicat S. Bernardinus Senenſis *tom. 1. de Chriſtiana Religione, ſerm. 46. art. 2. cap. 3*? Propterea mariti, & parentes ſæpenumero ad redimendam tantam vexationem; & ne illæ a procis, pudore proſtituto, quærant, atque obtineant, quod ab ipſis iure impetrare nequeunt, inuiti, & coacti earum poſtulatis, quanquam iniquis, conniuent; ſuntque a peccato indirectæ cooperationis immunes, quia ex iuſta cauſa, ad maiora mala arcenda, habenas illarum cupiditati laxant. Vnde patet huiuſmodi feminas hiſce artibus immodicum valde ornatum ad libidinem vehementer prouocatiuum extorquentes, eſſe omnino inexcuſabiles, ac damnationis æternæ reas; præterquam quòd peccato prouocatiui ornatus alia quoque delicta lethifera ſolent adiungere; maritos, & parentes ad iniuſta lucra, & alios illicitos contractus, quò poſſint in earum ornatum ſuperfluum impenſas ſuppeditare, nefariè compellentes, de quibus ſapientiſſimè idem S. Bernardinus ibidem *ſerm. 44. art. 1. cap. 1. & ſerm. 46. art. 1. cap. 1.*

Adeoq; peccant quàm maximè.

XVII. *Delinquunt etiam Mariti, ac Parẽtes nimis illis indulgentes.*

In eo tamen maritorum, & parentum quàm plurimi peccant nimiopere, quòd vxorum, filiarum, mulierumque artibus, ſeu blanditijs deliniri, ſeu clamoribus terreri, ſeu querelis frangi, ſeu importunitate expugnari ſe ſinunt. Si virilem ipſi induerent animum, & com-

commaſculata fronte earum petulantiam acriter tempeſtiuè increparent, atq; compeſcerent, docerent eas effeminatos exuere mores, modeſtiam diſcere, officium facere. Nunc è contrario dum earum inſanis cupiditatibus ſeruiunt, magis inſaniũt ipſi, quàm illæ; nec viri ſunt, ſed mulierum mancipia.

XVIII. *Tenent mulieres ſub mortali adhibere artes alioqui ſibi familiares, et licitas ad eludenda iuſſa imperãtium ornatum valde immodicum.*

Denique feminis non ita arrogantibus, neq; tam duræ ceruicis, ſed mollioris ingenij, ſi quando parentes, mariti, vel conſanguinei eas ad inmodica ornamenta valde prouocatiua vſurpanda inuitant, vrgentque, illud ego in memoriam reuoco, teneri eas ad declinandas illorum offenſiones, & proximi ruinam vti ijs artificijs, atque excuſationibus, quibus vti ſolent, quũ quidpiam nolunt agere, & viris dexteritate mirâ imponunt. Quum mulier ab aliqua re abbhorret, ſtatuitque ſecũ ab ea ſibi cauere, incredibile dictu eſt, quàm innumeri prætextus, & colores derepente ei in promptu ſint. Subitò ægrotat, tuſſit, ructat, languet, vertigine caput circum agitur, caligant oculi, ſtomachus cruciatur; hoc amiſit, illud non reperit, aliud alius furtim abſtulit. quid non ſtropharum & fabellarum comminiſcitur? Ita feminæ maritorum, parentum, conſanguineorum, ac maiorum imperia, quamuis ſæpiſſimè honeſta, ac iuſta, quibus obſequi debent, & reluctãdo delinquũt, frequentiſſimè eludunt, & ſine vllo ſuo incommodo euertunt; quod iubentur, minimè exequentes, & iubentibus viris mirè traductis, adhuc inoffenſis, quin etiam propitijs, & beneuolis potientes. Ergo ſub mortali has eaſdẽ artes tenentur quoque adhibere, & multo magis, quando a viris ad ornatũ valde prouocatiuum ad Venerem ſeriò, & magna vi impelluntur. Conſequentia eſt clara, quia has omnes ſine graui ſuo incommodo poſſunt vſurpare, & licitè, iuſta æquiuocatione vtentes, vt ſuppono, & moraliter in praxi euidens eſt. Ergo ex caritate, vt vitent aliorum peccata mortalia prætermiſſo eiuſmodi ornatu, ad eaſdem adhibendas tenentur, & multo magis: nam ſi illas ſine graui incommodo frequentant, quando deberent obedire, & illicitè iuſſa detrectando peccant: multo magis ipſas in vſum reuocare tenentur, quando ad ruinam proximi, ſubtracto prouocatiuo ad malum cultu, declinandam iuſtè repugnare poſſunt, ac debent. Ergo etiamſi viris obſtinatè cogentibus, feminæ ingentia incommoda verberum grauium, grauium iurgiorum, & diſcordiarum ſubituræ forent, pertinaciùs immoderato valde ornatui obluctantes; atq; ita, ſi huiuſmodi incommoda aliter repelli non poſſent, fas illis eſſet talem ornatum geſtare, vt ſupra dixi; nihilominùs, ſi licitis artibus vſæ, talia incommoda cauere, omiſſo etiam eo ornatu, commodè queunt, atq; hoc pacto vitare proximi delicta poſſunt, ad has ſub mortali adhibendas vtiq; obligantur, vt è ſuperioribus diſputationibus ſat manifeſtum eſt.

Quomodo Confeſſarij erga pœnitentes ornatum valde prouocatiuum libidinis ferentes ſe gerere debeant.

Cap. IX.

I. Monſtrũ eſt, a feminis nimio ornatu valde prouocante ad libidinẽ fra-

NON poſſum me hoc loco diutius continere, quin portentum ingens, valdeque noxium intento oſtendam digito, ſimulque maiorem in modum admirer, dicamne, an indigner, a nemine ferè id obſeruari, ſed vltro hoſpitio quoque tanquam innocens benignè

quentari Sacramenta.

nignè recipi. Nam I. certum eſt, vt probaui, ab illecebroſo, valdeq́ue immoderato mulierũ ornatu quàm plurimos virorum ad Venerem notabiliter proritari. II. certum eſt, huiuſmodi mulieres ob talem ornatum ita prouocatiuum mortaliter delinquere, vt pariter demonſtraui. III. certum quoq; eſt, ab hiſce iiſdem mulieribus diuina Sacramenta obiri, neque tamen a Confeſſarijs communiter vllũ ſcrupulum de huiuſmodi ornatu ipſis inijci; ſed eaſdem tam ſecurè, tam facilè, tam liberaliter ſine vlla mentione emendationis abſolui, perinde ac ſi omnia fulmina, quæ in eundem ornatum & Sancti Patres, & Sacri Doctores paſſim, & rationes ineluctabiles intorquent, meræ eſſent fabulę Æſopi.

II. Væ Confeſſarijs, qui conniuent ornatui mulierũ valdè ad libidinẽ prouocanti, animaſque illaqueãti.

Hoc enimuerò piaculũ perindiguũ, peruerſumque valde eſt, in quod ſeuerè animaduertet Deus, qui tales Confeſſarios, & pœnitentes ſuo in iudicio multò aliter, quàm homines, iudicabit; ille, qui *teſtis erit aduerſùm* eos, Michææ 1. ille, qui *Renum* ipſorum, *& cordis ſcrutator eſt verus* Sap. 1. ille, qui ſimul erit *iudex, & teſtis*. Ierem. 29 *Væ illi, per quem ſcandalum venit*, exclamat Chriſtus Dominus *Matth. 18. Væ autem importat damnationem æternam,* inquit S. Antoninus *par. 2. Summ. Tit. 7. cap. 4. §. 3. & ſignanter dicit,* venit, *quaſi dicat, etiamſi hoc non intenderet, ſcilicet ſcandalizare, tamen opus eius tale eſt, quod inde venit ſcandalum.*

III. Quã ſit petra ſcandali, & plurimis damnationis æternæ offendiculum.

Continuò autem poſt idem S. Antoninus meritò queribundus vociferatur: *O quàm hoc miſerabile peccatum in Mundo abundat, & nullam videntur ſibi homines facere conſcientiam; ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus, quid eſt, niſi magnum ſcandalum, & laqueus animarum?* Ecce mulier, inquit Salomon *Prouer. 7.* in habitu ornata meretricis ad capiendas animas. *Quaſi dicat, ad hoc operatur ille ornatus ad ſcandalizandum, & capiendum animas peccato luxuriæ.* Sancta Liduuina Virgo, vt Andreas Gelſominius ex D. Auguſtini Ordine Theologus in ſuo *Theſauro Cœleſti, cap. 12.* ſapienter ratiocinatur (cuius ego verba ex Italico idiomate Latinè hîc germana fide reddo) dum ad diuinam Hoſtiam participandam accedebat, Chriſti patientis exempla cruciabilia contemplans, tanto dolore ipſius angorum commouebatur, vt lacrymas inſtar guttarum ſanguinis, quas ſui viridarij roſas vocabat, funderet. Nos appoſitè addimus, huiuſmodi roſis mulierem, quæ ſacro altari, Chriſtum manducatura, ſe ſiſtit, exornari par eſſe; non autem floribus, fucis, vaniſq; ornamentis luxuriantem cæleſti menſę ſeſe obtrudere. Nihilominùs mulieres noſtri temporis (indignum facinus lacrymis etiam cruentis deplorandũ!) nonarum cultus illecebrarum excogitandi incredibili auiditate tenentur, tamq́ue inſano ſtudio inanem, ac ſuperuacuum capitis, habituſq́ue mundum ſectantur. Et tamen femina ſpecioſè phalerata, pretioſiſque veſtibus, tum fucis ſordidis, ac adulterinis cincinnis inſtructa, in publicum procedens, vexillum eſt, quo Dæmon plures in ſua caſtra traducit; offendiculum ruinæ eſt, & petra ſcandali mille infelicibus, ac miſeris; lues, & peſtis eſt, quæ totum orbem inficit, occaſionem præbens, vt multi atq; innumerabiles viri ad peccatum, & praua deſideria proritati, labantur, æterniſq́ue ſupplicijs, vt, inquit ſapiens, idcirco addicantur. O quàm valde hoc ſcelus Deo, Virginiq́ue Matri diſplicet! O quàm multæ mulieres præ vanis, immodicis, ac laſciuis ornamentis damnantur! o quot idcirco ruunt ad Inferos! At quamuis vrbes & oppida id genus feminis nimio cultu perniciem

afflantibus referta ſint, tamen indulgentes ijs Confeſſarij, qui ſacroſancta ipſis Myſteria libenter impertiunt, nec verbo eas corripiunt, minimè deſunt.

IV. *Vtinam autē reſipiſcerēt, modumq; tractādi pœnitētes diſcerent, exemplo S. Bernardi ſororē ornatā increpātis.*

Vtinam ſaperent hi, atq; intelligerent, ac nouiſſima prouiderent! Vtinam a S. Bernardo ſororem propriam ſuperuacaneo cultu expolitam ad ipſum inuiſendi gratiâ accedentem, primùm ſeriò repellente, deinde grauiter increpante, modum tractandi pœnitentes feminas, quæ ſine vlla lethiferæ prouocationis ad malum, ex immodici cultus luxu, pœnitudine, diuina myſteria frequentant, aliquando diſcerent! Audiant iſti, quid de ſanctiſſimo illo Abbate D. Guilielmus S. Theodorici Abbas in vita ipſius *cap. 6.* commemoret. *Soror* inquit, *eorum*; (nempe complurium fratrum, qui Mundo terga verterant, Deoque intra Religioſa clauſtra ſeſe deuouerant) *in ſeculo nupta, & ſeculo dedita, quum in diuitijs, & delicijs ſeculi periclitaretur, tandē aliquando inſpirauit ei Deus, vt fratres ſuos viſitaret. Quumque veniſſet, quaſi viſura venerabilem fratrē ſuum, & adeſſet cum comitatu ſuperbo, & apparatu, ille deteſtans, & execrans eam, tanquam rete Diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquieuit exire ad videndam eam. Quod audiens illa confuſa, & compuncta vehementer, quū ei nullus fratrum ſuorum occurrere dignaretur, quum a fratre ſuo Andrea, quem ad portam inuenerat Monaſterij, ob veſtium apparatum ſtercus inuolutum argueretur, tota in lacrymas reſoluta: Etſi peccatrix ſum (inquit) pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum, idcircò conſilium, & colloquium bonorum requiro. Et ſi deſpicit frater meus carnem meam, ne deſpiciat ſeruus Dei animam meam. Veniat, præcipiat, quicquid præceperit, facere parata ſum. Hanc ergo promiſſionem tenens, exijt ad eam cum fratribus ſuis frater eius. Et quia eam a viro ſeparare non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu veſtium & in omnibus ſeculi pompis & curioſitatibus interdixit; formam vitæ matris ſuæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & ſic eam a ſe dimiſit. Illa verò obedientiſſimè parens præcepto, redijt ad propria, repente mutata ſecundùm omnipotentiam dexteræ excelſi. Stupebant omnes adoleſcentulam nobilem, delicatam, ſubita mutatione in habitu, & victu, in medio ſeculi vitam ducere eremiticam, inſtare vigilijs, & ieiunijs, & continuis orationibus, & ab omni ſeculo prorſus ſe facere alienam.*

V. *Si Confeſſarij ſeriò corriperent mulieres, nimis ſe exornātes, plurimas earū a corruptelis reuocarēt.*

O ſi Confeſſarij omnes hanc Apoſtolicam ſpiritus libertatem imitarentur? o ſi nihil aliud ſincerè, & purè, quàm Deum, & ſalutem animarum, quærerent? o ſi puellis, virginibus, matronis, nobilibus, diuitibus, illuſtribus pellaci libidinis cultu exornatis paterna caritate exponerent, quàm magnum, vaſtumq; Diaboli rete ad capiendas animas ſeſe præbeant? o ſi candidè eas monerent, quàm multos in grauium delictorum occaſiones proximas conijciant? quàm ſæpe & ipſæ in obſcœni amoris laqueos incidant? quàm certò plurimis alijs, & ſibi damnationis æternæ non dubiam notam non ex ſcrupuloſa alicuius ineruditi Anachoretæ opinione, ſed ex communiſſima prorſus ſapientum Doctorum ſententia inurant? quàm multæ reſcipiſcerent? quàm multæ incitamenta laſciuiæ exuerent? quàm multæ ſancto Dei timore corriperentur? quàm multæ redirent ad cor, & ornamenta virtutum potiùs aucuparentur? quàm multæ ex ijs, quę ſimplici mente ex ignorantia errant, errantium aliarum prauum exemplum ſecutæ, errare deſinerent, atque ad modeſtiam ſeſe componerent?

Idcirco

VI. *Debent Confeſſarij, & Concionatores luxũ ornatꝰ valde reprehẽdere.* Idcirco iure optimo clamat Silueſter in *Summa, verbo ornatus, q. 7. vt Confeſſor in talibus, quantum licitè poteſt, reſtringat.* Clamat Baptiſta de Salis in *Summa, eodem verbo, Verſ. Ex prædictis igitur*, clamat S. Antoninus in *Summa, par. 2. tit. 4. cap. 5. §. 8. Verſ. Ex prædictis*, clamat Baptiſta Trouamala in *Roſella, verbo, ornatus num. 7.* clamant reliqui Theologi, *quòd & Prædicatores in prædicando, & Confeſſores in audientia confeſſionum debent talia deteſtari, & reprehendere, & perſuadere ad dimittẽdum, quum ſint nimia, & exceſſiua, vt communiter accidit.* Audiui ego Mediolani in templo Roſæ ex ore P. Cãpanæ celeberrimi ex Dominicano Ordine Concionatoris in publica concione apophthegma de quodam Principe pulcherrimum, qui quum Sacerdotem, quem ſibi Cõfeſſarium cupiebat deligere, quęreret, aiebat illum ea conditione præditum velle, non qui timeret Principem, ſed qui Principi timorem incuteret. O aureum dictum, non quouis tantùm Principe, ſed Principum quoque ſapientiſſimo Salomone digniſſimum? Qui Confeſſarij munere rite fungi vult, neceſſe omnino eſt, ne quenquam, aut vllam ſuorum, vel ſuarum Pœnitentium metuat, nec vereatur vllum, vllámue, vbi officij proprij faciendi articulus, & conſcientia vrget, amittere, vel dimittere. Quo virili animo imbutus Confeſſarius, humana ſpernens, faciem hominum formidare neſcius, Deique gloriam, & animarum bonum dumtaxat ſpectãns, pœnitentes, quæ monendæ ſunt, liberè monebit, à via perditionis reuocabit, lethiferi ornatus luxum deponere iubebit, opportunis remedijs imbecillas curabit. At vbi ipſe in metu eſt, ne detectâ veritate, & paternâ monitione adhibitâ Pœnitentes alienet, atq; hæ alium ſibi Confeſſarium adoptent; in magno ſanè damnationis æternæ periculo tam Confeſſarius ipſe, quàm Pœnitentes verſantur. Nam huiuſmodi Confeſſarius ingẽti diſcrimini ſemper obiectus eſt, ne huiuſmodi anxio timore, qui totus ex aliqua caducæ rei cupiditate, quæſtuque naſcitur, fallente, excæcante, illaqueante, veritatem, quum aperire debet, ſupprimat; occaſionibus proximis interdicere negligat; opinionibus, quæ verè probabiles non ſunt, nitatur; non ſalutem Pœnitentium, ſed propria lucra, & commoda ſectetur; atque ita propriam conſcientiam illaqueet; quumq; ſub mortali admonere tenetur, ignauè diſſimulet; atque ita animam ſuam ipſemet perdat, vnaque plurimas aliorum, atq; aliarum, quibus dux ad ſalutem eſſe debuerat, contra autem ipſe iiſdem ruinæ ac præcipitij factus eſt auctor; toties ideo iure perdendus, atq; damnãdus ipſe, quoties mortifera ſua adulatione, tergiuerſatione, ludificatione vnum, vel vnam e ſuis Pœnitentibus perditionis, ac damnationis viam ingredi, & currere permiſit, nec ſeriò prohibuit.

Nec metuere debent, ne ita à Pœnitẽtibꝰ deſerãtur.

Alioqui in periculo dãnationis vnà cũ ipſis verſantur.

VII. *Vt Sancti Bernardinꝰ etiam, & Sanctus Carolus teſtantur.* Non auderem ego profectò tam confidenter hac de re mea animi ſenſa depromere, niſi priùs S. Bernardinum Senenſem *Tom. 1. de Chriſtiana Religione, Serm. 44. art. 1. cap. 1.* diſtinctè, & articulatè hoc pacto vociferantem legiſſem: *O infelix ſtultitia mundanorum! o cæca amentia vanitatum? o inconſiderata dementia propter hoc pereuntium animarum! Inter quas vtinã, vtinam, & iterum vtinam plerique non ſint participes, Confeſſores, & alij ignoranter, vel carnaliter conſulentes, & prædicantes; non intelligentes, nec aliqui eorum intelligere volentes, quæ intelligunt Doctores de mulierum ornatu, iocalibus, atq; veſtitu; quum dicunt,*

quòd licet mulieri ſe ornare, vt placeat viro ſuo, quod licèt verum ſit, tamen *tanquam imprudentes non conſiderant, nec rectè ponderant prædicta tria*, ob quę ſcilicet peccant mortaliter. *De talibus Dominus Matth. 15. ait*: Cæci ſunt, & duces Cæcorum. Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Rurſum idem Sanctus *ſerm. 45. art. 2. cap. 3.* eâdem diuini ſpiritus libertate: *Diabolus*, inquit, *per vnam* (nempe feminam vanè ornatam) *cum vanitatum reti quaſi totam ad ſe ciuitatem trahit, ſicut de eo Iob. 40. Scriptum eſt*: Abſorbebit fluuium, & non mirabitur: habet enim fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius. *Fluuius a fluendo dictus denotat fluidas mulieres, quas Diabolus tunc abſorbet, quando vna poſt alteram per vanitates in Diaboli guttur ruit. Iordanis autem riuus iudicij interpretatur: & Confeſſores, & Prædicatores manifeſtè demonſtrat, qui riui luminoſi, & glorioſi iudicij eſſe debent, vt mentes carnales rationibus luminoſis refrigerent ab æſtiuo calore carnalium vanitatum. Sed heu! quia quum abſorbeat fluium, iam in pleriſque fiduciam tenet, qui non ſolida veritate, ſed tenebroſa carnalitate communem conſuetudinem excuſabilem putant, quæ eſt abuſio manifeſta.* Eodem quoque ſpiritu cæleſti refertus S. Carolus, in ſuis ad Confeſſarios Monitis disertè pronuntiat, ornamento-» rum pompam ad ſummum ferè ſuo » tempore excreuiſſe, ac magna ex par-» te præ Confeſſariorum incuria, & cul-» pa, qui inconſideratè planè, & fortè » nulla peccati religione Pœnitentibus » iniecta, eos abſoluunt.

VIII. Et Federicus Borromæus cõfirmat. Verùm Federicus Borromæus Cardinalis, atque Archiepiſcopus Mediolanenſis, inſignium virtutum, & doctrinarum ſplendore clariſſimus, ſanctiq; Caroli patruelis, & ſucceſſor digniſſimus, inter reliqua argumenta, quæ ſuis, in Sermonibus ſacris Hetruſcâ linguâ habitis, nuperque in lucem editis egregiè verſauit, ex deſtinato etiã facilitatem abſolnendi nonnullis Confeſſarijs vſitatam *tom. 3. ſerm. 3. ad Confeſſarios pag. 96.* ita delineat, ac reprehendit, vt ego eum latinè loquẽtem cunctis germanæ fide nunc facio. „ Amant iſti ſummopere excipere mul-„ torum Confeſſiones, atque hoc in „ munere complures alios ſuperare: ijſ-„ que placent ſupra modum conſpicui „ illi homines, qui & ſanguinis nobi-„ litate, & diuitiarum copiâ valde exi-„ mij ſunt, vſque adeo, vt tales ſtudioſè „ quærantur, immodicoq; affectu pren-„ ſentur, quo plures alliciantur; omneſ-„ que certatim ſatagunt, gratiâ, & bene-„ uolentiâ Pœnitẽtium alterum vincere. „ & paulò poſt. Abeſt longè ab hac Vr-„ be quidam Confeſſarius, iam a multis „ annis arctâ amicitiâ cum nonnullis „ nobilibus, ac diuitibus cõiunctus; atq; „ ex blandimentis, liberalique benefi-„ centia, quam iſti erga ipſum in quacũ-„ que eius neceſſitate etiamnum oſten-„ dunt, ſatis intelligitur, illum eſſe ijſdem „ perſamiliarem, & valde carum. Vn-„ de ex huiuſmodi amicitia, quum illi „ ex illuſtri proſapia ſint, opibuſque ſu-„ pra cunctos alios circumfluant, ad eũ „ pariter & honor, & auctoritas, & ma-„ gna apud ſingulos exiſtimatio redit; „ prætereaque non exigua commoda, „ atque vtilitates, tum eius, tum amico-„ rum, tum conſanguineorum nomine „ ſolent in ipſum ſubinde redundare. „ Iam obſecro vos, auſcultate. Si talis „ Confeſſarius, quem hîc exempli gratia „ commemorauimus, abſolueret aliquẽ „ horum nobilium ijs culpis, quibus iu-„ ſtè nequit eum abſoluere, quam vos „ huiuſce rei cauſſam fuiſſe diceretis? „ Sin autem alijs, qui pauperes, & extra-„ nei, atque ab humanis fauoribus de-„ ſerti forent, idem ille ſeuerum planè, „ rigidum, atque implacabilem ſe præ-„ beret

» beret; quo ex fonte tam diuerſos mo-
» res, tam varia conſilia, aduerſaſque
» voluntates manare cenſeretis? Vobis
» nunc, o Confeſſarij, hac de re ſtatuen-
» dum eſt, & ego ſine alia indagine ve-
» ſtro iudicio ſubſcribere paratus ſum.
» O artem periculoſam, ac fraudulentã,
» qua non inimici, vel alienigenæ, ſed ca-
» riores offenduntur, grauique damno,
» afficiuntur, eiuſdemque cauſsâ Confeſ-
» ſarius primus omnium maiora ſua bo-
» na amittit, & ea ipſa quoque; quæ ſibi
» eo pacto comparare arbitrabatur. Ip-
» ſe ſuæ propriæ animæ, nec non miſeri
» Pœnitentis, quem in flagitio ſinit per-
» ſiſtere, iacturam facit: amicitiâ quoq;,
» & amore eiuſdem orbatur; ſiquidem
» ipſe pro ſcelerato homine tandem ha-
» betur: exiſtimatio etiam, ac veneratio
» Ordinis Sacerdotalis, vel Religioſi ſta-
» tus valde imminuitur; denumque lu-
» crum omne, omneque commodum,
» Deo ita volente, breui perit, miſerque
» Confeſſarius ſolus cum ſuo peccato re-
» manet. Operę pretium videtur hanc
» ad rem hîc referre, quod in magna Ita-
» liæ vrbe nobiliſſimo viro non ita pri-
» dem accidit, cuius nomen, quoniam
» nonnulli ipſius affines adhuc ſuperſti-
» tes de ſummo loco viuunt, prætertire
» debeo. Dynaſta quidã magnus Nea-
» poli magnanimus, militaribuſque faci-
» noribus inclytus, vt ex viro fide digno
» cognoui, fuit, qui Confeſſarium egre-
» gium, a quo expiaretur, ad ſe vocari
» iuſſit. At ſapiens Sacerdos, expenſo
» partitè infelici ſtatu, in quo ſceleſtus
» ille tum verſabatur, ſecum ſtatuit non
» poſſe eũ vlla ratione illo tẽporis arti-
» culo abſolui. Qua de re quum copioſè
» cũ illo diſceptaſſet, quò ipſũ veritatis
» compotem faceret, eique ſuorum de-
» lictorum grauitatem oſtenderet; deni-
» que ipſi vale dicto ab eo diſceſſit. Per-
» turbatus animo Dynaſta non parum,
» ruboreque, & pudore ſuffuſus, varia,

ſecum animo reputans, quid conſilij »
iniret, ignorabat. Elapſis deinde ali- »
quot diebus, ægrè admodum id ferens, »
rurſum cogitationem culparum eluẽ- »
darum ſuſcepit; præcepitque, vt alius »
Sacerdos acciretur, cui quum eadem »
flagitia, ac priori, aperuiſſet, illicò vo- »
tis potitus eſt, nullaque interpoſitã »
morâ, & ſine multa diſquiſitione ab ip- »
ſo abſolutus, læto vultu eſt. Quamo- »
brem Dynaſta, qui rationis, ac pruden- »
tiæ expers omnino non erat, neque »
mentis oculos ex toto perdiderat, ſed »
ſuopte ingenio improbum, in quo hæ- »
rebat, ſtatum probè agnoſcebat, ſeque »
abſolutione verè indignum ſciebat, in- »
ſolito ſtupore defixus eſt, ſtatimque, »
nullá editá voce, marſupium prompſit, »
ex eoque viginti aureos extrahens, in »
Sacerdotis manibus poſuit, eique di- »
xit. Hanc pecuniam reconde, Pater, »
vt tui, meiq; gratiâ inſumatur in iter, »
quod ambo ſimul ad Diaboli Orcum »
faciemus: atque ita a Confeſſarij pedi- »
bus, iræ, ſtomachique plenus, faceſſens, »
abijt. Poſtea ad priſtinum, a quo re- »
iectus, ac reprehenſus fuerat, reuerſus, »
pijs ſuſpirijs coram eo ſua defleuit pec- »
cata; diligenterque ea confeſſus, perac- »
taque, quam prius præſtare debebat, »
pœnitentia, legitimè eſt abſolutus. O »
Confeſſarium infortunatum, qui tuam »
& Pœnitentis animam, & alterius be- »
neuolentiam, honoremque vno iactu »
perdidiſti, nihilque, niſi crimen lucra- »
tus es. Inferorum viaticum quæſtus »
Confeſſionum meritò ſunt appellandi; »
quoniam prouentus ſunt perſæpe ex- »
preſſi ex animabus pretioſis Diabolo »
venditis. *Haceldema, hoc eſt, ager ſan* »
guinis ſunt huiuſmodi pecunię; & ſi ego »
plus poſſem dicere, plus dicerem. Hac- »
tenus eminentiſſimus purpurâ, ſapien-
tiâ, ac virtute Cardinalis Federicus.
Vnde dilucet, palmari omnino exem-
plo, quanto in periculo damnationis

æternæ Confeſſarius, & Pœnitens, vt ſupra tetigi, iaceant, quoties ille aliqua cupiditate cæcatus veritatem huic detegere non audet, quam alioqui tutâ conſcientiâ diſſimulare non poteſt; quemadmodum vel ipſimet Pœnitentes, etſi etiam improbi, perperam abſoluti, ſubinde animaduertunt, ac ſtomachantur.

IX. *Altero etiam exēplo.*

Paris conditionis, nobilis quædam matrona, vt narrat idem Cardinalis *ibid. ſerm.* 4. *pag.* 102. in celebri Italię vrbe fuit, ſed diſparem planè Confeſſarium nacta, quæ præ nimia familiaritate cum Dynaſta quodam non minoris dignitatis, quàm ipſa, bonam ſuam famam, honoremque perditum ibat; eoq; familiaritas vſq; progreſſa inter eos eſt, vt carnis flagitium fecerint, quæ deinde retenta, atq; in dies aucta Confeſſarium adegit, vt eam dimiſerit, atque a Confeſſione repulerit. Id valde durum, & graue ducens mulier, de hoc valde expoſtulauit; ipſumque allocuta, multa ei dixit, multaſque rationes pro ſe illi explicauit, quibus cunctis prudens Confeſſarius ſollerter reſpondit, tandemque præciſè ipſi denuntiauit, ſe nullo modo ei peccata relaxaturum, niſi priùs ipſa delinquendi occaſiones amoueret. De quo immodicè conquerens, inquit: Pater, quoniam me non recipis, faceſſam hinc: at certum habe, mihi obfirmatum animo fuiſſe, hoc veſtrũ templum, argenteum aureumque totum facere; quocirca alibi ego recipiar. Tum Sacerdos corrugatâ facie ſanctæque indignationis plenus, ipſam reiecit, ſic aiens: Mulier nequam, de te meritò dici poteſt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; & cum dicto ex ipſo ſacræ Confeſſionis ſubſellio ſe proripiens ſine vlla mora, nulloque verbo addito abſceſſit. O beata clauſtra, ſi multos huiuſmodi Religioſos viros numerarent? o beatos populos, ſi a talibus Paſtoribus ſemper gubernarentur! Hæc Cardinalis Borromęus.

Act. 8.

At ex S. Chryſoſtomo ſupra §. 6. *num.* 71. relato conſtat, longè deteriorem, ac nequiorem eſſe luxuriantem ornatum publicè geſtatum cum exitio multorum, quàm priuatam fornicationem domi commiſſam.

X. *Confeſſarij ad ornatu immodico animaduertere debeāt.*

Quamobrem vt Confeſſarij omnes ſuo muneri non deſint, atq; ad immoderati ornatus, præſertim mulierum, corruptelas exſtirpandas ſanctè conſpirent, operæ pretium in primis eſt, vt diligenter animaduertant, num ornatus ſuperfluus ſit ad malum vehemēter prouocatiuus, ac proinde mortalis, vt hactenus demonſtraui. Deinde intueri debent tria illa ſpecula triplicis temporis, præteriti, præſentis, & futuri, quæ S. Bernardinus *ſerm.* 44. *art.* 1. *cap.* 1. citato proponit. In primo videant *peccator vanus, Confeſſor fidus, & Prædicator verus*, num *talia indumenta, & pretioſi ornatus ſint de illicitè acquiſitis, & de ſanguine pauperum, atque per malos contractus, rapinas, vſuras, furta, ſimonias, & conſilia mala*. Talis veſtis eſt veſtis illa leproſa, quæ *Leuit.* 13. cremari iubetur; talis, *veſtimentum miſtum ſanguine*, quod Iſaia teſte *cap.* 9. *erit in combuſtionem, & cibus ignis*; talis, de qua accommodatè Ieremias *cap.* 2. *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum*. In ſecundo ſpeculo præſentis temporis cernant, num talia ornamenta ſtatui perſonæ, quæ illis vtitur, congruant. Nec dicat quis, hæc ſuo a ſtatu requiri, *ſi de impiè acquiſitis factus eſt diues, & potens. nam talis non ſtatus, ſed potiùs caſus dicendus eſt*. in quem illud Prophetæ *pſal.* 51. aptè quadrat: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate?* In tertio ſpeculo futuri

Ne ſit de rapinis comparat⁹, nec de ſāguine pauperum.

futuri temporis contemplentur, *ad quæ mala lucra tam pretioſa ornamenta, & veſtes inducant. Imò* verò *quaſi neceſſariò cogunt talia facientes, ferentes, atque tenentes*, quia abyſſus abyſſum inuocat, vt *Pſalm.* 41. teſtatur. Nimirum *abyſſus malarum expenſarum inuocat abyſſum malorum lucrorum*.

XI. *Cordi habeāt monita S. Caroli.* Expendat etiam prudens Confeſſarius, quæ S. Carolus in ſæpius laudato libello Monitorum inter lethifera delicta, immodici ornatus gratiâ commiſſa, recenſet, atque a Confeſſarijs accuratè notanda hiſce verbis ex Italico idiomate fideliter redditis ſapiēter monet. Quando igitur pompâ veſtium vtuntur, vel ſeſe ornant ex fine peccati mortalis, mortaliter peccant. Vel quando ob ſimilia ornamenta violant, vel in cauſſa ſunt, vt alij violent aliquod præceptum Dei, vel Eccleſiæ, v. g. ſeruilia opera die feſto exercendo, vel curando ab alijs exerceri; vel negligendo Sacrum, aut ad negligendum inducendo aliquem, vt ſe exornet; aut alliciendo maritum, vel alios, ad quos ſpectat feminam alere, plus, quàm ferant vires redditÜum, aut lucrorum, expendant; vnde ſciat, vel rationabiliter intelligat, vel probabiliter dubitet; hinc naſci odia, & diſſidia domeſtica; maritum, vel alios in blaſphemias erumpere; iniuſtum quæſtum facere; contractus illicitos inire; omittere culpabiliter eleemoſynas aliàs debitas; vel non ſatisfacere legatis pijs, aut alijs debitis, ad quæ obligantur; vel retinere, aut differre mercedem operarijs debitā, aut nouum æs alienum contrahere, quod ſuò tēpore diſſoluere nequeant; vnde graue damnum in proximum redundet; parentes collocare non poſſint in matrimonio filias, quando ſunt nubiles; quod grauia incommoda plerumque parit; vel oriantur, vel exoritura alia ſimilia delicta putentur, quæ ex ſuperfluo ornatu communiter manare compertum eſt. In quibus caſibus adhibere talem ornatum ſuperfluum, crimen lethale eſt. Et quia ferè impoſſibile eſt, vbi aliquis, vel aliqua plus impenſarum in ornatum, quàm ipſius facultas, vel res familiaris patitur, facit; ab huiuſmodi perſona non cognoſci, aut non animaduerti ſimilia peccata hinc proficiſci: ideo vniuerſè propè exiſtimari meritò poteſt, tales perſonas in peccato mortali degere, niſi ex diligenti examine præmiſſo aliter ex ſingulari aliqua cauſſa Confeſſario perſpicuè conſtabit. Hæc Diuus Carolus.

XII. *Ne abſoluant mortifero ornatu pertinaciter vtentes.* Quæ quum ita ſe habeant, vbi Confeſſarius clarè perſpicit Pœnitentem præ immodico ornatu mortaliter delinquere; niſi hæc a tali crimine abſtinere proponat, abſolutionem ei deneget, vt ſic interni Iudicis arbitrium ſequatur, 11. *q.* 3. *tunc vera, de pœnit. diſt.* 5. *Falſas*. Sin autem venialem tantùm culpam videt, etiamſi in hac illa pertinax ſit, nihilominùs eam abſoluat, quū venialia non ſint materia neceſſaria Confeſſionis. *In dubio autem de mortali cautè agant.* Si verò nō poteſt clarè percipere, vtrū ſit mortale, vel veniale, ſeu ex intentione ipſius, ſeu ex qualitate, & quantitate ipſius ornatus; non videtur tunc præcipitanda ſententia, vt idcirco pœnitentem nolit abſoluere, aut de mortali ei ſcrupulum inijciat. Nam tum, etſi fortè id non foret mortale, tamen oppoſitum agendo, mortale vtique contraheret: omne enim, quod eſt contra conſcientiam, ædificat ad Gehennam, 28. *q.* 1. §. *Ex his*. Et quum promptiora ſint iura ad abſoluendum, quàm ad ligandum, *diſt.* 55. *ponderet*, & melius ſit, Domino reddere rationem de nimia miſericordia, quàm de nimia ſeueritate, vt dicit Chryſoſtomus 26.

q. 7. *alligant*; potiùs videtur abſoluendum, & diuino examini dimittendum. Ita ſentiunt, ac ſapientiſſimè docent totidem ferè verbis S. Antoninus *par. 2. tit. 4. cap. 5. §. 8. verſic. ex prædictis.* Syluester *Verbo, Ornatus, quæſt. 9.* Baptiſta de Salis *in Summa, Verbo eodem, verſ. ex prædictis igitur.* Iacobus de Graſſis *lib. 2. Deciſion. aurear. cap. 76. num. 9.* Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 4. dub. 14. num. 114. verſ. Ex his patet.* Nauarrus *in Manuali cap. 23. num. 21.* & alij paſſim. Cautiùs tamen ageret Confeſſarius, ſubdit *ibidem* Nauarrus, ſi priùs vel per, ſe vel per alios decideret, an ſit mortale, necne; & poſtea impartiretur, vel negaret abſolutionem, quia Iudex peccat, qui ante, quàm animi dubietatem deponit, iudicat, & abſoluit.

XIII. *Confeſſarius nō tenetur explicitè iudicare de quouis peccato, an ſit mortale.* Verùm hæc cautio ex obligatione adhibita per talem rationē diſplicet, & communiter a Doctorib⁹ reijcitur, qui negant Confeſſarium teneri explicitè iudicare de quolibet peccato in Confeſſione, an ſit mortale, aut veniale, vt oſtendunt Suarez, Silueſter, Vaſquez, Reginaldus citati, & laudati a Bonacina *de Sacramentis diſp. 5. q. 7. pun. 4. §. 2. num. 12.* & recentiùs probat quoque Cardinalis de Lugo *de Pœnit. diſp. 21. ſect. 4. num. 70.* & 71. Rectiùs verò monet inibi Nauarrus, vt Confeſſarius Pœnitenti perſuadeat ante, quàm eum abſoluat, *vt proponat ab eo abſtinere, ſi per viros idoneâ ſcientiâ, & conſcientiâ præditos mortale iudicetur.* Quod pariter tradit Cardinalis de Lugo *num. 71.* citato, addens poſſe abſolui Pœnitentem, ſi promittat a ſe peritum aliquem de dubio tali conſultum iri, ſeque eius iudicio ſtaturum; quibus ego quoque libenter aſſentior.

In dubio cogat ſtare pœnitentē iudicio periti &c.

XIV. *Fucus, & fucatio piculo mertalis delicti obnoxia.* Cæterùm periculum incurrendæ culpæ lethalis in cultu a fucis, ac vultus quæſitis adulterijs, atque ornamentis potiſſimè imminet, quod propterea a Confeſſarijs & ſedulò notandum, & acriter improbandum, ac deteſtandum eſt. Nam etſi fucus, & fucatio venialem culpam ſæpe non excedat, quumq; naturâ ſuâ ſit res indifferens, fieri etiam poſſit, vt culpâ omni, etiam leui aliquando careat, vt ſupra *cap. 3.* ex Leſſio tradidi; nihilominùs, quum faciei ornamenta ſint omnium maximè noxia caſtitati, vt ſupra in hoc *cap. 7. §. 2. num. 24.* animaduerti; periculum ſanè permagnum eſt, ne reliquo ornatui ſuperfluo addita notabilem prouocationem ad laſciuiam conflet, adeoque delicti mortalis reas illas, quæ ipſis abſque ſufficiente excuſatione vtuntur, reddant, vt ex dictis liquet. Certum quippe ex diſceptatis eſt, dari notabilem prouocationem libidinis ex valde immodico mulierum ornatu, etiamſi neque pudenda, neque vbera, neque pectus detegant, aut tenui dumtaxat velo & tranſlucido minimè hæc obducant; ſed alijs cultus illecebris proximam grauis ruinæ occaſionem proximo præbeant. At fuci, & cætera faciei pigmenta ad laſciuiam omnium maximè ex cunctis ornamentis (impudicis, & ſimilibus exceptis) laceſſunt. Ergo periculum permagnum omnino eſt, ne talia faciei pigmenta, artificioſæque illecebræ reliquo cultui immodico adiuncta, notabilem prouocationem ad laſciuiam procreent, culpaque mortali ipſis vtentes obſtringant.

XV. *Præ quo a Patribus dānatur.* Vnde mirum non eſt, fucos, & fucationem tam vehementer, ac ſeuerè à Patribus exagitari, vt a Tertulliano, a Cypriano, a Nazianzeno, a Petro Eremita, quos ſupra *cap. 2. num. 8. 9. 10. & 12* retuli, a Cryſoſtomo, & ab alijs, quos ſupra etiam *cap. 6. num. 17.*

17. 18. 19. 20. nec non *cap. 8. num. 4.* adduxi. Nam quamuis huiuſmodi fucos tanquam diuino opificio iniurios illi carpant peracerbè, ac meritò, identidem tamen attingunt, vitioque vertunt etiam graue periculum ruinæ ſpiritualis, quod alijs afferunt. Diſertè S. Chryſoſtomus (vt reliquos omittam) *An verò velut excellentior opifex diuinum opificium corrigere impia moliris audacia? atque ad auctoris iniuriam ornaris, vt poſtea greges iuuenum trahas?* Et ideo ob tale periculum notabilis prouocationis ad luxuriam ſimiles fuci ſunt valde reprehendendi, operoſeque coercendi.

Nicolai Cauſsini in ornamentorum luxum grauis, & legitima cenſura. Cap. X.

I. *Luxus ornamẽtorũ ẽt noſtro æuo graſſatur.* NON de nihilo vereor, ne quis feminarum patronus, quæ in earum immoderatum ornatum a me hactenus deprompta ſũt, ſeueriùs planè, atque inclementiùs, quàm vt in noſtræ tempeſtatis corruptelas minùs flagitioſas aptè quadrare poſſint, diſceptata, ac conſtituta ſecum reputet, mihique ſimul tacitè exprobret. Itane verò noſtræ tempeſtatis mores innocentiores, tam graues noxas, ac alijs ſeculis alij, minimè nocent, neque tantam inſaniam, vt tam inhoneſtis ſtigmatis inurenda iure videatur, inſaniunt? Vtinam tam infeſta peſtilitas noſtra tempora non inficeret, neque intorta a Doctoribus fulmina in muliebrem noſtri æui luxum caderent. At non adeo dexterè, feliciterque nobiſcũ agitur, vt minùs ille effrenatè modò graſſetur, aut alicuius moderationis patientem ſeſe præbeat. Nicolaum Cauſſinum teſtem locupletiſſimum appello, qui, quàm fœdè noſtrâ quoq; ætate huiuſmodi contagio Chriſtianã feminarum modeſtiam depopuletur, penituſque corrumpat, Gallicâ facundiâ Latinè a me redditâ meritiſſimò, nec ſine indignatione, ita depingit, in *Aula ſancta, lib. 2. obſtaculo 10.*

II. *Mulieres perditè affectãt luxuriantem ornatum.* Quod ad veſtium luxum attinet, nulla verba ſufficiunt, adeo redundantia ſine modo eſt, tamque altas moribus radices egit, vt quum remedij planè expers euaſerit, fruſtra ſemper de eo diſſeratur. In hoc mulieres omnẽ feminei ſexus vanitatem, omnem ſuã induſtriam in propria damna ingenioſam, omnem naturæ faſtum, quæ nonniſi ambitioſa valde, vt ait Tertullianus, eſt, Totã circumferunt mulieritatẽ, deſigunt. Non loquor de illis, quę modeſtè ſe comunt officij gratiã, & quaſi decoris neceſſitudine: ſed infelices illas vanitatis victimas ego deſigno, quę curas omnes ſeipſis præter proprij ſtatus conditionem exornandis, ſæpe prauo conſilio, ac frequenter ex pauperum exuuijs, impendunt. Hypocriſis laruæ, quæ in hac vita nullo alio negotio, quàm ſimulandi diſtinentur, neque aliud expetunt, quàm vt, quod minimè ſunt, videantur. Nam verè qui cunctas earum reculas, apinaſque ſimul coactas ſpectaret, vrbis alicuius ſpolia intueri ſibi videretur; mirumq; eſt, quî paruulum, ac plerumque ferè tabidum corpus tantam molem geſtare queat. Incedunt ornatæ, inquit Scriptura, templorum inſtar, ſuntque reipſa illis Ægypti templis, quæ vel felem, vel murem conopæis aureis operiebant, perſimiles. Exprimere ex elementis ſudorem, totamque delaſſare naturam, vt nuditas, quæ nonniſi peccati cicatrix eſt, tegatur, an non error eſt, qui apud Deum nullam habebit excuſationem? Phaleris exornare fimetum, quod breui efferendũ ad tumulum eſt, perinde, ac ſi altari *Magna non minùs inſania, quàm puerſitate.*

» imponendum eſſet, an non ludificatio
» maxima? Ah? Infelices, quid vermiũ
» intereſt, qui veſtra rodent corpora, ve-
» ſtros crines diuerſis modis diſponi, ve-
» ſtra ſupercilia glabrari, oculos compo-
» ni, genas cinnabari purpuraſcere, ve-
» ſtrumque fœtorem olere moſchum?
» aut veſtra indumenta multis pli-
» caturis fartas, vnionibus, lapillis
» pretioſis, torquibus onerata, quæ nul-
» li ſunt vſui, niſi incauto amaſio aucu-
» pando. Hæc tamen haud conſectami-
» ni, ipſorum pulchritudine ductæ, ſed
» ſola opinione, quia quum ea alteri ſup-
» petant, habenda ſunt. Si quis vobis
» inaurem garriret, ſtercus, vel adipem
» Cocodrilli pelli dealbandæ eſſe aptũ,
» in Ægyptum vtriuſq; adipiſcendi gra-
» tiâ penetrandum eſſet: ſi adderet, duos
» lapides ex Inſulis Moluchis eleganter
» de veſtris auribus ſuſpendendos, quos
» iam aliqua haberet, mors potiùs vltro
» occupanda foret, quàm ijs carendum.

III. Cum iniuria Numinis pauperúmque.

» Animaduertitis, quàm rationi om-
» ni huiuſmodi luxuria repugnet. Quin
» aio quoque, crudeliter eſſe iniurioſam
» Deo, eiuſque Eccleſiæ. Quodnam
» cor ſaxeum non frangeretur, vel quis
» oculus gelu concretus in lacrymas nõ
» ſolueretur, harum deliciarum incom-
» moda reputando? Qualis commiſe-
» ratio, fando accipere, tres Chriſtiani
» orbis partes felle, & lacrymis vitam
» ærumnoſam, egentem, deſertam, ſan-
» guine, & expilationibus coopertam
» exigere; dum reliqua genio indulgens,
» adeo ſeſe ingurgitat, vt diſrumpatur;
» & dedignata in terram ſpuere, ſua ipſa
» excrementa auro innatare vult, veſtiũ
» perpetuò nitentium pompâ ac molli-
» tie ſuperbiens? *Væ qui opulenti eſtis*
» *in Sion, & confiditis in monte Sama-* *Amos 6.*
» *riæ: Optimates, capita populorum, in-*
» *gredientes pompaticè domum Iſrael, bi-*
» *bentes vinum in phialis, & optimo vn-*
» *guento delibuti, & nihil patiebantur*
ſuper contritione Ioſeph. »

Scio ventrem auribus orbatum eſſe » *IV. Deo idcirco inexcuſabiles.*
ſed neſcio, quo ſe ore in Dei iudicio »
tueri poterunt, quando inopum per »
vicos, & plateas ærumnis confectorum »
fames coram formidabilis Iudicis tri- »
bunali eos accuſabit. Scio hos cincin- »
natos ſolis verbis abundare, ſed diui- »
nare nequeo, quid Dei quæſtioni ſint »
reſponſuri, quando Angeli ipſorum »
veſtimenta torquentes, cruorem inde »
exprimẽt, ac illa Ieremiæ vatis hor- »
renda verba ingeminabunt. *In alis* » *Iere. 8.*
tuis inuentus eſt ſanguis pauperum. En »
ſanguis, & vita pauperum in plicatu- »
ris tuorum indumentorum. Iam dum »
vitam in huiuſmodi delicijs tam ſpiſſæ »
fulgurantium maledictorum nubi ob- »
noxijs ducitis, vobiſcum perpendite, »
qualis ſit veſtræ Catholicæ religionis »
forma, & quæ vobis futuræ vitæ ſpes »
ſupereſſe queat. »

Si Deus tamen, quem adoratis, ro- » *V. Et Chriſto ſpineis ſertis redimito, cuius paſſioni, ornatus nimius ludibrio eſt.*
ſis, aut margaritis redimitus foret, id »
minùs inſolens videri poſſet: ſed coti- »
die proſternentes vos ad pedes Chri- »
ſti in crucem acti clauis, & ſpinis con- »
fixi, ſimulque in luxu, in copia, in »
carne, quæ præ mollitie extabeſcit, »
degentes; quomodo crudelitatem non »
agnoſcitis? Primæuæ Eccleſiæ Chri- »
ſtiani memoriâ repetentes ſpinas a »
ſuo magiſtro geſtatas, religioni habe- »
bant, flores ferre, vt mos conuiuio- »
rum eo ſeculo obtinebat. Et Clemens »
Alexandrinus cenſet, huiuſmodi deli- » *Clem. Alexãdrin. l. 3. Pæd. cap. 2.*
ciarum procurationem compertam »
eſſe, ac manifeſtam venerabilis Paſſio- »
nis Filij Dei irriſionem. Quibus vos »
oculis Chriſtum patibulatum, Cruciq;
ſuffixum contemplari poteſtis, ſangui-
ne, ac vulneribus ſordidatum; ratum
ſtabileque conſilium ineuntes geſtan-
di flores, adamantes, pyropoſque, non
ſemel, ſed totius vitæ veſtræ, ſi facul-
tas vobis ſit, decurſu, tum æuum inter

carnis

„ carnis delicias omnino agentes?

VI Neque excuſari poteſt, q. noſtrã diſſimilis exẽplo veterum Chriſtianorũ, ac Martyrum ſit.

„ Quo pacto hæc morum inſtitutio excuſari poſſet? Quibus ex teſſeris Chriſtianos vos altero in Orbe internoſci cupitis? Chriſtianorum ornamentum proprium, ac germanum patientia eſt. Ac ſtrenui ſanè illi duces, qui nos ſuo ſanguine Eccleſiæ pepererunt, meritò inſignis loco manum, quæ igne, & ſanguine montes ſecabat, cum hac epigraphe: *Virtuti nihil inuium*, vſurpare poterant. Tum quia præclari illi anteſignani inter caritatis fulgores vndiq; coruſcantes, Chriſtianas palmas inter diſcrimina, vim piam cælo inferentes, erigebant. Cernebantur homines tot cruciamentis abſumi, quot ſupplicia perferebant, pluraque ſupplicia tolerare, quàm membra numerabant. Eorum corpora candentibus forcipibus, rotiſque nouacularum acie rigentibus proſciſſa in fruſta diſſiliebant, frequenterque ea auulſa fruſta a Fidelibus excepta ſepeliebantur, quum ipſi adhuc ſuis funeribus ſuperſtites durabant. *Remorabantur in luce detenti, quorum membris pleni erant tumuli.*

S. Zeno de S. Archadio.

Atque in eo ſtatu per inuias rupes in Cælum ſcandebant, plura vulnera, quàm membra, illuc inferentes. Quid ad hoc reſpondetis filij Sanctorum? Parentes veſtri, vt Paradiſo potirentur, ſolitudines peragrarunt; per iuga montium errantes, in Terræ antris habitantes, pellibus caprinis induti, cameli tegumentis amicti: vos verò in præſens nulla alia ſolicitudo angit, quàm luxuriantium veſtium. Neq; mihi iam verba detis, ingruente inſectationis diſcrimine, fideles Deo vos fore; nam illud ego Tertulliani commodè reponam: *Timeo ceruicem, ne margaritarum, & ſmaragdorum laqueis occupata locum ſpathæ non det.*

De cultu feminarum c. 13.

Femi- „ Filij Sanctorum, veſtri aui tot eſuriales ferias ſolemnes, humi cubantes, radicibus veſcentes, frugaliter admodum viuentes, traduxerunt; & iam vel minimo ieiunio exanimamini. Quid vos conquerimini? quòd adhuc in ſaccharo natatis? Et ideo nimis ægrè Eccleſiæ fieri poteſt ſatis? mentitis nominibus mille exemptiones extorquendæ ſunt. Vos ieiunium tolerare minimè poteſtis. Vos non poteſtis, quod nunquam voluiſtis, ne forſan quidem experiri.

nt delicatæ, tes tenuia.

VII. A Deo non dignoſcentur.

Quis pudor, o filij ſanctorum? Parentes veſtri, ac genitrices veſtræ diuitias, quò Paradiſum lucrarentur, pedibus, quod imitari poſſetis, conculcarunt, vt ex ijs ſcalam in cælum tollerent; vos autem eas capiti imponitis, quò vos in Tartara demergatis. Quò igitur ex ſigno in altero Orbe dignoſci vultis? *Erubeſcite, o miſeri, ſummitatem. aliter vos Deus fecit. Quum cohors veſtra ad Dei iudicantis Tribunal acceſſerit, nibil vobiſcum deferetis, quo Deus, qui vos fecit, agnoſcat.* Par eſſet, vt vos nominis, quo donati eſtis, puderet, veſtri Baptiſmatis, veſtræ profeſſionis, quandoquidem tam miſerè ijs reſpondetis. Deus vos ad alium finem procreauit, aliò cunctos deſtinauit. Vos autem ne veſtigium quidem vllum, ex quo internoſci poſſitis, ampliùs retinetis. Quid agendum?

VIII. Quid agant, vt reſipiſcat, & no in ornatu peccẽt.

Primò inducendum in animum ſeriò eſt, nullum Paradiſum illis, qui, aut quæ in delicijs vitam traducere volunt, hoſtes capitales crucis Filij Dei, patere.

IX.

Secundò, Si claris exorti natalibus gaudetis; ijs fruiminor, ſed hos decoris potiùs neceſſitate, quàm cupiditatis æſtu, fouete. In ijs degite, vt apis ſupra mel, ſatagens, ne alas eo oblinat, quod ſanè procliue admodum non eſt. *Non fruſtra in mellis copia* „ *Augu-*

ſtinus ad Romanos. „ pennas habet apicula; nectit enim hærentem.

X. „ Tertiò, Ne ſumptus inanes ſupra „ veſtræ conditionis vires faciatis. Nam „ quale probrum, intueri cotidie ranunculos taurorum inſtar inflari velle, donec diſſiliant? Mediocritas nuſquam „ poteſt conſiſtere. Quilibet alas vltra „ ſuum nidum vult explicare. Famulitium, menſa, veſtes, dona, cuncta citra modum, adeòque quod hinc profunditur, illinc arripitur: vt magnum „ luxũ alas, magnâ auaritiâ opus omnino eſt, ſi quidem ille ſuſtentari niſi indignis factis rapinis, iniurijs, exactionibus, haud quaquam poteſt, quæ „ oſtium ſaluti penitùs intercludunt.

XI. „ Quartò, ſemper ſignum aliquod „ mortificationis Ieſu Chriſti ſecretò „ ſupra vos gerite, vt iubet Apoſtolus. 2. Corin. 4. „ *Mortificationem Ieſu in corpore veſtro circumferentes*. Incommodũ aliquod „ in veſtitu, in potu, in cibo, in lecto, „ atq; in alijs id genus tolerantes, neq; „ omittite in primis pauperes atq; afflictos inuiſere, & conſolari, idq; vos ſoſpitabit. Hactenus Cauſſinus ſapientiſſimè, vulnera muliebris luxus liberè detegens, ſerioque carpens, nec non appoſitis remedijs ſanare ſtudens.

XII. His ita expeditis, optatam tandem coronidem primæ diſputationi de mulierum ornatu generatim explicatæ lætus impono. Sed num ſolæ mulieres immodico ornamentorum cultu luxuriant? Solæ in hoc genere ineptiunt? Solæ delinquunt? Nihilne viri peccant? an cuncti labis huius immunes? num cuncti innoxij? Scilicet. Rem paucis, ſed dilucidè iam iam enucleo.

Appendicula de virorum ornatu. Cap. XI.

HVcuſque de cultu feminarum abunde egi: nunc de ornatu virorum vno propè verbo diſputationem propono ſimul, atque abſoluo. Omnia, quæ de mulierum ornamentis hactenus tradidi, ratâ quoq; portione virorum ornatui moderato, atq; immoderato, ad laſciuiam leuiter, vel notabiliter prouocanti accommodanda pronuntio, Dionyſioque Carthuſiano ad amuſſim ſubſcribo, qui in Directorio vitæ Nobilium, art. 19. ita egregiè decernit: *Sicut præfatis modis peccant mulieres, & puellæ mortaliter in veſtimentis, & ornamentis ſuperfluis, pretioſis, curioſis, impudicis, & ſcandalizatiuis, ita (& multo plus) viri, ac iuuenes, qui ita ſe ornant, ac veſtiunt, quòd oculos feminarum, ac virginum trahunt in ſe, & corda earum tentant, lædunt, accendunt*. Quod ſanè luculenter quoq; teſtatur S. Baſilius hom. 24. de Legendis libris Gentilium, *Comas*, inquit, *aut veſtes ſuperuacuas curare vel infelicium eſt, vt ait Diogenes, vel iniuſtorum. Nam quid ex talibus expectandum, niſi vt laſciuus ille ornatus feminas prætereuntes inuitet, aut alienis matrimonijs inſidietur.* I. *Quæ dicta de ornatu mulierũ dicta ſunt, eadem & de habitu virorum intelligẽda.* *Qui feminis quoque periculoſus eſt.*

Imò verò etiam Ethnicus poeta Propertius lib. 3. Eleg. 12. mulierum caſtitatem ornamentis virorum maximè labefactari tradit: II. *Vt liquet etiã ex Poeta.*

Et Tyros oſtrinos (inquit) *præbet Cadmea colores,*
Cinnamon, & multi paſtor odoris Arabs.
Hæc etiam clauſas expugnant arma pudicas.
Quæq; terant faſtus, Icariote, tuos.

III. At quid opus teſtibus, quum cotidiana experientia hoc ipſum plus nimio *Et docet experiẽtia.*

mio euincat? Quàm multi enim adoleſcētum, ac iuuenum præ habitus mollitie, luxuq́; , præ capillorū calamiſtris, præ vnguentis, ac ſuffimentis in delicatas planè feminas omnino degenerāt? Res iuſti voluminis foret, ſi plenè eſſet tractanda. Mihi eam ad operis, quod habeo præ manibus, complementum indicaſſe ſat eſt. Vnde, quum viri æmulatione muliebris leuitatis, pellaciumq́; illecebrarum quęſitis illicijs in feminas abeant, quid mirum, ſi delicta eorum inſtar iſtarum metienda ſunt, & quicquid de his antea decretum eſt, de illis pariter decretum intelligendū eſt?

IV. *Quàuis* Quin certè viros ipſos ornamentorum luxus, ac ſtudium multo magis, quàm feminas, dedecet, vt conſtat; ſiquidem, vt ab eorum grauitate magis abhorret, ita ab harum leuitate, genioq́; minùs eſt alienus. Nihilominùs multo magis mulieres, multoq́; intemperantiùs, quàm viri, huiuſmodi morbo cōmuniter laborant; ac propterea veteres Patres ſingularibus libris mulierum cultum præcipuè, ac nominatim vituperant, nec nō Doctores quoque de eodem ſignanter, expreſſeque diſſerunt; de virorum autem cultu articulatè nullum prorſus verbum communiter faciunt. Idcirco ego quoq; horum Paradoxorum titulum ijsdem feminis dumtaxat inſcribendum non immeritò exiſtimaui.

Femina magis, quàm viri, luxu cultus inſaniunt.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA
DE ORNATV MVLIERVM SPECIATIM.

I. Diuiſio diſputationis.

QVanto longior in prima diſputatione, quæ reliquarum cardo eſt, neceſſariò fui, tanto breuior ero in cæteris, vt pote nullo negotio ex præmiſſa diſputatione probandis. Explicatis verò iam, quæ de ornatu muliebri generatim tractanda duxi, accedo ad ea, quæ de eodem ſingillatim enucleanda ſuperſunt, quæramque I. de nuditate muliebris pectoris conſueta. II. de eâdem nuditate inſolita. III. de nuditate inſolita peregrinarum. IV. de nuditate pectoris à nonnullis feminis Mediolani vſurpari cœptâ.

An mulieres, quæ iuxta morem vſitatum regionis nudo incedunt pectore, delinquant, & quàm grauiter.
Cap. I.

II. Pectoris nuditas ſpecies eſt ornatus muliebris.

NVditatem pectoris feminarum, eſſe ſpeciem ornatus muliebris ipſęmet fidem faciunt locupletiſſimã, quæ illam cultus elegantioris gratiâ adhibent, tum Doctores quoque confirmant, qui de ornatu mulierum vniuersè diſſerentes, ſpeciatim deinde de pectoris illarum nuditate, ceu de ornatus certa ſpecie diſceptant. Sed num hæc liceat, vbi vſu recepta eſt, non immeritò dubitari poteſt. De quo

§. *I. Refertur duplex opinio.*

III. Vſitatâ pectoris

DVas ego hac de re ſentẽtias apud Doctores reperio. Prima eſt Caietani 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *verſ. Ad obiectionem autem de ornatu, & manifeſtatione pectoris* vbi talem conſuetudinem negat eſſe lethalem. *Pectus*, inquit, *a mulieribus decoris gratiâ nudum alicubi defertur, ac per hoc ad ornatum reducitur pulchritudinis, quòd etiam ornatus talem habens conditionem, ſcilicet nudati pectoris iuxta patriæ morem, non eſt ſecundùm ſe mortalis.* eiuſdem opinionis eſt Fumus in *Armillâ, verbo, ornatus, num.* 1. §. 4. vbi ait: *Quando habitus eſt indecens, vel minùs honeſtus, vt quando oſtendunt pectus, & huiuſmodi, ſi deſit mala intentio, non videtur mortale.* Sequitur Nauarrus in *Summâ cap.* 23. *num.* 19. vbi ſic habet: *Neq; etiam feminæ mortaliter peccant oſtentantes pectora nuda, quo pulchriores videantur, abſque alia mala intentione mortali*, loquiturque palàm de nuditate conſueta, vt conuincitur ex ijs, quæ mox ſubdit: *Quanquam conſuetudo hæc eiuſmodi eſt*, &c. Graſſius *lib.* 2. *deciſ. aurear. cap.* 76. *num.* 2. *Habitus mulierum minùs caſtus oſtendentium media vbera. Et communiter inducit peccatum veniale.* & infra *num.* 8. *Neq; mortaliter peccant feminæ oſtentantes pectora nuda, quo pulchriores videantur, abſque alia intentione mortali.* Thomas Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 46. *num.* 26. citato Caietano, Armilla, & Nauarro *excuſat a mortali feminam ita indutam, vt pectora nuda appareant.* Filliucius *tract.* 30. *cap.* 10. *num.* 220. §. 3. excuſat pariter a mortali, vbi eſt conſuetudo, quum *apparent in muliere vbera ex toto, pectus totum.* Bonacina *de matrimonio, quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 23. *feminas vtentes veſte tenui ita, vt pectora, & ma-*

Ad muliebris nuditatem lethalē eſſe plerique negant.

& mamillæ ſolùm conſpiciantur, excuſari poſſe teſtatur a mortali, *ſi hoc faciant iuxta conſuetudinem patriæ, & abſq; praua intentione.* Leſſius *lib. 4. de Iuſt. cap. 4 dub. 14. n. 112.* vnà cum Nauarro, Caietano, & Fumo eandem *nudandi pectoris* cõſuetudinem à mortali vindicat. Haud ſecus & Azor *par. 2. lib. 12. cap. 18 q. 13. mulieres oſtendentes nuda pectora, & mamillas* a lethifera culpa liberat, ſi id ab eis *fiat ſecundùm morem patriæ, & abſq; vlla intentione mala.* Deniq; Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 11* §. *6.* & Diana, *par. 5. tract. 7 reſolut. 31. verſ. Non deſinam,* excuſant *feminas vtentes ornatu, quo nuda pectora, & mamillas oſtendunt, ſi fiat hoc ſecundùm morem patriæ, & abſque vlla mala intentione.* At Layman vbera non nominat, nec mamillas, ſed pectora nuda dumtaxat, vel tenuiter tecta, vt infra ex verbis ipſius conſtabit.

Ratio ab hiſce Doctoribus allata eſt, quia nudare pectus, vel mamillas nullâ lege mulieribus prohibetur; pectuſq;, & mamillæ partes honeſtæ cenſētur; neque natura, aut pudor exigit illas abſolutè tegi; neque illæ per ſe ad laſciuiam prouocant. Addit Caietanus *loc. cit.* viros nuditate pectoris muliebris diuerti a maioribus criminibus, & in Summa, verbo, ornatus, *cap. 4. ornatum mulierum monſtrantium media vbera, in remedium, ne peiora fiant, introductum* aſſeuerat.

IV. *At multi alij affirmãt.* Secunda ſententia eſt aliorum, huiuſmodi conſuetudinem mortalis delicti damnantium, quorum verba ipſa fideliter referam. Angelus de Clauaſio in Summa, Verbo, ornatus, num. *3. Continet impudicitiam, quòd mulieres taliter veſtimenta aperiant, quòd pectus, & mamillas oſtendant. Vnde tales non audeo excuſare a mortali, quando notabiliter in hoc excedunt.* Et paulò poſt. *Nec valet, quod ſic eſt conſuetudo, quia corruptela eſt* l. quod non ratione, ff. de leg. *quæ auget potiùs peccatum, c.* fin. de conſuet. Idem ſentire videtur S. Antoninus in Summa, par. 2. tit. 4. cap. 5. §. 3. Verſ. Quantum ad primum, vbi ait: *Si enim de vſu patriæ eſt, vt mulieres deferant veſtes versùs collum ſciſſas, & apertas vſque ad oſtentationem pectoris, & mamillarum, vt in partibus Rheni, valde turpis, & impudicus eſt talis vſus, & ideo non ſeruandus.* Tantundem quoque exiſtimat Nicolaus ab Auſmo in Piſanellę Supplemento, *Verbo, Ornatus, verſ. 3. Ratione inhoneſtatis,* vbi ad *inhoneſtatem apertè pertinere* ſcribit, *quòd ex deformitate habitus viri oſtendant verenda, & mulieres humeros, ſeu pectora:* præmititque ibi impudicitiam, ſeu inhoneſtatem excludere a regno Dei, quod non contingit, niſi ob peccatum mortale. In hanc quoque ſententiam manibus, & pedibus venit Baptiſta Trouamala in *Roſella, Verbo, Ornatus, num.* 13. vbi affirmat a Paulo ad *Galat.* 5. vnum de excludentibus a regno Dei impudicitiam poni, ſubditque continuò: *Directè autem ille ornatus habet inhoneſtatem, quando mulieres taliter veſtimenta portant, quòd pectus, & mamillas totaliter oſtendunt, tales dico peccare mortaliter, quia ſunt occaſio efficax ad ruinam virorum.* Subſcribit quoque manifeſtò Bernardinus de Buſto *par. 2. Roſarij, ſerm. 28. par. 3. lit. I.* vbi eodem modo ex Paulo ad *Gal 5.* refert, *vnum de excludentibus a regno Cælorum eſſe impudicitiam,* moxque ſubijcit: *Ille ergo habitus eſt inhoneſtus, per quem mulieres oſtendunt humeros, ſeu pectora, qui eſt habitus meretricius.* Sed longè magis ex profeſſo hanc ipſam opinionem amplectitur, ac tradit Auguſtinus Maz-

Carpunt mulieres, quæ nudant pectus.

zinus in libro *de ornamento ſuperfluo* Italicè ſcripto, *cap.* 23. vbi feminas, quæ nudant pectus peccati mortalis reas aſſeuerat, quia ad peccandum inuitant, non verbis, ſed factis, loquiturque ſine controuerſia de nuditate conſueta: tum ex Clemente Alexandrino huiuſmodi mulieres falsè carpit, quia quum omnium cupiditatibus dedere ſeſe nequeant, ſaltem omnium oculis nudato pectore exponere ſe geſtiunt, in quas illud Ezechielis fulmen e capite 16. promptum aptè cadit: *Expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres*, nec non ſcommate aculeatè intorto eaſdem perſtringit, quòd alicubi faciem vultumque, ne agnoſcantur, tegant, quo ſine pudore, & verecundia mamillas inhoneſtè queant detegere.

V. Quas reas eſſe culpæ mortalis putat Sopranis.

Verùm non antiquiores dumtaxat Auctores ita ſenſerunt, ſed noſtra quoque tempeſtate Hieronymus Sopranis in Collegio Romano Theologiæ profeſſor priùs, deinde ſtudiorum præfectus, quamuis conſuetudinem nudandi muliebris pectoris ea in vrbe, quam ipſe tot annos incoluit, inueteratam nouit, tamen in ſuo *Commentario in Dauid, Digreſſ.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 429. huic poſteriori ſententiæ damnanti lethalis delicti nudationem feminei pectoris, vtcunque etiam vſitatam, palàm adhæſit. Nam quum ibi docuiſſet, poſſe Epiſcopum de ornatu quocunque prouocatiuo libidinis præcipere, & illum ſub obligatione mortalis criminis prohibere, mox de pellucidis veſtibus, quæ alicubi in vſu, vel abuſu ſunt, addit: *Cum hoc enim ornatu incedere, licèt omnis fucus abſiſtat, & malus animus alios incendendi, peccatum ſemper eſt; & ſi de ornatu loquamur, in quo nudum pectus exponatur; (vt plerique probabiliùs putant) etiam lethale. Cur ergo non poſſit Epiſcopus edicto ſuo hoc genus ornatus excludere?* Vbi manifeſtè Sopranis agit de ſolita nudatione pectoris muliebris, non minùs, quàm de ſolitis fucis, aliiſque luxuriantibus ornamentis paſſim vſitatis. Vnde immediatè ſubdit euidentiſſimè: *At obſtat in pleriſque regionibus in oppoſitum vſus inueteratus. An conſuetudo deprauatiſſima dicetur vſus, & non potiùs abuſus? Quid enim, ſi mos vnquam obtineat, vt impune quiſque quod aliorum eſt, poſſit vſurpare; aut ne a propoſito argumento diſcedamus, obſcœnis nudatis incedere?* Ex quibus planiſſimum eſt, nudationem feminei pectoris vſu, vel conſuetudine, Sopranis iudice, a mortali culpa nequaquam eximi. At obſeruo, dum is Auctor, crimen lethale eſſe denuntiat nudum pectus exponere (*vt plerique*, inquit, *probabiliùs putant*) citatque in margine Caietanum 2. 2. q. 169. a. 2. *& in Summa, Verbo, Ornatus*; reuera Caietanum, quod ad ſolitam nudationem pectoris attinet, in contraria eſſe opinione, & cenſere illam delicti lethalis expertem, vt ſupra vidimus; atq; adeo perperā pro hac poſteriori ſentētia inuitū prorſus, & contradicētem referri. Quod ſi quis de inſolita tantùm nudatione pectoris Sopranis loqui contendat in ea parentheſi; vt omittā id ægrè perſuaſum iri; tum non ſolùm probabiliùs plerique, ſed certò etiam putant eam eſſe mortalem, quum nullum appellare potuerit Sopranis, qui mentionem fecerit oppoſitæ opinionis liberantis ipſam a lethali, vt infra *cap.* 2. reuincam. Pro hac ipſa ſententia cuncti etiam illi Doctores longè plurimi, qui muliebrem ornatum immoderatum ad libidinem vehementer prouocantem mortalis damnant, vt ſuperiore *diſput. cap.* 7. §. 4. & 5. vidimus, neceſſariò ſtare debent, vt paulò poſt liquebit.

Malè tamen tali opinione citat Caietanū.

§. II.

§. II. *Impugnatur prior opinio, doceturque permiſſionem feminei nudi pectoris, vel meretricũ non arcere maiora mala, ſed cumulare.*

VI. Nuditas feminei pectoris licèt vſitata, mortalis eſt, ſi ga valde ad Venerem prouocat; Eadémq; ratio eſt & de ſolitis oſculis.

AT non poſſum hîc ego complura argumenta, quæ mihi pro ſecunda ſententia contra primam in mentem veniunt, diſſimulare. Nam

I. Nullum dubium eſt, quin vbi tam nuda pectora, quàm oſcula promiſcua virorum cum feminis in amicitiæ ſignum ſunt vſitata, fœcundam luxuriæ meſſem ſuppeditent, quæ aliàs, ſi talis conſuetudo nõ adeſſet, planè ceſſaret: eſto enim, hęc vbi in vſu ſunt, minùs ad libidinem incitent, quàm vbi omnino inſueta: At nihilominùs plus nimio adhuc incitant. Nam ſola muliebris faciei pulchritudo ad laſciuiam, quanquam innocenter, quàm plurimos prouocat: pulchritudini additus ornatus, etſi moderatus, & licitus, multo adhuc magis, multoque plures ad eandem libidinem ſolicitat; longè verò adhuc vehementiùs, quum immodicus eſt, atque illicitus, vt *diſput.* 1. *cap.* 7 §. 8. probaui. Nam quis neſcit, quàm multos huiuſmodi immoderatus cultus, naturali præſertim pulchritudine vibratus, in fornicationes, in adulteria, in inceſtus, in mortiferos tactus, & concupiſcentias præcipitet? Quid ergo fiet, vbi muliebris faciei pulchritudini, atque ornatui per ſe titillanti licentia quoque, & blandimentum nudi pectoris, vel oſculorum accedet? Nonne multiplicatâ cauſsâ, vel occaſione, multiplicabitur effectus? quis tam expers oculorum, vt id non cernat? Idcirco Doctores, vt mox docebo, talem conſuetudinem velut *illicium libidinis* improbant, & tollendam clamant. Ergo ornatus, ſuperadditâ nuditate pectoris, quanuis conſuetâ, adhuc erit notabiliter ad Venerem prouocatiuus, vt patet. Ergo etiam reus peccati mortalis, quandoquidem talis nuditas ſine iuſta cauſſa voluntariè illi ſuperadditur.

VII. Conſuetudo promiſcui oſculi, et nudandi feminei pectoris peiora mala non arcet, ſed affert, regnumq; luxuriæ magis amplificat.

II. Impugno primam ſententiam, quia honeſtandæ talis conſuetudinis prætextus, vt per hanc peiora mala vitentur, vt Doctores, Caietano duce, ſupponunt, nullius planè momenti eſt. Credat enim qui volet; at ex Patrum, aliorumque Sapientum doctrina planè conſtat, libidinem libidine non extingui, ſed accendi; neque ignem ſuperfuſo oleo, pice, vel igne minui, ſed magis augeri; atque adeo iure optimo arbitror, luxuriæ regnum illecebroſis hiſce conſuetudinibus pectoralis nuditatis, vel oſculorum toleratis, multo magis amplificari, & peiora illa mala minimè declinari, & hæc minùs grauia vaniſſimo prætextu excuſata, vel permiſſa, inſuper accumulari, vt ex ijs, quæ Adamus Contzen *lib.* 2. *Politicorum, cap.* 12. & 13. egregiè diſputat, perſpectum eſt.

VIII. Etſi quibuſdam in particulari fortè erit vtilior, ſecus tamen cõmunitati.

Verùm etſi fieri nonnunquam poteſt, vt conceſſa muliebris pectoris nuditas vtilis ſit certis quibuſdam viris particularibus, quos a peioribus criminibus, vt innuit Caietanus, abducit, generatim tamen vniuerſę communitati plus mali, & damni quàm boni, & commodi affert. Innumera quippe delicta, luxuriæ præſertim, quæ ex huiuſmodi nuditate in totam Rempub., vt docet experientia, redundant, incomparabiliter ſuperant illud quicquid eſt boni, quod ex eadem in particulares perſonas deriuatur, vt ferè palam eſt, & nullo etiam negotio oſtenditur.

IX. Nam

Nã muliebris pectoris detecti oblectamentũ, quod ad inceſtus, adulteria,

In populis minùs incontinẽtibus occaſiones libidinis permiſſæ incẽdia luxuriæ augent.

nefanda crimina, aliaque mala vitanda, velut remedium moraliter neceſſarium, prætexitur, vel ijs populis, qui libidinis morbo magis, quàm alij, communiter laborant, eſt indulgendum, vel ijs, qui minùs. Vterque prætextus eſt falſus. Ergo falſum eſt, nuditatem muliebris pectoris eſſe aptũ ad peiora mala vitanda remedium. Maior, & conſequentia ſunt explorata. Minoris vna pars probatur, quia in populis minùs incontinentibus, ipſę libidinis occaſiones, atque illecebræ permiſſæ non extinguunt libidinis incendia, ſed potiùs omnino excitant, & fouent. Hinc in vrbibus bene moratis, iiſque in locis, in quibus præpoſteræ Veneris ſcelus, ac nomen planè inauditum, publicæq; meretrices, aut concubinæ nullæ tolerantur; multo magis florere caſtitatem, quàm in alijs eiuſdem quoque regionis, in quibus illæ permittuntur, vſu compertum eſt: licèt verò, & in ipſis quoque luxuriæ piacula non deſint, tamen longè pauciora hæc inibi numerantur. Ratio perſpicua eſt, quia ſicut qui ad ebrietatem propenſi ſunt, vino moderatè ſuppeditato, multo pauciores inebriantur, quàm vbi vini copiam ſemper pręſto habent: ita ſubductis libidinis incitamentis, nempe meretricibus, ſcortis, oſculis, nuditate muliebris pectoris, vel mamillarum, minora libidinis incendia in populis minùs incõtinentibus exardeſcunt, quàm vbi talia incitamenta luxuriæ, vel in iiſdem, vel in ſimilibus populis graſſantur, vt conſtat. Hinc, vbi adoleſcentes procul ab his offendiculis educantur, & cuſtodiuntur, minùs intemperantes ſunt, quàm alij adoleſcentes, quibus diſciplinæ fræna laxantur, improborum ſocietas permittitur, licentia diuertendi ad meretrices conceditur.

Contra autẽ licentia meritricum publicarũ ſubducta, ijdẽ populi caſtiores ſunt.

X. *Vnde nõ*

Quamobrem Nauarrus in Manuali *cap.* 17. *num.* 195. lit. C. §. *Sextò*, diſertè probat magis expedire, ne meretrices tolerentur; inter alias verò rationes, quas ad id perſuadendum affert, ſexto loco hanc etiam addit: *Quòd ipſemet noui*, inquit, *pueros caſtiſſimos venientes ad Academias ex terris, vbi non eſt eiuſmodi occaſio fornicandi, ob eam, quæ illis ſe offerebat, animas, ſtudia, & corpora ipſa contagio infecta perdere.* Nauarri placitum placuit quoq; Ioanni Marianæ, & Cornelio a Lapide; qui *cap.* 19. *in Eccleſiaſticum, verſ.* 3. §. 6. relato Nauarro, & Mariana, ita teſtatur: *Videmus occaſione lupanarium pueros vel ſua ſponte, vel aliorum inuitatu ad ea accurrere, noxiâq; libidine eneruare vires, ac inflammatâ cupiditate in omne dedecus ruere. Omnino vbi lupanaria non ſunt, multo continentiores ſunt iuuenes, pauciora adulteria exiſtunt, caſtior eſt ciuitas; quia ſicut nullum vitium ita accenditur occaſione datâ, ac libido; ſic pariter nullum ita reprimitur occaſionum fugâ, ac libido.* Fugite fornicationem, *ait Paulus. Ratio eſt clara, quia ſicut flamma non extinguitur, ſed accenditur flammâ; ita libido accenditur libidine, perinde vt rixa accenditur rixâ.* Quæ vt veriſſima ſunt; ita ſine ingenti temeritate negari non poſſunt.

expedit meretrices in talibus populis permittere teſte Nauarro, Mariana, & Cornelio.

XI. Acutè pariter, ac neruosè in eandem ſententiam Adamus Contzen *libro* 2. *Polit. cap.* 12. §. 14. *Improbiſſima*, inquit, *eſt eorum ratio, qui publicis illis voluptatibus, deteriora caueri arbitrantur. Vbi inualuerunt, flagitioſiſſima quæque perpetrantur. Fuga optimè caſtitati conſulit. Quæ eſſe non poteſt, ſi publica ſunt incitamenta libidinum; ſi cæcum eſſe oporteat, ne malum videas. Si in porticibus, in foro, in vicis omnia turpibus abundant.* Si in poculis, *vt inquit Plinius lib.* 31. *cap.* 1. libidines cęlare iuuat: *ſi imagines*

Publica occaſiones libidinis, vt meretrices, maiorũ ſũt cauſſa malorũ, minimè ferendæ ex Cõtzen.

illecę-

illecebroſæ in conſpectu iuuentutis impune collocantur. Venenum publicè nō venditur; animarum toxica in nundinis Chriſtianorum, non vetante magiſtratu, venduntur. Dabit magiſtratus ille pœnas, qui nefanda diſſimulat. Si filiam turpitudines illas colorum fuco cogitationi inſtillandas emiſſe cognoſceres, meritâ indignatione excandeſceres. Si quis ea coram liberis tuis enarraret, diem illi vt corruptori iuuentutis diceres. An plùs eſt verbis indicaſſe, an oculis fidelibus ſubijcere, vt tenaciùs hæreant? Vident hoc omnes, vident tui, vident tuis narraturi.

XII. *Et ex Dione.* Sed multo ante hoſce recentiores Auctores vetus ſcriptor Dion Chryſoſtomus *orat.* 17. eâdem de re præclarè admodum hoc pacto philoſophatus eſt: *Omnino ita exiſtimandum eſt, quòd iſta in medio poſita, & manifeſta, ignominioſaque adulteria, nimiſq; impudenter, & perfrictâ fronte perpetrata, incertorum, & occultorum, tam in mulieres honorandas, quàm pueros, ſtuprorum haud minimam præbeant cauſſam: eo quòd tam facilè talia quiſq; audet, & turpitudo in publico contemnitur. Et non, quemadmodum quidam putant, quòd eiuſmodi flagitia ſecuritatis, & abſtinentiæ cauſsâ reperta ſint. Forſan igitur quiſpiam ruſticior, ita quodammodo dicere queat. O ſapientes legiſlatores, & Principes, qui iſta ſuſcepiſtis initio, quaſi quoddam admirabile ciuitatibus pharmacum modeſtiæ repereritis, ne vobis manifeſta hæc, & aperta domicilia, clauſas domos, & interiores thalamos referent; quiq; foris, & apertè libidinantur modicis impendijs, ne ſe ad liberas, & honeſtas vertant mulieres cum multis pecunijs, muneribuſq;. Videte, ne illi re vili, quæq; ſit in poteſtate, non contenti, ampliùs id, quod prohibitum eſt, cum timore, multiſq; impendijs perſequantur.* Hactenus ille. Ex quibus ſatis probata manet Minoris propoſitionis illa pars ſtatuens libidinum incendia, permiſſis libidinum illecebris, atq; occaſionibus in populis minùs incontinentibus, non extingui, ſed potiùs excitari, ac foueri.

XIII. *Quod inſuper ſuadetur.* Confirmo verò id primò, quia etſi contingere poteſt, vt vbi tolerantur meretrices, aliquis incontinens fornicando cum ijs, ab adulterijs, vel inceſtibus auertatur; hoc tamen quicquid eſt boni ex maioribus talis incontinentis delictis vitatis, ab innumeris alijs malis, quæ eædem meretrices gignunt, obruitur; tum quia, vbi vnum ab adulterio, vel inceſtu arcent, alios longè plurimos aliàs caſtos peruertunt; tum quia ſuo prauo exemplo plurimas alias ad pudicitiam proſtituendam alliciunt: tùm quia corpore tandem fracto, *poſteaquam deſinunt eſſe ad turpe lucrum aptæ*, vt Nauarrus, & Cornelius *loc. cit.* notant, *fiunt lenæ, & mille malorum inſtrumenta* euadunt.

XIV. *Præſertim qa Deus vetuit Hebræos publicã meretricem permittere.* Confirmo idem ſecundò, quia Deus Iudæis interdixit, ne vllam publicam meretricem tolerarent: Deuter. 23. *Non erit*, inquit, *meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filijs Iſrael.* Vbi Cornelius, moneri, ait, a lege Magiſtratum, vt non toleret in politia ſua publicam ſcortationem, & lupanaria: Bomfrerius pariter *ibidem*, non quomodocunq; meretrices quaſuis a Deo illic prohibitas tradit, ſed ita duntaxat, *vt quaſi auctoritate publica conſtituerentur, vel certè permitterentur.* Vnde Origenes *lib* 4. *contra Celſum*, teſtatur, *nullas fuiſſe meretrices, iuuentutis peſtes, in eorum Repub.* & Philo Iudæus *in libro de Speciali lege* ſcribit, capitale apud Hebræos fuiſſe corpore quæſtum facere. Quod de publicis tantùm meretricibus intelligendum eſt, vt rectè Bomfrerius *loc. cit.*

Apud quos tamẽ aliqua fuerunt, quãquã pauca.

oſtendit. Nam aliquas meretrices in populo Iudaico fuiſſe permiſſas etiam tempore legis conuincitur ex altercatione duarum meretricum ante Salomonem 3.*Reg.*3. & ex monitis eiuſdem Salomonis *Prou.* 30. de conſuetudine, & colloquio meretricis vitando. Hieronymus verò Sopranis in David *digreſ.* 1. *diſp.* 3. cap. 1. §. 7. pag. 400. exiſtimat meretrices alienigenas non fuiſſe Iudæis a lege Moyſis interdictas, ſed Iſraeliticas tantùm, quoniam ſignanter ait: *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, neq; ſcortum de filijs Iſrael.* De alijs ergo quum nihil exprimatur, interdictum nihil intelligitur. Cæterùm extraneas meretrices inter Hebræos perpaucas fuiſſe mihi inde perſuadeo, quòd ratio boni communis iubens eas non admitti, vt Bonfrerius *loc. cit.* ait, vtraſq; tam extraneas, quàm Hebræas complectebatur. Atqui niſi ex meretricum permiſſione plus mali, quàm boni emerſiſſet, Deus nunquam illas a Iudæis permitti vetuiſſet; imò neque etiam vetare potuiſſet. Quanquam enim mala culpæ permittere ipſe poſſit, non tamen poteſt poſitiuè vetare alium, ne impediat maiora mala permiſſione minorum, ad quę impedienda iure naturali tenetur. Nam, vt egregiè ratiocinatur ſubtiliſſimus Sfortia Pallauicinus lib. 2. *de bono, cap.* 55. & *ſeqq.* id, quod plus mali parit, quàm boni, naturæ rationali repugnat, & intrinſecè malum eſt: contra verò permiſſio minoris mali ad maius vitandum intrinſecè bona, quia plus boni gignit, quàm mali. Siue autem id verum ſit in ſenſu formali, ſeu in concomitanti, vel conſequenti, nil prorſus ad id, quod modò vrgeo, refert, adeoque de hoc nihil præterea iam diſquirendum eſt. Ergo prohibitio talis permiſſionis foret mala, quia impedimentum maioris mali vetans, plus mali, quam boni afferret. Ergo meretricum, & occaſionum delinquendi talis permiſſio a Deo prohiberi non potuiſſet. Ergo, quum de facto tamen a Deo, prohibita ea ſit, certum eſt, eandem permiſſionem, ſi Iudæis, alijſq; populis ſimilis continentiæ indulgeatur, nõ abducere a maioribus malis, ſed potiùs iſta multiplicare.

XV. Alioqui peccaſſet Principes lupanaria vetãtes.

Confirmo tertiò, quia alioqui S. Ludouicus, qui publicas meretrices totâ Galliâ expulit, & lupanaria vetuit, vt referũt Annales Galliæ, Paulúſque Æmili', nec nõ Philippus IV. Rex Hiſpaniarum, qui lupas, & lupanaria tota Hiſpaniâ publicâ lege eiecit, vt memorat Cornelius *loc. cit.* ſi permiſſio meretricum ad peiora crimina cauenda eſt moraliter neceſſaria, peccaſſent mortaliter, ſiquidem Princeps tenetur ſub mortali ad auertenda, quantum poteſt, maiora Reipub. mala, vt tradunt Adamus Contzen *lib.* 2. *& 3. Politic.* Leſſius *lib.* 1. *de Summo bono, cap.* 5. *num.* 24. *&* 25. Bellochius in *Praxi morali Theol. par.* 2. *q.* 4. *a num.* 492. *ad* 504. Diana *par.* 2. *tract.* 15. *reſolut.* 65. §. *ſecundò infertur*, & alij communiter. Ergo prohibendo meretrices, & lupanaria illi Reges, & Principes, occaſionem maiorum malorum in Rempub. redundantium dediſſent; ac proinde lethaliter deliquiſſent, vt patet. Pari quoque crimine lethali ſe obſtrinxiſſet Ludouicus Guerrero, qui ſub nomine Hieronymi Velazquez Hiſpanicè vulgauit *Informationem Theologicam, & Iuridicam directam ad Illuſtriſſimum Dominum Franciſcum de Contreras, vt iubeat toto Regno tolli publica malarum mulierum proſtibula.* Quod ſanè ſcriptum tam efficax fuit, vt ea publico decretò fuerint proſcriptæ, quemadmodum narrat Alegambe *in Bibliotheca*

theca Scriptorum S.I. Verbo, Ludouicus Guerrero, adeoque maiorum malorum occaſionem dediſſet, ac propterea & mortaliter deliquiſſet. At hoc eſt abſurdiſſimum, vt notum eſt. Ergo & id, vnde ſequitur.

XVI. *Ex permiſſione oſculorũ, & nudi feminei pectoris plura emergunt mala, quàm ſi non permittantur.* At quę de offendiculis meretricum diſſerui, ratâ proportione & de oſculis promiſcuis marium, & feminarum, & de nuditate muliebris pectoris verificantur. Nam licèt hæc ab illis diſtent, quòd hæ actiones per ſe indifferentes ſunt, illæ earum intrinſecè malæ; tamen hæ quoque occaſiones plurimorum peccatorum ſunt; & vbi non ſunt permiſſæ meretrices, neque huiuſmodi oſcula, neque nuditas muliebris pectoris, caſtiores ſunt vrbes, quàm vbi hæc illicia libidinum conceduntur. Ergo permiſſio talis licentiæ non aufert maiora mala, ſed fouet.

XVII. *Nudare enĩ pectus, & mamillas propriũ meretricũ.* Confirmatur I. quia nudare pectus, & mamillas meretricum habitus proprius olim etiam fuit, ſicut has, & illud tegere cultus erat tantùm virginum, & matronarum, quæ pectorali faſciâ, quam ſtrophium vocabant, pectus, & mamillas ſub tunica coercebant. Vnde Nonnius, *ſtrophium*, inquit, *faſcia breuis eſt, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum*. Quin & Iſaias *cap. 3. num. 24.* de ornatu Virginum Solymitarum agens, *Erit pro criſpanti crine, caluitium; pro faſcia pectorali, cilicium*. Et Ieremias *cap. 2. num. 32.* *Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* Munus verò talis faſciæ, ac ſtrophij erat, quemadmodum obſeruat Hieronymus Sopranis *in Dauid digreſſ. 1. diſput. 3. cap. 1. §. 7. pag. 400.* *Vt nuda pectoris verecundè tegerentur, & etiam ne papillæ nimis turgerent: illis ob id impudicæ non vſæ, quibus nulla cura pudoris. Hinc ſine faſcia, aut zona mulier, pro impudica, vel certè non virgine, quòd nullum certius argumentũ impudicitiæ ſit in fœmina, quàm impudentia; impudentia autem nulla maior in illa, quàm mamillas exertas oſtendere, nec inde pudore ſuffundi in quotidiano cultu.* Et hæc, ſubdit idem Auctor, *innuiſſe ſufficiat, vt fœminæ, quæ nunc ex aliqua peruerſa conſuetudine, nudis mamillis incedunt, intelligant meretricio ſe habitu incedere, non matronali*. Ergo quum tales feminæ meretricium habitum æmulentur, eadem incommoda hinc, atque ex meretricum permiſſione ſequuntur.

XVIII. *Et ex tali corruptela fluunt eadem incõmoda.* Confirmatur II. quia hîc quoque militant eædem rationes, quæ priùs tactæ ſunt; quia ſicut ignis libidinis non extinguitur, ſed accenditur igne libidinis; ita neque extinguitur, ſed augetur addito oleo, aut pice oſculorum, vel nuditatis femineæ pectoralis.

XIX. *Et peccarẽt Principes talem vſũ prohibẽtes.* Confirmatur III. quia ſi talis nuditas eſt moraliter neceſſaria ad maiora mala Reipub. cauenda, peccaſſent mortaliter omnes illi Principes, & Reges, qui legem municipalem Mediolanenſem huiuſmodi nuditate interdicentem, de qua *cap. 4.* initio ſermonem faciam, ſanxerunt; eodemque modo deliquiſſent, tum qui eandem ſuâ auctoritate propugnarunt, tum qui alibi in populis bene moratis, & minùs intemperantibus eandem conſtituerunt. Nam hi omnes pariter vetando tale remedium maiorum malorum, vel in cauſſa fuiſſent, atque eſſent horum maiorum malorum; vel ſaltem occaſionem grauem iſtorum dediſſent, ac darent; ac proinde & mortaliter quoq; delinquerent. Quod tamen eſt inſanum. Ergo.

XX. *Imò & q nõ curant talem conſuetudi-* Confirmatur IV. Quia eodẽ modo peccarent etiam mortaliter alij Principes non curantes induci in ſuos populos æquè continentes talem morem oſculandi promiſcuè mares, &

feminas,

nē i ſuos populos introduci.

feminas, vel nudandi pectus muliebre, in quibus idem mos eodem prætextu æquè neceſſarius moraliter ad peiora declinanda cenſeri poteſt. Subtracto enim tali antidoto, ipſi moralis cauſſa forent talium malorum peiorum; quod item delirum eſt.

XXI. *Tū etiā cæteri, q̄ eam impedire, aut abolere conantur.*

Confirmatur V. Quia in illis locis, & populis, qui ſunt minùs incontinentes, & tamen nudandi muliebris pectoris, vel promiſcuorum oſculorum conſuetudinem habent, non deſunt Concionatores, & alij Patres ſpirituales, qui eam improbant, hortanturq; vel ſingulos, vel cunctos vniuersè ad illam deſerendam. At ſi talis conſuetudo foret moraliter neceſſaria ad cauenda maiora Reipub. mala, eiuſmodi Concionatores, & Patres ſpirituales non ſolùm malè facerent, ſed etiam peccarent mortaliter ob rationem ſæpius iudicatam, quia & ipſi cauſſa moralis maiorum huiuſmodi malorum eſſent, vt patet, dum ſuo conſilio ſubtrahendo dictam conſuetudinem, maioribus malis, quantum eſt de ſe, patefacerent aditum, quòd ſanè eſt crimen ſemper mortale. Nam quanuis, vbi permittitur fornicatio cum meretricibus ad vitanda maiora peccata, inceſtus, adulterij, ſodomiæ &c. fas cuique eſt, & peccata maiora, & minora reprehendere, & ab vtriſq; deterrere, ac reuocare omnes delinquentes, quia vtraque intrinſecè ſunt mala, non ſolùm inceſtus, adulteria, ſodomia &c. ſed etiam fornicatio, quanquā hæc minùs, quàm illa; & neutra, neq; illa, neq; iſta vllâ ratione honeſtari poſsūt; alia tamen longè ratio eſt de promiſcuis oſculis in ſignū amicitiæ, & de nuditate feminei pectoris, quæ actiones per ſe indifferentes ſunt, vt Doctores cuncti opinantur; ac proinde, poſitâ iuſtâ cauſâ honeſtari poſſunt, & licitè permitti aliena peccata hinc profecta, vt tota *diſput.* 1. *&* 2. ſæpius inculcatum eſt. Iuſtiſſima verò cauſſa eſt iſta permittendi, & illas actiones indifferentes exercendi, moralis neceſſitas declinandi beneficio talium actionum maiora mala, vt planum eſt. Imò præceptum caritatis obligat ſub mortali quoſcunque, ſed maximè Superiores Principes Eccleſiaſticos, & Seculares ad tales actiones indifferentes maiorum malorum vitandi gratiâ permittendas; vnuſquiſque enim tenetur ſub mortali permittere, quando commodè poteſt, id, quod proximo moraliter neceſſarium eſt ad maiora mala vitanda, vt conſtat. Ergo illi Concionatores, & Patres ſpirituales, qui tales conſuetudines in talibus locis moraliter neceſſarias ad maiora mala vitanda ſuis cōſilijs nituntur prohibere, ac delere, delinquunt mortaliter, vt ſequitur euidenter. At hæc eſt ridicula ſtultitia. Ergo.

XXII. *Nū inde ſequat̄, malè a Deo fuiſſe vetitum ornatū luxuriantem?*

Confirmabit fortè aliquis VI. quia ornamentum nudi pectoris, quando ad libidinem valde prouocat, diuino iure, vt *diſp* 1. vidimus, *cap.* 2. *&* 7. §. 17. feminis vetitum eſt vbique gentium. Ergo ſi id in populis minùs incontinentibus ad maiora mala declinanda moraliter neceſſarium eſt, malè feciſſet Deus, & peccaſſet grauiter illud in ſacris Scripturis vetando, ſicut de facto vetuit, vt deinde videbimus. At nemo niſi blaſphemus Hæreticus malum culpæ, & peccatum de Deo opinari poteſt. Ergo &c. Primam conſequentiam facilè ex dictis demonſtro, quia Deus in hoc caſu exiſtimaretur moraliter, & interpretatiuè voluiſſe, ac velle maiora huiuſmodi mala, dum impediri ipſa prohibuit exercitio etiam actionum indifferentium, quod tamen facere ipſe non poteſt, quia intrinſecè malum eſt. Sed hæc vltima confirmatio meliùs infra

num.

num. 26. *& ſeqq.* examinanda eſt: nutat enim, ac ruit, niſi aliter vrgeatur. Atque ex his vna pars illius Minoris *num.* 9. initio propoſitæ, nuditatem muliebris pectoris non eſſe remedium moraliter neceſſarium ad vitanda maiora mala in populis libidinis morbo minùs laborantibus, ſufficientiſſimè, & validiſſimè, ni fallor, probata eſt.

XXIII *Nuditas muliebris pectoris in populis laſciuioribus maiora mala nõ auertit, ſed fouet. Permiſſio nãque meretricũ populis corruptioribus grauiora dãna nõ arcet, ſed cumulat.*

Probo nunc alteram partem eiuſdem Minoris, neque eſſe eandem nuditatem feminei pectoris remedium moraliter neceſſarium ad cauenda maiora mala in populis laſciuiâ magis laborantibus. Nam eadem argumenta, quæ priorem partem oſtendunt, vt iam vidimus, hanc pariter euincunt. I. Quia permiſſæ meretrices etiam corruptioribus populis, maiora mala non redimunt, ſed augent. Incontinẽtes enim non ſatiantur libidine, ſed magis inflammantur. Luxuria enim vaga, & intemperans, vt ſapienter notat Cornelius a Lapide in *Prouerbia*, *cap.* 5. *Verſ.* 15. ſimilis eſt hydropi, qui in hydropicis continuã excitat ſitim, vt quo plus bibant, eo plus ſitiant iuxta illud Eccleſiaſtici 26. *ſicut viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet*. Vnde Nauarrus *cap.* 17. in Manuali *num.* 195. citato, *lit. C. Finis*, inquit, *per eam* (meretricium ſcilicet permiſſionem) *prætenſus, puta, ne honeſtæ ſollicitentur, non attingitur: Viri enim prudentes aiunt eos, qui ad eas ſollicitandas ſunt apti, non adire meretrices; imò poſtquam malè ſunt eis aſſueti, tanto magis honeſtas ſollicitant, quo maiore impetu naturæ, & vitij feruntur,* quod vtinam non eſſet planè veriſſimum: quemadmodum etiam idem Cornelius in *Eccleſiaſticum cap.* 19. *Verſ.* 3. §. *ſeptimò*, laudato Nauarro, iure deplorat.

Sectantes enim adhuc ſolicitãt etiã honeſtas.

XXIV. Confirmatur I. Quia licèt aliquis intemperans fortaſſe meretrice contentus, parcet honeſtis, nec grauiora committet ſcelera; communiter tamen qui libidini fræna laxarunt, de quibus hîc ſermo eſt, in omnem laſciuiæ occaſionem excubant, in quamcunque Veneris turpitudinem effunduntur; & meretrices ipſæ eodem modo tum prauo exemplo, tum verbis etiam pleraſq; alias honeſtas puellas, & coniuges quoque ad corporis proſtitutionem inuitant; inhabileſque fœdo quæſtui faciendo ætate, aut morbis redditæ, in lenas longè peſſimas, incredibilium inſtrumenta malorum tæterrima, vertuntur. Hinc odia, hinc rixe, hinc ſimultates, hinc neces, hinc furta, hinc ſacrilegia, hinc peſtis innumera. Ergo meretrices vulgò conceſſæ incontinentioribus populis, non arcent peiora crimina, ſed alunt. *Vt amplius reuincit.*

Confirmatur II. Quia ſi ſemel ponis meretricum permiſſionem eſſe moraliter neceſſariam in laſciuioribus populis ad vitanda maiora mala, cogeris omnino fateri Principes tam Seculares, quàm Eccleſiaſticos, ſi eas non permittant, ſed expellant, peccare mortaliter; Concionatores quoque, & alios culpæ item lethiferæ eſſe obnoxios, ſi huiuſmodi permiſſionem ſuis conſilijs, aut quacunque alia ratione impedire nitantur, vt ſupra *num.* 19. 20. & 21. explicaui. Hîc quippe militat eadem prorſus ratio. At valde durum, inſolenſq; eſt, damnare mortalis delicti eiuſmodi Principes, & Cõcionatores talem permiſſionem auferentes, vel impedientes. Ergo &c.

XXV. *Licentia oſculorũ, & nudi muliebris pectoris maiora parit*

Quis porrò non videat, populos libidinoſiores non ſolùm meretricum conceſſione, ſed muliebris quoq; nuditatis pectoralis, vel promiſcuorum oſculorum licentiâ, & blandimentis ad omnem luxuriæ intemperantiam ſollicitari? Imò, & qui luxuriando delaſ-

ſati

mala in populis quoque laſciuioribus.

ſati ſunt, nouâ vndique libidinis eſcâ, ſeu ab oſculis, ſeu a nuditate pectoris tot formoſarum puellarũ, & coniugũ, & viduarũ in oculos incurrente, ad noua libidinũ incendia, ad fornicationes, ad ſtupra, ad adulteria, ad inceſtus, ad ſodomias, etiam cum ipſis feminis, tũ per efficacia deſideria ferè ſemper, tũ per ſubſecuta deinde opera non rarò, excitari, irritari, inflammari? Confirmatur I. quia hîc multo magis vrget communis illa ratio ſuperiùs ponderata, non extingui incontinentiæ ignem ſuperadditâ pice promiſcuorũ oſculorum, vel feminei pectoris detecti, ſed magis accendi. Nam vt hoc de exiguo igne libidinis verum eſt in populis caſtioribus; ita de longè maximo incendio luxuriæ in populis laſciuioribus longè veriſſimum, vt patet. Confirmatur II. Quia non deſunt populi ex laſciuioribus, qui promiſcuis oſculis, & nuditate muliebris pectoris carent. Ergo ſi in his ea nuditas, vel oſcula ad maiora mala vitanda ſunt neceſſaria moraliter, tenentur Principes ſub mortali hæc introducere, vt conſtat ex ratiocinatione ſæpius repetita. At hoc eſt abſurdum, vt liquet. Ergo ea moralis neceſſitas omnino falſa. Confirmatur III. Quia in ijs locis, in quibus magis bacchatur libido, & mos eſt vel oſculandi promiſcuè, vel nudandi muliebris pectoris, ſi Principes, vel Concionatores, vel alij huiuſmodi morem, quem tu ais ad peiora cauenda moraliter neceſſarium, abolere conarentur, omnes delinquerent mortiferè, quia interpretatiuè vellent talia peiora mala, vt demonſtratum eſt. At hoc valde aſperum eſt, atque inſolens; neceſſariò quidem ex ſuppoſitione antecedentis conſequens, ſed tamen nimis adhuc durum. Ergo vt hoc molliatur, dicendum eſt, ſuppoſitionem moralis illius neceſſitatis eſſe falſam. Confirmabit aliquis IV. quia ornatus nuditatis feminei pectoris vbique, & cunctis populis iure diuino interdictus notam peccati ipſi Deo aſpergeret, quæ horrenda blaſphemia eſt; vt ſupra *num.* 22. in fine explanaui. Nam hoc ipſum abſurdum premit etiam populos cuiuſuis conditionis tam incontinentiores, quàm temperantiores. Quippe ſi nuditas pectoris muliebris ad vitanda maiora peccata moraliter neceſſaria eſt, illam Deus prohibendo, cenſeretur moraliter hæc voluiſſe.

XXVI. Verùm huiuſmodi confirmatio IV. ſicut & illa *num.* 22. in fine allata, efficax non eſt. Reſponderi enim poteſt I. Deum in tali caſu, etſi moralem facultatem impediendi maiora mala, immoderato muliebris pectoris detecti ornatu prohibito, aufert, relinquere tamen adhuc ſubtractâ etiam tali nuditate pectoris, libertatem phyſicam vitandi eiuſmodi maiora mala: atque adeo ſicut Deus de facto relinquendo iam Dæmonibus ſolam libertatem phyſicam, quanquam ij cum iſta lethiferè peccant innumeris modis (extra ſtatum tamen demerendi) nihilominùs ipſemet non peccat, vt conſtat; ita quoque neque de facto peccare vetitâ tali nuditate, & ſublatâ morali facultate cauendi grauiora ſcelera, quam non tenetur dare, quandoquidem adhuc phyſicam libertatem hominibus illæſam ſinit, per quam ij tantùm delinquunt, non ipſemet Deus, ita ob iuſtiſſimas cauſſas diſponens, ac prohibens. Sed licèt culpa ex tali prohibitione in Deum antecedenter refundi non poſſit, neque negari, quin abſolutè ita vetare queat: adhuc tamen argui poſſet infidelitatis contra promiſſionẽ ab ipſo in Scripturis ſacris factam de morali facultate ad vitanda omnia mortalia per diuinam.

Deus vetans nuditatem pectoris feminei neceſſariam vitandis malis peioribus, an cenſeretur hæc voluiſſe? Prima ſolutio.

Reijcit.

nam gratiam hominibus dandã, & nõ de potentia, & libertate phyſica tantùm, vt ſuppono ex tractatu de gratia; præterquam quòd & ratio ipſa docet, aliam libertatem puris hominibus viatoribus conuenire, quàm Chriſto, qui peccare non potuit; & quàm dæmonibus, & damnatis, qui peccata vitare, niſi phyſicâ libertate, non poſſunt. Homo igitur viator inter Chriſtum, & Dæmones, damnatoſque medius, mediâ poteſtate gaudet; inferiore, quàm Chriſtus; ſuperiore, quàm Dæmones, & damnati, hoc eſt, morali, qua tamen in hoc caſu careret, vt hæc reſponſio ſupponit, quod eſt abſurdum.

XXVII. *Secũda aſſeri, et probat.* At reſponderi II. poteſt, & verè, non defuturam libertatem quoq; moralem. Nam quamuis externum remedium ad peiora vitanda moraliter neceſſarium deſit; adhuc tamen Deus interiorem gratiam ſufficientem largitur, per quam homines facultatem non tantùm phyſicam, ſed moralem etiam eadem mala peiora vitandi habent: ſicut etiam qui versãtur in proximis peccandi periculis carẽt externo remedio, ad declinanda talia peccata moraliter per talium periculorũ ſubtractionem neceſſario; & tamen non carent gratia interiore, per quam eadem peccata vitare poſſunt, non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter.

XXVIII. *Aliter vrgetur argumẽtum, nõ poſſe à Deo vetari meretrices, aut nuditatem pectoris feminei omitti, ſi talis omiſſio* Aliter igitur confirmatio illa *num.* 22. & 25. adducta, explicari, & fulciri debet, quò vim habeat, hoc pacto. Magiſtratus, & pòpuli moderatores iure naturali tenentur permittere minus malum, quod ad maius valde cauendum moraliter neceſſarium cernunt, & niſi permittant, peccant mortaliter, quia prohibendo minus malum, facerent poſitiuè aliquid, quod plus mali, quàm boni pareret, vt ex ſuppoſitione euidens eſt. At hoc eſt intrinſecè omnino malum, vt ſupra *num.* 14. ex P. Pallauicino animaduerti. Nam ſicut ille actus, qui plus boni Reipub. rationali, quàm mali affert, honeſtus eſt, ita contra qui plus mali, quàm boni eidẽ parit, illicitus, & intrinſecè malus. *foret neceſſaria arcẽdis malis peioribus.* Hic verò ſupponimus, nuditatem muliebris pectoris ad peiora vitanda eſſe moraliter neceſſariam. Ergo ex prohibitione talis nuditatis plus mali, quàm boni oriretur, vt ex ſuppoſitione pariter liquidum eſt. Ergo talis prohibitio eſſet intrinſecè mala, atq; illicita. Ergo Deus adhuc peccaret eiuſmodi nuditatem vetando. Ergo quum hæc impia blaſphemia ſit, falſum eſt nuditatem muliebris pectoris eſſe remedium in populis incontinentioribus ad mala maiora cauenda moraliter neceſſarium. Idemque argumẽtum contra permiſſionem meretricũ, de qua *num.* 10. probè vrgetur. Quæ erat illius minoris propoſitionis *num.* 9. indicatæ pars altera *num.* 23. inſinuata, probanda.

Verùm is ipſe prætextus maiorum criminum declinandorum a Caietano primùm inuentus, & ab alijs, quò vſitatam pectoris muliebris nuditatem a peccato excuſent, tacitè ſaltem arreptus, tanquam inanis, & falſus a S. Ioanne Chryſoſtomo quoque *hom.* 28. *in Epiſt. ad Hebræos*, ſupra iam ſemel adductâ, luculentiſſimè ita redarguitur: XXIX. *Licẽtia ornatus nõ áuertit maiora mala, nec viros a pellicibus.* *Crede mihi mulier, etiamſi multum ſit vir ille inferiora ſapiens, hæc illum magis illiciunt, hoc eſt, manſuetudo pudicitia, habitus ſine typho, ſine multis expenſis, vilis, & humilis. Impudicum quippe virum, etiamſi multa excogites ornamenta, non obtinebis. Et hoc nôrunt, quotquot huiuſmodi viros habuere. Quantumlibet enim tu ſtudeas adornari, ille, ſi incontinens eſt, ad alteram pergit.* Quæ S. Chryſoſtomi aperta ſententia, & communis experientia ab ipſo teſtata, quàm maxi-

mè hanc ſecundam opinionem corroborat, cuius fundamenta hîc in mediū profero, atque expendo.

XXX.

Experimenta a S.Chryſoſtomo de nimio vxoris cultu nō abducēte maritos ab adulterijs allata, militāt etiam extra Græciā.

Neque hinc euadet, ſi quis cauſſetur, talem experientiam a S. Chryſoſtomo commemoratam, extra Græciam, de qua ille loquitur, non egrédi. Nam I. eadem prorſus experientia in alijs quoque regionibus, in quibus incontinentia, non minùs modò, quàm tum in Græcia, graſſatur, pariter comperta eſt. II. Vel ais caſtitatem in Græcia tum magis floruiſſe, quàm iam in pleriſque Europæ regionibus, in Italia, in Gallia, in Belgio, in quarum locis nonnullis muliebris pectoris nuditas vſitata eſt; vel minùs. Non primum, quia tempore etiam S. Chryſoſtomi nefandæ Veneris crimen infame in tota Græcia adeo erat peruagatum, commune, & vulgatum, vt iam ampliùs probro, ac dedecori non duceretur, ſed honori, & gloriæ, quemadmodum teſtatur, non aliquis alienigena Græcorum inuidus, ſed ipſemet idem S. Chryſoſtomus Græcus *lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ*, vbi adeo horribilia de Græcorum vitijs narrat planiſſimè, vt fruſtra illi eâ tempeſtate vllam vrbem Italiæ, Galliæ, aut Belgij caſtitatis laude a ſe vinci modò, ſomniare potuerint. Non ſecundum, quia ratio a S.Chryſoſtomo reddita, *quantumlibet ſtudeas adornari, ille, ſi incontinens eſt, ad alteram pergit*; eſt omnino vniuerſalis, & vbique locorum, etiam in populis minùs laſciuis ſuam vim retinet, vt antea oſtendi. III. Ipſemet Caietanus, qui eiuſmodi prætextum primus indicauit, valde timidè 2. 2. q. 169. *art.* 2. *ad* 1. *dubium*, cum ita proponit: *Fortè enim vix ſic a viris amantur, & eos diuertunt a maioribus criminibus:* Et in *Summa, Verbo, Ornatus, cap.* 4. eâdem dubitandi formulâ; *In remedium, ne peiora fiant, fortè introductus.* Nota Tò *fortè* vtrobique, quod incertam hominis ſuſpicionem præ ſe fert, quam S. Chryſoſtomus manifeſtis experimentis elidit, certò denuntians: *Impudicum quippe virum, etiamſi multa excogites ornamenta; non obtinebis. Et hoc nôrunt, quot quot huiuſmodi viros habuere.*

XXXI.

Nec eſt conſuetudo nudādi pectoris feminei legitima.

Dices I. talem conſuetudinem nudandi muliebris pectoris, iuſtam cauſſam reputari, vt ea licitè vſurpari poſſit. Reſpondeo iuſtam cauſſam, vel conſuetudinem illam eſſe non poſſe, ex qua plus mali, quàm boni emergit, vt euidens eſt, & paulò poſt magis liquebit, vbi docebo talem conſuetudinem fore irrationabilem, ac proinde inualidam, neque iuſtam. Ex conſuetudine autem nudi pectoris muliebris plus mali, quàm boni, fluere iam ſupra probaui. Ergo nulla iuſta cauſſa ab huiuſmodi cōſuetudine ſuppeditari poteſt.

XXXII.

Neq; talis nuditas moderatus ornatus eſſe poteſt.

Dices II. Ipſam muliebris pectoris nuditatem, beneficio, ac vi conſuetudinis in moderatum ornatum tranſire, quem eſſe licitum *diſp.* 1. *cap.* 1. etiamſi plerique hinc ad libidinem ſolicitentur, *cap.* 6. §. 1. *num.* 1. decretum eſt. Reſpondeo moderatum ornatum, ex quo plus mali, quàm boni, ſequitur, dici non poſſe, vt liquet. Ita ornatus decens, & moderatus, qui modò pro cuiuſque ſtatu retinendo, & diſtinguēdo adhibetur, ſi plus mali, quàm boni, ex eo oritur, non ampliùs moderatus, neque licitus foret, vt perſpectum eſt. At ex muliebris pectoris nuditate etiam conſueta plus mali, quàm boni manat, vt iam demonſtratum eſt. Ergo talis nuditas prætextu moderati ornatus cohoneſtari non poteſt.

§. III.

§. *III. Eadem opinio alijs argumentis refellitur.*

XXXIII. *Nudita feminei pectoris licèt cōſueta lethalis eſt quia a Deo vetita.*

III. PRincipaliter eandem opinionem reijcio; quia nuditatis pectoralis ornamentum in feminis, quando ad malum prouocatiuum eſt, iure diuino, & naturali prohibitū eſt, vt *diſp.* 1. *cap.* 2. *& cap.* 7. §. 17. docui, neque vlla conſuetudine, vel præſcriptione contraria licitum reddi poteſt, vt iiſdem in locis perſpicuè oſtendi. At nuditas mulebris pectoris, quanquam vſitata, extra moderatum ornatum eſt, ſi quidem plus mali, quàm boni, vt explicaui, ex ea fluit; atque ad laſciuiam notabiliter adhuc prouocat, vt docui. Ergo hæc iure diuino, & naturali adhuc vetita eſt, nullâque oppoſitâ conſuetudine tueri ſe poteſt. Ergo quum præceptum, quod eam prohibet, ſit de re graui, vt patet ex grauitate ſcelerum, quæ inde oriuntur; ſi per notabilem ornatus prouocationem ad malum grauiter violetur, quæcunque id ita violat, culpam lethiferam contrahit. Ergo eiuſmodi nuditas pectoris, vtcunque etiam vſitata, quia ad libidinem vehementer adhuc prouocat, tali quoque crimine obſtringitur.

XXXIV. *Et quia talis cōſuetudo irrationabilis eſt, adeoq; non poteſt legem elidere.*

IV. Hoc ipſum magis confirmo, & priorem opinionem conuello, quia conſuetudo, vt poſſit contra ius præſcribere, legemque elidere, requirit neceſſariò, vt ſit rationabilis; irrationabilis verò nihil penitùs poteſt, quemadmodum Doctores apud Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 13. *num.* 7. *&* 8. Leſſium *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 6. *nu.* 46 & Arriagam 1. 2. *tom.* 2. *diſp.* 24. *ſect.* 5. *nu.* 33. Mazolum, & Card. Tuſcum relatos a Barboſa in *Collectaneis. cap. Quum tanto, de conſuetudine*; & apud alios paſſim ſine controuerſia decernunt; neque irrationabilis conſuetudo a peccato excuſat, vt cum Flaminio notat Barboſa in *cap. conſuetudinem, de conſuet. in* 6. At irrationabilis conſuetudo ea quoque eſt, quæ ***vel peccandi occaſionem aliquo modo præbet, vel communi vtilitati eſt perniciosa, vel aliam ſimilem conditionem habet, etiamſi contra ius diuinum non ſit***, vt ex vulgata Doctorum opinione idem Suarez *ibid. cap.* 6. *num.* 14. tradit; aut certè illa pariter, quæ eſt ***aut de obiecto naturâ ſuâ malo, aut habet circumſtantiam eſſentialiter malam, aut licèt ſit de opere honeſto, & ſancto, nimis tamen graue onus induceret, ſi vniuerſaliter ad illud obligaret: aut cuius materia etſi factibilis ſit, & alioquin non prohibita lege naturæ, eſt tamen valde periculoſa, & potiùs diſpoſitiua ad malum, quàm ad bonum***, vt idem Arriaga inibi ex communi itidem Doctorum placito ediſſerit. Sed conſuetudo nudandi pectus muliebre eſt valde periculoſa, & potiùs diſpoſitiua ad malum, quàm ad bonum, vt iam probatum, & euidens eſt. Ergo eſt irrationabilis. Rurſum, peccandi occaſionem eadem conſuetudo nō quocunq; modo dumtaxat, ſed grauem etiam præbet. Ergo multo magis eſt irrationabilis. Item communi vtilitati eſt pernicioſa, quia plus mali, quàm boni ex ea oritur, vt patefactum eſt. Ergo multo adhuc magis eſt irrationabilis. Ergo etiamſi ius diuinum, & naturale ei non obſtarent, ſed humanum dumtaxat, illa adhuc ad iſtud elidendum foret prorſus inualida. At enim hæc eadem conſuetudo iuri etiam diuino, & naturali, vt *diſp.* 1. *cap.* 2. *& cap.* 7. § 17. *citato* probaui, aduerſatur. Ergo longè adhuc ampliùs eſt irrationabilis, ac proinde tanto imbecillior etiam, & nullius ponderis ad vtrumque illud ius, vel alterutrum labefactandum,

dum, vt perſpicuum eſt. Ergo adhuc iure diuino, & naturali prohibita eſt, nec quicquam virium habet ad innumera delicta, quæ ex ipſamet deriuantur, vt conſtat, excuſanda, quandoquidem nulla iuſta cauſſa ſuppetit talis conſuetudinis, ex qua plus mali, quàm boni oritur, retinendæ, vel vſurpandæ, vt liquet, commodeque ipſa omitti poteſt, vt ex eadem *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 11. *&* 17. compertum eſt. Confirmatur, quia legitima conſuetudo ſicut abrogat legem humanam, ſic a culpa etiam veniali liberat, vt conſtat. At nuditas vſitata pectoris ab Auctoribus primæ opinionis eximitur ſolum a mortali crimine; vnde tacitè ab iiſdem innuitur veniali ſaltem culpæ eſſe obnoxiam, vt diſertè tradit Graffis l. c. Ergo nullo modo poteſt talis conſuetudo eſſe rationabilis, nec legitima.

XXXV. *Et quia valde ad libidinē incitat.* V. Eadem ſententia perſtringitur, ac refellitur magis cunctis illis argumentis, quibus *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 7. 8. 9. & 10. oſtendi immodicè valde ornatum ad Venerem notabiliter allicientem eſſe lethalem. Nam illa ipſa hîc replicata, atque inculcata euincunt etiam nuditatem muliebris pectoris, quantumuis vſitatam, eſſe planè mortiferam.

XXXVI. *Et quia reprobatur a ſuiſmet Auctoribus, ac patronis.* VI. Sed longè adhuc validiùs hanc demonſtro, & oppoſitam ſententiam funditus euerto; quia ipſimet primæ opinionis patroni vltro eandem opinionem deſerunt, iugulant, perdunt. Quî tandem? quia talem nudandi pectoris conſuetudinem, qua mulieres illud detegentes honeſtari, atque excuſari cenſent, ipſimet primi improbant, & extirpandam clamant. Caietanus, qui primus vexillum prioris ſententiæ erexit, 2. 2. q. 169. *art.* 2. *ad* 1. *dubium. verſ. ad obiectionem autem de ornatu*; vbi dixit, *Non videtur vituperabilis conſuetudo mulierum pectus nudum deferentium. Fortè enim vix ſic a viris amantur, & eos diuertunt a maioribus criminibus*: immediatè poſt id conuellit, addens: *vbi tamen conſuetudo non eſt, inhibendum eſſet, & citò extirpanda, ne creſceret; quoniam conditio iſta, quæ eſt, eſſe prouocatiuum ad laſciuiam, regulanda ſit eſt, ne animi iuuenum molleſcant.* Caietanum ducem reliqui ſecuti, eodemque conſcientiæ remorſu impulſi, elatè vociferantur huiuſmodi conſuetudinem eſſe exterminandam. Teſtor Nauarrum in *Manuali, cap.* 23. *num.* 19. vbi diſertè monet: *Quanquam hæc conſuetudo eiuſmodi eſt, vt indigna ſit, quam, qui ea carent, imitentur; & digna, quæ a locis, in quibus eſt, paulatim extirpetur.* Teſtor Graffium *lib.* 2. *Deciſ. aurear. cap.* 76. *num.* 8. vbi rotundè ait: *Quanquam talis conſuetudo extirpari debeat.* Teſtor Filliucium *tract.* 30. *cap.* 10. *num.* 221. vbi explicatè pronuntiat: *Quanuis præſtaret auferri talem conſuetudinem.* Teſtor Leſſium *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 112. vbi dilucidè ſcribit: *Res ipſa meritò ob periculum, etiam vbi eſt recepta, tanquam illicium libidinis, eſſet abroganda, vt Doctores monent*, communibus videlicet ſuffragijs. Teſtor Laymannū *lib.* 2. *Theol. moral. tract.* 3. *cap.* 13. *nu.* 11. §. 6. vbi Leſſio ſubſcribens, negat laudabilem eſſe conſuetudinem, ſancitque cum eodem mortale eſſe hanc, vbi non eſt, introducere. Teſtor Azorium *par.* 2. *inſtit. lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 13. vbi expreſsè docet: *Omnes conuenire, vbi non eſt talis conſuetudo, eam non debere admitti, & eſſe peccatum, ſic vti veſtitu: at vbi talis conſuetudo poſſet commodè tolli, eſſet tollenda.* Teſtor Bonacinam *de Matrimonio, quæſt.* 4. *pun.* 9. *num.* 23. vbi Nauarro, Leſſio, Azorio

rio citatis aſtipulatus, inducere huiuſmodi conſuetudinem, vbi non eſt, mortalis damnat. Teſtor Fumum in *Armillæ, Verbo, Ornatus*, vbi a veſtigijs Caietani ne latum quidē vnguem diſcedit. Teſtor Thomā Sanchez *lib.9. de matrimonio, diſp. 46. num. 26* vbi palàm Caietani, Armillæ, & Nauarri placitis annuit. Teſtor denique Dianā *par.5. tract.7. reſol.31. vers. Non deſinam*, vbi apertè Laymanni ſententiam amplectitur. Totidem verò Auctores, & non plures, prioris opinionis patroni a me reperiri hactenus potuerunt, vt ſupra *num. 3.* memoraui.

XXXVII. *Qui ſibimet auctoritatē detrahūt.* Atqui hi cuncti ſuæmet opinioni auctoritatem, ac probabilitatem omnem detrahunt, eamque de medio penitùs tollunt, ac perimunt, vt iam reuinco. Nam in Repub. tanquam certa & indubitata regula ab omnibus Doctoribus præſcribitur, vt vbi ex vtraque parte bona, & mala; commoda, & incommoda emergunt, maius bonum, & minùs incommodum ſemper præferatur, vt perſpectum eſt. Quæro nunc. Conſuetudo nudandi pectoris muliebris, vbi iam eſt, conducitne publicæ vtilitati, & plus boni ex ea, quàm mali, naſcitur, necne? Quid aiunt? conducit, & plus boni ex ea oritur, quàm mali? Ergo falsò, & temerè contendunt eſſe expellendam, ſibique turpiter aduerſantur. Nam ſi talis conſuetudo vtilis eſt, pluſque boni, quàm mali, gignit, omnino retinenda eſt: imò etiam, quum ſit per ſe indifferens, vt conuenit inter omnes, in alias quoque regiones, in quibus eadem maiora mala, quæ in illis locis, vbi iam ipſa viget, regnant, quibus mederi cenſetur, reperiuntur, & gliſcunt, quæ eandem medicinam, vel cauterium requirunt; introducenda omnino foret, maleq; mererētur Principes de talibus regionibus ſibi ſubiectis, niſi eam introduci ſeriò curarent, vt manifeſtum eſt. Ergo perperam Caietanus, & cæteri generatim tradunt, *vbi tamen conſuetudo non eſt, citò extirpandam, ne creſcat*: nam in pleriſque alijs locis quoque, in quibus non eſt, ad maiora mala cauenda eodem modo vtilis, & accommodata eſſe poteſt, & moraliter etiam neceſſaria, ac proinde non extirpanda, ſed potiùs fouenda, & de nouo inuehenda. Confirmatur, quia prætextus honeſtandæ talis conſuetudinis a Caietano excogitatus; quòd mulieres etiam ita nudo pectore *vix a viris amantur, & eos diuertunt a maioribus criminibus*, locum habet non ſolùm in ijs locis, in quibus ea conſuetudo iam eſt, ſed in alijs quoque, in quibus nondum eſt: atque adeo conſuetudo illa ob eandem rationem, ſeu prætextum in hæc alia loca etiam eſſet inferenda, vt patet. Ergo malè id Caietanus, & huius aſſeclæ inficiantur. Ergo malè item Bonacina, Leſſius, Filliucius, Azor, & Layman, infra citandi vniuersè ſanciunt, culpam eſſe lethiferam inducere huiuſmodi conſuetudinem in regiones, in quibus non eſt. Nam inducere in eas, in quibus ad maiora mala vitanda moraliter neceſſaria eſt, non ſolùm mortale crimen non eſt, ſed nec veniale, imò opus bonum eſt, & virtus caritatis, vt conſtat. Ergo tales Auctores ſibiprorſus contradicūt, dum talem conſuetudinem hinc plus boni parere, quàm mali, ſtatuunt; illinc extirpandam nihilominùs, vel repellendam, generaliter ſine vlla exceptione decernunt.

Hîc quid reſponſi dant? Negant prorſus ex tali conſuetudine plus boni oriri, quàm mali, multoque plus mali ex ea manare, quàm boni, arbitrantur; ac propterea & longè arcendam ab XXXVIII. *Neq; ſe extricare queunt.*

ijs

ijs locis, in quibus non eſt; & euellendam ex alijs, vbi iam eſt; vno ore ſuadent? Rectè ſanè. At nihilominùs ſibimet adhuc repugnant. I. Dum talem conſuetudinem eo nomine honeſtari cum Caietano putant, quòd ad maiora crimina auertenda conducat, quæ eſt aperta contradictio, vt euidens eſt. II. dum hinc affirmant, muliebris pectoris nuditatem excuſari conſuetudine; illinc verò fatentur, huiuſmodi nuditatis conſuetudinem eſſe adhuc illicium libidinis, & creare peccandi periculum ſanè non leue, nec commune, vt ſunt reliqua huius Mundi, ſed graue, & peculiare; ac proinde & peculiariter cauendum clamant, quum tamen cæteris communibus cõniueant; denique ex tali conſuetudine plus mali, quàm boni emergere iam ſtatuunt. Ergo talem conſuetudinem non ſubſiſtere, ſed meram eſſe corruptelam, neceſſariò concedunt; atque adeo etiam ad excuſandam muliebris pectoris nuditatem a peccatis hinc natis eſſe prorſus ineptam, velint, nolint, palàm edicunt; quæ eſt altera contradictio tam clara, quàm prior. Ergo Auctores primæ opinionis, quocunque ſe vertant, in laqueos incidũt, & ipſimet ſuam opinionem vulnerãt, impugnant, ac damnant.

XXXIX. *Occurritur diuerticulo, doceturque prauam eſſe conſuetudinem, ex qua plꝰ mali ſequitur.*

Dices, hinc ſequi, ſi conſuetudo, ex qua plus mali, quàm boni, emergit, corruptela eſt, vix fore vllam actionẽ, quæ vniuersè per conſuetudinem excuſari queat. Reſpondeo, quicquid per conſuetudinem excuſatur, eâ conſuetudine iuxta Doctores omnes tantummodo excuſari, quæ eſt rationabilis; non eſſe autem rationabilem, ex qua plus mali notabiliter, quàm boni ſequi compertum eſt, vt ex terminis palàm liquet. Quod verò hinc plurimæ damnarentur conſuetudines, tranſeat, viderintque ij, qui tam facilè conſuetudinis nomine donant, & excuſatum eunt illas etiam, ex quibus plus mali, quàm boni in Rempub. redundat, quas tamen Patres, & omnia iura corruptelas eſſe decernunt, appellant, ac deteſtantur. Si enim, vt praua ſit conſuetudo, & corruptela idcirco reputetur, a peccato iuxta leges nequaquam vindicans, ſatis non eſt, vt valde plus mali, quàm boni, ex ea ſequatur; quid, obſecro, præterea iuxta Doctores, & iura neceſſariò requiritur? Ignorare me fateor. Si me id docueris, eris mihi magnus Apollo.

Doctores ſolitam etiã pectoris nuditatem mortalis notãtes. XL.

VII. Eandem primam opinionem proſternunt, & ſecundam fulciunt acerrimè omnes illi Doctores *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 4. & 5. in aciem educti, qui immodicum feminæ ornatum valde ad libidinem prouocantem vtcunque conſuetum mortali culpæ addicunt. Nam muliebris pectoris nuditas, ſpecies quædam ornatus feminei eſt, vt cuncti docent, & ipſæmet mulieres, quæ huius rei gratiâ, quò pulchriores videantur, illam adhibent, teſtificantur. At huiuſmodi nuditas pectoris, quanuis vſitata ſit, tamen ad malum adhuc, præſertim reliquo ornatui artificioſo, & naturali pulchritudini adiecta, notabiliter incitat, vt antea explanaui. Ergo ijdem Doctores & hanc quoque nuditatem pectoris ream lethiferi delicti iudicare coguntur, vt perſpicuum eſt. Quod autem nonnulli ex illis minimè ſibi deinde conſentientes in cõtrariam partem migrarint, & conſuetam muliebris pectoris nuditatem a mortali liberarint; mea nihil refert, ipſi viderint, quomodo ſibi cohæreant. At eadem prima opinio oppugnatur præterea grauiſſima auctoritate veterum Patrum, qui, vt *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 6. 7. 8. & 19. *num.* 236. oſtendi, damnant culpæ mortalis ſuperfluum mulieris

lieris cultum ex eo, quòd is *ſit alijs exitio, & pro gladio ad necem alterius; & concupiſcendi libidinem nutriat; & peccandi fomenta ſuccendat; & velut gladium, & venenum videntibus ſe præbeat; & accendat ignem, & dexteram armet, & adulteros præparet, & calicem pernicioſum miſceat, ac præbeat: & aucupium hominum ſit, & immanes voluptates procreet, & pudicis afferat excidium, & incentiuum vitiorum ſit, & oculos intuentium faſcinet, & ignem iuuenum, & fomenta libidinum* ſuppeditet. At certum eſt, iſta omnia, & alia plura a priſcis Patribus ſupra relatis affirmari de muliebri ornatu valde prouocatiuo ad malum, tametſi is conſuetiſſimus, & vſitatiſſimus foret, & idcirco damnari eundem nihilominùs peccati mortalis. Ergo multo magis eadem omnia ab iiſdem Patribus dicta quoque & de conſueta muliebris pectoris nuditate cum reliquo ornatu coniuncta neceſſariò intelliguntur; ſiquidem inter ornatum libidinis prouocatiuum vſitatum, multo magis proritat conſueta etiam nuditas feminei pectoris, cum cætero ornatu copulata, quàm ſolus reliquus mulieris cultus, vt patet experientiâ, & infra etiam docebo. Et conſequentur talis nuditas, licèt vſitata, multò magis rea peccati mortalis a dictis Patribus reputatur, vt palàm eſt. Nec obeſt, quòd fucatio peſſimum locum inter ornamenta teneat, vt *diſput. 1. cap. 7. §. 2. num.* 24. notaui; id enim intelligitur de fuco comparato, non ſanè cum nuditate pectoris, ſed cum alijs cultus illecebris.

XLI. *Nec multitudo errantiũ aduerſæ opinioni patrocinatur.* Sed dicet aliquis. Quid vis probare? primam ſententiam non eſſe in praxi probabilem? At huiuſmodi nuditas pectoris multis populis in vſu iam dudum eſt, quos tamen omnes, ſi ea probabilis non eſt, in ſtatu damnationis iacere opus eſt. Hoc verò nimis crudum, & crudele eſſe, quis non cernit? Reſponderi poteſt I. ex S. Hieronymo, vt citat, & notat Iacobus Vngarellus Angeli commentator, in huius *Summæ, Verbo, Ornatus; nu. 3. lit. H. multitudinem peccantium non præbere errori patrocinium*. II. Si huiuſmodi aſylum hic tutum reputetur, hoc eodem & quaſcunque alias conſuetudines vtcunque irrationales, & meras corruptelas, quæ tamen pleriſque in locis vſitatiſſimæ ſunt, &, ſi reprobentur, complures quoque populos eodem modo perire neceſſe eſt, nullo negotio excuſatum iri, quod vt falſum, & abſurdum eſt, ita & a cunctis ſapientibus negatur. Ergo non mirum, ſi neque in præſenti caſu talis prætextus admittitur. III. Excuſari legitimè populos tali vtentes conſuetudine ob ignorantiam talis corruptelæ inuincibilem, quam innocentem eſſe conſuetudinem ſibi ordinariè perſuadent. Nec obſtat tanta turba Sapientium in illis regionibus, qui feminas monere teneantur I. quia tales ſapientes accommodant ſe in praxi primæ ſententiæ eas liberanti a mortali. II. quia quum apud Auctores non extet res examinata; neque apud eos demonſtratum ſit, multo plus mali, quàm boni ex tali conſuetudine manare, facilè ſibi perſuadent cum Caietano, & aſſeclis, eſſe permittendam, vt peiora vitentur. An verò hoc ſcuto tueri ſe legitimè queant, ſi has rationes inſpiciant, ac perpendant, prudenti Lectori iudicandum ego relinquo.

XLII. *Diluuntur obiecta.* Vnde molli admodum brachio omnia oppoſitæ ſententiæ fundamenta initio propoſita diſſoluo. Nam I. pectus muliebre, & mamillas, vtcunq; partes honeſtæ ſint, ac reputentur, tegere lex ipſa naturalis, & diuina de vitando

tando puſillorum ſcandalo, ſubducendaque proximo graui delictorum occaſione, omnino iubet. II. Pectus, & mamillæ, quanquam non ita per ſe ad laſciuiam prouocant, velut nuda pudenda; adhuc tamen notabiliter valde prouocant, vt a fortiori, de quouis alio ornatu valde immodico, etſi minùs periculoſo, quàm detectio mamillarum, vel pectoris ſit, diſputans *diſp.* 1. *toto cap.* 7. oſtendi: quam etiam notabilem prouocationem ſatis eſſe ad culpam mortalem contrahendam *ibidem* patefeci. Confirmatur, quia ita ſe habet aſpectus ad aſpectum, vt tactus ad tactum: tactus autem mamillarum de ſe eſt mortalis, vt tradunt ex communi ſententia Doctores, teſte Granado in 1. 2. *controu.* 6. *tract.* 4. *diſp.* 7. *num.* 5. *&* 6. & Diana *par.* 3. *tract.* 5. Miſcell. *reſol.* 89. Faciei verò vtcunque pulchræ, & fucatæ, & ornatæ tactus de ſe non damnatur lethiferæ culpæ a Doctoribus communiter, redditurque diſparitatis ratio, quia tactus vberum ex ſe notabiliter commouet ſenſualitatem, tactus autem faciei nequaquam, ſed leuiter tantùm. Ergo & aſpectus vberum, cæteris paribus, multo magis ſeſualitatem commouet, quàm aſpectus faciei, vtcunque pulchræ, fucatæ, & ornatæ, etſi fucatio inter omnia ornamenta prouocatiua laſciuię, ſit, vt *diſp.* 1. ex S. Chryſoſtomo, & Caietano notaui, omnium peſſima. Conſequentia tenet, quia vt tactus vberum valde ad copulam prouocant, quæ vt viciniora, ſunt pudendis, & horum ſpeciem excitant, ita etiam ſimilem ſpeciem ingerunt, non raro, ipſis aſpicientibus.

Aſpect⁹ vberum, aut pectoris pl⁹ incitat ad malū, quàm aſpectus faciei pulchræ.

III. Maiora mala per mulierum pectoralem nuditatem a Republica arceri, demonſtraui iam imaginarium eſſe figmentum.

XLIII. Hinc, prudens Lector colligat, quęſo, mecum, ſeduloque perpendat, quanta ſit vis veritatis, quàm acuti ſtimuli, quàm magna potentia. Auctores quippe primæ opinionis animaduertentes feminei pectoris nuditatem per varios populos inueteratâ cõſuetudine ſparſam; vt hos a damnationis periculo, in quo, ea opinione tanquam improbabili reiectâ, omnino iacerent, reuocarent, non dederunt ſanè operam, vt talem corruptelam ex ſacrę Scripturę, veterum Patrum, & rationum præſcripto, vt par erat, redarguerent, ſimulque euellere conarentur; ſed e contrario prorſus, vt huiuſmodi corruptelam honeſtarent, piâ affectione, & intentione ducti, diuinam Scripturam, antiquos Patres, graueſque rationes perblandè mitigare, ac in eiuſdem, cõſuetudinis patrociniũ traducere nõ ſegniter ſtuduerũt; quod quàm apertè, & ſtomachabundè a S. Hieronymo, ac a D. Auguſtino improbetur, iam ſupra in ipſomet Præludio obſeruaui. Nihilominùs ijdem Doctores emicantibus veritatis radijs perculſi, conſcientiaque icti, & victi, manus ei tandem, herbamque porrexerunt, & ſine fuco & fallacia confeſſi ſunt, eandem ipſam nuditatis femineæ pectoralis conſuetudinem, quam tuebantur, tanquam *libidinis illicium*, hoc eſt, velut manifeſtam corruptelam, eſſe extirpandam: hac ipſa confeſſione dilucidè teſtati, talem cõſuetudinem eſſe flagitioſam, ac turpem, neque feminis pectus nudantibus vllum excuſationis ſcutum præbere, ſed, vt compertam impudicitiæ teſſeram ipſa habet, quemadmodum Doctores ſecundæ ſententiæ illam nuncupãt, ita etiam certum damnationis præludium iiſdem conflare, vt ex dictis abunde ſatis iam liquet.

Auctores ſolitã pectoris nuditatẽ negãtes eſſe lethalẽ veritate victi ſibi non conſtant.

§. IV.

§. IV. *Explicatur auctoris ſententia.*

XLIV. *Patres improbãtes cõſuetudinem muliebris capitis detegendi, multo magis exagitant conſuetudinem nudãdi pectoris.*

QVÆ quum ita ſe habeant, Chriſtianum Lectorem candidè veritatis amantem hîc ego ſummopere obteſtor, vt ſecum maturè reputet, quàm grauiter antiqui Patres, Apoſtolorum exemplo, ſpirituq; ducti conſuetudinem, non dico, nudãdi pectoris, ſed capitis dumtaxat minimè tecti omnium oculis exponendi a feminis paſſim, atque vbique vſurpatam reprehenderint, atque exagitauerint. Horum cenſuram infra *diſp. 3. cap. 2.* intuebimur. Interea vnum inſtar omnium hoc loco Tertullianum in anteceſſum appello, qui librum integrum *de virginibus velandis* luculenter elucubrauit. At quid is, quid reliqui Patres dicerent de ijs mulieribus, quæ nõ caput tantummodo liberè detegunt, ſed pectus quoque, aut etiam vbera ſine vlla verecundia nudant? An non illi videbant conſuetudinem nudo capite incedendi a feminis arreptam plurimos apud populos publicè iamdudum inualuiſſe? videbant ſanè, animaduertebant, palpabant; & nihilominùs huiuſmodi conſuetudines omnes, morum diſciplinæ incommodantes, veritatique obluctantes, velut noxias corruptelas perſtringebant, damnabant, euerberabant. Quàm neruosè acriterque idem Tertullianus in illo, quem laudaui, libro ſtatim initio:

Lib. de Virg. velan. c. 1. Nec conſuetudo obſtare poteſt Dei legi

Oſtendam, inquit, *Virgines noſtras velari oportere, ex quo tranſitum ætatis ſuæ fecerunt.* At reclamant nationes, reclamant populi, reclamant gentium mores. Reclamant autem? quid tum poſtea? *Hoc exigere veritatem* docebo, inquit idem Auctor, *cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè conſuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita aduersùs veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem, cognominauit. Si ſemper Chriſtus, & prior omnibus, æquè veritas ſempiterna, & antiqua res.* Quocirca ego cunctos humanos reſpectus ablegans, ſolamque veritatem fixo obtutu contemplans.

XLV. *Nuditas pectoris muliebris, vbi neceſſaria ad maiora mala vitãda, ferẽda eſt, nec peccant ibi ita incedentes.*

Aſſero I. ſi quibuſdam in locis conſuetudo feminei pectoris nudandi ad maiora mala cauenda moraliter neceſſaria foret, hanc inde, donec talium malorum periculum ingruit, minimè eſſe tollendam: quemadmodum ipſa lex, & ordo caritatis planè præſcribit: quæ verò ibi ſic incedunt ſine praua intentione, & abſque alia mala circumſtantia; eas, etſi turpiter appetantur, nec venialiter peccare, quia ex iuſta cauſſa ad peiora vitanda, tali pectoris nuditate vſitatâ, atque ex ſe indifferenti vtuntur, vt probatum eſt. Atque in hoc ſenſu Doctores primæ opinionis amplector.

XLVI. *Peccant verò mortiferè ſic detegentes, vbi talis nuditas pectoris neceſſaria non eſt malis peioribꝰ cauendis.*

Aſſero II. vbi eadem muliebris pectoris nuditas ad grauiora inconuenientia declinanda, non eſt moraliter neceſſaria, conſuetudinem talis nuditatis non eſſe legitimam, ſed vituperabilem corruptelam, quæ ipſas feminas ita pectus nudantes a peccato lethali nequaquã excuſat, ſiquidem ſicuti ad malum valde prouocat, ſic etiam irrationabilis omnino eſt, iureque naturali, & diuino damnatur, cui ipſa nequit obſiſtere, neque per ſe ſolam poteſt quenquam, vt ſupra diſceptaui, excuſare; ac proinde quàm primum etiam commodè fieri poteſt, extirpanda eſt. In quo ſenſu, hæreo Auctoribus ſecundæ opinionis.

Segmentum I.
Quando peccent Principes nuditatem feminei pectoris permittentes.

XLVII. Et Principes quoq; lethaliter delinquũt nõ tollẽtes talẽ pectoris nuditatẽ, vbi valde perniciosa eſt.

Ex quibus tum hic, tum ſupra diſceptatis, I. infertur planiſſimè, in ijs regionibus, in quibus conſuetudo nudandi feminei pectoris, iam ſufficienter inducta, non eſt neceſſaria moraliter ad grauiora Reipub. incommoda cauenda; ſed e contrario mala Reipub. longè grauiora ex tolerata tali conſuetudine, quàm ſi aboleretur, ſequuntur; peccare mortaliter eos Principes, & Magiſtratus, qui illam non ſeriò prohibent, neque de medio tollunt, ſed permittunt. Ratio certa, & ſine controuerſia eſt, quia Princeps bonum commune procurare, & vſq; adeo cordi habere, vt illud cuiuſuis priuati commodo, etiam ſuo ſemper præferat, grauiter omnino tenetur, vt cuncti Theologi, & Iuriſconſulti, nec non etiam omnes Politici, tanquam veritatem prorſus indubitatam, tradunt. Ita S. Thomas *lib. 1. de Regimine Principum, cap. 1. & lib. 3. cap. 11. & de Regimine Iudæorum, quæſt. 6.* Victoria *Relect. 4. de poteſtate Papæ, & Concilij, propoſ. 17.* Medina *1. 2. quæſt. 90. art. 2. concluſ. 1.* Gerſon *tom. 4. de poteſt. Eccleſiæ, conſid. 13. col. 5.* Rangolius *in 1. Reg. cap. 8. verſ. 11. de reg. cap. 16.* Toſtatus *in Exodum, cap. 20. quæſt. 19.* Sineſius *de regno*, initio, Ægidius *de Regimine Principum, par. 2. lib. 3. cap. 6.* quos omnes Doctores affert, ac probat Laurentius Peirinis *tom. 2. de Prælato, quæſt. 1. cap. 7.* vbi etiam adducit S. Auguſtinum *lib. 19. de Ciuit. cap. 14.* quo loco id ſanctus Doctor ſubindicat. Quibus quoque conſentiunt Bellarminus *tom. 1. diſp. de Summo Pontifice, lib. 1. cap. 7. verſ. Reſpondeo duplex eſſe genus.* Lælius Zecchus *lib. 1. de Principatus adminiſtratione, cap. 6. num. 30. & lib. 2. cap. 1. num. 1.* Leonardus Leſſius *lib. 2. de Iuſt. cap. 1. dub. 3. num. 13.* cæteriquè Theologi ſine vlla diſſentione, vt videre eſt apud Topium *de poteſtate principum ſecul. §. 5. a num. 18.* vbi etiam complures Iuriſconſultos eiuſdem ſententiæ ſuffragatores, præter Theologos, enumerat. Ex Politicis autem eandem doctrinam ſanciunt, omnium princeps Ariſtoteles *lib. 1. Ethic. cap. 13. lib. 3. Polit. cap. 5. lib. 5. cap. 10. lib. 8. moral. cap. 10. & lib. 5. cap. 6.* Plato *lib. de regno*, nec non *lib. 1. & 8. de Repub. & in Eutidem.* Xenophon *lib. 8. de Pædia Cyri*, Iſocrates *in Areopag.* Cicero *lib. 1. de Offic.* Plutarchus *ad Principem ineruditum*, Seneca *lib. 1. de Clemen. cap. 14.* Euſebius *apud Stobæum Serm. 44.* Socrates *apud Xenophontem lib. 3. de dictis, & factis Socratis*, Petrus Gregorius Tolozanus *lib. 5. de Repub. cap. 5. num. 5. 6. 7. &c.* Adamus Contzen *lib. 2. Politic. cap. 2. §. 4. & 5.* Ioannes de Torres *in Philoſophia morali de Principibus, lib. 7. cap. 2. & 3.* Iuſtus Lipſius *lib. 2. Ciuilis doctrinæ, cap. 6. & lib. 1. Monit. & exempl. politic. cap. 7.* & Topius *§. 5. cit. a num. 26.*

Quia grauiter tenentur bonũ cõmune procurare, et præferre. Vt tradũt Theologi, & Politici quoque.

XLVIII. Etiam Ethnici.

Hinc Socrates *loc. cit. Rex*, inquit, *eligitur; non vt ſui ipſius curam babeat, ſed vt per ipſum, qui eum elegerunt, in felicitate viuant.* Hinc Plato *lib. 1. de iuſto apud* Tolozanum *loc. cit. ars*, ait, *quælibet eſt abſoluta, ideoq; minimè indigna, vt in tractandis negotijs, rebus, & hominibus, non ſua, ſed rerum ſibi commendatarum vtilitati conſulat; vt pupillis tutor; medicus ægris, nautis gubernator; ita Princeps, magiſtratus legitimus ſubditorum vtilitati proſpiciat.* Hinc Seneca *loc. cit.* de Imperatore, & Princi-

pe, *Patrem quidem patriæ*, inquit, *appellauimus, vt ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens*. Hinc Zecchus *lib. 1. cap. 6. cit.* Princeps *ſe habet*, ait, *ad populum, vt pater ad filios, & paſtor ad oues; curans principaliter bonum multitudinis.* Quoniam verò commune bonum duplex eſt, alterum vitæ huius confinijs incluſum, alterum in æterna felicitate ſitum; Princeps, in quantum Politicus eſt, vt rectè Zecchus *lib. 2. cit. cap. 1.* curare debet, vt ſui ſubditi virtutibus moralibus, atque intellectualibus, in quibus beatitas huius vitæ, quum in hominis operatione ſecundùm perfectam virtutem conſiſtat, poſita eſt, imbuatur: in quantum autem Princeps Chriſtianus eſt, operam dare debet, vt ſui ſubditi præceptorum Dei, & Eccleſiæ obſeruatione ad ſupernam patriam tendant. Vnde Princeps tria ſibi tanquam finem, vt bene S.Thomas *lib. 1. de Regim. Princ. tit. cap. 9.* debet conſtituere. I. vt populum ad Cæleſtem beatitudinem dirigat, præſcribens illa, quæ ad eam ducunt, vetanſque, quantum poteſt, contraria. II. vt ſtudeat concordiā, & pace ſubditos componere, & fouere. III. vt bonorum terrenorum abundantiam, quatenus hæc ad actus virtutum exercendos neceſſaria ſunt, procuret. Subſcribit ad vnguem Leſſius *lib. de Summo bono cap. 5. num. 24.* vbi multiplicia Principis onera, atq; obligationes, quibus obſtringitur, recenſens, inter reliqua, *debet curare*, inquit, *vt omnes tranquillè, & honeſtè viuant, & omnes religionis, & morum corruptelæ, quoad eius fieri poterit, e medio tollantur.*

Ad quid Princeps vt Chriſtianus obligetur.

XLIX. Ex quibus deducitur, Principem teneri grauiter ad bonum publicum curandum, non ſolùm cauendo magna communitatis damna iuſtitiæ oppoſita, ſed arcendo quoque alia quælibet vitia, & corruptelas, quæ moralibus virtutibus aduerſantur, vt decernunt Leſſius *loc. cit.* Ribadeneira *in Principe Chriſtiano*, Contzen *lib. 2. & 3.* Lipſius *loc. cit.* Bellochius *in praxi moral. Theol. par. 2. quæſt. 4. a nu. 492. ad nu. 504.* Diana *par. 2. tract. 15. reſol. 65. §. Secundò infertur*; cæterique communiter ſine diſcrepātia. Quocirca Princeps grauē aliquā correptelam cōtra bonos mores permittens, quam ſine grauiore Communitatis incommodo auferre poteſt, delinquit ſine vllo dubio mortiferè. Nam quicunque in graui aliquo officio grauiter deficit, grauis culpæ reus eſt, vt conſtat. Idcirco Parochus, qui Sacramenta, vt debet, non adminiſtrat; Pater familias, qui grauia filiorum ſcelera non corripit; Conſiliarius, qui in re graui veritatem non detegit Principi; Medicus ære conductus, qui ſalutem ægroti grauiter negligit; lethiferè delinquunt, vt apud omnes cōpertum eſt. Ergo multò magis peccat mortiferè Princeps grauem morū corruptelam tolerans, quam ſine maiore incommodo Reipub. prohibere poteſt, quandoquidem in grauiſſimo omnium officio, quod ſuſtinet, tanquā ſcilicet Medicus non vnius tantùm, ſed omnium; vt gubernator nauis Reipub.; vt tutor Communitatis; vt pater patriæ; grauiter omnino contra bonum publicum delinquit. Quamobrem Princeps, qui dat facultatem, vt publica domus ludo chartarum, vel alearum expoſita habeatur, vbi pleraque flagitia admittūtur, periuria, blaſphemiæ, rixæ, fraudes, &c. reus eſt mortalis culpæ, vt docent Graffis *par. 1. deciſ. lib. 2. cap. 122. nu. 17. & 19.* nec non *de caſibus reſeru. lib. 1. cap. 20. nu. 9.* Petrus Bellochius *loc. cit.*

Debet arcere vitiorum corruptelas a ſuis populis.

Quod ſi negligit in re graui, peccat mortaliter.

Dās Prīceps facultatē publica dom⁹ aleis, & chartis expoſita ad ludū, peccat etiam mortaliter.

cit. Alcozer *de ludo, cap.* 45. Ioſeph Auguſtinus, & Diana, vt fidem facit idem Diana *loc. cit. reſol.* 65. Ratio perſpicua eſt, quia quum publicæ eiuſmodi ædes talium ludorum valde obſint bono communi, vt bene ijdem Doctores expendunt, tenetur Princeps ſub mortali eas non permittere; ac proinde ſi permittat, ſine cauſsa vitandi maioris mali, pari ſcelere obſtringitur.

L. *Peccat etiam mortaliter tolerans obſcœna ſpectacula, & comœdias.*

Eandem ét ob cauſſam Princeps obſcœna ſpectacula tolerans, mortaliter delinquit, vt diſertè pronuntiat Adamus Contzen *lib. 2. Politic cap.* 13. § 6. *Tantum* quippe, *tam pernicioſum malum,* inquit, *vno verbo, vnâ ſchedâ tollere Princeps poteſt; & quia tam facilè obſiſtere poteſt, ſeruari ipſe non poteſt. Quis enim tumultum ciebit? Deinde Principum, & Ciuitatum iſtis delicijs ſubditorum plurimi offenduntur.* Hinc S. Cyprianus *Epiſt. 2. ad Donatum,* huiuſmodi fœda ſpectacula grauiter carpens, *Adulterium,* inquit, *diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectacula proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica.* Quę verba trutinans Ludouicus Cellotius *orat.* 12. ſic egregiè ediſſerit. *Hoc publicæ auctoritatis lenocinium vocat Cyprianus, lenones ait eſſe Magiſtratus, qui id permittant, aut imperent. Neque enim Dordalus, aut Ballio meretrices locarent in theatro, niſi Rectorum Ciuitatis voluntate meretrices in theatrum deducerentur. O leges Iuliæ! o Magiſtratuum ſanctitas! quibus matronarum pudor, & virginum verecundia Reipub. voce commiſſa eſt! o hiſtrionum infamia! quæ populi Principes quum afflauit, derepente mutat in lenones.* Ideo S. Carolus in quodã Concilio *par. 1. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis* relato, *de his etiam,* inquit, *Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, vt hiſtriones, & mimos, cæteroſque circulatores, & eius generis perditos homines e ſuis finibus eijciant, & in caupones, & alios, quicunque eos receperint, acriter animaduertant.*

LI. *Punitur Priceps diuinitus ob ſubditorum vitia a ſe permiſſa, & nõ correpta.*

Confirmatur eadem veritas ex graui ſupplicio, quo Deus Principes non impedientes ſcelera fornicationis, atque idololatriæ populi Iſraelitici puniuit ſuſpendiq; iuſſit, *Num.* 25. vt Vatablus, & alij notant. Quam pœnam irrogatam præſidibus examinans B. Petrus Damiani *lib. 4. Epiſt.* 15. meritò admirabundus interrogat: *Quid eſt, quòd populus in luxuriæ voraginẽ labitur, & in eorum Præpoſitos vindicatur? ſubditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur?* Mox verò ſapienter ita reſpondet: *Scilicet alius eſt, qui peccat; alius ille, qui vapulat. Cur hoc, niſi quia culpa ſubditorum in Præpoſitorum redundat opprobrium: & quod ab ouibus erratur, negligentiæ paſtoris adſcribitur? Et vide, quàm formidoloſa ſit conditio præſidentium, vt non modò pro ſuis, ſed etiam pro ſuditorum puniantur offenſis.* In quam quoque ſententiam multò ante iens Origenes *hom. 20. in Numer. Populus,* inquit, *peccat, & Principes puniuntur, & coguntur, pro populo rationem reddere, eo quia fortè non docuerunt, non monuerunt, non ſolicitè arguerunt. Hæc ſi cogitarent Principes, principatum non ambirent;*

LII. *Quia tenetur cauere publica ſcandala Populi, a quibus permittendis nullus excuſatur, niſi ra-*

Confirmatur præterea ex vniuerſaliſſima, & certiſſima doctrina de ſcandalo ſupra *diſp. 1. cap.* 5. enucleata, quam cũcti prorſus Theologi, ac Doctores probant, luculenterque S. Ioannes Chryſoſtomus *tom. 5. ſerm. contra concubinarios*; ita explicat: *Tum ſolùm liberamur a pœna, quæ poſita eſt in eos, qui ſcandalum dant alijs, ſi ex ſcandalo quoddam lucrum naſcatur maius damno, quod ex ſcandalo fit. Adeo-*

tione maioris mali vitandi. *que ſi hoc non fuerit; & hoc ſolùm obuenerit, vt ſcandalizentur alij, ſiue ob rationem aliquam, ſiue ob nullam, ſiue vt infirmi offendantur; ſanguis eorum ſuper caput noſtrum, & ex manibus noſtris Deus animas tales requiret.* Vbi perſpicuum eſt, ſermonem eſſe de ſcandalo, quod accidere in proximo animaduertitur ex dicto, factoue indifferenti, non autem de eo, quòd ex opere, vel dicto intrinſecè malo ſequitur. Qui enim tale ſcandalum dat, ob nullum maius lucrum inde emergens excuſari poteſt, vt liquet: ſecus verò, quum dictum, aut factum indifferens eſt, vt *diſp. 1. cap* 5. ſatis expendi. *Niſi reſiſtat corruptelis, reus eſt omnium ſcelerũ inde fluentium.* Quæ ſcandali permittendi, aut fugiendi exploratiſſima regula quum omnes complectatur, tum maximè, ac potiſſimè cunctos Principes obligat, qui grauiter tenentur eas corruptelas, etſi per ſe alioqui indifferentes, compeſcere, atque abrogare, ex quibus lõgè plus mali, quàm boni, manare probè ſciunt. Vnde Aquilienſe Concilium Patriarchale Vtinæ celebratum anno 1596. quum ſeueriſſimo interdicto vetuiſſet choreas in diebus feſtis Sãcti tutelaris, vel Patroni, vel dedicationis Eccleſiæ duci; mox ſubdit grauiſſimè: *Magiſtratus autem, & Dominos quoſcunque ius dicentes temporales per miſericordiam Dei obſecramus, ne prætextu iuriſdictionis tuendæ; quæ ſi timore Dei, & reuerentia ſacrorum non nitatur, incerto nutare ſtatu, & concidere facillimè ſolet: graue hoc piaculum defendere, & auctorizare conentur. Illis enim omnibus, & ſingulis edicimus, & obteſtamur coram Deo, & Angelis, & hominibus omnia ſcelera, & peccata, quæ præmiſſorum occaſione patrari contigerit; illis, inquam, qui diem ſanctum, & locum ſacrum, vel ſacro hærentem violarint, ac temerarint, ſeu cauſſam deliberatè dederint, vt violari, ſeu temerari poſſet, tributum iri.* Quæ ſcelera tum in hoc caſu, tum in ſimilibus imputãtur pariter Magiſtratibus, & Principibus, etiamſi cauſſam poſitiuam talium corruptelarum, ex quibus illa pullulant, non dederint, ſed tãtùm minimè eas, quum facilè poſſent, auerterint. Idcirco Summa Piſana *Verbo, choreo,* terribile *væ* denuntiat, *non reſiſtentibus, quum poſſint,* 83. diſt. error. 2. q. 7. quòd præcipuè Principes percellit; qui nullo negotio, ſi volunt, poſſunt reſiſtere corruptelis, atq; adeo etiam debent, ac propterea niſi reſiſtant efficaciter, lethiferè delinquunt.

LIII. *Prĩcipes, qui norũt pectoris feminei nuditatẽ ſolitã valde eſſe noxiã bono cõmuni, peccant lethiferè niſi eam conẽtur expellere.* Ex his manifeſtiſſimè efficitur, eos Principes, Magiſtratus, & quoſcunque Dominos, qui ex conſuetudine nudãdi feminei pectoris multo plus malorum, & flagitiorum in Rempub. redundare, quàm ſi illa in locis ſibi ſubiectis aboleretur, perſpectum habent: peccare mortaliter, niſi eam prohibeant, & ſedulò conentur expellere. Quum enim ſub mortali teneantur, vt oſtendi, arcere grauia Reipub. mala, atque incommoda, quæ facilè poſſunt: ex nuditate autem feminei pectoris longè grauiora mala, atque incommoda, quàm ſi illud tegeretur, proficiſcantur in his, vel illis locis, quæ facilè poſſent auertere, vt in preſenti hypotheſi ſupponitur; niſi ſtrenuè dent operã, vt talẽ conſuetudinẽ, & corruptelã elidant, lethaliter ſine dubio, in data hypotheſi peccant, vt apertum eſt. Quare, vbi abuſus nudandi pectoris muliebris iã inoleuit; niſi in die extremi iudicij Principes, ac Domini tẽporales Chriſto Domino ſeueriſſimo, & iuſtiſſimo Iudici, conſcientia teſte, probauerint, ex permiſſa eiuſmodi conſuetudine, multo plus, vel ſaltem tantum malorũ, quantum ex eadem ſublata erupiſſet, a ſe propulſatum; ſed è contrario conuicti fuerint, illam a ſe fuiſſe toleratã,

etiamſi

etiamſi grauiorum malorum eſcam, & fomitem eſse non ignorarint; tum omnium ſcelerum, quæ inde orta fuerint, rei inexcuſabiles ijdem Domini, ac Principes deprehendentur. Quod ſi ſeriò, ac ſæpe ſecum reputarent, profectò exhorreſcerent, ne in tale barathrum improuiſè inciderent.

LIV. *Quũ faciliè poſſint illã abolere.*

Nec prætextus, quòd talem conſuetudinem nequeant ſine grauiore incommodo abolere, eos tueri poteſt: tum quia is extra præſentem hypotheſim ſaltat: ſi enim plus mali ex talis cõſuetudinis abolitione naſcitur; ergo non plus mali ex eius permiſione ſequitur, contra ſuppoſitionem: tum quia, poſito, quòd ex permiſſa illa conſuetudine plura flagitia (quæ ſunt vtique maiora Reipub. incommoda, & mala) quàm ex ea ſublata, oriantur, vt hîc ſupponimus, grauius incommodum, quod in talis cõſuetudinis abrogatione prętexitur, inane fingmentum eſt, habetque hîc locum aureum illud Adami Contzen *lib 2. Politic, cap. 13.* effatum iam ſemel recitatum: *Tantum, tam pernicioſum malum vno verbo, vnâ ſchedâ tollere Princeps poteſt: & quia tam facilè obſiſtere poteſt, ſi non facit, ſaluari ipſe non poteſt. Quis enim tumulum ciebit?* Et cap. 12. præcedenti, *ibid. Dabit magiſtratus ille pœnas, qui nefanda diſſimulat.* Tum quia Principes non rarò multa alia imperant ſubditis longè grauiora, & periculoſiora, ſubinde etiam iniqua, vt tributa iniuſta onerosiſſima, adhibitâ quoque ſummâ vi, cum totius regionis querelis, ac lacrymis, ex quibus rebelliones quoq; nonnumquam oriuntur, vt hiſtoriarum monumenta teſtantur; Quod ſi milleſimam, & multo adhuc minorem, imò minimam partem potentiæ, ad prauam, & perniciosam nudandi pectoris feminei corruptelam eliminandam expromerent, ſine vllo prorſus incommodo, ac ſine vllo periculo illam funditus extirparent. Adde, quòd ad nutum Principis, quemcunque habitum, vel formam ornatus ille repudiare, adamare, vel probare videtur, cuncti ſubditi certatim illico mutant, variant, auitum exuunt, nouum induunt, vt cotidiana experientia conuincit.

LV. *Peccãtq; etiã Cõfeſſarij lethiferè, q abſoluũt tales Prĩcipes in mortali hoc ſcelere pertinaces.*

Quum igitur Principes in hypotheſi, quæ hîc ſtatuitur, commodè queant longè maiora Reip. incommoda, more nudandi pectoris muliebris abrogato, repellere; lethiferè delinquunt, niſi talem morem aboleant, & illa mala repellant; & conſequenter peccant etiam mortaliter Confeſſarij, qui huiuſmodi Principes in mortali hoc crimine obſtinatos gnari, & conſcij abſoluunt; vt pluribus infra generatim de Confeſſarijs *diſput. 3. cap. 1.* patebit.

Segmentum II.

Quando delinquant Prælati nuditatem feminei pectoris tolerantes.

LVI. *Peccant pariter mortiferè Epiſcopi, & animarũ Paſtores non curantes ſedulò eliminare cõſuetudinẽ nudãdi feminei pectoris, vbi eam valde noxiam cõmunitati eſſe norunt.*

INfertur II. ex dictis non minùs perſpicuè, delinquere pariter mortiferè Epiſcopos, & animarum Paſtores, qui in ijſdem regionibus, in quibus ex more nudandi feminei pectoris multo plus malorum, quàm bonorum exiſtit, non dant diligentem operam, vt quantum in ipſis eſt, eiuſmodi mos aboleatur, ſed negligenter, ignaueque illi conniuent. Conſtat quippe cunctos apud Theologos, ſtricta obligatione Epiſcopos, & Prælatos teneri ad obſiſtendum per correctionem peccatis, & quidem ſtrictiori, quàm alios, qui Prælati non ſunt, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 3. ad 1. & *ibi* vniuerſi Doctores, vt licet animaduertere apud Valentiam *diſp. 3. q. 10. punct. 3. verſic. Hinc primò certum eſt,*

Tenētur eni pec-cata, cor-rigēdo a ſuis oui-b⁹ auer-tere. eſt, Turrianum 2. 2. *diſp.* 87. *dub.* 1. Suarez *de Carit. diſp.* 8. *ſect.* 4. *n.* 4 Coninch *ibid. diſp.* 28. *dub.* 5. & Malderum Epiſcopum Antuerpienſem 2. 2. q. 33. a. 3. *cit.* & apud alios.

LVII. Et qdē grauiùs, quàm alij, maioreq; cū incōmodo. Probatur verò communiter ab ijſdem Doctoribus huiuſmodi obligatio ex S. Auguſtino *lib.* 1. *de Ciuit. Dei* ita decernente. *Qua in re non vtique parem, ſed longè grauiorem habent cauſſam, quibus per Prophetam* (Ezechielem ſcilicet *cap.* 33.) *dicitur.* Ille quidem in ſuo peccato morietur, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. *Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt, populorum Præpoſiti conſtituti ſunt in Eccleſijs, vt non parcant obiurgando peccata.* Confirmatur quia Prælatis, & Superioribus ſuos ſubditos negligentibus Deus per Ezechielem *cap.* 33. & 34. grauiſſimè comminatur, ac inter cætera disertim exprobat. *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiuiſtis.* Quę ſanè maior Prelati obligatio *oritur*, vt per ſe patet, & notat Turrianus *loc. cit. ex officio, & in eo conſiſtit, vt Prælatus obligetur ad corripiendum maiore incommodo, & detrimēto proprio, & plura remedia apponere, & quærere tempus opportunum ad correptionem.* Nec ſolùm tenentur Prælati ſtrictiori obligatione corrigere delinquentium errata, ſed etiam inquirere de Subditorum peccatis, vt relati Doctores cum D. Thoma *loc. cit. art.* 2. *ad* 4. & communi ſententia tradunt, ſolideque euincunt, præſertim ex S. Gregorio *lib.* 2. *Regiſtri, Epiſt.* 52. *ad Iacobum Epiſcopum*, ita ſcribente: *Quæ poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & Paſtor neſcit?*

Et in ſubditorū peccata inquirere.

LVIII. Quæ ſi negligāt Quamobrem ſi Prælatus peccata grauia ſubditorum diſſimulet, negligatque corrigere, mortalis delicti reus euadit, vt ex allata doctrina colligitur, & in terminis affirmant Abbas *in cap.* 2. *de tregua, & pace*, Felinus *in cap.* 1. *num.* 6. *de officio Delegati, & in cap.* 1. *num.* 2. *de tregua, & pace*, Alexander *Conſil.* 75. *nu.* 2. *vol.* 3. Lælius Zecchus *de Repub. Eccleſ. tit. de ſtatu Prælatorum, num.* 9. *verſ.* 111. *Solicitus eſſe debet*, circa medium, vbi adducit, quoque Abbatem *in cap. Peruenit, de Decimis*, Gloſſamque *in cap. Clericos, de immunit. Eccleſ. in* 6. ſubſcribitque Barboſa *in cap. Epheſijs, num.* 2. *diſt.* 43. *corrigere, delinquūt mortiferè.*

Quæ certa ſententia, ac veritas probatur liquido I. ex Ezechiele *cap.* 33. *cit.* vbi Deus ſanguinem de manu negligentis ſpeculatoris ſe requiſiturum denuntiat, vt ſupra retuli. Quorſum autem? *Sanguinem eius*, inquit S. Gregorius *hom.* 11. *in Ezech. Dominus de manu ſpeculatoris requirit, quia ipſe hunc occidit, qui eum morti tacendo tradidit.* *LIX. Vt liqt ex Propheta Ezechiele, & Gregorio.*

II. Paulus *Act.* 20. *Mundus ſum*, ait, *a ſanguine omnium*: rationemque reddit; *non enim ſubterfugi, quo minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Vnde meritò infert S. Gregorius *loc. cit. Si enim non annuntiaſſet, mundus a ſanguine non eſſet. In qua voce nos conuenimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui Sacerdotes Dei vocamur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia, tot occidimus, quot ad mortem ire cotidie tepidi, & tacentes videmus.* Et part. 3. Paſtoralis, cap. 26. *Si Ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia, zelo diuini amoris excitatur, profectò eſſe Dei denegat, qui, in quantum ſufficit, increpare vitam carnalium recuſat.* *LX. Ex Apoſtolo, & Gregorio*

III. B. Petrus Damiani *Epiſt.* 11. *cap.* 3. *Facti ſiquidem, ait, culpam habet, qui, quod poteſt, negligit emendare.* *LXI. Ex Damiano, & Proſpero.*

IV. S. Proſper *lib.* 1. *de vita contemplat.*

templat. cap. 21. Ille, inquit, *cui diſpenſatio commiſſa eſt, etiamſi ſanctè viuat, ſi tamen perditè viuentes arguere aut erubeſcit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit.*

LXII. Ex Innocentio. V. Papa Innocentius *in cap. error, diſt. 83. Error, ait, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas, quum minimè defenſatur, opprimitur: Negligere quippe, quum poſſis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.*

LXIII. Ex Concilio generali, & Gloſſa. VI. Concilium generale *in cap. irrefragabili. de offic. Iud. ordin.* ita præcipit: *Irrefragabili conſtitutione ſancimus, vt Eccleſiarum Prælati ad corrigendos ſubditorum exceſſus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur.* In quæ verba Gloſſa, litera N. *Ne ſanguis eorum*, ſic pronuntiat: *Durum verbum eſt iſtud pro Prælatis negligentibus ſubditos corrigere, ſicut infra,* de reg. c. vlt. *& infra.* de ſta. re. quum ad monaſterium, §. vltimo, *& infra,* de accuſat. qualiter, & quando §. penul. *Nec admittitur Paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & Paſtor neſcit, infra,* de reg. iur. quamuis. *Et eo ipſo, quòd Prælatus tacet, conſentit,* 44. diſt. ſit Rector, *& in eo permittitur ſecuritas delinquenti,* 83. diſt. error, *& facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi.* 23. *q.* 3. eſt iniuſta. *Ne ergo ſubditorum ſanguis de Prælatorum manibus requiratur, ſequātur Paulum dicentem:* Mundæ ſunt manus meæ a ſanguine omnium veſtrum 45. *diſt. Epheſijs.*

LXIV. Vnde & ratione aſſertio euincit. Ex quibus ratio fundamentalis deſumitur, quia Prælati grauiter tenentur procurare bonum ſpirituale ſuorū ſubditorum, eoſque a damnis grauibus ſpiritualibus tueri, idq; ex proprio officio; vt liquet ex dictis: grauia autem peccata ſunt grauia omnino eorum damna ſpiritualia, vt etiam conſtat. Ergo tenentur grauiter illos ab iſtis tueri; & ni tueantur, quū poſſint, mortiferè peccant. Ergo poſita hypotheſi præſenti, quòd ex more nudandi feminei pectoris multo pl' flagitiorum, quàm bonorum, ſequatur; tenentur Prælati ſub mortali ſtrenuam ibi dare operam, vt eiuſmodi morem aboleant. Confirmatur ex dictis in præcedenti Corollario, quia quum Princeps etiam ſecularis ſub culpa item lethali teneatur abrogare talem morem, vbi multo magis nocet, quàm prodeſt, vt docui; multo magis ad id præſtandum obligantur Epiſcopi, ac Paſtores animarū, & omnia argumenta ſupra allata, quæ illud euincunt, multo magis hoc etiam extorquent, vt expendenti perſpectum eſt. Nec poſſunt ſecus pertinaciter agentes a Confeſſarijs abſolui, alioqui peccāt iſti lethiferè, vt ſupra *nu.* 55. de Confeſſarijs Principū notaui. Idemq; multo magis de Principū, & Prelatorū graui obligatione ſub mortali prohibendæ nuditatis feminei pectoris, vbi conſueta nō eſt, ſeminariumq; maiorū malorum, introduci ſinatur, meritò cēſetur, neceſſariò ſentiendum.

Segmentum. III.
Conſuetudinem nudandi feminei pectoris eſſe extirpandam.

ASſero III. quum de pleriſque populis, in quibus nudandi muliebris pectoris conſuetudo viget, honorificentiùs omnino cenſendum ſit, quàm vt ita perditi, ſceleſtique eſſe credantur, vt talis conſuetudo ad maiora crimina vitanda moraliter neceſſaria ibi exiſtimetur; ſicut Principes, & Epiſcopi, Paſtoreſque animarū tenētur grauiter in ijs locis ad illā; extirpandam, vt oſtēdi; ita operæ pretiū eſſe, vt omnes, quicunque diuinæ glo- *LXV. Omnes conſpirare par eſſe ad conſuetudinē nudādi feminei pectoris exterminandā.*

riæ

riæ ſalutiſque proximorum ſtudio ducuntur, illiſque in regionibus, in quibus hæc conſuetudo non vtilis, ſed valde damnoſa eſt, verſantur, ſedulò laborent, atque ad eam penitùs exterminandam, in Domino ſanctè conſpirent: præcipuè autem Epiſcopi, Prælatique omnem lapidem moueant, necnon Concionatores, Confeſſarij, Regulares, & Eccleſiaſtici magna vi ad eandem abolendam contendant: in primis verò quibuſcunque poſſunt officijs ſolicitè impellant ad ipſam eliminandam Principes, & Dominos temporales, qui ſicut ad id ibi obligantur, ita multo efficaciùs interpoſito ſuo ſeculari brachio hoc poſſunt efficere. Sic quippe ipſa caritatis lex ſciſcit, & Doctores relati innuunt a ſingulis agendum eſſe.

LXVI. *Neque vlla cōtraria cōſuetudine abſterreri debere.* Nec ſanè quenquam cui cor ſapiat, a tam honeſtis, ſanctiſque conſilijs deterrere, aut reuocare debent nonnulli scioli, ac ſaperdæ, vel terrenis cupiditatibus eruditi, vel humanis reſpectibus obſeſſi, vel ex trepidatione, atque aſſentatione coagmentati, qui cunctis Mundi corruptelis, ſeu iam inueteratis, ſeu recèns irrumpentibus cedēdum putant, conniuendum aiunt, herbam illico porrigendam decernunt. Quid enim in hos, ac pariles vetus Auctor Septimius Tertullianus deſignat? quid meditatur? o quàm fortiter, quàm preciſè, quàm indignabundè; ſed quàm iure quoque optimo vociferatur! *Exurge igitur veritas, & quaſi de patientia erumpe, nullam volo conſuetudinē defendas: nā et illa conſuetudine, ſub qua te fruebaris, expugnatur. Te eſſe demonſtra, quæ virgines tegat. Ipſa Scripturas tuas interpretare, quas conſuetudo non nouit. Si enim noſſet, nunquam eſſet.* O voces aureo dignas ſeculo! o inſignia emedullatæ ſapientiæ oracula! At quum huiuſmodi ſpicula in detecta mulierum capita duntaxat iaciantur (quæ tamen iam pridem extra culpam, quantum ipſa rei natura ſpectata fert, poſita ſiint, vt conſtat) quæ tela, quæ haſtæ, quæ fulmina indidem in nuda earundem vbera, vel ſola etiam pectora, detecta, conſuetudinis etiam obtentu vtcunq; cohoneſtata intorquebuntur?

Ibi. cap. 4.

LXVII. *Cūctiq; ad eam eliden-dam ſolicitantur.* Adeſte Confeſſarij inclyti, adeſte Concionatores feruidi, adeſte ſoliciti animarum Paſtores, adeſte infulata capita, Antiſtites, ac Præſules, Religioſi, atq; Eccleſiaſtici vniuerſi. Vos vos ego conteſtor omnes, vos, quos Dei amor vrit, proximorumque ab æterno interitu retrahendorum cura ſaltem aliqua tangit; vos, qui conſuetudinis faſcino ſoporati, veteri corruptelæ nudandi feminei pectoris nullum bellum hactenus intuliſtis; eia nunc tādem ſilentium minimè tutum rumpite, iam inerti tolerantiæ modum ponite, iam vexillum erigite, iam tubâ canite, iam linguâ, & calamis clamate: *Exurge veritas, & quaſi de patientia erumpe.* Quis nudo mulieris pectori ſcutum a conſuetudine petit? *nullam volo* huiuſmodi *conſuetudinem,* quæ Scripturis, & iuri naturali aduerſatur, *defendas.* Verſentur ob oculos innumera mala, quæ ex tali conſuetudine, ſine vllo meliore compendio, proficiſcuntur: Et nemo, cui Chriſtiani ſpiritus viſcera aliqua ſint, ſanctè non excandeſcet: nemo aduersùs diuinas Scripturas, vel naturale ius, quæ hîc læduntur, poteſt præſcribere, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. Vos vos illos eſſe ſemel oſtendite, & probate, qui feminarum omnium vbera, & pectora prauo vſu detecta veſtrâ auctoritate, veſtris conſilijs, veſtris precibus, veſtris obiurgationibus, veſtris ſcriptis, & libris, ve-

ſtris ſuaſionibus, & hortamentis tegitis, ac velatis, modeſtiæque monili longè pretioſiſſimo condecoratis.

LXVIII. Aſſero IV. Si quis a me quærat, an nuditatem muliebris pectoris ad maiora mala vitanda moraliter alicubi neceſſariam eſſe cenſeam; me id, donec expoſitis ſupra rationibus, quæ oppoſitum euincunt, probè ſatisfactum non cerno, credere non poſſe.

Nec credo vſpiã nuditatem pectoris feminei, ad maiora mala vitãda eſſe neceſſariam.

LXIX. Aſſero V. me nihilominus præ reuerentia Auctorum primæ opinionis, ſtudioque, & cupiditate eripiendi e damnationis ſtatu cunctos illos populos, quos improbata prior ſententia omnino perderet, non inuitum huiuſmodi ipſorum ſententiam velut probabilem; & qui hac vtuntur, non delinquere mortaliter, admittere: cum hac tamen expreſſa conditione, vt Doctores eiuſdem patroni, onus ſyncerè, & legitimè diſſoluendi ſupra exprompta argumenta (nam fucatam, iocularem, & cerebroſam euaſionem, & fugam nihil ego hîc moror) quæ ſanè argumenta, (vt meam ingenij tarditatem, atque inſcientiam fatear) nequeo ego commodè, apteque expedire; ac proinde licèt probabilitatem aduerſæ opinioni in gratiam Auctorum illius indulgeã, neſcio tamen eam intelligere. Quanquam enim compertum habeo, quoties de opinionibus inter Doctores lis eſt, prudenter poſſe aliquam earum per auctoritatem externam eorum iudicari probabilem ab eo etiam, qui illius probabilitatem per interna principia non penetrat: quia nimirum fundamentum contrariæ, quod is leue cenſet, a tot viris doctis graue æſtimari, ſolutionemque rationum, quas ipſe pro ſua demonſtratiuas credit, probabilem ab iiſdem reputari animaduertit: ſecus tamen eſt, vbi cernit rationes, quas ipſe maximè efficaces autumat, cæteris ignotas, nullamque earum ſolutionem ab vllo tentatam: tum enim nequit prudenter oppoſitam opinionem, ne per auctoritatem quidem, & principia externa, cenſere probabilem, vt in mea *Opinionum Trutina par. 1. cap.* 10. & 12. oſtendo. Nec ignoro vulgatum illud effugium, ad certitudinem propriç ſententiç labefactandam, probabilitatemque contrariæ fulciendam, quòd ratio conuincens propriæ ſententiæ fortè ſoluetur ab alio. At ſæpenumero fruſtra etiam eſſe huiuſmodi effugium, *ibidem* reuinco. Hîc verò rationes ſupra explicatas, quæ mihi magnam vim inferunt, a nullo indicatas, a nullo reiectas, a nullo ſolutas, a nullo commemoratas video; ac propterea neque oppoſitæ probabilitatem aſſequi poſſum. Quod ſi docti viri eas diluerint, ſolutionemque probabilem iudicauerint; tum & ego, etſi non intelligam probabilitatem internam, prudenter tamen potero, & debebo reputare eſſe probabilem per auctoritatem externam. Interea autem, dum talem ſolutionem iudicatam ab illis probabilem non video; nec debeo, nec poſſum prudenter credere oppoſitam eſſe probabilem, nec per externam quidem auctoritatem, vt *ibid.* patefacio.

Admitto tamẽ oppoſitã opinionẽ eſſe probabilem alijs, ob ſolã auctoritatẽ DD. etſi ego talẽ probabilitatem non intelligo.

An mulieres, quæ morem nudandi pectoris in locum, vbi non eſt, introducunt, peccent mortaliter.

Cap. II.

QVanquam huius dubitationis explicatio facilè ex *cap.* 1. præcedenti, & ex *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 2. *& ſeqq.* conſtat; nihilominùs hîc magis ex deſtinato profliganda eſt. 1.

§. I.

§. I. *Inuſitatam feminei pectoris nuditatem eſſe lethalem, argumentis oſtenditur.*

II. Femina nude incedens pectore contra morem regionis, peccat mortiferè, quia ad libidinem valde prouocat.

DIco I. cunctas mulieres, quæ contra conſuetudinem regionis, in qua verſantur, nudo incedunt pectore, lethaliter delinquere. Probo I. quia actio nudandi pectoris, etſi indifferens per ſe ſit, eſt tamen ad libidinẽ valde prouocatiua, vt ex *cap. 6.* §. 2. *diſp.* 1. a fortiori conuincitur, neque probabiliter negari poteſt, quin plurima Luxuriæ peccata ex tali nuditate inſolitâ ab aſpicientibus committantur; vt iis, qui animas tractant, in interiori foro perſpectum eſt, & Doctores omnes infra citandi neceſſariò ſupponunt. quin etiam exteriùs quoque id notum, pleriſq; hoc ipſum, vbi accidit, ingenuè teſtantibus: quæ ſanè peccata ex ſolo faciei, & vſitati ornatus aſpectu minimè oriuntur, vt experimentis captis ſatis compertum eſt. At mulieres nullam habent iuſtã cauſſam pectoris ita nudandi, neque graue vllum incommodum, illud tegendo, patiuntur, vt liquet, neque hîc vlla conſuetudo ſuffragatur, ſed palàm aduerſatur, vt ſupponitur; neq; excuſari poſſunt, quod iure ſuæ libertatis vtantur, aut quod actio nuditatis ſit indifferens, aut quod peccata ex aliorum malitia naſcãtur, aut quod de periculo ruinæ aliorũ indefinitè tantùm, & vagè conſtet vt ex tota, *diſp.* 1. præſertim ex *cap.* 5. 6. *&* 7. manifeſtò deducitur. Ergo dant puſillis eiuſmodi tentatis, & ſuccumbentibus actiuum ſcandalum lethale, ac proinde ex communi Theologorũ doctrina peccant mortaliter.

III. Ex inſolita ipſa nuditate.

Probo II. vel potiùs, quod iam probatum eſt, magis explano, & confirmo, quia cuncti Doctores poſtea referendi, qui hanc ipſam concluſionem expreſsè tradunt, hanc rationem potiſſimam ad eam perſuadendam afferunt: quòd inſolita magis mouent. Atqui nudum mulieris pectus, vbi etiã id in vſu eſt, ad libidinem valde prouocat, vt hîc *cap.* 1. præcedenti oſtenſum eſt. Quanto ergo maiores, & acriores, & vehementiores libidinis faces eadem nuditas pectoris, vbi planè inuſitata, vbi noua, vbi inſolens omnino eſt, accendet? Res perſpicua etiam cæco. Ergo multo magis tales mulieres præter morem pectus nudando, actiuum ſcandalum, & grauis ruinæ ſpiritualis occaſionem proximo præbent, ac propterea lethiferè etiam delinquunt.

IV. Et ſuo malo exemplo alias ad pect⁹ pariter nudãdum impellit.

Probo III. Quia hæ ſingulæ mulieres non ſolùm viris nudo ſuo pectore ſcandalum præbent, atq; hac de cauſſa mortaliter peccant, vt iam expoſui: ſed etiam alias feminas ſuo malo exẽplo ſolicitant, vt & ipſæ nudent pectus, atque ita ſimul omnes paulatim nudandi pectoris conſuetudinem, vbi non eſt, inuehant. Ergo hoc etiam nomine multo magis delinquunt mortaliter. Antecedens eſt certum, quia etſi initio maior pars mulierũ adhuc pectus conſtanter tegit, id non tollit, quin aliæ nudati pectoris malo exemplo ad eandem nuditatem illas prouocent, & pedetentim contagio mali exempli alias quoque inficiat, & magis dilatetur: atque adeo minimè dubium, ab iis, quæ præter morem loci pectus nudant, alias etiam ad idem faciendum ſolicitari, atq; ita ad talem conſuetudinem communem introducendam impelli, vt patet. Conſequentiam demonſtro, quia qui moralis eſt cauſſa, vt aliqua noua conſuetudo honeſtati, & caſtitati notabiliter damnoſa in aliquem locũ ſine iuſta cauſſa inferatur, vbi non erat, notabile damnum bonis moribus importat, ac pro-

inde mortaliter peccat, quod nemo iure inficiabitur. At conſuetudo nudandi pectoris muliebris, vbi priùs nō erat, inuecta denuo honeſtati, & caſtitati notabiliter damnoſa eſt. Ergo qui hanc ſine cauſſa legitima inuehit; ſeu cauſſa moralis eſt, vt inuehatur, peccat lethaliter. Conſequentia eſt clara. Maior quoque certa; quam ſi nihilominùs aliquis negare audeat; cogetur etiam concedere, aut vitia non eſſe bono communi incolarum notabiliter noxia; aut quamuis ſint, fas tamen eſſe, & ſine peccato illa inuehere, quorum vtrumque & falſum, & temerarium, & graui cenſura dignum. Minor pariter indubitata eſt. Nam inducta alicubi conſuetudine nudandi pectoris muliebris, innumerabilia luxuriæ delicta, initio præſertim, quum magis hæc res inſolita eſt, pullulant, vt moraliter certum eſt, nec quiſquam ſine magna, & fatua temeritate negare poteſt. Ergo huiuſmodi conſuetudo alicubi inducta communiter honeſtati, & caſtitati notabiliter damnoſa eſt, vt liquidò patet. Ergo a primo vſque ad vltimum, quæ talem morem, vbi non eſt, inuehunt mulieres, ſingulæ peccant mortaliter, tum quia ſingulæ ad hanc nouam conſuetudinem honeſtati, & caſtitati valde noxiam inducendam partialiter concurrunt, & cooperantur; tum quia ſine iuſta, & legitima cauſſa huiuſmodi concurſum, & cooperationem præbent, vt declaratum eſt.

V. Alioqui nec grauiter peccaret inuehens morē promiſcuè oſculandi, vbi non eſt.

V. Probo V. Et cuncta præcedentia exemplo validiore corroboro. Quia ſi non peccarent mortaliter, quæ perniciosam caſtitati conſuetudinem nudandi pectoris muliebris, vbi non eſt, inferunt; neque peccarent, quæ morem oſculandi ſe mutuò inter viros, & feminas, inter ſolutas, & maritos, inter viros, & puellas in nonnullis regionibus vſitatum, & honeſtum reputatum in alium locum, a quo exulat, de nouo induceret. At hoc eſt falſum, & cenſura dignus, qui id aſſerit. Ergo. Sequelam maioris oſtendo, quia ijdem prætextus, atque excuſationes, quæ ad conſuetudinem muliebris pectoris nudandi a mortali liberandam fingi, vel excogitari poſſunt, etiam conſuetudinem mutuò oſculandi mares, & feminas ex æquò facilè liberant, vt ſingula applicanti manifeſtum eſt. Quanquam enim oſcula magis ad libidinem excitent, quàm ſola pectoris nuditas aſpecta, & ex hoc capite planè diſcrepent; quum tamen iam probarim homines tali inuſitata nuditate ad laſciuiam notabiliter prouocari; & introductio talis nuditatis eo ſolo titulo honeſtari hîc prætexatur, quòd pars honeſta ex ſe ſit, & talis actio indifferens; hoc eodem nomine, & prætextu introductio quoque oſculorum, tametſi magis ad Venerem proritet, ſufficienter honeſtari poteſt, quandoquidem pars item ex ſe honeſta eſt, & oſculatio actus indifferens, vt patet. Quod ſi aliunde lethifera eſt, quia ad Venerem valde mouet, etiam inſolita nuditas erit mortalis ex hoc capite, quia etſi minùs mouet, quàm oſculatio, adhuc tamen notabiliter, vt ſupra oſtendi, mouet. Minor ex ſe aperta eſt, ſed confirmatur præterea, quia ſi quis morem inſolitum oſculandi mutuò mares, & feminas inuehere, vbi non eſt; culpa mortali vacare opinaretur, cogeretur quoque negare eſſe mortale, ſi quis conſuetudinem, vt quicunque mares feminarum nuda pectora ad libitum tangant, inueheret, vbi non eſt. At hæc eſt mera falſitas, & impudentia, digna, in quam ſacri Inquiſitores ſeuerè animaduertant, & omnes pudicæ mulieres indignabundæ meritò inuolent.

uolent. Ergo. Sequelam demonſtro. Quia ſicut mos oſculandi, vbi eſt vſitatus, ſine peccato a pleriſque Doctoribus cenſetur, quia os, & facies ſunt partes honeſtæ, & præciſa malâ intentione &c. oſculum eſt indifferens, &c. & conſuetudo iuxta tales Doctores illud honeſtat: ſic etiã pectus mulieris nudũ ab Auctoribus pro prima opinione in ſuperiore capite adductis pars honeſta, vt conſuetudinem illius nudandi a mortifero peccato eximãt, affirmatur. Ergo, ſi vbi non eſt mos oſculandi mutuò inter ſe feminas, & viros, eum introducere mortale non eſt, neque tale crimen erit introducere morem, vbi non eſt, tangendi mutuò inter ſe virorum & feminarum nuda pectora, quandoquidem hæc etiam pars corporis honeſta a Doctoribus non ſecus, ac os, & facies, iudicatur, & indifferens pariter eſt, & conſuetudine quoq; vt oſculũ promiſcuũ maris, & feminæ, honeſtari poteſt. Hæc verò, & ſimilia ſunt planè falſa, & intolerabilia. Ergo & id, vnde ſequuntur.

VI. Neq. deliqueret induces nuditatẽ pudẽdorũ, ſi hac ꝑ ſe turpis non eſt.

Confirmo hoc ipſum altero exemplo. Quia ſi verum eſſet, quod doctiſſimus Baldellus *tom. 1. lib. 3. diſp. 5. num.* 17. tradit, quum in Braſilia tam viri, quàm feminæ nudæ penitùs incedant, talem *nuditatem non eſſe turpem*; ſequeretur huiuſmodi nuditatem alibi conſuetam, in alias quoque Regiones, in quibus inſolita omnino eſt, vt in Italiã, in Galliã, in Germaniã &c. ſine peccato mortali inferri poſſe, vt feminæ ſcilicet, & viri nudi prorſus incedant: quo nihil horribilius aures pudicæ audire poſſunt. Sequela patet, quia ſi deoſculandi mares, & feminas inter ſe promiſcuè conſuetudo honeſta, vel non turpis exiſtimata, licitè, vbi non eſt, induci poteſt; eodem prorſus iure induci quoque poteſt mos, vt tam viri, quàm feminę, nudis planè corporibus incedant, vt ex allatis inſtantijs, quum talis etiam nuditas in Braſilia minimè turpis, Baldello teſte ſit, perſpicuum eſt. At huiuſmodi ſequela valde abſona eſt. Ergo. &c.

VII. Fruſtraque id negatur.

Dices eſſe diſparitatem, quia totalis nuditas homines Braſiliæ ſtolidos, & aſſetuos minimè mouet; hîc autem omnino moueret, quòd ſola pectoris nuditas non præſtat. At contra eſt, quia id dicitur quidem, ſed non probatur, quum tamen præſumptio, quæ militat in oppoſitum, validam probationem, qua elidatur, iure ſuo expoſtulet. Certè illi homines, vtcunque ſtolidi, pecude ſtupidiores non ſunt, & tamen quàm multæ pecudum ſalaciſſimæ? quaſi verò præ ſtupiditate ceſſaret illic generatio. Imò verò quanto magis ratio, quæ libidinem coerceat, ibi ſtoliditate obſidetur, tanto vehementiùs natura effrænata libidinem effundit, pudendorumque aſpectu, non ſecus, ac equus minimè caſtratus ad equæ odorem, ne dum ad aſpectũ, impotentiùs irritatur, tum ſolùm Venere abſtinens, quum effœta viribus langueſcit, vt commune cunctis poſt coitum eſt coitus odium. Quod verò ſola etiam pectoris nuditas inuſitata ad Venerem valde moueat, iam ſupra palàm feci, & deinceps etiã confirmabo.

VIII. At turpis ꝑ ſe eſt aſpectus pudẽdorũ alterius ſexus.

Dixi tamen cautè, *ſi verum eſſet*, vt innuerem id vel explicandum, vel non recipiendum. Nam ſi Baldellus vult eam corporum nuditatem in Braſilia præ gentis illius non tam conſuetudine, quàm corruptela, ingentique craſſę ignorãtię ſtupore turpem, licèt reuera ſit, minimè tamẽ reputari, facilè & ego concedo: Sin autẽ eam nuditatẽ, vt vir conſpiciat mulieris pudenda, & hæc e cõtrario viri, non eſſe per ſe turpem, & naturali honeſtati non grauiter repugnare, omnino diſſentio. Quippe virũ cõſpicere verenda feminæ, aut feminã

viri,

Et lethalis ex ſola etiã curioſitate.

viri, quanuis non ex libidine fiat, ſed ex curioſitate tantùm, vel inconſulta mortificatione, lethale crimen eſt, vt docent D. Antoninus, Roſella, Nauarrus, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrimon., diſput. 45. nu. 23.* & Leſſius *lib. 4. de Iuſt. cap. 3 nu. 65. Verſ. Si autem ex curioſitate*, tũ quia tales aſpectus extra caſum neceſſitatis ſunt notabiliter cõtra honeſtatẽ naturalẽ, tũ quia sũt vrgentiſſimus luxuriæ ſtimulus, maximoq; illius periculo exponunt. Scio eundem Baldellum *ibidem, diſp. 16. num. 3.* in contrariam ire ſententiã, & huiuſmodi aſpectus a mortali excuſare, atq; adeo ſupponere neceſſariò non multum contrariari honeſtati naturali, nec habere notabilem indecentiam, vt de tactibus verẽdorum ex motiuo curioſitatis expreſsè ſancit eodem loco, *diſp. 15. nu. 11.* Sed præterquàm quòd idem Baldellus hanc ſuam ſingularem opinionem, cuius nullum Auctorem profert, ita prudenter explicat, vt eam ſpeculatiuè dumtaxat, non autem practicè probabilem exiſtimare, non obſcurè videatur; adhuc non ſoluit, quod Sanchez *loc. cit* & Leſſius *ibidem* obijciunt, tales aſpectus honeſtati naturali tàm grauiter aduerſari, vt etiam primi Conditores generis humani, Adam, & Eua, quanuis coniugij vinculo inter ſe coniuncti, erubuerint ſe nudos aſpicere, ac proinde perizomata, vt *Geneſis 3.* dicitur, ideſt, pudendorum cingulum, & velamẽ ſibi fecerint, vt Sancti Auguſtinus, Ambroſius, & Gregorius, nec non Liranus ab eodem Sanchez *ibi.* citati indicant. Vnde Caietanus 2. 2. q. 169. *art. 2. Verſ. Ad horum euidentiam*, hoc ipſum obſeruans, *Turpe eſt enim*, inquit, *rationali animali pudenda manifeſta deferre, vt naturalis erubeſcentia teſtatur: & propterea primi parentes fecerunt ſibi perizomata, priùs prouidentes animæ, quàm corpori.* ac paulò poſt, *Verſ. Ad obiectionem autem de ornatu*, refert *de Beato Barnaba legi, quod maledixit nudis viris, ac mulieribus.* Vnde non leuis tantùm, ſed notabilis indecentia naturali honeſtati oppoſita ſatis apparet. Nam pro leui non adeo natura erubuiſſet. Præterea ſine fundamento leuis tantùm repugnantia aſſeritur a Baldello, quum materia ipſa non leuis, ſed grauis ſit. Denique eâdem facilitate poſſet contendere aliquis, ne leuiter quidem repugnare honeſtati talem nuditatem, ac proinde nullo modo eſſe turpem, quandoquidem in Braſilia nudi viri, nudæque feminæ nullam verecundiam experiũtur, vt ſentire videtur idem Baldellus *loc. cit. diſp. 5. num. 17.* ſed contra omnes; quanquam poſtea *diſp. 15. n. 11. & diſp. 16. num. 3.* venialem culpam in tactibus, & aſpectibus obſcœnis curioſitatis tantùm gratiâ ob leuem contrarietatẽ honeſtati naturali agnoſcat. Quæ ſanè dictorum varietas ſingulari opinioni nõ parum incõmodat.

Fruſtra Baldello ſolo diſsẽtiẽte.

Nudi quippe Adam, & Eua poſt peccatum erubuerunt.

Vnde notabilis indecentia patet.

IX. Neque tamen ignoro, non deeſſe Doctores, qui aſpectum pudendorum diuerſi ſexus, ſi ex curioſitate fiat, & tam leuiter, ac per tranſitum, ſeu tam breui tempore, vt non detur occaſio magnæ commotionis ſpirituum, negent eſſe lethalem, vt disertè tradunt Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 46. num. 24.* & Granadus 1. 2. *controu. 6. tract. 4. diſp. 7. num. 3.* quem etiam refert Diana *par. 3. tract. 5. reſol. 88.* nec omnino reijcit, ſed tantùm ſubdit: *Sed in his materiis cautè procede, & fuge*; idemque ſtatuũt, ſi ratione ætatis pueriliſ, aut ſeniliſ, vel etiam ratione complexionis frigidiſſimæ ceſſet periculum. Quam ſententiam refutat Baldellus *tom. 1. lib. 3. diſp. 16. num. 6.* tum quia non eſt

Breuiſſimi temporis, & leuiſſimus aſpectus pudẽdorum alteri' ſexus venialis ſolùm reijcitur a Baldello.

opus

opus longo tempore, vt per ſenſum, & imaginationem cauſſetur ſpirituum commotio, & diffuſio; ſed per viſionē inſtantaneam mouetur imaginatio, cui ad nutum obediunt ſpiritus; tum quia per viſionem etiam inſtantaneā relinquitur in memoria phantaſma, & ſpecies, & per actum memoriæ in abſentia obiecti poteſt fieri commotio, & diffuſio ſpirituum, & induci periculum: tum quia quum tale periculum ſit etiam in breuiſſimo tempore, Auctores oppoſiti grauitatem malitię in huiuſmodi aſpectibus non deſumunt ex magnitudine, & probabilitate periculi. *atque itâ ex breuitate temporis quaſi nudè conſideratâ, non videtur ſufficienter poſſe actus excuſari a culpa mortali, ſicut neque excuſantur a grauitate periculi.*

X. *Cuius tamen opinio ſingularis refellitur.* Quid verò ipſemet Baldellus? *diſp. 16. cit. num. 3. Excuſantur,* inquit, *ab omni culpa, ſi fiant ex neceſſitate, aut alio motiuo honeſto: vel excuſantur a culpa mortali, ſi fiant ioco, aut ex vanâ curioſitate, & non ex affectu delectationis, & libidinis, dummodo abſit periculum pollutionis, aut conſenſus vlterioris.* At poſterius hoc dictum ſingularem opinionem, vt dixi, planè redolet. Huic quippe conſequens eſt, vt ſi quis diuturno etiam tēpore, & ex profeſſo aſpiciat verenda citra affectum, & periculum libidinis &c. non peccet grauiter, etiamſi adſit periculum magnæ commotionis ſpirituum, dummodo abſit periculum pollutionis, & vlterioris conſenſus. Nam certum eſt primum periculum diſtingui a ſecundo, ſiquidem plures Confeſſarij caſtiſſimi audiendo in Confeſſione obſcœnitates turpiſſimas, etſi magnam ſpirituum commotionem frequenter experiuntur, nullum tamen pollutionis, aut vlterioris conſenſus periculum adeunt. Quod inde etiam manifeſtè conuinco, quia oſculū Venereum illud eſt, quod cum magna ſpirituum commotione plerumque coniunctum eſt. Et tamen Doctores, vt videre licet apud Leſſium *lib.4.de Iuſt. cap. 3. dub. 8.* & apud alios, tale oſculum Venereum cum magna ſpirituum commotione, quamuis abſit periculū pollutionis, & vlterioris conſenſus, mortalis culpę communiter damnant. In eo igitur ſingularis opinio Baldelli eſt, quòd cenſet ipſum etiam magnæ commotionis ſpirituum periculum, dummodo abſit periculū pollutionis, & vlterioris conſenſus, ſi aſpectus ſit non ex affectu libidinis, ſed tantùm ex curioſitate, vel ioco, carere culpa mortali, cui ego minimè aſſentior, neque fundamentum probabile aſſentiendi, atque a communiſſima ſententia diſcedendi intelligo. Nam quoties adeſt tale periculum magnæ commotionis ſpirituum, ſiue id contingat in tēpore, ſiue in inſtanti, Doctores grauem in eo honeſtatis repugnātiam, & mortalem culpam agnoſcunt. Mulieres verò, quæ, dum lauant, nudos nautas aſpiciunt; ſi abſque periculo magnæ commotionis ſpirituum, ne dum pollutionis, & vlterioris conſenſus aſpiciunt, immunes ſunt culpæ mortalis; ſin autem, minimè, vt communiter Doctores ſentiunt. Sed vt vt eſt, practicè ſaltem ea nuditas in Braſilia quoque eſt vrgentiſſimus luxuriæ ſtimulus, & huius maximo periculo exponit, vtcunque etiam ibi ſit vſitata, minùſque nonnihil, quàm alibi, vbi omnino inſueta, ad libidinem incitet; ac proinde practicè quoque naturali honeſtati grauiter, vel ipſo P. Baldello non refragante, aduerſatur. Quare non licet ab obſcena conſuetudine argumentum ad honeſtam, qualis oſculorum & nudi pectoris cenſetur, ducere. Sed iam.

Probo

XI. *Aſſertio etiam liquet ex dictis.* Probo V. Quia cunctæ rationes, quas ad culpam mortalem immodici ornatus notabiliter ad libidinem prouocantis oſtendendam *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 7 *& ſeqq.* librauí, & quas hîc *diſp.* 2. *cap.* 1. contra primam ſententiam protuli, hîc tempeſtiuè repetitæ, atque inculcatæ, ſicut nuditatem muliebris pectoris etiam vſitatam vulnerant, ita multo magis inuſitatam euertunt, vt ſingulas applicanti nullo negotio liquebit. Certè illa loca Patrum *diſp.* 1. *cap.* 7 §. 6. 7. & 8. recitata, in quibus ornatus ad Venerem laceſſens (etſi ſit vſitatus, pectuſque, & mamillæ ſint tecta) mortalis culpæ a viris illis & doctiſſimis, & ſanctiſſimis dãnatur, multo magis inſolitam feminei pectoris nuditatem cum cætero ornatu coniunctam paris omnino delicti neceſſariò damnant; multoque magis hanc, quàm illum, talis peccati grauis ream idcirco pronuntiare coguntur, quia *ſit alijs exitio, & pro gladio ad necem alterius; & concupiſcendi libidinem nutriat; & peccandi fomenta ſuccendat; velut gladium, & venenum videntibus ſe præbeat; et accẽdat ignem, & dexteram armet, & adulteros præparet; & calicem pernicioſum miſceat, ac præbeat, & aucupium hominum ſit; & immanes procreet voluptates, & pudicis afferat excidium, & incentiuum vitiorum ſit, & oculos intuentium faſcinet; & ignem iuuenum, & fomenta libidinum* ſuppeditet. Quum enim iſta omnia recenſiti Patres de ornatu luxuriante, etſi etiam vſitatiſſimo, citra quoque pectoris, vel mamillarum quancunque nuditatem, diſtinctiſſimè affirment, multo magis eadem prorſus aſſeuerare compelluntur de nuditate quoque muliebris pectoris inſueta cũ cætero mundo cultuq; ſociata, vt euidens eſt, præſertim, quia ipſamet etiam pectoris feminei inſolita nuditas Venereas flammas, ſola etiam, plus nimio communiter excitat, vt ex dictis pariter conſtat.

XII. *Tum quamulto magis ad laſciuiam irritat nuditas pectoris naturali pulchritudini ſuperaddita.* Probo VI. Quia etiamſi ornatus immodicus, & valde ad malum prouocatiuus illis rationibus minimè obnoxius fingeretur, adhuc peculiaris inſtantia hîc eum vrget quàm maximè. Nam pulchritudo naturalis, vt Caietanus, Leſſius & alij *cap.* 7. §. 13. *diſp.* 1. relati notant, multo magis ad laſciuiam prouocat, quàm artificioſa. Optimè. Ergo multo magis prouocabit, ſi naturali addatur artificioſa. Ergo, quum ſola faciei pulchritudo magis prouocet, quàm ornatus, multo magis prouocabit naturali faciei pulchritudini adiuncta pulchritudo artificioſa ornatus, inſuperque appoſita nudati pectoris illecebra in illis quoque locis, vbi hæc conſueta eſt, vt conſtat. Ergo multo maximè, & ſine comparatione acriùs hæc omnia irritamenta laſciuiæ ſimul conſpirantia, vbi pectoralis mulierum nuditas prorſus inſolita eſt, ad Venerem incitabunt. Ergo mulieres, quæ præter morem loci, in quo verſantur, nudant pectus, mortaliter peccant. Quam vltimam conſequentiam facilè demonſtro, quia tales mulieres ſine legitima cauſa huiuſmodi additamẽtum pulchritudinis, tã fœcundum & pellax libidinis incitamentũ voluntariè vſurpant, atque inuehunt. Ergo. Confirmo, quia ſicut ſi ipſæ naturalem pulchritudinem faciei, vel concupiſcentiam, qua cuncti mortales in caſu ficto, vt *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 13. expreſſi, carerent, extra iuſtos fines, quos iam habet Deus in eâ vtrâque inſerenda, ſibi adſciſcerent, vel alijs, peccarent mortaliter, vt ibidem probaui, quia videlicet tot peccatorũ incentiuum ſine iuſta cauſa inueherent; ita nunc de facto mortaliter delinquunt, quia ſine legitima cauſa pulchritudinem

chritudinem detecti pectoris tot delictorum prouocatiuam voluntariè, vbi in vſu non eſt, omnium oculis exponunt, laqueum videlicet ruinæ, & perditionis tam ipſis, quàm alijs.

XIII. *Et qui hic negat peccatũ actiui ſcãdali, aperit oſtium Scripturis, & Patrib. eludendis.*

Probo VII. Quia ſi quis nihilominùs neget hîc interuenire peccatum ſcandali actiui, aperit oſtium ingens Scripturis, & Patribus eludendis. Nã ſi conceſſa generali doctrina, particularis ſemper eliditur, & moralis æſtimatio tollitur, de illis actum eſt. De fide quippe eſt ex Scriptura, & Patribus extare diuinum præceptum de vitando ſcandalo puſillorum, de fugienda ſuperbiâ, auaritiâ, impudicitiâ, & alijs vitijs. Iam ſi tu negas hîc nuditatem pectoris muliebris inducere ad peccatum, nec eſſe ſcandalum, alius negabit virum feminæ pudenda diu etiam tangentem impudicitiæ labe inquinari, & ſic de reliquis, concedetque nomina impudicitiæ, ſcandali, ſuperbiæ &c. eſſe prohibita, ſed res ipſas talium vitiorum huiuſmodi nominibus deſignatas perpetuò ludificabit. Hæc porrò eſſet fraus omnino Hæretica, vt palàm eſt. At huic fraudi non parum velificant, qui in feminei pectoris inſueta nuditate a mortali peccato contra robuſtas rationes, & Doctorum omnium, vt mox oſtendam, conſenſum liberandâ, exploratiſſimo Chriſti Domini præcepto de puſillorum ſcandalo cauendo, proximique delictis declinandis tam apertè fucum faciunt. Ergo hi nullo modo audiendi, & quæ cõtra loci conſuetudinem pectus detegunt, mortaliter peccant.

XIV. *Nuditas feminei pectoris in ſoluta mortalis*

Probo VIII. Egregio argumento ingenioſiſſimi Sfortiæ Pallauicini, de quo *diſput. 1. cap. 7. §. 7. nu 79.* mentionem feci, vtorque illius totidẽ ferè verbis. Regula, inquit, in dijudicandis præceptis naturalibus ea eſt, vt id ſit prohibitum, quod expedit naturæ rationali eſſe prohibitum. Ita nimirum, vt prohibitio illa afferat plus commodi phyſici Reipub. rationali impediendo actiones, quæ importarẽt aliquod phyſicum malum, quàm incommodi reſtringendo libertatem; & mouendo per ſui difficultatem ad violationem legum, adeoque ad contemptum. Vno verbo; id eſſe vetitum iure naturæ, quod ſingulæ creaturæ rationales initio ſuæ creationis, & incertæ adhuc de ſua futura ſorte, optarent prohiberi ex regulis prudentiæ monaſticæ. Et quod dixi de prohibitione vniuerſim, idem valet de prohibitione graui, vel leui; nimirum id eſſe grauiter prohibitũ iure naturæ, quod expedit eſſe prohibitũ non ſolùm leuiter, ſed etiam grauiter. Omnes autem alias regulas, quæ afferuntur a Caſiſtis, eatenus puto veras, quatenus ad hanc vnam radicalem reuocari poſſunt.

Vt, quæ naturæ rationali expedit eſſe grauiter illam prohibitam, adeoque grauiter ipſa prohibita eſt.

XV. *Vt oſtẽditur.*

His poſitis, veriſimile mihi eſt, vſũ nudandi pectoris eſſe grauiter prohibitum matronis in ea vrbe, in qua non viget conſuetudo id faciendi, imò pauciſſimæ id faciunt, exceptis meretricibus. Ratio, qua moueor, eſt, quoniam expedit eſſe grauiter prohibitum id, cuius grauis prohibitio affert minimum incommodi, & impedit multa, & grauia mala, quæ moraliter certum eſt inde oritura. Sed ita ſe res habet in caſu propoſito. Ergo. Maior videtur euidens: & hac ſolùm exceptione contrahenda eſt, niſi ſcilicet eſſent innumeræ ſpecies actionum æquè nocituræ, quarum ſingulas prohiberi non afferret magnum incommodum, ſed omnes prohiberi eſſet intolerandum. Tunc enim ſi non eſt maior ratio, cur prohibeatur hæc potiùs, quàm illa, nulla erit prohibenda. Reliquũ ergo eſt, ita probare minorẽ, vt conſtet etiam nos verſari extra ſtatum prædictæ exceptionis. Probatur

„ verò; nam incommodum abſtinendi „ ab hac peculiari actione leuiſſimum „ eſt, vt patet: item incommodum ab- „ ſtinendi ab omni ſpecie illarum actio- „ num, quarum ſingulæ ſint facillimè vi- „ tabiles, & ſoleant cauſare in multis rui- „ nam ſpiritualem, & in Repub. corrup- „ tionem morum, nõ eſt adeo magnum, „ quin illud redimatur ab vtilitate, quam „ affert earum omnium grauis prohibi- „ tio. Quod autem nudatio pectoris „ ſit actio eiuſmodi, videtur conſtare ex „ iudicio prudentum, & ex experientia, „ quam habent homines, ac præſertim „ Confeſſarij; nec enim aliunde videtur „ oriri potuiſſe, vt Scriptores adeo illam „ deteſtentur, vtque in ferè vniuerſis vr- „ bibus non prælicentibus, ſed bene „ moratis exiſtimetur hæc actio turpis, „ & vix inueniatur inter honeſtos viros, „ qui eam grauiter non reprehendat.

Nudatio pectoris feminei pudicitiæ aduerſa, ac turpis ex Pallauicino.

Hactenus Sfortia Pallauicinus, cuius vt ingenium, atque doctrinam, ſine vlla aſſentatione, a meo more longè alieniſſima, admiror, ita poſtremas illius has voces veritati ſine fuco liberè impenſas ſummo plauſu excipio.

XVI. Et ex Aluarez.

Sed Pallauicino adſtipulantem quoque Gabrielem Aluarez in *cap. 3. Iſaiæ, Verſ.* 18. in loco affero. Nam vbi minatur Deus vanè ornatis mulieribus ſe detracturum *torques*, producit ille primò S. Baſilium, qui ita eam vocem illuſtrat: *Mundus eſt quidam muliebris, & ipſe demiſſus, & in pectus deſcendens, laxatis, ac mollibus catenulis propendens; qui omnibus ſit conſpicuus, neceſſe prorſus eſt, vt quæ circa pectus ſunt particulæ, indecorè denudētur.* Deinde cenſuram ſtatim appingit de ſuo, ſubditq́: *Vide quàm intemperans, & incontinens ſit muliebre genus, quoad pulcbritudinis & elegantiæ cupidinem: vt dummodo vel illam augeat, vel oſtentet, nullam habeat rationem pudicitiæ, & honeſtatis: ſed turpiter aperiat, quæ natura, & pudor operta eſſe debere præſcribunt. Si enim caput non velare, ſi faciem non tegere turpe eſt, & exprobrandum, vt ſupra vidimus apud Paulum, & Tertullianum: quanto magis pectus, & mammas denudare? Quanuis aliquis poſſet quærere, cur ſit opus nudare pectus, ad oſtentandum torquem, quum illum ſupra veſtem & viri, & feminæ noſtri ſeculi, apud multas nationes ſatis appoſitè, & luculenter appendant? Sed quum id Baſilius affirmet, inde colligimus, apud Græcos ſaltem fuiſſe eiuſmodi formæ, vt niſi ſupra nudum non emicaret. Et quanuis ea de cauſa matronæ noſtrates pectus non aperiant; id tamen nonnullæ faciunt, vt oſtentent, quod eſt magis vituperabile, & impudicum.* Ità Aluarez ſapientiſſimè.

Confirmo deniq; prædicta omnia teſtimonijs ſanctorum Patrum *diſp. 1. c. 7. §. 6.* recitatis, quæ hîc repetita, atq; aptata hanc eandem concluſionem maximè corroborant.

§. *II. Doctores omnes probatæ aſſertioni patrocinari.*

XVII. Aſſertio docetur a cunctis DD. qui recenſentur.

Non dubito ego aſſeuerare cõcluſionem ſupra oſtenſam carere omni aduerſario, atque a cunctis doceri. Nam a fortiori tradunt illam manifeſtò Angelus, S. Antoninus, Nicolaus ab Auſmo, Baptiſta Trouamala, Bernardinus de Buſto, & Auguſtinus Mazzinus, *cap. 1. num. 4.* recenſiti, qui hanc muliebris pectoris nuditatem, etiam vbi conſueta eſt, lethiferam eſſe, vt oſtendi, pronunciant. Alij verò licèt de huiuſmodi nuditate, vbi iam in vſu eſt, aliter opinentur, de inſueta tamen omnino conſentiunt. Caietanus 2. 2. q. 169. art. 2. *Ad obiectionem autem de ornatu, & manifeſtatione pectoris,* quum dixiſſet, quòd hæc con-

ſuetudo

ſuetudo nudãdi pectoris *turpis videatur inſuetis*;& ſubdidiſſet,quòd vbi *cõſueta ſunt oſcula non vituperatur talis conſuetudo , nec videtur vituperabilis conſuetudo mulierum pectus nudum deferentium*: tandem addit: *Vbi tamen conſuetudo non eſt,inhibendum eſſet,& citò extirpanda, ne creſceret; quoniam conditio, quæ eſt eſſe prouocatiuum ad laſciuiam, regulanda ſic eſt, ne animi iuuenum molleſcant*. quod vtique fit, vbi recenter talis conſuetudo inducitur, neque id a Caietano expers mortalis reputatur; vnde & pro hac ſententia à Filliucio, & a Baldello mox citandis expreſsè affertur. Sic etiam Leſſius *lib. 4 de Iuſt. cap. 4 dub. 14. num. 112.* decernit: *Graue tamen peccatum eſſet huiuſmodi morem (nudandi pectoris,* vt ibi præmiſit *) introducere, vbi id non eſt conſuetum; inſolita enim magis mouent*. Leſſio adhęret Layman totidem ferè verbis *lib. 2. Theol. tract. 3. cap. 13. nu. 11. Verſ. 6. Eſt circumſtantia ſcandali*: vbi mortaliter peccare affirmat, *ſi quis conſuetudinem introducat alicuius veſtimenti, cuius occaſione probabile ſit,multos ſcandalum paſſuros* v. g. *vt pectora nuda, vel nonniſi tenuiter tecta aſpiciantur*. Idem quoque docet Filliucius *tract. 30. cap. 10. num. 221.* vbi inter mortalia delicta numerat, *ſi, vbi nõ eſt conſuetudo , feminæ oſtendant pectora nuda , vt pulchriores videantur*; citatque Caietanum 2. 2. *q. 169. a. 2.* & Silueſtrum in *Summa, Verbo, Ornatus, q. 7.* vbi id articulatè quidem non ait,ſed tacitè neceſſariò ſupponit. Bonacina pariter *de Matrimonio,quæſt. 4. punct. 9. num. 23.* vbi dixit, *feminas vtentes veſte tenui ita, vt pectora, & mamillæ ſolùm conſpiciantur, excuſari poſſe a mortali, ſi hoc faciant iuxta conſuetudinem patriæ, & abſq; praua intentione*; confeſtim ita diſtinctè excipit: *eſſet tamen peccatum mortale, introducere huiuſmodi morem; quia inſolita magis mouent , & excitant*. Eiuſdem quoque opinionis eſt Baldellus *tom. 1. diſp. 5.* vbi quum *nu. 15.* ex Caietano,& Nauarro notaſſet, conſuetudinem, *vt mulieres oſtentent pectora*, non improbandam; *num. 16.* illico ſubdit: *Vbi tamen conſuetudo non eſt, vt mulieres ſic incedant, nullo modo eſt inducenda: quia ex rei ipſius nouitate facilè iuuenes inducerentur ad luxuriam; & quod non eſt ex ſe turpe, aut impudicum, neque taliter communiter reputatur in vno loco, poteſt tale videri, aut communiter reputari in alio loco, vt ſubdit Caietanus*, ibid. nempe 2. 2. *q. 169. a. 2. ad 1. dubium*, vt idem Baldellus antea *num. 14.* citauit, qui talis nuditatis introductionẽ tã apertè lethiferi peccati damnat, quàm perſpicuè impudicam eſſe, atq; inductiuam ad luxuriam, etſi alibi,vbi ſolita eſt, non ſit, aſſeuerat, quæ mortalis culpæ nota non dubia eſt apud cunctos ſapientes.

XVIII. *Quibus plerique alij conſentiunt.*

Eadem doctrina elicitur quoque ex Nauarro in *Manuali, cap. 23. num. 17. 18. 19.* vbi nudandi pectoris muliebris conſuetudinem, vt *cap. 1. nu. 36.* retuli, deteſtatur, vnde & pro hac opinione adducitur a Bonacina *loc. cit.* Pro eadem quoque certò ſtat, & Gabriel Aluarez *loc. cit.* qui talem conſuetudinem inchoantes turpitudinis, & impudicitiæ, vt oſtendi, coarguit. Impudicitia autem excludit a regno Dei, vt inquit Apoſtolus ad *Galatas* 5. ac proinde & mortalis eſt. Quamuis autem aſpectus impudici, & liberiores ex leuitate, & curioſitate præcisè reputentur veniales a nonnullis; Aluarez tamen non loquitur de ijs actibus,qui ſpeculatiuè per breuiſſimũ tempus, ante quàm magna ſpirituum commotio ordinariè excitetur, a mortali excuſantur, ſed de ijs, qui vt

plurimum ſunt mortales, de quibus loquitur Apoſtolus, quum impudicitiam excludere a regno Dei pronuntiat:& Aluarez quidem nudantes pectora lethalis impudicitiæ notare ſatis patet ex eo, quòd eas propterea adeo incontinentes,intemperanteſque eſſe ſcribit, *vt nullam habeant rationem pudicitiæ, & honeſtatis*; quæ profectò verba plus, quàm venialem culpam ſonant. Sic & Leſſius *lib. 4. de iuſt. cap. 3. num. 59.* colligit oſcula inter ſolutos eſſe mortalia, *quia talis contactus eſt impudicitia quædam; impudicitia autem excludit a regno cælorum ex Apoſtolo*. Accedit Emmenuel Sa in Aphoriſmis, *Verbo, Ornatus, num. 2.* vbi ita loquitur: *Feminam pectus nudum geſtare ſine mala intentione, quidam negant eſſe mortale, ego difficilè talem abſoluerem*. Eamque palàm intelligit, quæ iuxta regionis morem receptum ſic incedit; alioqui ſi eam quoque, quæ ſimilem habitum,præter regionis morem, induit, falsò diceret: *Quidam negant eſſe mortale*; quum nemo id neget. Iam ſi Emmanuel Sa difficile abſolueret eam, quæ iuxta loci morem pectus nudat, quid de ea, quæ id contra regionis morem audet, decernet? Hinc Andreas Victorellus in hæc verba Sa, *Videat*, inquit, *Confeſſor morem patriæ, illatum alijs peccandi periculum, & conſideret, an mortale ſit*. Vnde liquet, ipſum Sa a Victorello ita explicari, vt abſoluendam difficile eam putet, quæ in patria de more conſueto pectus nudat. Subſcribit quoque Diana *par. 5. tract. 7. reſol. 31. verſ. Non deſinam,* vbi refert, ac probat Laymannum *lib. 2.tract. 3. cap. 13. num. 11. q. 13.* excuſantem *feminas vtentes ornatu, quo nuda pectora, & mamillas oſtendunt; ſi fiat hoc ſecundùm morem patriæ, & abſque vlla mala intentione*. Sed hæc verba Dianæ ſunt, qui *mamillas* de ſuo addidit, nam has Layman minimè nominat, vt patet ex genuinis verbis ipſius ſupra *num. 17.* recitatis, vbi dilucidam eiuſdem ſententiam ſpectauimus. At idem Diana, vt nuditatem pectoris feminei a mortali excuſet, dum hanc conditionem exigit, vt *fiat ſecundùm morem patriæ*, hac deficiente, neutiquam excuſat, vt planum eſt. Conſentit quoque Azor *par. 2. inſtit. lib. 12. cap. 18. q. 13.* vbi quærens, *an feminæ vtentes ornatu, quo nuda pectora, & mamillas oſtendunt, peccent mortaliter*; reſpondet primò, *non eſſe mortale, ſi fiat ſecundùm morem patriæ, & abſq; vlla intentione mala*. Deinde addit: *Omnes conueniunt, vbi non eſt talis conſuetudo, eam non debere admitti, & eſſe peccatum, ſic vti veſtitu: at vbi talis conſuetudo poſſet commodè tolli, eſſet tollenda*. Porrò quum ait Azor *Omnes conuenire*, ſi talis conſuetudo admittatur, *eſſe peccatum*, mortale vtique deſignat, vt patet ex conſenſu reliquorum. Quamuis enim ex eo, quòd ait eſſe peccatum, conſequentia non neceſſariò inferatur, eſſe mortale; verum eſt tamen de facto ipſum conſequens; quia de facto cæteri Doctores inſolitam pectoris nuditatem mortiferam eſſe exiſtimant, neque ipſe Azor vllum, qui excuſaret, potuit appellare; ideòque dixi mortale ab eo deſignari, *vt patet ex conſenſu reliquorum*. Conſentit quoque ad vnguem Hieronymus Sopranis in Dauid, *digreſs. 1. cap. 2. §. 1. pag. 429.* nec quiſquam tergiuerſatur. Nam, vt verùm fatear, etſi multos dies plurimis Auctoribus, qui aliquid fortè hac de re perſtringere, vel innuere poſſe videbantur, ſedulò excutiendis, ac volutandis impendi, neminem tamen, qui contra-

dicat,

dicat, ac mortale eſſe neget; neminem, qui Doctorem vllum diſſentientem referat; neminẽ, qui alicuius opinionis contrariæ mentionem faciat, ne dum vt eam probabilem iudicet, reperire potui. Neque hac diligentia contentus, plurimos quoque doctiſſimos Theologos in Doctoribus legendis maximè verſatos conſului, rogauique, num aliquem ipſi Auctorem oppoſitæ ſententiæ obſeruarint, nôrint, inaudierint, negaruntque omnes a ſe vllum aliquando animaduerſum, neque modò ſciri.

XIX. *Nec diſſẽtit Caietanus.* Non me fugit tamen, Caietanum in *Summa, verbo, ornatus, cap. 4.* ſic ſcribere: *Qualitas ornatus mulierum inducit veniale, ſi indecens eſt, & minùs caſtus; vt ornatus mulierum monſtrantium media vbera. Verum tamen vbi conſuetus iam eſt, ſine peccato videtur, & in remedium, ne peiora fiant, introductus.* At Caietanus hic in fine talis loci remittit ſe ad ea, quæ 2. 2. q. *169. art.* 2. diſputauit, ac proinde, ne ijs contradicat, iuxta hæc genuinè explicandus eſt. Loquitur ergo in *Summa* de ornatu generatim, qui vbilibet ſolitus eſt, regulamque generalem fert, ſi indecens, & minùs caſtus ſit, licèt conſuetus, tamen eſſe venialem, ſtatimque in exemplum promit vberum nuditatem pluribus locis vſitatam: addit verò, ſi in remedium maioris mali inuecta ſit, quanquam minus caſta ſit, nihilominùs omni culpa vacare. De illis verò quæ talem morem, vbi non eſt, inducunt, nullum verbum habet. Vel certè putat, vbi nuditas pectoris vſitata iam eſt, & culpæ expers; ſi qua præter morem nudet etiam vbera, id eſſe tantùm veniale. Quod ſi & nuditas vberum iam ſit conſueta, eſſe penitùs ſine peccato. Præterquam

Fruſtraque reluctatur. quod etſi Caietanus in Summa contra ſentiret, quum nullam prorſus rationẽ afferat, non poteſt contra communem ſententiam fundare probabilem opinionem, præſertim quia ſibimet etiam repugnaret. Addo inſuper, quoties aliquis Auctor ſibi non conſtat, ſtandũ eſſe loco, in quo rem ex profeſſo tractauit, vt rectè docet Cepolla *Conſilio* 278. *nu.* 10. & Paſqualigus *deciſ.* 12. *num.* 1. atque adeo, quum quæſtionẽ de nuditate pectoris Caietanus 2. 2. q. *169.* a. 2. *cit.* ex profeſſo diſceptauerit, nihil penitùs ei obeſſe, etiamſi quid contra *in Summa,* vbi rem non examinat, ſcripſiſſet, præſertim quia hic nullam, vt dixi, rationem promit, & ſeſe ad dicta 2. 2. refert. Confirmo præterea, quia, quando Doctor rem in vno loco fuſiùs, quàm in alio, diſputat, opinio fuſiùs pertractata præferenda eſt opinioni contrariæ alibi breuiùs traditæ, vt idem Paſqualigus *deciſ.* 12. *cit. nu.* 4. bene ſancit vnà cum Abbate *in cap. bonæ 2. num. 30. Extra. de poſtul. Prælat.* Riminaldo *Conſ. 91. circa finem, lib.* 3. & Neuizzano *lib. 5. Syluæ nupt. num. 29.* quos adducit, quia nimirum meliùs inueſtigatur veritas, vbi copioſiùs, quàm vbi ieiuniùs, tractatur. At certum eſt, quæſtionem de nuditate pectoris feminei a Caietano in Summula breuiter tractari, abunde autem, & fusè in 2. 2. Ergo, etiamſi illic diſcreparet, nihil obeſſet, ſed huic loco ſtandum eſſet.

Verùm præter Doctores, qui hac de re nominatim agunt, iam hic a me enumeratos, pro hac ipſa ſententia aperto Marte, ac neceſſariò etiam præliantur Alexander Alenſis, S. Thomas, Nicolaus de Auſmo, Baptiſta de Salis, Baptiſta Trouamala, Silueſter, Angelus, Iacobus Vngarellus, Alexãder Anglus, Nicolaus Aurificus, Franciſcus Suarez, Iacobus Gordonius, Iacobus Granado, S. Bernardinus Senẽſis, S. Antoninus, S. Carolus, Auguſti- XX. *Quibus accedũt alij quoq; DD.*

nus

nus Mazzinus, Bernardinus Buſtus, Dionyſius Carthuſianus, Ioannes Herolt, Aſteſanus, Ioannes de Friburgo, Ioannes Viguerius, Andreas Tiraquellus, Martinus Magiſter, Ioannes Andreas, Petrus Ancharanus, Philippus Francus, Albericus de Roſate, Hoſtienſis, & Panormitanus, qui omnes, quum ornatum mulierum immodicum vehementer ad libidinem prouocantem peccati mortalis damnent, vt *diſp. 1. cap. 7. §. 4. & 5.* docui; non poſſunt non eiuſdem delicti quoque damnare nuditatem muliebris pectoris inuſitatam; quæ quum ad naturalem pulchritudinem ſpectet, vt liquet; hæc autem multo magis prouocet, quàm artificioſa, vt res ipſa loquitur, & Doctores notant; longè acriùs, quàm quicunque alius ornatus ad libidinem inflammat, vt conſtat.

XXI. *Etiam ex viuētibus.* Sed præter Doctorum monumenta, quæ euolui, viuentibus quoque Theologis permultis hanc meam lucubrationem examinandam, cenſendamque præbui. Et quidem ante, quàm hæc de ornatu Paradoxa ſuperiore diſputatione explicata conflaſſem, vllamq; in cogitationem de ijs ſcribēdis veniſſē, breuem ego diſceptationē de inuſitata muliebris pectoris nuditate feſtinatò adornaui, quam diſſimulato, ſuppreſſoq; meo nomine, & commētitio Synceri Liberi de induſtria adſcito, plerisq; Theologis, quorum nonnullis adhuc de facie ignotus ſum, porrigendā, atque ab illis excutiendam, curaui, ſimulque opuſculo hanc præfatiunculam, quam hîc totidem verbis modò ſubijcio, præfixi.

Auctoris obteſtatio.

XXII. *Quos ita sic obteſtatus.* „ AVctor huius diſputationis, in qua etſi doctrinam extra omnē „ controuerſiam, atque omnino indubitatam a ſe proponi exiſtimat, pro „ ſuo tamen veritatis indagandæ ſtudio „ a viris doctis diſcere ſummopere cupit, quæ neſcit. Neſcit enim vllam probabilitatem contrariæ opinioni relinqui; neſcit vllum Doctorem extare, qui ei patrocinetur; neſcit, qua tuta „ conſcientia feminæ, quæ ſecus pertinaciter agunt, abſolui poſſint; neſcit, qua auctoritate, vel fundamento oppoſita ſententia ſuſtineri queat. Quocirca Theologos, Canoniſtas, cæteroſque ſapientes enixè rogat, vt quod ipſe neſcit, ipſum docere, ſuáque eum ſcientiâ participare, tum rationum, quæ hîc afferuntur, atque inculcantur, legitimam ſolutionem, nec non aduerſæ opinionis ſolidum documentum, ſi non longo ſermone, breuiſſimo ſaltem compendio eidem indicare dignentur, quod ſibi de humaniſſimis viris omnino pollicetur. Porrò idem Auctor nomen generale Synceri Liberi, ideo ſibi adoptat, quia id reipſa potiùs, quàm voce exprimit; at ſuum proprium, ac ſingulare ſuppreſſum hoc loco propterea vult, vt iudicium de doctrina tantummodo, non de perſona fiat, neq; periculum vllum eiuſdem iudicij in alterutram partem flectendi ab affectu, vel ab alienatione veritati immineat. Cæterùm inter tam multa, quæ ignorat Auctor, hoc tamen vnum ſcit certiſſimè, ab iſta Doctorū omnium ſentētia diſſentire ſine ratione, & ſine auctoritate, non eſſe hominis ratione vtentis. „

In hoc autē, quod appellaui, opuſculo aſſertiones omnes, quas in hac tota Paradoxorum ſecunda diſputatione trado, eandemque prorſus doctrinam, quam hîc ediſſero, complexus fueram. XXIII. Quum verò cunctas eiuſmodi aſſertiones ſine controuerſia paſſim approbati, ſubſcribique animaduertiſſem, alijs approbationibus, ſubſcriptionibuſque con-

conquirendis ſuperſedens, animum deinde appuli ad hæc Paradoxa fabricanda, in quorum ſecundam diſputationem conieci ego totam illam de inſolita muliebris pectoris nuditate tractatiunculam.

XXIV. *Vltroq; illi ſubſcripſere propoſitis a me aſſertionibus.* Præſentem igitur concluſionem approbauit in primis Romæ Sfortia Pallauicinus Theologiæ in Collegio Romano Profeſſor, vt ſupra iam indicaui, qui in ſuæ approbationis, & ſuffragij, quod penes me habeo, calce addit etiam, *Se conſuluiſſe hoc ſuper dubio virum doctiſſimum, & munere præſtantiſſimum, qui eidem ſententiæ ſe ſuffragatorem præbuit.* Hic verò Mediolani, & Placentiæ nouem alij Theologi eidem omnino ſententiæ adſtipulati ſunt, quos ego ſicut vnumquemque ſuis cohoneſtatum titulis maximè veneror, ita in literaria iſta nomenclatura ſine extraneis titulis, nulloque dignitatis, ſed temporis duntaxat ſeruato ordine, quo quiſque ſuum appoſuit calculum, ſimpliciter refero, neque vllis laudibus proſequor; quòd ſatis ſæpe ipſi per ſe ſplendeât, nec ſcintillâ lucis e meo calamo indigeant; lubenſque ego ipſe etiam abſtineo, ne alioqui liberalibus præconijs propitia ſuffragia emiſſe videar, quæ viri peramâtes veritatis vltro tulerunt; nimirum Don Ioannes Franciſcus Caſtillioneus Ordinis Ciſtercienſis, olim profeſſor Theologiæ in Collegio S. Crucis de vrbe, Don Franciſcus Maria Briuſcus eiuſdem Ordinis, Theologiæ item profeſſor; D. Claudius Cattaneus Canonic⁹ Regularis, ſacrę Theologiæ Doctor, & Philoſophiæ profeſſor, Iulius Maſcherus, ſacræ Theologiæ Doctor, & Sancti Laurentij Maioris in Vrbe Mediolanenſi Præpoſitus, IoannesPetrus Puricellus, ſacrę Theologiæ Doctor, & eiuſdem Laurentianę Baſilicæ Archipresbyter, Franciſcus Bernardinus Vela, ſacræ Theologiæ Doctor, Parochus antea S. Sebaſtiani Mediolani, nunc autem infulatus Archipræsbyter Modoetiæ, Carolus Auguſtinus Billia Oblatus, ſacræ Theologiæ Doctor, & profeſſor caſuum cõſcientiæ, D. Iacobus Antonius Pirouanus Congregationis Somaſchæ, ſacre Theologiæ profeſſor, denique D. Franciſcus Bozzettus Canonicus Regularis, ſacræ Theologiæ Lector, nunc verò Abbas &c. Neque ego dubito, quin longè plurimos alios huius aſſertionis ſuffragatores, & patronos Theologos, ſi vltra libuiſſet quærere, nullo negotio fuerim reperturus. At hi, quos nominaui, tam deſtinato in meã ſententiam manibus, & pedibus, vt dicitur, venerunt, vt planè confirmatus, ſuperuacuum duxerim alios appellare, quemadmodum ex ipſiſmet eorundem Doctorum chirographis paulò poſt recitandis multò magis liquebit.

Quamobrem, quum præſens ſententia & tot argumentis, & tam firmis, & tam cõmuni Doctorum cõſenſu, ſine vlla diſcrepantia vndique circumſepta ſit: contrariam opinionem, de qua nemo hactenus fecit mentionem, ſi quis fortè poſthac obtrudere, vel expromere conetur, atque a lethali culpa eas, quæ nudandi feminei pectoris conſuetudinem, vbi non eſt, inuehunt, liberare audeat: ego ſanè nullo modo probabilem, ſed improbabilem omnino iudico, tamque diu iudicare planè cogor, quamdiu rationes, atq; auctoritates ſupra adductas probè diſſolutas non cerno. Nam primò, vt doctiſſimus Epiſcopus Ioannes Malderus 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. & 6. *diſp.* 86. *verſ. Dico ſecundò*, ſapienter animaduertit, ad opinionem probabilem ſtatuendam neceſſariò requiritur, ne *temerè contradicat communi*, XXV. *Quare opinio cõtraria omnino improbabilis eſt, quia ſine ratione aduerſatur communi.*

ni, & recepta Doctorum ſententiæ, vel euidenti rationi. Tum autem temerè contradicitur, quando ſine valido fundamento, & ſolutione probabili obſtaculorum noua opinio inuehitur, vt compertum eſt, & fusè doceo in mea *Opinionum moralium Trutina, par. 1. cap. 10. 11. & 12.* Atqui concluſio præſens eſt communis, ac recepta Doctorum ſententia, fulciturq; rationibus, quæ moralem euidentiam conficiunt, neque vlla huius, aut illarum ſolutio probabilis huc vſque apparet, vt docui. Ergo temerè ei contradicitur, adeoque contradictio eſt omnino improbabilis.

XXVI. *Imò nulla ratione fulcitur.* Deinde, quando aliqua opinio nititur auctoritate Doctorum, & ratione grauis momenti, etſi non demonſtratiuâ, contraria, quæ nullam penitùs rationem, aut textum in medium profert, ſed merâ auctoritate Doctorum munitur, nequit eſſe probabilis, vt in eadem *Trutina par. 1. cap. 10.* oſtendo. At hîc contraria opinio nullam omnino rationem, vel textum pro ſe depromit, vt patet. Ergo contraria opinio non eſt probabilis, ſed improbabilis.

XXVII. *Nec vllus diſcordãs hãc quæſtionẽ ex profeſſo examinauit.* Ad hoc, quando Doctores ex profeſſo quæſtionem examinantes, in aliquam ſententiam veniunt, Auctoribus, qui eandem quæſtionem indicant ſolùm obiter, atque aliter opinantur; fides habenda nõ eſt, vt rectè ſanciunt Alciatus *tract. de præſumpt. præſumpt. 151. reſ. 1. num. 3. & lib. 9. Parergon. cap. 14.* Menochius *lib. 2. de præſumpt. 71. num. 40.* Zeballos *in præfert. ad tom. 1. Commun. num. 11. & ſeqq.* Ioannes Coratius *tract. commun. opin. lib. 1. tit. 6.* per totum præcipuè autem *num. 64.* Iacobus Vennius *de priuilegijs iuriſconſultorum, priuil.* 80. *num. 6.* Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, diſp. 44. num. 2.* Ioannes Lupus *cap. per veſtras, de donat. inter virum, & vxor. notab. 3. §. 20. num. 12.* Ferdinandus a Caſtro Palao *tom. 1. tract. 1. diſp. 2. pun. 1. num. 10.* vnà cum Nauarro, Azor, & Ioanne Sanchez; quos memorat, quibus etiam adhæret Petrus Auiles *in Apologia contra Ioannem Spinum, art. 4. num. 515.* Vnde meritò Nauarrus *in Manuali, cap. 27. num. 289.* & reliqui ex eo pronuntiant, *communiorem ſe exiſtimare opinionem, quam ſex, aut ſeptem Doctores Claſſici, rem ex profeſſo tractantes aſſeuerant, quàm probatam à quinquaginta, ſolâ ferè auctoritate priorum ductis.* At in hac controuerſia, quamuis nulli ſint aduerſarij, quum Doctores omnes, vt patefeci, expoſitæ doctrinæ patrocinentur; nemo tamen (abſit verbo inuidia; nec quiſquam, obſecro, arrogantiæ id adſcribat; quod mihi excidere certè non paterer, niſi ſtudium pudicitiæ, atque honeſtatis, cui hac mea qualicunque opera conſultum maximè cupio, ſecus ſuaderet, & vel inuito exprimeret) nemo, inquam, ex profeſſo huiuſmodi quæſtionem examinauit, ac profligauit, ſed quiſquis eam perſtrinxit, aut tetigit, verbis quàm pauciſſimis properanter abſoluit. Quod verò alijs minimè libuit perficere (etſi longè meliùs, quàm ego, potuiſſent) id ego minimorum minimus aggreſſus ſum; remque totam ex deſtinato pertractans, a generali diſputatione de immodico ornatu mulierum exorſus, ad calcem vſque, qua maiore accuratione mihi fas fuit, perduxi. Quare ſi cui fortè collibuerit traditam aſſertionem improbare, oppoſitamque opinionem in tranſitu dumtaxat, & molliore, vt dicitur, brachio cudere, iure meo illico excipiam, huic nullam fidem iuxta tot clariſſimorum Doctorum,

rum,

rum, quos modo retuli, effatum, eſſe habendam. Quæ exceptio aſſertioni quoque ſupra *diſp. 1. cap. 7. §. 2.* explanatæ ad amuſſim applicanda eſt.

XXVIII. *At nota improbabilitatis aduerſæ opinioni inurit.* Poſtremò, eandem contrariæ opinionis improbabilitatem nouem Theologi antea iam appellati, ſpeciatimque hac ſuper re conſulti, ſua auctoritate confirmant, quorum ego ſingulorum verba ipſiſſima hic ſummâ fide reddo. Sic vnuſquiſque enucleatè teſtatur.

Caſtillioneo. Ego D. Ioannes Franciſcus Caſtillioneus Ordinis Ciſtercienſis, olim profeſſor Theologię in Collegio ſanctæ Crucis de Vrbe, nunc verò Abbas Sanctæ Marię trium Magorum Viqueriæ, præſentem Synceri Liberi tractationem de mulieribus, quæ nudo pectore Mediolani in præſentia incedunt, &c. diligenter, & accuratè legi, expendique. Sicut autem in Auctoris ſententia nihil video, quod non ſummoperè approbem; ſic etiam viceuerſa oppoſitam deteſtor, tanquam falſam, honeſtis moribus perniciosam, & omnino improbabilem. Quocirca etiam in horum fidem mea manu me ſubſcripſi.

XXIX. *A Briuſco.* Mihi etiam D. Franciſco Mariæ Briuſco Ordinis Ciſtercienſis ſacræ Theologiæ profeſſori non poſſunt nō maximè probari, quæ in propoſita diſputatione de mulieribus, quæ nudo pectore in præſentia incedunt, a ſapiētiſſimo viro producta fuere; quippe qui omnia ita doctè abſoluit, vt opinio contraria, meo iudicio, reddatur omnino improbabilis. Quare libenter me ſubſcripſi, retento pariter a me ſuperiori voto.

XXX. *A Cattaneo.* Ego D. Claudius Cattaneus Mediolanenſis Canonicus Regularis Congregationis Lateranenſis, ſacræ Theologiæ Doctor, & Philoſophiæ profeſſor, ingenuè, ac ſyncere teſtor, hāc Synceri Liberi diſputationem de mulieribus, quæ Mediolani nudo pectore in præſentia incedunt &c. a me diligenter fuiſſe perlectam, mihique vndique probatam. Ac proinde ſicuti Auctoris ſententiam perſpicuis eiuſdem rationibus, Scriptorumque concordi auctoritate perſuaſus, in ſingulis ſupra explicatis cōcluſionibus libenter amplector, ita contrarias opiniones veluti falſas, ac prorſus improbabiles, publicæ autem honeſtati maximè incommodantes penitùs reijcio; proptereaque & mea quoq; manu in horum omnium fidem me ſubſcripſi.

Ego Iulius Maſcherus ſacræ Theologiæ Doctor, & in hac Mediolani Vrbe S. Laurentij maioris Præpoſitus, in præſenti Synceri Liberi tractatione de mulieribus &c. omnes ipſius aſſertiones vnicè approbo: meque propterea ſubſcripſi. XXXI. *A Maſchero.*

Ego Io. Petrus Puricellus ſacræ Theologiæ Doctor, & prædictæ Laurentianę BaſilicęArchipresbyter, eiuſdem prorſus opinionis ſum, ac prænominatus Auctor, tam re, quàm nomine (ſicuti mihi videtur) Syncerus, ac liber, in hoc ſuo eruditiſſimo, luculentiſſimoque tractatu. Quocirca me pariter in teſtimonium non minùs ſyncerum, ac liberum mea manu ſubſcripſi. XXXII. *A Puricello.*

Ego Franciſcus Bernardinus Vela Curatus S. Sebaſtiani, & ſacræ Theologiæ Doctor pręſentem tractationem de mulieribus nudato pectore Mediolani inſolenter incedentibus approbo, & confirmo, & huic veritati ita adhæreo: vt contrariam iudicem a nemine tuta conſcientia poſſe defendi, vt omnino improbabilem: quum manifeſtè ratione vtenti appareat, huiuſmodi pectoris inſolentem nuditatem ita vehementer excitare, & prouocare ad libidinem, vt cauſſa ſit infinito- XXXIII. *A Vela.*

Oo rum

» rum peccatorum mortalium, vt experientia docet, & teſtari poſſunt Confeſſarij ſine vlla ſigilli fractione, qui vitam pro animarum ſalute in Cōfeſſionibus cotidie inſumunt, & conſumunt.

XXXIV. *A Billia,* » Ego Carolus Auguſtinus Billia Oblatus, ſacræ Theologiæ Doctor, conſideratis omnibus circumſtantijs, dico firmiter quoad cauſſas extrinſecas, mulieres incedentes nudo pectore in hac honeſtiſſima Mediolani Ciuitate peccare lethaliter, & contrarium dicere, tutè non poſſe ſuſtineri.

XXXV *A Pirouano.* » Suprapoſitas multum Reuerendi Patris D. Synceri Liberi aſſertiones omnino veras, nedum honeſtati, ac pietati ſummè conſentaneas; oppoſitas verò etiam improbabiles cenſeo. Ego D. Iacobus Antonius Pirouanus Cōgregationis Somaſchæ, ſacræ Theologiæ profeſſor.

XXXVI. *A Bozzetto.* » Ego D. Io. Franciſcus Bozzettus Canonicus Regularis ſacræ Theologiæ Lector, diligenter vidi, & attentè examinaui omnes concluſiones, & argumenta Synceri Liberi, quibus propterea tam firmiter adhæreo, vt certò arbitrer nihil probabilitatis ineſſe oppoſitæ ſententiæ; imò à quouis ſanæ mentis Theologo, tanquam rationi, & bonis moribus aduerſantem ablegandam, improbandam, & acriter redarguendam. In quorum fidem &c.

XXXVII. *Oppoſita autē probabilitas valde noxia foret.* Denique eadem oppoſitæ opinionis improbabilitas honeſtati maximè conducibilis inde euincitur, vt relati Doctores indicant, quòd ſi quis eius probabilitatem quoquo modo eruere conetur, vtilitati publicæ nocebit, quàm maximè. Quis enim fructus hinc niſi teterrimus percipietur? vt ſcilicet caro, & ſanguis magis accendantur, vt regnum Satanæ magis amplificetur, vt libidinis vindemiam de vberibus nudatis vberrimam Dæmones colligant.

§. III. *Solius etiam pectoris nuditatem inſolitam ſatis eſſe ad mortalem culpam incurrendam.*

XXXVIII. *Peccant lethiferè, etiā quæ ſolū pect⁹ cōtra morem patria nudant, & nō vbera, quia adhuc valde ad Venerē accēdunt.* DIco II. mulieres, quæ contra loci morem, ſolum pectus, & non vbera detegunt, adhuc peccare mortaliter. Patet I. quia licèt tecta ſint vbera, adhuc nuda mulierum pectora præter morem, ad libidinem vehementer prouocant, vt experientia conuincit; & in morali æſtimatione perindè, aut ſatis eſt, vt periculum probabile à ſolo nudo pectore, ipſiſmet vberibus contermino, aſpicientibus creetur: compertumque vſu eſt, pleroſque in deſideria carnis ex inſolita ſolius pectoris feminei nuditate conſpecta præcipitari, qui ſeu eaſdem mulieres antea tectas vſque ad collum, ſeu alias itidem tectas aſpicientes, minimè labebantur, nec labuntur modò, quum tectas intuentur. Ergo mortaliter delinquunt.

XXXIX. *Natiuaque pulchritudini illiciū libidinis addunt.* II. Id explicatur magis, quia nouâ pectoris nuditate, magno nempe laſciuiæ incitamento, plures in mortales concupiſcentias impellunt, quos ſola naturali pulchritudine conſuetoque ornatu moderato non impuliſſent; atque adeo efficaciam pulchritudinis atq; ornatus allicientis ad malum complent, vt *diſp. 1. cap. 7. §. 15.* diſſerebam. Atqui ſine iuſta cauſſa talem pectoris nuditatem libidinis valde incitatiuam cōtra regionis morem pulchritudini naturali, atque ornatui moderato ſuperaddunt, atque ita vtriuſque efficaciam ad malum ſolicitantem voluntariè, & notabiliter complent. Ergo lethiferè peccant; etſi ipsâ ſolâ pulchritudine, & ornatu moderato minimè peccant: Ergo multo magis mortaliter peccant, quæ

immo-

immodico valde ornatui illecebram nudi pectoris contra conſuetudinem adiungunt.

XL. *Quod cõfirmatur ex cõmuni iudicio.* Confirmo duplicem rationem allatám, quia communiſſima Doctorum ſententia inſolitam muliebris pectoris nuditatem mortalem eſſe decernit, quòd inſolita magis moueant, vt conclusione præcedenti vidimus; atque adeo iidem Doctores neceſſariò ſupponunt multos ob talem inſolitam nuditatem labi in culpam lethalem, alioqui ſine hujuſmodi ſuppoſitione communiſſima ea opinio omni prorſus probabilitate careret. Vndè egregiè Sforzia Pallauicinus ſupra *num.* 14. relatus obſeruat; quòd pectoris nudatio ruinam ſpiritualem in multis, & in Repub. corruptionem morum cauſſare ſoleat, *conſtare ex iudicio prudentum, & ex experientia, quam habent homines, ac præſertim Confeſſarij; nec enim aliunde videtur oriri potuiſſe, vt Scriptores illam deteſtentur.* At contra iudicium commune Doctorum nulla probabilitas ineſſe poteſt iudicio oppoſito alicuius, qui non ratione, ſed ſola auctoritate ducitur, nullaque re ſuperior eſt vno contrariæ partis, vt per ſe ſatis liquet, & planiſſimè oſtendi in mea *opinionum moralium Trutina, par.* 1. *cap.* 8. Vbi enim probabilitas non a rerum natura eruitur, ſed tota ab humana æſtimatione conflatur, iudicium vnius oppugnatum ab alijs communiter, quorum ſinguli etiam auctoritate illum exæquent, eſt omnino improbabile. Ergo ſi quis neget ab inuſitata pectoris muliebris nuditate multos labi in peccatum, quum hic ſit res facti, & ab hominum æſtimatione pendeat, & contra commune iudicium ita ſentiat, omni probabilitate deſtituitur.

XLI. *Cæteraſ-q preuocãt prauo exẽplo ad nudandũ pect°, & vbera.* III. Omnes, quæ præter morem nudant pectus, non ſolùm dant occaſionem, & cooperantur, vt cæteræ quoque pectus detegant, ſed etiam vt detegant vbera. Luxus enim ſemper immodicus, ſemper effrænatus, ſemper infinitus, ſemper inſatiabilis eſt, ac proinde dum vna duos pectoris digitos aperire incipit, alia aperit tres, alia quatuor, atque ita in peius ſemper proceditur. Vnde experimento conſtat, licentiam nudandi muliebris pectoris non diu intra pectoris fines ſe continuiſſe, ſed tandem ad detegenda quoque vbera in pluribus regionibus eſſe progreſſam. At cooperatio tam graui corruptelæ partim illapſæ, partim imminenti eſt mortalis. Ergo.

XLII. *Et Doctores nuditatem pectoris inſolitã ad mortale incurrẽdũ ſatis eſſe indicãt.* IV. Doctores omnes ſupra *nu.* 17. & 18. allati, nouam introductionem nudandi pectoris muliebris lethiferæ culpæ obnoxiam ſtatuentes, nuditatem pectoris generatim dumtaxat cõmemorant, exceptis Bonacina, Azorio, & Diana, qui mamillarum quoque meminerunt. At non mirum, quum agant de regionibus, in quibus de facto pectora, & mamillæ ex conſuetudine deteguntur, quam a mortali excuſant; ſubdentes deinde fore mortale, ſi quis talem morem, vbi non eſt, inueheret; nec propterea eximentes a tali culpa, ſi quis ſolius pectoris nuditatem præter conſuetudinem inferret, quam reliqui Auctores eiuſdem omnino criminis expreſsè damnant. Neque enim verbo vllo indicant, ſe a cæteris, qui ſolius pectoris etiam nuditatem inſolitam lethiferam putant, diſſentire, quaſi ipſi exigant ad tantam culpam contrahendam, vt & mamillæ nudentur. Præterquàm quòd Bonacina, & Azorius, Nauarrum citant, & alios, qui de pectoris tantùm nuditate diſputant. Nec Diana aliter ſentire poteſt, qui Laimanni veſtigijs, quem vna cum Leſſio notam lethalis delicti ſoli etiã

nuditati pectorali inurere, docui, ad amuſſim inſiſtit, vt ſupra vidimus. Quo modo quoque accipiendus eſt Filliucius *tract. 30. cap. 10. num. 220. §. 3.* ne a cæteris ſine fundamento diſcedat. Vult enim afferre habitus minùs caſti, ac ob id lethiferi certum exemplum, aitque: *ſi apparerent in muliere vbera ex toto, pectus totum, niſi conſuetudo loci excuſaret, eſſe peccatum mortale*: vbi manifeſtò hanc ſecundam meam concluſionem docet, tantum abeſt, vt diſſentiat. Nam pectus totũ ab vberibus ex toto apparẽtibus apertè diſcriminat, ſicut etiam Statutum Mediolanenſe *par. 2. cap. 463.* dum prohibet, nè vlla *ſcollaturam taliter deferat, quod videri poſſint mamillæ, nec pectus diſcoopertum*. Nec fruſtra tam Statutum, quàm Filliucius, vbi priùs mamillas, ſeu vbera nominarunt, deindè & pectus exprimunt. Conſtat quippe, vbicunque conſuetudo eſt nudandi vbera, nudari ſimul & pectus. At ſi Statutum vetuiſſet tantùm detegi vbera, adhuc nuditatem pectoris minimè vetuiſſet: illis enim tectis, nihil impedit hoc nudari, vt patet. Eodem modo ſi Filliucius dixiſſet mortale crimẽ eſſe, nudare vbera ex toto (quibuſcum nudatur etiam ſemper pectus, vt fit) nondum enuntiaſſet, an nudare ſolum pectus, mortalem ipſe culpam reputaret: propterea, *ſi apparerent*, inquit, *in muliere vbera ex toto, ſi pectus totum*, hoc eſt, ſi vel vbera tota, & conſequenter & pectus totum, vt vſus fert; vel ſi pectus totum, nempe ſolum appareret, vbi conſuetudo non eſt, lethiferum delictum eſſe decernit; atque ita ſi alterutrùm contra loci morem detegatur, ad incurrendum mortale ſatis eſſe arbitratur; quod etiam euidentiùs explicat, dum proximè *num. ſequenti 221.* numerat inter mortalia oſtentare, vbi non eſt conſuetudo, pectora nuda, nullâ vberum mentione facta. Haud ſecus & reliqui pariter Doctores pectus ab vberibus ſecernunt, & vbi contra morem regionis nudatur, mortale crimen iudicant. Nec de nihilo Filliucius, *ſi pectus totum appareret*, adiecit, nec ſat habuit dicere, *ſi pectus appareret*; quò videlicet innueret, non fore talem culpam, ſi aliqua tantummodo eiuſdem particula, vt vnius digiti tantùm detegeretur, de quo infra.

V. Cætera argumenta, quæ ad primam concluſionem probandam deprompſi, hîc tempeſtiue repetita, atq; applicata hanc quoque ſtabiliunt, ac perſuadent, vt experienti liquet. *XLIII. Et probatur ex adductis argumẽtis.*

Dices I. actionem nudandi pectora eſſe per ſe indifferentem, & concurrere ad peccatum alterius remotè tantùm; delicta cauſſari immediatè a voluntate temeraria aſpicientium dumtaxat; feminaſque vti iure ſuæ libertatis nudando pectora &c. Reſpõdeo hæc omnia eſſe ſomnia ſæpius repetita, & ſæpius diſſipata tota *diſp. 1.* præſertim *cap. 5. 6. & 7.* *XLIV. Nec obſtãt vani prætextus.*

Dices II. ſequi hinc, & nutrices quoque nudando vbera, vt lactent infantes delinquere mortaliter, quia pleriq; ex tali quoque vberum aſpectu ad libidinem inflammantur. At hoc eſt falſum, vt teſtatum eſt. Ergo & id, vnde ſequitur. Reſpondeo falſam eſſe conſequentiam. Nam vbi mos nudandi muliebre pectus non eſt, quę nutrices non ſunt, & tamen id nudant, nullam iuſtam cauſſam habent huius nudandi, vt oſtendi, at nutrices non tantùm cauſſam iuſtam, ſed omnimodam etiam neceſſitatem habent, quò videlicet lac infantibus præbeant, atque adeo hæ extra omnem culpam ſunt, illæ mortaliter delinquunt. Cæterùm Doctores *diſp. 1. cap. 5. § 3. num. 29.* adducti, qui feminam oculis *XLV. Nutrices nudando vbera, vt lactent infantes, etſi cæteris, nus dãdi mos non ſit, minimè peccant.*

ali-

alicuius, a quo turpiter ſe appetendam nouit, ſe exponentem a mortali nec liberant, nec ſcire ſe eam liberare vnà cum Thoma Sanchez aiunt: propterea quòd in tali expoſitione nihil vtilitatis ineſt, facileque ea vitari poterat: conſequenter ad hoc neceſſariò quoque dicent nutricem, ſi dum lactat

Niſi quā facilè alteri pec- catū vitare poſ- ſunt.

infantem publicè, vel eo loco, vbi ab alijs conſpicitur, animaduertit ſe ab aliquo laſciuè concupiſci, commodeque poteſt clam in cubiculo, vel alibi citra cuiuſquam periculum, officium ſuum æquè bene ſine vllo infantis diſpendio præſtare, atq; ita occaſionem ruinæ proximo ſubtrahere, & non ſubtrahit, peccare mortaliter. A qua graui culpa tum ſolùm Sanchez, & alij *cap. 5. num. 25.* relati illam excuſabunt, quum in anguſtias ſcrupulorum idcirco conijceretur, ſi quoties vbera præbet infanti, examinare cogeretur, coram quibus perſonis id agat, & cuius periculi illæ ſint, & ſimilia alia adiuncta, quæ perpetuò expendere graue huiuſmodi Auctores incommodum exiſtimant.

XLVI.

Datur tamē in nudatione pectoris leuitas materiæ, & quantū ad aſpectum venialis eſt, qualis eſt ſcollatura *Mediolani.*

Quanquā hac etiā reprehendēda eſt.

Monuerim tamen in hac inſueta pectoris feminei nuditate dari poſſe leuitatē materiæ, vt ſi qua mulier infra radicem colli pectus craſſitie vnius tantùm digiti aperiat; non putarim eam mortaliter delinquere. Ratio eſt, quia talis nuditas non videtur per ſe eſſe notabilis, quæ ad libidinem notabiliter incitet; & huiuſmodi ferè eſt ea, vt vulgo appellatur, *ſcollatura*, quæ Mediolani ab aliquibus vſurpari cœpit, modiciſſimè infra collum, coronæ inſtar ambiens, ac patens; Nihilominùs a Confeſſarijs, & à Concionatoribus, alijſque animarum paſtoribus, & Religioſis omnibus ſtrenua operadanda eſt, vt huiuſmodi quoque *ſcollatura* penitùs tollatur, quia alioqui cōtagio vanitatis paulatim ſerpit, & ab vnò digito *ſcollaturæ* ad duos, hinc ad tres, & vltra, donec pectoris notabilis nuditas cernatur, facilè proceditur, & periculum ingens eſt, ne de veniali *ſcollatura* in lethiferam nuditatem pedetentim incidatur, vt ſupra *num. 21.* diſputabam.

XLVII.

Præſertī quia per accidens euadit notabilis.

Dixi tamen huiuſmodi *ſcollaturam non videri per ſe notabilem*, vt indicarem poſſe per accidens notabilem euadere: nam ſi immodicus ornatus aliàs nec dum notabiliter ad libidinē prouocabat, fieri poteſt, vt additâ *ſcollatura*, iam notabiliter prouocet, atque ita *ſcollatura* efficaciam ornatus immodici ad malum allicientis expleat (quanquam non eſt mortalis, niſi efficacia ſuperaddita ex *ſcollatura*, & alio cultu immodico ſit notabilis, vt *diſp. 1. cap. 7. §. 15. num. 170. & 171.* docui.) Quamobrem tanto magis, hæc etiam *ſcollatura* deteſtanda, tanquam culpæ quoq; mortiferę ſubinde occaſio, atque ad hanc damnandā ea, quæ ex Patribus, & alijs *diſp. 1. c. 2. & 6. §. 2. cap. 7. diſp. 2. cap. 1.* depromſi, rata portione accommodanda, & inculcanda ſunt: quibus addo nunc præciſum Clementis Alexandrini interdictum, qui *lib. 2. Pædagog. cap. 2.* omni prorſus nuditate corporis feminas his verbis prohibet: *Nullo autem modo permittendum eſt mulieribus, vt appareant aliquid corporis denudantes; ne ambo prolabantur: hi quidem, vt qui ad videndum incitentur; illæ verò, vt quæ in ſe virorum intuitum attrahant.*

Nihil nudū a feminæ oſtendēdum.

XLVIII.

Occurritur difficultati.

Dices. Scollatura prædicta in feminis eſt tantùm venialis, vt cōceſſum eſt. At huiuſmodi ſcollatura phyſicè, & moraliter parum diſtat a denudatione pectoris. Ergo denudatio pectoris, etſi inuſitata, non eſt mortalis. Reſpondeo, ſi hæc ratio valet, haud ſecus, ſi materiā notabilem furti ſtatuamus

mus tres regales, fas eſſe ita colligere: Duo regales cum nouem baiochis, vel ſolidis phyſicè, & moraliter a tribus regalibus parum diſtant, vno tantùm ſolido diſtincti. Ergo ſi illi non conſtant materiam furti notabilẽ, & mortiferam, neque iſti, contra ſuppoſitionem. Atqui ſicut hæc ratiocinatio falſa eſt, ita & prior: & ſicut vltimo ſolido explente tres regales, iam iſti materiam notabilem, & mortalem conſtituunt, moraliterque a duobus regalibus cum nouem ſolidis diſcriminãt; eodem etiam modo denudatione ſcollaturæ dilatatâ vſque ad denudationem pectoris, ex hac notabilis prouocatio exilit moraliter diuerſa a leui, quæ ex illa manat. In hoc tamen diſtat, quòd hæc mortalis non eſt, niſi ſit notabilis prouocatio ex ipſo immodico cultu, & ſcollatura, quia nimirum prouocatio ex pulchritudine præciſè non eſt voluntaria, vt eſt voluntarium furtum trium ferè regalium.

An mulieres extraneæ vel peregrinæ nudo pectore, vbi mos non eſt, incedentes iuxta conſuetudinem ſuæ patriæ, peccent lethaliter.

Cap. III.

1. An a tradita doctrina excipiẽda ſint peregrinæ.

DOctrina paulò ante explicata ſicut omnes incolas loci tam exteros, quàm patrios reuera comprehendit; ita an etiam feminas peregrinas, vel quaſcunque extraneas complectatur, non nemo dubitabit. Videntur enim excipiendæ, quæ iuxta ſuæ patriæ morem nudantes pectus, & quidem licitè iuxta auctores primæ ſententiæ *cap.* 1. relatos, in alienas regiones, in quibus mulieres pectus omnino tegunt, proficiſcuntur; tum quia tales mulieres ita nudãtes, vtũtur iure ſuo, neque ſunt libertate ſuæ patriæ ſpoliandæ; tum quia nimis graue onus ſentirent, ſi excurrentes in loca alia a patria, habitum mutare cogerentur; tum quia Doctores *cap.* 2. *num.* 17. & 18. recenſiti, Bonacina, Azor, & Diana excuſant a peccato, quæ pectus nudant ſecundùm morem patriæ. Vt hanc difficultatem expediam, omnes ego peregrinas, atque extraneas in duas claſſes diuido, in vnam eas, quæ in alienis regionibus diu commorantur; in alteram illas, quæ excurrunt tantummodo, ac tranſeunt per extranea loca, vel breuiſſimo tempore in his ſubſiſtunt. Hinc

II. Peregrina diu morãtes vbi mos non eſt, feminis nudãdi pectoris, ſi nudẽt ipſa pro more patriæ, delinquũt mortaliter, tum quia nõ excipiũtur a DD.

Dico I. eas mulieres extraneas, vel peregrinas, quæ alijs in locis, vbi feminis aperiendi pectoris mos non eſt, longo tempore habitant, ac domicilium acquirunt, non eximi a lethifera culpa ſi pectus nudent, etiamſi pro more ſuæ patriæ, vt ante ſolitæ erant, id faciant. Probatur I. Quia talis diſcriminis, & differentiæ, vt peregrinæ a peccato mortali cæterarũ, quæ ciues ſunt, vel indigenæ, exceptæ intelligantur, apud Doctores nullum penitùs veſtigium exſtat, & ſine fundamento rationabili fingitur. Neque Azor, Bonacina, vel Diana id ſomniarunt, ſed nomine patriæ intelligunt ipſam regionem, in qua mos eſt nudãdi pectoris, aiuntque excuſari a peccato, quæ iuxta morem patriæ, in qua nempe verſantur, illud detegunt, nec reſpiciunt vllo modo ad patriam, quã vnaquæque incolarum habeat, ſed ad eam, quæ indigenarum propria eſt, quam lato modo patriam, vt hæc etiã omnes incolas comprehendit, præſertim quia hi reſpectu illorum pauciſſimi ſunt, appellant. Quod confirmatur

tur ex eo euidenter, quia iidem Auctores Bonacina, atque Azor, vbi excuſarunt, quæ iuxta morem patriæ nudāt pectus, hoc eſt, iuxtà morem regionis; ſtatim generaliter eas peccare aiunt, quæ huiuſmodi morem, vbi non eſt, introducunt, nullâ patriæ mentione factâ, nempe quæcunque ſint, quæ eū introducunt, ſiue indigenæ, ſiue peregrinæ, vt patet ex contextu eorundem Doctorum. Neque Diana aliter ſentire poteſt, qui Laymanni placitum ſibi placere memorat; hic verò, vt *cap. 2. num.* 17. vidimus, damnat mortalis generatim quæcunque huiuſmodi conſuetudinem, vbi non eſt, introducit.

III. Tum quia eadem ratione damnātur mortalis.

II. Probatur, quia ratio vnica, quā Doctores *c. 2. eodem nu.* 17. & 18. enumerati, ad notam peccati mortalis illis, quæ talem corruptelam primò inuehunt, imponendam afferunt, ex æquo tam mulieres peregrinas, quàm indigenas, complectitur, vt palàm eſt. Aiunt enim, quum mulieris nudum pectus, ſpectata humana conditione, libidinis incitamentum ſit, etiam vbi conſuetudine iam tritum eſt; multo tamen magis ad Venerem incitare, vbi inſolitum eſt, quum inſolita, vt conſtat, magis moueant, ac proritent. Quæ planè ratio & peregrinas quoq; vrget, & fortè has magis, ſi formoſę ſint, quàm indigenas, quippe quæ non ſolùm inuſitata pectoris nuditate, ſed nouâ quoque ipſâ perſonarum peregrinitate, & pulchritudine aſpicientes magis vrunt. Quin etſi fortè minùs formoſæ ſint, quàm indigenæ, ipſa nouitate & faciei, & pectoris detecti periculoſiorem illecebram oculis aliorū exponunt.

IV. Tum quia ipſa magis a DD. denotātur.

III. Probatur, quia ipſum verbum introducendi nouam conſuetudinem, & peregrinum morem, ſecundùm moralem æſtimationem hominum extraneas, & peregrinas perſonas, a quibus introducitur, magis indicat, quàm indigenas, & domeſticas, quæ illum recipiunt, vt patet; longè enim frequentiùs peregrini peregrina inducunt, quàm indigenæ; adeoque & præſumptio pro illis ſemper militat.

V. Tum qua alioqui & catera corruptela ſimili prætextu excuſarētur.

IV. Probatur, quia ſi ratio peregrinitatis has excuſaret, eadem facilitate, & prætextu & alias quaſcunque conſuetudines honeſtati infeſtas, ſi a peregrinis inuehantur, excuſaret; atq; ita ſine peccato fas eſſet inducere morem promiſcuè oſculandi mares, & feminas alicubi vſitatum in alia loca, vbi inſolentiſſimus eſt, adeoque & cōſuetudinem tangendi mutuò nuda nuda pectora inter feminas, & viros, vt *cap. 2. num. 5. & ſeqq.* argumentatus ſum. Imò iuxta opinionem Baldelli *ibid. num. 6.* expoſitam, ſi Indæ in Braſilia nudæ prorſus incedētes, ob conſuetudinem nulli turpitudini ſunt obnoxiæ, poſſent hæ ſine crimine in Italia nudæ pariter more ſuæ patriæ incedere, eodem prætextu patrię conſuetudinis a culpa liberæ. At hoc abſurdiſſimum, & falſiſſimum eſt, illudq; etiam de promiſcuis oſculis tactuque pectorum abſonum, ac temerarium. Ergo.

VI. Tum quia tenentur ſe loco conformare, in quo degunt, ne ſcandalo ſint.

V. Denique probatur, quia ſicut peregrini, vbi alibi domicilium acquiſiuerunt, quantum ad præceptorū Eccleſiaſticorum, ieiuniorum, feſtorum, &c. obſeruantiam, tenentur ſe loco, in quo illud compararunt, conformare; ita etiam quantum ad conſuetudines, quæ cum offenſione coniunctæ ſunt, eo in loco, in quo illæ ſcandalo ſunt, hoc eſt, ſpiritualis ruinæ occaſionem præbent, iiſdem conſuetudinibus, lege ipſa naturę ad id obſtringente, abſtinere, vt liquet.

VII. Etſi nōdum ibi

Quæ ſanè rationes euincunt etiam eaſdem peregrinas, etiamſi domicilium

lium

domicilium comparaũt. lium in aliena regione non compararunt, neque tamdiu ibi moratæ ſint, vt illud comparare poſſent; ſi tamen longo tempore ibidem iudicio prudentis æſtimando ſubſtiterunt, & pectus contra morem indigenarum detegunt, mortiferè delinquere, vt eas applicanti patet. Neque verò vllum incommodum hæ queunt prætexere, quin, diu manentes in eodem loco, pectus commodè tegere queant, ſicut indigenæ. Alioqui ſi pro cuiuſque appetitu, & paſſione grauia incommoda comminiſci, & fingere liberum eſt, de præcepto caritatis vitandi aliena peccata actum ferè eſt. Ex quibus ſolutio triplicis prætextus *nu.* 1. propoſiti manifeſta eſt. Tenentur quippe peregrinæ iuri libertatis, & patriæ conſuetudinis cedere, vbi in extranea regione a præcepto diuino, & naturali de vitando puſillorum ſcandalo, quod ex tali nuditate pectoris in tali regione contingit, omnino eliditur, vt perſpicuum eſt. Neque aliud incommodum hîc interuenit, niſi quòd varij Confeſſarij, vt ſe eximant ab obligatione admonendi peregrinas mulieres, præſertim matronas, & Dominas, vt pectus tegant, eaſque ad id, vt tenentur, compellant, voluntariè, ac fruſtra excogitant.

VII. *Peregrinæ nudantes pectus, vbi mos non eſt, cõſcia id ſcandalo alijs eſſe, delinquũt lethiferè.*

Dico II. mulieres peregrinas more ſuæ patriæ pectus nudantes in aliena regione, in qua talis conſuetudo non eſt, etiamſi nullum in ea domicilium acquirant, neque diu commorentur, ſed tanquam vagæ, vel itineris gratiâ breui admodũ tempore ibi maneant; ſi talem nuditatem alijs ſcandalum, ſeu occaſionem ruinæ ſpiritualis præbere animaduertant, peccare ſecundùm rem ipſam mortaliter. Quam concluſionem probo, quia ſicut nemo a mortali excuſaret feminam, quæ præter morem loci ſeſe a collo vſque ad cingulum nudaret penitùs, & ita vel ſemel tantùm per oppidum, certa à varijs viris ſe conſpiciendam, diſcurreret, quia cenſeretur verè dare ſcandalum actiuum, & occaſionem proximam ruinæ ſpiritualis, quam facile ſine graui incommodo poſſet vitare: ita prorſus peregrinæ nudato pectore præter conſuetudinem indigenarum, extraneam regionem, aut vrbem vel ſemel tantùm percurrentes, compluriumq; virorum in oculos incurrentes, probabile periculum turpium appetitionum, & mortalium delictorum ſufficienter ingerunt, vt facilè ex dictis deducitur, quod nullo negotio, ſi vellent, aliquo lineo panno, aut velo nigro, vel vtcunque colorato, ſed denſo, & non pellucido pectus ſine vllo ſui notabili incommodo tegentes, poſſent illis ſubtrahere, vt conſtat. Neque opus eſt, vt habitum alium nouâ impenſâ induant, ſed ſatis eſt, vt eodem retento, induſium interius, facillimo vnius fruſtuli linei candidi additamento, vſque ad colli radicem attollant, vt euidens eſt. Quamuis verò morale periculum imminere non videatur, vt tam breui tempore indigenæ huiuſmodi ambulatorium exemplũ ſtatim ſint arrepturi: tamen ad creandum aſpicientibus viris graue, & proximũ periculum mortalium concupiſcentiarum vel tam breue tempus ſat ſuperque eſt, vt ex cotidiano vſu in ſimilibus caſibus perſpectum eſt. Certè grauiſſimum præceptum de vitando puſillorum ſcandalo, & peccato a Chriſto Domino tam ſeuerè inculcatum pluris omnino faciendum eſt, quàm vt adhibere ſimile velamentum ad declinandam proximorum grauem ruinã, onus, vel incommodum notabile meritò iudicetur. Ergo niſi id adhibeant, peccant mortaliter. Confirmatur hoc ipſum ex doctrina tam in hac, quàm

in

in prima diſputatione ſæpius repetita, & variè explicata, quæ hìc pariter rata proportione vrget, vt experienti patet.

VIII. *Nō per ex natura rei.* Dixi tamen *ſecundùm rem ipſam*, vt innuerem, me hìc more Doctorum de obiecto talis quæſtionis loqui, nihil morantē externas circumſtātias ignorantiæ, inaduertentiæ, impotentiæ, &c. quæ tum ab hac, tum ab alijs culpis excuſant, vt notum eſt. At ſingillatim id ego hoc loco cōmemorandum duxi, quia in huiuſmodi caſu ignorantia, atque inaduertentia ordinariè, vt reor, interuenit, & feminis incogitantibus præſidio eſt.

IX. *Neque excuſātur vxores Legatorū &c. ſi habitū ſcandaloſū gerant.* Dices I. Quis vxores Legatorum Venetorum, Gallorumue, vel militarium Tribunorum Belgicorum, aut Germanorum ad patrios habitus in extraneis regionibus mutandos obligat? Reſpondeo; ſi tales habitus nullam peccati mortalis proximam occaſionem alijs præbent, nullum virum doctum eiuſmodi vxores ad quicquā mutandum obſtringere: ſin autem præbent, omnes Doctores *cap.* 2. recenſitos, qui nullam peregrinam excipiunt, obligationem tollendi ſimilem occaſionem tecto pectore ijſdem vxoribus imponere. Nec ſapiens vllus dixerit, fas eſſe cuiuis peregrinæ dare in externa regione occaſionem ruinæ ſpiritualis, vt liquet.

X. *Quę ſine incōmodo q̃ nō omittere.* Dices II. Fore ſcandalum acceptum, & non datum; paſſiuum, & non actiuum. Sicut enim, quum quis ex iuſta cauſsa quidpiam, quod alteri eſt occaſio ruinæ, facit, vt ſumens pecunias mutuas ab vſurario ad creditorū, vel carceris, in quo eſt, vexationem redimendam, quas aliunde, ſine vſura nanciſci nō poteſt, minimè delinquit, etiamſi delinquit ipſemet Vſurarius, vt tradunt communiter Doctores; ita non peccant prædictæ vxores, quia iuſtam cauſſam habent, geſtandi propriū habitum in aliena regione iuxta proprię patrię conſuetudinē. Reſpondeo tamen obiectionē non poſſe ab eo fieri, qui Bonacinam, Baldellum, & alios Auctores ante recenſitos inſpexit ſedulò, atque expendit. Nam hi, quum docuiſſent mortaliter eam, quę morē detegendi pectoris in extraneam regionem inuehit, peccare; ſtatim Heluetios, qui more patrio imaginem membri virilis ex ſcrutis, & pannis cōfectam præ ſe ferunt, etiam in extraneis regionibus, excuſant. Excuſant verò, quia moraliter conſtare aiunt, nullam peccati mortalis occaſionem moralem ex eiuſmodi imagine oriri: quum experientia, inquiunt, indicet, harum veſtium aſpectu homines non induci ad peccatum. Ergo quum habitus ad peccatum inducit, nullo modo ijdem Doctores peregrinos excuſant, neque iuſtam excuſationis cauſſam iudicant, quòd ille habitus in ipſorum patria ſit vſitatus, alioquin vno verbo ſe potuiſſent expedire dicentes, id non obſtare, quum Heluetij peregrini extra propriam patriam ſint, habeantq; ius geſtandi patrios habitus etiam in aliena regione, vtcūnq; homines ad peccatum ij inducant; quod nemo Doctorum ſomniare audet. *Quamquam excuſātur extranei imaginē membri virilis oſtendētes.*

XI. *Non tamē quæ multis annis, ubi mos non eſt, pectꝰ de texit, licèt alia imitata nō ſint.* Dices III. Quid ſi aliqua mulier nudo pectore in extranea regione cōtra indigenarum morem multis annis inceſſit, nec tamen vlla exemplū eius ſecuta eſt, excuſaturne a mortali? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia contingit aliquando ſcandalum, ſeu occaſionem ſpiritualis ruinæ ab aliquo alteri dari, & tamen ab hoc in virtute firmo, & conſtante minimè accipi, ſcandalumque eſſe actiuum ſine paſſiuo; nec propterea excuſari eum, qui actiuum dedit, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 43.

art. 1. ad 4. & ſupra *diſp.* 1. *cap.* 5. §. 1. notaui. Sic in propoſito talis mulier dedit ſcandalum actiuum alijs, etſi aliæ ſeu in virtute fortes, ſeu patriæ conſuetudinis tenaces paſſæ non ſunt. Deinde, quum ratio ſcandali hîc in eo ſita ſit immediatè, quia inſolita magis ad libidinem mouent, vt Doctores tradunt, huiuſmodi ratio in tali muliere, quæ eo inſolentiùs nudum pectus tamdiu geſtauit, quò nulla alia eam imitata eſt, adeoque & ad libidinem magis pellexit, ſemper perſeuerauit. Etſi autem cæteræ eius exemplum amplexæ non ſunt; quis præſtare auſit, neminem aſpectu eiuſdem pectoris nudi Venereis flammis arſiſſe? Fruſtra id fingitur. Reclamat experientia, reclamat ipſa præſumptio, reclamant Scripturæ ſacræ, reclamant Patrum, ac Doctorum teſtimonia. Ergo quamuis aliæ feminæ pectus exemplo illius minimè nudarunt, ea tamen a culpa mortali dati actiui ſcandali non eximitur, niſi ignorantia excuſetur.

An mulieres, quæ in præſens Mediolani nudant pectus, delinquant mortiferè. *Cap. IV.*

I. *Propoſitũ quæſtio.*

EX hactenus ſtabilita doctrina facilè ſimilem caſum, de quo conſultus fui, expedio, an feminæ, quæ Mediolani detecto pectore iam incedũt, lethaliter peccent. Non vtar modò ad hanc quæſtionem enodandam ijs argumentis, quanquam infeſtis valde, quibus nuditatem muliebris pectoris, vtcunq; etiam vſitatam, & conſuetudine roboratam vexaui, aut vexari quàm maximè, non tralatitiè, vt opinor, demonſtraui: ſed aliam ingrediar viam, quam vt rectè inſiſtam, explorandum priùs, quæ conſuetudo habitus, vel ornatus feminei circa nuditatem pectoris Mediolani iam in poſſeſſione ſit; de qua vt conſtet,

II. *Lex municipalis Mediolani vetat feminas nudare pectus.*

Præmitto in anteceſſum I. Mediolani peculiari lege municipali vetitum eſſe, ne vlla mulier pectus in ornatu, aut veſtitu vllo modo detegat: quæ lex in Statuto Mediolanenſi volumine 2. *cap.* 464. *tit. de ſcollaturis, & alijs moderandis*, totidem hiſce verbis perſcripta eſt. *Nulla mulier cuiuſcunque ſtatus, vel conditionis exiſtat, debeat audeat, nec præſumat portare, ſeu deferre, nec tenere aliquam veſtem, nec gruppam, nec ſcollaturam, taliter, quòd videri poſſint mamillæ, nec pectus etiam diſcoopertum, nec etiam cum cauda, quæ trahatur per terram ſub pœna comprehenſa in primo ſtatuto huius Rubricæ generalis applicanda, vt ſupra.*

III. *Nulla tamen eã violãs grauiter idcirco peccat.*

Præmitto II. ex vi iſtius legis neminem ad culpam Theologicam grauem obligari, quum talis obligatio, dato etiam quòd ſeculares Principes ad culpam quoque, & peccatum queant obſtringere, neque ex pœna appoſita, quæ leuis admodum eſt, pecuniæ tantùm, etiam perexiguæ ſoluendæ; neque ex grauitate verborum ipſius legis, quæ nihil tale ſonant, colligatur, vt manifeſtum eſt. Hinc

IV. *Conſuetudo nudandi pectoris feminei Mediolani nulla adhuc legitima eſt.*

Dico I. Mediolani nondum introductam eſſe legitimam conſuetudinẽ nudandi muliebris pectoris, quæ oppoſitæ legi eam prohibenti, aut contrariæ conſuetudini inueteratæ eiuſdem tegendi ſufficienter deroget. Quod patet.

V. *Quamquam hæ perpauca ſunt.*

I. Quia aliquæ tantùm ferè ex nobilibus hunc nouum nudandi pectoris morem amplexæ ſunt; reliquæ verò prope omnes (exceptis meretricibus, & proſtitutis, a quibus id nudari non mirum) ſeu ex mercatorum, ſeu ex plebeiorum genere, ſeu ex ignobilibus quibuſcunque, quarum numerus ſine

com-

comparatione ſuperat omnes nobiles feminas huius Vrbis, ne dum earum ſolùm, quæ pectus aperuerunt, perſeuerant tecto pectore incedere, neque nouam corruptelam ſibi perſuaderi paſſæ ſunt.

VI. *Quibus etiã talis nuditas exprobratur.*

II. Quia iſte mos a conſuetudine vetere huius Vrbis adeo alienus eſt, tantaque cum offenſione communitatis coniunctus, vt nobiles feminæ, quæ tecto ſunt pectore, numerus ſcilicet longè maior, indignabundæ cæteris paucis nobilibus honeſtis (de quibus tantùm hic ſermo) quæ nudarunt idẽ pectus, talem nuditatem velut probrum exprobrent, eaſdem irrideant, ludoſque faciant, quin etiam pueri de triuio conuicia ingerant.

VII. *Appareret quoq; paucitas nudantiũ in ipſis concurſibus.*

III. Quia in numeroſiſſimis nobilium feminarum concurſibus, quæ diebus feſtis ad templa alicuius Indulgentiæ piacularis gratiâ frequentata longiſſimo curruũ ordine de more fiunt, pauciſſimę omnino ex nobilibus nudo pectore, reliquæ autem nobiles omnes longè plurimæ tecto, conſpiciuntur, vt viri fide digniſſimi datâ operâ, vt id notarent, ſubmiſſi, ſyncerè teſtificantur. Vnde inito ante annum numero, vix octodecim honeſtæ, quæ nudent pectus, in tota Vrbe inuentę ſunt: nunc autem corruptela ad pauciores adhuc redacta videtur. Sed demus eſſe triginta, vel quinquaginta, adhuc iſtæ reſpectu aliarum nonniſi pauciſſimæ ſunt, vt liquet.

VIII. *Nouitaſque corruptela aliunde indicatur.*

IV. Quia hæc eadem nudi pectoris muliebris nouitas ita cum oppoſita conſuetudine ſeſe tuente pugnat, vt non nemo ex Sartoribus, ſcrupulo perculſus, noluerit veſtem muliebrem cũ aperto pectorali conficere, aut deſignare. Quicquid verò ſit, licitè ne, vel ſecus id præſtare potuerit; certè nomrs ſcrupulus, qui hominem inuaſit, nouitatem rei inueteratæ conſuetudini aduerſantem oſtendit.

IX. *A Cõcionatoribus quoq; liberè notata culpa mortalis.*

V. Quia varij Concionatores viri docti, & prudentes in publicis templis Mediolani anno 1646. ac ſequentibus rotundiſſimè prædicarunt peccare mortaliter mulieres nudo pectore in tali vrbe incedentes, atque huiuſmodi peccati mortalis incurrendi intorto fulmine a tali corruptela deterrere iuſtiſſimè, & ſanctiſſimè (vt ex dictis elicitur, & paulò poſt meliùs conſtabit) conati ſunt. At talis eorum doctrina, & prudentia, ſi conſuetudo nudandi pectoris muliebris Mediolani iam eſſet legitima, iuxta opinionem ferè vulgatam *cap.* 1. expoſitam, quæ talem nuditatem conſuetudine honeſtari putat, minimè ſubſiſteret, vt patet. Ergo præſumendum eſt, viros eiuſmodi doctos, & prudentes priùs moraliter certos fuiſſe redditos de noua corruptela irruente, & ſtabili poſſeſſione veteris conſuetudinis repugnantis, nec voluiſſe ex opinione Angeli, & aliorum iam minimè receptâ vulgo tantos clamores edere, ſed in ſententia ab omnibus quoque planè probata.

X. *Conſuetudo legitima non eſt ſine conſẽſu maioris partis populi.*

VI. Quia conſuetudo, vt ſit legitima, & valida, eſſentialiter, & pro ſubſtantia requirit conſenſum populi, vel totius, vel ad minimum maioris partis, vt Doctores cuncti ſine controuerſia decernunt in *cap. fruſtra, diſt.* 9. vbi Barboſa in *Collectaneis n.* 6. refert Gloſſ. Mich. Graſſ. Valaſc. Maſcard. Ceuall. Cardoſ. Rebell. & Suarez, quibus addo Monteſinum *par.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 23. *q.* 13. *num.* 220. & Dianam *part.* 6. *tract.* 5. *reſol.* 15. At certum eſt maiorem partem populi Mediolanenſis, & longè maximam, ne dum maiorem, partem tali corruptelæ nouæ minimè conſenſiſſe, ſed conſtanter repugnare, vt mille teſtimonijs, & ampliùs conuinci poteſt. Ergo certum eſt,

Qualis Mediolani nõ eſt nudandi pectoris feminei.

Mediolani dictam conſuetudinem nudandi muliebris pectoris non eſſe receptam, ac proinde nec conſuetudinem eſſe, ſed corruptelam.

XI. Vt reuincitur ex repugnantia Archiepiſcopi. VII. Quia id multo adhuc magis confirmatur grauiſſima auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis Montij Archiepiſcopi, qui aliquando cum Religioſo viro, de hac nudandi feminei pectoris nouitate ſermonem habens; & negauit apertè adeſſe talem conſuetudinem Mediolani, & addidit expreſsè illas, quæ pectus detexerãt, paulatim ſe reducere ad antiquum aliarum morem tegendi. Neque priuatim tantùm id dixit, ſed multo magis publicè declarauit, dum ſolicitudine planè paſtorali Concionatoribus Vrbis ſæpius ſeriò commendauit, vt in nouitatem huiuſmodi acriter inueherentur. Imò verò quum ex dictis *diſp. 1. cap. 7. §. 12. num. 157.* conſtet, habitum bonis moribus noxium, poſſe ab Epiſcopo ſub excommunicatione prohiberi; idẽ Cardinalis Eminentiſſimus vulgari, ac denuntiari meritò iuſſit, ſi monita a ſe edita ſatis curando morbo non eſſent, alia remedia efficaciora a ſe fore adhibenda, etiam reſeruando ſibi talem caſum, & præcipiendo, ne ad Sacramẽta admitterentur illæ, quę pectore detecto ad ea acceſſiſſent; quemadmodum de facto nonnullæ admiſſæ hac de cauſa ad Sacramenta non ſunt, ſed reiectæ. Ex quibus compertiſſimum eſt, Eminentiſſimum Archiepiſcopum tum per ſe, tum per Concionatores tali pectoris nuditati repugnaſſe. Ergo certum eſt, eam nuditatem nulla adhuc legitima conſuetudine eſſe potitam.

XII. Vnde nõ poteſt dicta conſuetudo eſſe rationabilis. VIII. Quia conſuetudo legitima, vt poſſit oppoſitã legem, vel conſuetudinem abrogare, requirit neceſſariò, vt ſit rationabilis, quemadmodum *cap. 1. num. 34.* animaduerti ex omnium Doctorum conſenſu. At nullo modo poteſt eſſe conſuetudo nudandi pectoris muliebris Mediolani rationabilis, dũ Archiepiſcopus Eminentiſſimus ibi per Concionatores declarat corruptelam eſſe deteſtabilem, iubetque eam ab alijs vehementer increpari, ac præterea ſignificat, ſibi adeo non ferendam videri, vt ſi opus etiam ſit, in caſus reſeruatos referatur.

XIII. Nec tẽpore p̃ſcribi, reclamante ipſo Archiepiſcopo. Confirmatur validè, quia etiãſi apud Doctores controuerſum ſit, vtrum ad validam conſuetudinem ſtabiliendam neceſſarius ſit conſenſus Principis; & opinio receptiſſima definiat ſatis eſſe, quòd ſit conſuetudo rationabilis, & tempore debito præſcripta, vt hoc ipſo cenſeatur adeſſe tacitus, & ſufficiẽs Principis conſenſus, vt videre eſt tum apud Leſſium *lib. 2. de Iuſt. cap. 6. num. 46.* tum apud Dianam *par. 6. tract. 5. reſol. 13.* tum apud alios paſſim; nihilominùs certum apud omnes eſt, quoties conſuetudini expreſsè contradicit Princeps, eamque expreſsè tanquam corruptelam, non tantùm in futurum, ſed actu in præſenti damnat, non poſſe illam vllo modo, dum ita actu damnatur, eſſe legitimam, aut validam, nec vires vllas acquirere, vt ex iiſdem Auctoribus manifeſtum eſt, & ratione quoque planiſſima conuincitur. Nam ſicut in poteſtate Principis eſt legem condere, & etiam abrogare: ita etiam conſuetudinem poteſt, ſi vult, tollere, vt tradunt omnes. Ergo dum conſuetudini actu apertè reſiſtit, & declarat eam eſſe corruptelam, ſufficienter eam elidit, atque oppoſitam legem, vel conſuetudinem incolumem, illęſamque conſeruat. Atqui ad Epiſcopum tanquam ad Eccleſiaſticum Principem ſpectat auferre prauas ſuæ Diœceſis conſuetudines, argumento *cap. abolendæ, de ſepulturis,* vt notant ibi Abbas *num. 3. & in cap.* *Epiſcopi verò eſt prauas ſuæ Diœceſis cõſuetudines abolere.*

ex frequentibus, num. 4. de inſtit. Angelus *in Summa, Verbo, Archiepiſcopus. num* 1. Eraſmus à Cochier *de Iuriſdict. Ordin. par. 4. q.* 15. & ſequitur Barboſa, in dictum *cap. abolendæ num. 8.* certumque eſt in hac materia nudandi pectoris muliebris, quæ ad mores pertinet, & in animarum perniciem redundat, non ſolùm Principem ſecularem, ſed multo magis Eccleſiaſticum, qualis eſt Epiſcopus, eſſe agnoſcendum. Sic enim & in pleriſque alijs cauſſis, vbi animarum damnum emergit, forum Eccleſiaſticum, vt in vſuris, in adulterio, & in pleriſque alijs ſeſe immiſcet. Vnde dubium non eſt, quin Eminentiſſimus poſſit hanc muliebris pectoris nudationem caſum reſeruatum ſtatuere, & cenſuræ quoq; interdicti, vel excommunicationis ſubijcere, vt ex Doctoribus *diſp. 1. cap. 7. §. 12. num. 157.* relatis teſtatum eſt, quod ſanè nullo modo poſſet facere, niſi ſpirituali Principis iuriſdictione in hac materia niteretur, vt liquet. Ergo quum Eminentiſſimus Archiepiſcopus Princeps Eccleſiaſticus ſua iuriſdictione vſus, nouitati nudandi pectoris muliebris expreſſiſſimè per Concionatores, vt narraui, contradixerit, eamque velut corruptelam damnarit, non poteſt illa in legitimam, & validam conſuetudinem vllo modo tranſire.

XIV. Confirmatur præterea, quia etſi neque Archiepiſcopus, neque Concionatores irrumpentem hanc corruptelã improbaſſent, neque reclamando prohibuiſſent; adhuc talis corruptela, vtcunque etiam cunctis foret vſitata, legitimæ conſuetudinis priuilegium obtinere non poſſet; ſi quidem adhuc foret irrationabilis, atque adeo etiam nulla. Quum enim talis vſus, quamuis omnino peruulgatus, honeſtis moribus grauiter adhuc obſit, vt *cap. 1.* ſolidè oſtendi, non poteſt vllo modo eſſe rationabilis, ac proinde neque in legitimam conſuetudinem migrare poteſt, vt *ibidem* planum feci.

Et aliàs foret adhuc corruptela.

XV. Dico II. Mulieres, quæ nunc Mediolani nudo incedunt pectore, peccare mortaliter. Hæc concluſio ſequitur neceſſariò, ac euidenter ex dictis. Nam quum iam demonſtrarim nudãdi feminei pectoris conſuetudinem legitimam Mediolani nullam eſſe; ſupra autem *cap. 2.* docuerim omnes, quæ morem talis nuditatis inuehunt, vbi non eſt, lethiferæ culpæ eſſe obnoxias, ineluctabili conſecutione fit, hodiernas mulieres, quæ talem conſuetudinẽ Mediolani, vbi non eſt, de ſe inferunt, peccare lethaliter, vt patet. Quæ doctrina, & concluſio iiſdem omnino argumentis, quibus *cap. 2.* concluſio prima, & ſecunda luculenter probata eſt, abunde conuincitur, niſi quòd nonnullæ aliæ circumſtantiæ præterea notandæ ſunt, quæ hanc multo adhuc fortiùs corroborant. Nam

Quæ Mediolani nudãt pectus feminæ in præſens, peccant mortaliter.

XVI. I. Quum initio vna, vel altera tantummodo ex honeſtis matronis pectus nudaſſet, contagio mali exempli tam dilatata eſt, vt aliquot iam ferè peruerterit, lõgeq; etiã plures ſine dubio peruertiſſet, niſi zelus Eminentiſſimi Paſtoris illam per Concionatores, & alia remedia valde repreſſiſſet. Tamen aliquæ etiam eo proceſſerunt, vt non tantùm pectus, ſed vbera quoq; detexerint; atque adeo dant occaſionem, & cooperantur, vt aliæ etiam omnes vbera nudent; ita corruptelã in dies latiùs graſſante, verendum vt ſit meritiſſimò, ne ad multo adhuc turpiora procedatur, excuſſoque ſemel pudoris fræno, obſcœniora introducãtur, niſi efficacia remedia tanto malo tempeſtiuè admoueantur. Atqui tam graui corruptelæ partim inductæ, partim imminenti omnes, quæ modò nudant

Vt palàm magis fit.

dant

dant Mediolani etiam ſolùm pectus, multoque magis quæ etiam vbera, cooperantur, vt moraliter certum eſt; & quidem ſine vlla iuſta cauſa, ſed merè voluntariè, quum ſine vllo incõmodo tegere poſſint tã pectus, quàm vbera; ſicut tegendo hæc, & illud hactenus a tot ſeculis, nihil damni, nihil incommodi expertæ ſunt. Ergo omnes iſtæ, quæ inſuetâ huiuſmodi pectoris nuditate, ſed voluntariâ tam multos ad libidinem vehementer prouocant, tamque pernicioſum caſtitati morem ſine iuſta cauſa, & nullo graui incommodo impulſæ, voluntariè inducunt, mortaliter delinquunt.

XVII. *Praſertim, qa talis nuditas ꝑpria meretricũ eſt.* II. Nudandi muliebris pectoris mos, quem iam Mediolani nonnullæ ex honeſtis quoque vſurpare cœperũt, antehac ſolis meretricibus (ſicut modò etiam eſt) fuit vſitatus ad laſciuiã prouocandam, vt innumeris propè teſtibus conuinci poteſt. Vnde conſtat planiſſimè, quàm magnã vim pelliciẽdi ad libidinem hæc nudorum pectorum nuditas Mediolani inuſitata habeat, quãdo a ſolis meretricibus priùs libidinis accendendæ gratiâ adhibita eſt. At geſtare habitum meretricium peccatum mortale eſt, vt *diſp. 1. cap. 7. §. 7. num.* 80. *& ſeqq.* obſeruaui. Ergo, &c.

XVIII. *Repugnatque conſuetudini.* III. Certum eſt omnem ornatum immodicum eſſe culpæ ſaltem venialis reum, vt *diſp.* 1. *cap.* 2. docui. Certum item, nuditatem feminei pectoris hodie Mediolani a paucis reliquo ornatui ſuperadditam repugnare conſuetudini multo maioris, ac maximæ partis, cultumque eſſe planè immoderatum. Ergo nulla poteſt habere ius ad talem nuditatem, neque ratione conſuetudinis eam excuſare a mortali. Conſequentia patet, quia immoderatus ornatus ſi quo modo moderatus, retento eodem prorſus cultu, poteſt euadere, adhoc neceſſariò exigit, vt ſit vſitatus, & conſuetus: alioqui dum manet immoderatus, vt priùs, neque a conſuetudine legitima honeſtatur, non poteſt aſſignari, vnde moderatus cenſeri prudenter queat. Ergo, quum hodierna nuditas feminei pectoris ſit cultus immoderatus, neque conſuetudine legitima honeſtetur, non poteſt ratione conſuetudinis a mortali excuſari.

IV. Certum item eſt ex *diſp. 1. cap.* 7. toto dari notabilem ex immodico ornatu prouocationem libidinis, eamque eſſe lethalem, etiamſi cultus alioqui, pudenda non detegat &c. vt tradunt omnes Doctores, vt *ibidem* vidimus. At exploratum etiam eſt, inter omnia ornamenta, nulla magis vehementer ad libidinem proritare, quàm fucum, & nuditatem pectoris feminei; multoque magis hanc, quàm illum, vt *diſp. 1. cap. 7. §. 2. & diſp. 2. cap.* 1. probaui. Ergo exploratum pariter eſt, ab hodiernis feminis Mediolani pectus adhuc nudantibus viros ad Venerem valde prouocari. Conſequentia eſt aperta, quia ex cunctis ornamẽtis ad libidinem accendentibus nullũ magis pellax, quàm nudum mulieris pectus &c. Ergo tales feminæ delinquunt mortiferè. XIX. *Et tal de ad malum fucat.*

V. Non poteſt vlla conſuetudo, quæ ad peccatum homines communiter ſolicitat, nec leniter, eſſe rationabilis. At conſuetudo nudandi feminei pectoris, vbi etiam in vſu totius communitatis eſt, adhuc ad laſciuiam valde vt plurimum viros ſolicitat, vt *cap.* 1. monſtraui, ac proinde nequit eſſe rationabilis. Ergo prætextu huiuſmodi conſuetudinis hodiernæ mulieres nudantes hîc pectora, a mortali eximi nequeunt, quandoquidem ea non legitima conſuetudo, ſed corruptela eſt. XX. *Nec rationabilis eſſe poteſt.*

VI. Quum

XXI. *Et iure naturali vetita.* VI. Quum talis nuditas ſit immoderatus planè ornatus, atque ad libidinem valde incitet, iure naturali, & diuino prohibitus eſt, ac proinde nullâ conſuetudine humanâ honeſtari poteſt, vt *cap.* 1. planum feci.

XXII. *Tum ob alias etiam rationes.* VII. Ac poſtremò, cuncta argumēta, quæ *cap.* 1. pro ſecunda ſententiâ deprompſi, hanc etiam concluſionem prorſus euincunt. Quin reliqua etiā argumenta ex *cap.* 2 repetenda ſunt, atq; huc applicanda, quò veritas hec, ſublatâ omni dubitatione, ad liquidum perducatur.

XXIII. *Etſi hodiernæ feminæ nudātes Mediolani pectus non ſint primæ, adhuc lethiferè delinquunt.* Dices I. Mulieres, quæ iam Mediolani nudant pectus, non ſunt primæ, quæ hunc morem inducunt, ſed aliæ, quæ præceſſerunt. At Doctores non damnant culpæ lethiferæ niſi primas, quæ illum inuehunt. Ergo hodiernæ illæ immunes ſunt talis culpæ. Reſpondeo ab adductis Auctoribus *cap* 2. lethiferæ culpæ damnari omnes illas, quæ nuditatem pectoris muliebris, vbi conſuēta nō eſt, introducunt, omneſq; iſtas appellari primas. Nam quamdiu a maiore parte populi lex, vel conſuetudo per contrariam conſuetudinem non abrogatur, ea integra manet, & ſuam poſſeſſionem adhuc retinet, vt hîc in prima concluſione probaui. Atqui Mediolani & conſuetudo, & lex eſt, vt mulieres omnes tectum gerant pectus, neq; huic hactenus a maiore parte populi derogatum eſt, vt *ibidem* ſignificaui; atque adeo & ſua poſſeſſione adhuc potitur, & adhuc obligat; quamuis obligatio ſub mortali non a lege præcisè, quæ ad ſolam pœnam, nec grauem, vt dixi, obſtringit, ſed a dato ſcandalo naſcitur. Atqui omnes illæ, quæ modò Mediolani pectus nudant, contra vrbis conſuetudinem, & legem faciunt, vt cōſtat, dicunturq; & ſunt primæ, quæ contrariam conſuetudinem, quātum poſſunt, facto ipſo intrudere incipiunt. Alioqui interrogo; quænam ſint, vel fuerint primæ? Plerumq; vna ſola eſt, quæ primò, & prima initium deprauandæ conſuetudinis, vel legis facit. Ergo hæc ſola in culpa; & reliquæ omnes inculpatæ? ridiculum, & falſum; & contra Doctorum omnium ſenſum. Quod ſi & aliæ præter primam culpabiles ſunt, vt reuera ſunt, certè nonniſi, quia malæ conſuetudini inuehendæ cooperantur, vt liquet. At hoc ipſum agunt, quæ hodie Mediolani pectus nudant, vt probatum eſt. Ergo.

XXIV. *Vt magis oſtenditur.* Deinde, ratio, qua Doctores omnes, peccati mortalis notam muliebris pectoris nuditati inſolitæ inurentes, nituntur; nempe quòd inſueta, atque inuſitata magis mouent; etiam hodiernas feminas manifeſtò cōprehendit. Quum enim contra conſuetudinem pectus detegant, iam ex ſententia Doctorum omnium tam inſuetâ nuditate & ipſæ quoq; magis incitant, ac proinde & delicti mortalis reæ ſūt, & ceteris inconuenientibus ſupra enumeratis obnoxiæ. Explicatur magis, & confirmatur, quia ratio vnica, cur primæ dicantur peccare mortaliter, a Doctoribus aſſignata ea eſt, quia contra conſuetudinem nudant pectus, atq; ita agentes tam inſuetâ nuditate ad laſciuiam valde prouocant, vt oſtenſum eſt. Sed etiam quæ hodie pectus Mediolani nudāt, hoc totum præſtant, ſiquidem contra conſuetudinem, quæ non adeſt, nudant, & tali inſuetâ nuditate ad libidinem notabiliter incitāt, vt experientia conuincit, de qua paulò poſt, & iam ſupra *cap.* 2. ergo & ipſæ lethaliter peccant.

XXV. *Si maior pars mulierum pectus nudaret ſimul,* Vnde obiter alium caſum indico, ac decido. Si contingeret in aliqua vrbe, in qua omnes tegunt pectus, ab inueterata conſuetudine, vel lege, derepente ex condicto vna die vel cunctas mulieres,

ubi mos non eſt, omnes ſimul peccarẽt.

mulieres, vel certè maiorem partem nudatis prodire pectoribus, atque ita frequentatis vicibus antiquam, exturbare conſuetudinem, vel legem abrogare; peccarent ne iſtæ, necne? Videntur enim excuſandæ ipsâmet nouâ conſuetudine, quam ipſæmet ſufficienter inducunt. Nihilominùs aio has omnes, & ſingulas mortaliter delinquere eouſq;, donec iam ipſa conſuetudo diuturnitate temporis obtinuit, vt iam ipſa nuditas conſueta iuxta Auctores communis ſententię minùs moueat, nec cenſeatur morale periculum, ſeu occaſionem proximam luxuriæ proximo præbere. Vtraque pars efficaciter probatur, & per ſe etiam patet. Nam primò, quod initio peccent omnes, & ſingulæ, euidens eſt, quia ſi paucæ tantùm nudent, tres vel quatuor contra morem indigenarum; mortiferè peccare exiſtimantur ab omnibus Doctoribus, quia inſolitâ nuditate moralem occaſionem luxuriæ præbent, vt compertum eſt. At huiuſmodi occaſio ex mulierum nudãtium multitudine, vel totâ turbâ, vel maiore parte non minuitur, ſed augetur initio, quamdiu inſolita aſpicientibus accidit, vt moraliter indubitatum eſt. Et licèt ponamus conſuetudinem priorem tegendi pectoris per oppoſitos actus a maiori parte ſemel bis, ter, diebus ternis frequentatos, & continuatos in ordine ad effectus ciuiles aboleri; adhuc tamen in ordine ad effectum naturalem alliciendi ad malum, manet talis noua conſuetudo nudandi a maiori parte intra triduum inducta, intra terminos inſolitæ, & inuſitatæ nouitatis ad malum multo efficaciùs prouocantis, quàm ſi tres, vel ſex tantùm pectus detegerent, vt certũ eſt; ac proinde a peccato mortali cunctæ, & ſingulæ iſtæ ſimul pectus detegentes non liberantur. Conſuetudo enim, quæ iuxta Auctores communis opinionis detegentes excuſat, in tantum excuſat, in quantum ipſa conſuetudo cenſetur peccandi periculum morale, hoc eſt, vt plurimum, ſuſtuliſſe. At in hoc caſu talis repentina conſuetudo intruſa, huiuſmodi periculum non aufert, ſed auget, vt iam euici. Ergo a mortali tales feminas ſimul pectora nudantes minimè excuſat, vt planum eſt. Vnde prima pars reſponſionis ſatis probata eſt; ex qua clarè infero probationem etiam ſecundæ partis. Nam vbi talis conſuetudo initio a maiori parte ſimul intruſa, progreſſu temporis obtinebit, vt iam ſolita, & vſitata minùs alliciat ad malum, & morale periculum laſciuiæ tollat iuxta Auctores talis opinionis; ſimul etiam a delicto lethali nudantes pectora ſecundùm huiuſmodi conſuetudinem, eximet, vt clarum eſt. *Sec° tamen, vbi periculũ erit ſublatum.*

XXVI. Nuditate feminei pectoris inſueta homines valde ad libidinem Mediolani incitari vnde conſtet.

Dices II. Quomodo Mediolani cõſtare poteſt, an noua conſuetudo nudandi pectora, quam nunc aliquę, quãtum eſt de ſe, tentant inuehere, de facto homines ad peccatum inducat? Reſpondeo notitiam moraliter certam vehementis huiuſce incitationis ad libidinem ſufficienter haberi I. quia plurimi viri conuerſationis, & imbecillitatis humanæ probè gnari, valde prudentes, & fide digniſſimi, experimentiſque extra forum confeſſionis compertis, edocti, id aſſeuerantiſſimè teſtantur. II. quia plerique ex illis, qui gloriantur, quum malè fecerint, neque luxuriam profiteri erubeſcunt, non diffitentur, ſed lætantur nouam ſuæ libidini eſcam, atque illecebram inflammanter apponi. III. quia in Confeſſione Sacramentali plurimi eãdem pectoris nuditate ad libidinem ſe maximè accendi; plurimi alij & in peccatum mortale per voluntariam concupiſcentiam lapſos, qui alioqui

ſolo

ſolo faciei muliebris aſpectu illæſi, vel lethiferæ culpæ expertes euadebant, ſyncerè fatentur; de qua experientia Confeſſarij ipſi generalem cognitionem, ſuppreſſis nominibus, & circumſtantijs, ſine vllo frangendi ſigilli periculo, dare poſſunt, vt ex communi Doctorum placito manifeſtum eſt, & per hanc viam in plurimis quoq; alijs rebus pleræq; corruptelæ Epiſcopis innoteſcunt, quibus remedium ab ipſis adhibetur. Et verò vt Epiſcopi ad conuenientia remedia applicanda neceſſitatibus animarum, atq; ad graues delictorum occaſiones, quantum ſine grauiore incommodo poſſunt, tollendas grauiter obligentur, neceſſe minimè eſt, vt talia ſcandala in foro externo ſecundùm apices iuris ipſis probentur; ſed ſatis eſt, vt hæc illis vnde vnde moraliter conſtent. Nam vt Paſtor ouium neceſſitati conſulere teneatur, ſatis eſt, vt hanc quoquomodo compertam habeat. Præterquam quod in præſenti caſu ipſi quoque Pœnitentes rogati licentiam expreſſam talis generalis notitiæ de huiuſmodi experientia enuntiandę nullo negotio concedunt. Ego verò nõ temerè, neque fruſtra ita diſputo, ſed conſultis priùs pluribus Confeſſarijs in hac Vrbe Mediolani verſatis, & animarum curationi inuigilantibus; nec non percontatis etiam alijs viris permultis grauiſſimis, & prudentiſſimis, ita prorſus in praxi contingere, atque hac inſolita nuditate pectoris feminei viros ad libidinem valde prouocari, certò didici, moraliterque exploratiſſimum, ac perſuaſiſſimum habeo, vt nihil etiam dicam de meis experimentis tot annorum, quibus audiendis Confeſſionibus peccatorum vaco.

XXVII. Vnde oppoſita opinio probabilitate caret.

Porrò ſicut in præſenti caſu omnia illa argumenta, & Doctorum teſtimonia, quæ *cap.* 2. produxi, militant, vt dixi; ita quoq; ob eadem argumenta, & teſtimonia cogor hic huiuſmodi concluſionem ita moraliter certam pronuntiare, vt contraria opinio improbabilis planè ſit, quippe quæ neq; ab vllo Doctore traditur, neq; vlla ratione alicuius momenti munitur, vt ex dictis tum hîc, tum *cap.* 2. ſatis perſpectum eſt.

XXVIII. Et meritò a Cõcionatoribus exploſa eſt.

Vnde manifeſtò deducitur, quàm optimo iure plerique Concionatores Dei Verbum Mediolani in Quadrageſima prędicantes, quũ monitu Eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi Montij in hãc muliebris pectoris nuditatem inuſitatã ſenſim modò irrepentem acerrimè inueherẽtur, cunctas eas mulieres, quę ita detecto pectore hîc incedunt, peccare mortaliter, non minùs ſapientiâ Theologicâ, quę hoc omnino decernit, vt vidimus, quàm libertate Apoſtolica, quę nulli reſpectui, aut quęſtui humano mancipata, id clam non habuit, pronuntiarint. Qua in veritate inculcanda quum alij ſtrenuè deſudarunt, tum præcipuè R.P. Paulus ab Offida e Religioſiſſimo Capucinorum Ordine in Cathedrali templo diuinum Verbum diſſeminans, ſæpius, etiam coram Eminentiſſimo Archiepiſcopo, grauiſſimè, ac veriſſimè anno 1646. perorauit.

XXIX. Talis q; corruptela carpitur etiã à Cauſſino.

Verùm ante, quàm hac de tabula manum tollo, ne quis fortè muliebris leuitatis, & vanitatis patronus me nimiæ ſeueritatis accuſet; lubet hoc loco, quæ ad conſuetudinem nudandi muliebris pectoris non dico, recèns, ac denuo introducendam, quam ſolam hîc reprehendo, ſed introductam iam, dudumque in Galliâ inueteratam improbandam, exagitandamque Nicolaus Cauſſinus, non Germanus, non Hiſpanus, non Italus, ſed Gallus, atque in Gallia degens, ſpiritu nullis humanis reſpectibus victo, Apoſtoli-

eaq; omnino libertate luculenter ediſſerit, totidem verbis commemorare. In eo enim libro, quem *Imperium rationis in paſſiones* inſcripſit, *tract.* 1. *diuiſ.* 8. vir Religioſiſſimus, & doctiſſimus ex Italico idiomate, quo priùs e Gallico donatus eſt, Latinè a me fideliter in præſens redditus, huiuſmodi corruptelam illic peruagatam, & conſuetam ſic perſtringit.

XXX. *Tanq. ſcandaloſa.*
» Neque his cunctis ornamentis, atq;
» illecebris feminarum appetitiones vel
» tantillum leuari poſſunt: neceſſe præ-
» terea eſt, vt pectorum nuditati laſciu°
» ventus ludibundus blandiatur, quod à
» Deo tanquam probrum ſexui propu-
» dioſum, naturæ iniurium, & officio ci-
» uili ſcandaloſum reprobatur. Hę ſunt
» mamillæ lamiarum, de quibus Prophe- *Lamiæ nudauerũt mammam, lactauerũt catulos ſuos. Thren. 4.*
» ta in ſuis lamentationibus loquitur,
» quæ nulli ſunt vſui, niſi amantium im-
» puritati nutriendæ, luxuriæque lactan-
» dæ. Mulier, quę pandit id, quod oper-
» tum eſſe par eſt, aliquando id abdere,
» quod neceſſariò publicabitur, coge-
» tur. Virgo, quę ſui nuditatem corpo-
» ris oſtentare voluptati habet, maniſe-
» ſtò prodit, ſe non ampliùs eſſe tam pu-
» dicam: quantum hinc veſtium exuit,
» tantum ignominioſarum macularum
» illinc induit. Iubet Deus per ſuum
» Prophetam, vt feminæ *auferant adul-*
» *teria de medio vberum ſuorum*. At hę *Oſee 2.*
» a pectoris nuditate ordiuntur, quo de-
» inde omnes corporis partes detegant.
» Nulla ampliùs huius vitij ratio habe-
» tur, quandoquidem malum immortale
» eſt, quod tot manibus, vt noceat, præ-
» ditum eſt, at ne vno quidem oculo, vt
» ſe noſcat. Heu! Si quæ amoris ſcin-
» tilla erga Chriſtianam Rempub. tan-
» geretur, ſi quæ diuinam Maieſtatem
» vel tantulo affectu proſequeretur, de
» ſubito in ſeipſa omnem huiuſmodi li-
» centiam damnaret, moltoque pluris
» Sanctorum concilia, quàm cæcarum
animarum conſuetudines æſtimaret. »
Neque o matronæ, veſtram hàc in re »
innocentiam obducite; vos ſcilicet nõ »
delinquere. Nam quæ in ornamentis »
luxui indulget mulier, inſtar regionis »
a latronibus infeſtatæ eſt, in qua ſi »
eius Dominus latrò non eſt, certè ta- »
men infamiã notatur. Vos veſtro »
corpore pœnitentem Euam, quæ ſim- »
plicibus pellibus tecta erat, repræſen- »
tatis; & vòs ſine vllo modo eam inter »
Mundi pompas geſtare pergitis. Om- »
nia hæc, inquit Tertullianus, nil niſi or- »
namentum, & apparatus mulieris pe- »
nè elatæ, qui pompæ funeris ipſius po- »
tiùs, quàm corporis cultui congrue- »
ret: *damnatæ, & mortuæ mulieris im-* » *De habitu mulierum.*
pedimenta, quaſi ad pompam funeris con- »
ſtituta. Miſeremini tam numeroſæ »
multitudinis, quæ præceps ruit, miſe- »
remini veſtri ipſarum. Incipite mo- »
deſtæ, & temperatæ vitæ in ornamen- »
tis viam inire, in veſtra conuerſatione, »
in veſtris recreationibus, vbi cuncta »
loquantur, cuncta prædicent, cuncta »
ſpirent odorem virtutis. En ſingula- »
re antidotum, vt importunitatem, »
quæ puritatem oppugnat, arceatis. »
Nam hi ad mulieres non accedunt, »
niſi eas reputent arces ad oſtium ini- »
mico patefaciendum, atque ad agen- »
dum confeſtim de deditione faciles. »
At vultus qui Chriſtianam formam ge- »
rit, omnes Mundi amores tam citò »
propellit, quàm vitis flos fugat Ser- »
pentes. Hactenus Cauſſinus. »

Inſigne de nudo muliebri pectore tegendo exemplum, & documentum ab excellentiſſima D. Margarita Vazquez Coronada ex gente Columba matronis Mediolanenſibus datum.

Cap. V.

I. *Exemplum Margarita Colũba rubore feminis pectus nudantibus incutit.* GAllo Eccleſiaſtæ Cauſſino verbis egregiè peroranti, lubet iam, exemplum Hiſpanæ matronæ habitus modeſtiam cunctis mulieribus, non tã dictis, quàm factis, luculenter perſuadentis, ſociare. Hactenus ego ad mulierum leuitatem compeſcendam, pectuſque operiendum ſacroſanctas Literas, antiquos Patres, graues Theologos, multipliceſq; Doctores in aciem euocaui. Nunc ad eandem feminarũ licentiam comprimendam, placet vnicam feminam, ſed planè viraginem, educere. Hæc eſt Margarita Coluna, vt Hiſpanicè effertur; Latinè autem Columba, anno ſuperiore, florente adhuc ætate erepta quidem mortalibus, at ſua virtute æternùm ſuperſtes; cuius præclara facinora imitatione digniſſima ſicut ego propediem, ſi Numen adſit, ad publicam vtilitatem hiſtorica religione, ac fide in lucem edã; ita in anteceſſum modò, ad pudorem feminis minimè erubeſcentibus pectus detegere incutiendum, paucis mihi hic delibanda meritò cenſeo. Nihil equidem gratiæ illius dabo, nihil cuiuſquam oculis, vel auribus indulgebo; non ſolùm quia ipſe amor, ac ſtudium veritatis hoc maximè prohibet, ſed quia etiam, quę ab excellentiſſimâ matronâ geſta ſunt, recentiſſimâ adhuc memoriâ adeo vulgo nota ſunt, vt nullum locum fuco eſſe patiantur, tantoque honeſtatis fulgore ſplendeſcunt, vt laudatorem eius, atque præconem ab omni aſſentationis periculo, & ſuſpicione tutum facilè præſtent.

II. *Margarita genere, & dignitate clariſſima.* Illa verò eximia inter cæteras prærogatiua Margaritæ eſt, quòd etſi genere veteris proſapiæ, ac multarum imaginum prognata fuit, magnæq; dignationis coniugem nacta eſt; hæc tamen cuncta ornamenta, quanquam alioqui ingentia, tam multis ipſius virtutibus longè pręſtabilioribus compoſita, herbam illico porrigunt, minimique æſtimantur. Pater illi fuit Carolus Coluna, natione Hiſpanus, Heldæ Comes, vir apprimè ſtrenuus, ſingulariſque prudentiæ, ſupremus militum Tribunus, arcis Mediolanẽſis Pręfectus, vnus ex Belgij Gubernatoribus poſt Infantis Eliſabethæ obitum, tandemque ſummo apud Catholicum Regem honore potitus, Conſiliarius, vt vocant, de ſtatu: mater autem Margarita Baroniſſa ab Vl ex Comitum Agamon famigeratâ familiâ. Ex numeroſâ verò, quam fœcundi parentes ſuſceperunt, prole, decima natu in Orbem prodijt infantula, quam Margaritam tum ex genitricis ipſius nomine, tum ex die, quo lucem hauſit, S. Margaritæ ſacro, appellarunt. Ad omnem deinde honeſtatem educata, inter honorarias in aulâ eiuſdem Eliſabethæ Archiducis Sereniſſimæ virgines, pudicitiæ ſecundâ admurmuratione ſemper ſpectatiſſima, feliciter adoleuit; iamque viro matura, ab eâdem Archiduce in matrimonium data eſt D. Ioanni Vazquez Coronado Equiti Calatrauæ, quem varijs militaribus munijs honorificè perfunctum, & Cremonæ, ac Vercellarum Gubernatorem, tum ſummum, generalemque mi-

litum Tribunum fuiſſe, poſteaque Arcis Mediolanenſis, cui hodie etiamnum præeſt, Præfectum euaſiſſe, compertum eſt.

III. At virtute longè clariori erga Deũ, & proximum. Verùm hanc dignitatis quantamcunque lucem, quam a nobilitate Parentum, & Coniugis Margarita accepit, quàm magno interuallo ſuperauit admirabilium ſplendore virtutum? Rerum diuinarum meditationi, præcandoque Deo cotidie horas complures religioſiſſima femina ſolebat impendere, cotidie pluribus Sacris intereſſe, cotidie frugiferos libros, præſertim acta Sanctorum, & vitas denarrantes lectitare. In ſacris templis omni prorſus colloquio perſeuerè ſibi interdicebat, ſummâ modeſtiâ, maximaq; veneratione in Dei cultum toto animo excubans. Diuina Sacramenta Pœnitentiæ, atq; Euchariſtiæ non tantùm frequenter, bis ſaltem quaque hebdomade obibat, ſed tã ritè etiam, tam munditer, tantoque operæ pretio, vt in dies maiora caperet fructus incrementa. Hinc flagitia omnia non ſolùm grauiora, ſed leuia quoq; auerſabatur, & vel minimas etiam labeculas diligenter cauebat. Hinc tam feruidus in ea æterni amor Numinis, quo incensè flagrabat. Hinc tã ſyncera beneuolẽtiæ caritas, qua proximũ quẽq; cõplectebatur. Hinc oblectationi, ac voluptati habebat pauperibus, egenis, mendicis, opitulari, largâ manu ſtipẽ elargiri, ſuo patrocinio adeſſe; præcipuè autem puellis ad probrũ quæſitis, vel pudicitiæ aleam ſubeuntibus aſylũ præſtare, tum meretrices, aut alias mulierculas iam proſtrati pudoris ab infami vita retrahere, atq; in pœnitentiæ portum perducere. Quin etiam nullam lucrandarum Deo animarum occaſionem ſolicita Chriſti procuratrix prætermittebat, ſed promptè arripiebat, vltro quoq; venabatur. Quas autem ſemel lucrata fuerat, iuuare, conſolari, tueri non deſinebat, ijs ſuam omnem operam addicere, nulli ſumptui parcere, ſuum etiam defraudare genium, & comparcere, quo liberaliùs miſeris ſuppetias ferret.

IV. Alijsque prærogatiuis ornata. Quid dicam porrò de candidiſſimis continentiæ, & caſtitatis lilijs, quæ ſemper in Margaritæ vultu, in ore, in verbis, in geſtu quouis, in inceſſu, in omni actione, multoque magis in pectore ita vernarunt, vt nulla lingua tam procax vnquam inuenta ſit, quæ ſecus de ea loqui, aut quicquam comminiſci auderet? Quid de obedientia commemorem, quâ ita viro ſemper morigeram, quoad diuina lex patiebatur, nõ inuita ſe præbuit, vt nemo vxorem obſequentiorem expertus ſit? Quid de ſynceritate, & ſimplicitate prædicem, quam, etſi in aulâ nata, in aulâ educata, in aulâ viuens, vbi alioqui fraudes, doli, periuria, mendacia, decipula affatim ſuppetunt, mordicus tamen ſartam tectam vſq; ad vltimum ſpiritum, ignara planè fingendi, ac ſimulandi, conſeruauit? De animi verò demiſſione quid referam? Etiamſi tam inſignis genere erat, Præfectique arcis Mediolanenſis vxor, vnà cum cæteris prærogatiuis, proximam a prima dignitatis ſedem Mediolani obtinebat, nihilominùs Chriſti Domini gratiâ ſeſe alta mente deſpiciebat; & quamuis ad dignitatem tuendam carruca vti, & famulitio ſtipari, & gemmis, ſericisq; ornari (quanquam intra modeſtiæ fines) neceſſe habebat; tamẽ in S. Pelagiæ ædibus, vbi deflorati pudoris mulieres ad bonam frugem receptæ, præteritæ vitæ piacula ieiunijs, precibus, ac fletibus expiant, ad pedes huiuſmodi propudiorum ſeſe frequenter abijciebat, hoſce deoſculabatur, ab iſtis impingi ſibi verbera poſtulabat. Omitto auſteritatis, maceratiq; corpuſculi,

puſculi, nec non appetitionum generoſâ ſui victoriâ, quam *mortificationem* appellant, ſtrenuè domitarum multiplicia, & cotidiana argumenta, quæ magno intuentium prouentu iugiter oſtendit. Patientiæ tamen prodigia tacitus nullo modo prætetire poſſum, quibus Margarita inclaruit quàm maximè. Erat illa ſuapte naturâ ad iram procliuis, ſicciotis conſtitutionis, & ingenij planè intolerantioris, ſed tamē adeo validè, fortiterq; naturæ ipſi imperitabat, belleq; moderabatur, vt patientiam ingenti admirabilitate haberet in poteſtate, ſperniq; ſeſe nō ſolùm ab æqualibus, ſed etiam ab inferioribus pacatiſſimè ferret. Quid quòd a propria etiam ancilla acu de induſtria compuncta, nec non a procaci famulo in publico Dynaſtarum conuiuio per ludibrium petulāter traducta, ſannisq; & ſcommatis inuerecundè pulſata, nō ſolùm grauiſſimam iniuriam vlta non eſt, ſed inuictâ quoq; conſtantiâ placidiſſimè concoxit?

V. *Extremo morbo correpta, virtutū inſignia documēta edit.* Hiſce tam multis, tam amplis, tam luculentis comitata, & illuſtrata virtutibus Margarita, improuiſo morbo, vegetâ adhuc ætate, ſexto anno ſupra triceſimum non dum exacto, iam felicitatis æternæ candidata, corripitur. At morbus ipſe non tam dolorū vſtrina illi fuit, quàm virtutum palæſtra. Animum inter cruciatus corporis in libertatem vindicauit, fruſtraque curarum pondere, ac mole prægrauante, ad cælum erexit; Mortis nuntium interrito excepit vultu, mortalemque hanc vitam iam omnino pertæſa, immortalis deſiderio tam vehementi æſtuabat, vt de vitæ ſpatio ſibi propagando Deum ampliùs rogari vetuerit, ſupernęq; beatitatis impatienter auida, exclamarit; pergamus ad videndum Deum, ad Deum videndum contendamus. Teſtamentum verò quale poſtremò nuncupauit, quale, Deus immortalis? Non miror ego, quòd in eo pluribus puellis iam vitiatis dotem nuptum locandis ex ſuo ęre numerari iuſſerit; quòd Diſcalceatarum Virginum ex S. Tereſiæ inſtituto, fundando cœnobio mille aureos legarit; quòd ædibus S. Pelagiæ ad neceſſariam meretricum reſipiſcentium habitationē coemendis tantundem donarit: At illud me ſummo planè ſtupore defigit, quòd de ſuo tumulo, quæ cuperet fieri, præcipiens, in eas voces, Chriſtianæ humilitatis teſſeras glorioſiſſimas, tā magna Domina, tantá nobilitate natalium, tam excelsâ mariti dignitate, tam innocente vitâ traductâ, medullitus erupit. *Ego peccatrix fui; ideòque vnà cum peccatricibus in S. Pelagiæ ſepeliri volo*: moxq; ſeriò cauit, vt quum expiraſſet, cadauer eodem prorſus habitu, quo illæ, quæ in D. Pelagiæ *Moniales* vocantur, indueretur, ac ſine vllâ funeris pompâ ex arce Mediolanenſi ad templum S. Pelagiæ efferretur, ibiq; exequiæ tenui omnino ſumptu, nulloque paratu, non ſecus ac reliquis de triuio mendicabulis, ſibi quoque ſoluerentur. Verùm quanto magis Dei famula, hoc pacto de omni Mundi vanitate penitùs conculcatâ egregiè triumphans ſeſe in ignominiarum profundum Chriſti gratiâ demergere conata eſt, tanto glorioſiùs Chriſtus Dominus, animarum ſponte ſe deprimentium recuperator, ac tutor, eam ad apicem honoratiſſimæ apud homines exiſtimationis euexit. Quæ omnia ſicut ſummatim dumtaxat hoc loco perſtrinxi, ita ſpeciatim, ac ſingulatim in peculiari de Margaritæ virtutibus commentariolo Lectori ob oculos ponam.

VI. *Olim ſueta pectus detege-* Sed quorſum hæc tam longa, longeque petita ſermocinatio ſpectat? eò nimirum, vt cunctæ mulieres pectus audac-

re,likerè deindè monitu illud pe rò texit.

audacter nudantes, vbi matronæ tam præſtantis exemplo, & documento percelli ſe intellexerint, tantæ nobilitatis, tantarumque virtutum ipſius admiratione, ac veneratione attonitæ, hiſcere, ſaluo pudore, nequeant, atque ad honeſtum, modeſtumq; cultum quam primùm redeant. Rem breui, pauciſque expedio. Margarita in Belgio diu multumque diuerſata, morem detegendi pectoris illâ in regione vſitatum allini ſibi, vt fit, paſſa eſt, cumque in Italia quoque, ijs etiam in vrbibus, in quibus inſolens omnino, atque inſuetus eſt, conſtanter retinuit, mente planè ſimpliciſſimâ, atque ab omni corruptelę ſuſpicione longè alieniſſimâ, conſcientiæ quoque arbitris, & moderatoribus Sacerdotibus, apud quos peccata expiabat, optimâ, vt mihi certò perſuadeo, fide eiuſmodi nuditatem pectoris illi indulgentibus. Mediolani verò, quum tandem vnà cũ coniuge, generali exercitus Tribuno excellentiſſima Domina ſubſtitiſſet, meque obortâ occaſione, inuitari iuſſiſſet, vt ægrotantem ſuum maritum inuiſerem, moxque ego ei obtemperaſſem; ſermonem de rebus diuinis, contemptuque Mundi inieci, prauamque complurium animarum conſuetudinem, & licentiam, quæ cæleſti epulo frequenter paſtæ, vitamq; Chriſti Domini obſequio addictam profeſſæ, pleraſque Mundi corruptelas, ne dicam, omnes cum Sacramentorum frequentia peruerſè admodum conſociant, valde improbaui: tum illa ex me percontata eſt, quid mihi ſuo de corporis ornatu videretur; ego, tametſi ipſi eram de facie propè ignotus, ſemelque tantùm eam priùs videram, liberè nihilominùs reſpondi: ſi in foro Pœnitentiæ confeſſionem criminum ipſius exciperem, omnino me moniturum, vt pectus penitùs conuelaret. Qua dicti libertate tantũ abeſt, vt offenſa, vel abalienata a me ſit, vt potiùs me, ſimul ac in arcem Mediolanenſem, cuius Præfecturam excellentiſſimus D. Ioannes Vazquez adeptus fuerat, commigrauit, arcanę, ſacræque Confeſſionis adminiſtrum ſibi delegerit. Ego verò, vbi id ex nuntio ad me nominatim miſſo cognoui, renuntiari ei meo nomine precisè, ac rotundè iuſſi, me ipſi confitenti nunquam aures præbiturum, niſi antea pectus probè texiſſet, duplici omnino de cauſſa; tum quia nullũ ego Doctorem, cuiuſcunque etiam nominis, qui opinionis a mortali delicto eximentis feminas pectus, vbi mos non eſt, denudantes (qualis mos nunquam Mediolani fuit, neque dum eſt) mentionem vllam faciat, ne dum probabilem eam cenſeat, etſi in quærendo permultus fui, reperire hactenus potui, vt ſupra pluribus patefeci: tum quia, quum ſacri Concionatores iuſſu Eminentiſſimi Cardinalis Montij Archiepiſcopi in huiuſmodi corruptelam vehementiſſimè inuecti ſint, idemque Archiepiſcopus omnem lapidem ad ipſam eliminandam mouerit, illa autem, & dignitate muneris, & multo magis vitæ integritate, & opinione virtutis cunctis prælucoret; officij ratio ab ipsâ etiam atque etiam exigebat, vt ad graue populi offendiculum vitandum monitis Archiepiſcopi, & Concionatorum demiſsè obſequeretur. Nec propterea ego alios Confeſſarios ſecus agentes, atque exiſtimantes tum reprehendi, aut modò reprehendo, quos ego ſuæ ipſorum conſcientiæ ita conniuendo bene proſpexiſſe, minimè dubito. At quia, quod vni permiſſum eſt, non ſemper alteri etiam licet; nec opiniones, aut facta aliorum, etſi proborum, & intelligentium amplecti cuicunque integrum eſt, vt infra *diſp. 3. cap. 3.* videbimus;

debimus; quum mihi tam multa obuerſarentur, quæ nefas eſſe euincunt, inſolitam muliebris pectoris nuditaté lethali crimine abſoluere, vt hactenus docui; volui & ego meę conſcientię probè conſulere; ac proinde tam clarè diſtinctéque meam ſententiam magnę illi Dominę, meumque decretum explicari curaui. Ipſa verò in ſuſcepto conſilio, mea opera vtendi ad abluendas animi labes omnino conſtans, extemplo paruit, pectuſque operuit, ſemperque deinceps remis veliſque, quoad potuit, contendit, vt cæteræ quoque idem exemplum ſequerentur, pectuſque tegerent. Quin imò in vltimâ ægrotatione iam morti proxima, mentis tamen, & vocis maximè compos, ad excellentiſſimam Marchioniſſam ſibi perfamiliarem, ibique præſentem verſa, ſuapte ſponte eam rogauit, vt matronas Mediolanenſes nudo incedentes pectore, ad id Chriſti Domini gratiâ contegendum, precabunda ſuo nomine cohortaretur: qua de re ſicut numquam illi auctor fui, vt quicquam huiuſmodi enuntiaret, ſic quum eam improuisò ita monentem, præcipientemq; incoram audiui (aderam enim ego quoque tum in eodem cubiculo) ſummâ admiratione obſtupefactus hęſi, nec facile dixerim, quàm magnæ voluptati eo mortis imminente articulo habuerit, pectus a ſe tempeſtiuè fuiſſe coopertum, omnemque flagitij occaſionem penitùs ſublatam. Quod ſanè exemplum, & documentum, vt luculentum, & palmare eſt, ita maximè ſuperiorem doctrinam iam explanatam illuſtrat, dignumque prorſus eſt, quod omnes feminæ, præſertim matronæ Mediolanenſes, imitentur.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA DE NONNVLLIS HVIVS MATERIÆ COROLLARIIS.

I. *Diuiſio Diſputationis.* ABſoluta tractatione de ornatu tum generali, tũ particulari; tria adhuc auctaria hîc adijcienda exiſtimo; primum, quo pacto Pœnitentiæ Sacramentum immodicè ornatis ſit impendendum. Secundum, an, & quo modo Sacramẽtum Euchariſtiæ ijſdem ſit adminiſtrandum, etiam ſecundùm Mediolanenſis Eccleſiæ peculiares ſanctiones. Tertium de traditæ doctrinæ vſu.

An, & quando immodico ornatu vtentibus Sacramentum Pœnitentiæ ſit impartiendum. Cap. I.

II. *Quid hic addendũ.* NON repeto hîc, quæ iam *diſp.* 1. *cap.* 9. hac de re diſſerui, etſi huic etiam quæſtioni illa congruenter aptanda ſunt, nulloque negotio accõmodari poſſunt. Vt tamen addam hoc loco nonnulla, quæ in hac materia ſingillatim explicari, neq; vulgo ignorari, operæ pretium eſt, concluſionem illam de reijciendis a Sacramento Pœnitentiæ immoderato ornatu notabiliter ad libidinem ſine emendationis propoſito incitantibus, nuditati muliebris pectoris inuſitatæ nominatim ſtrictimque priùs applico, adeoque.

III. *Pectus nudantes pertinaciter contra morẽ regionis nõ abſoluẽdæ.* Aio I. eas mulieres, quę morem detegendi pectoris, vbi non eſt, inuehunt, vt quæ modò Mediolani nudum gerunt pectus, ſi in huiuſmodi corruptela retinenda ſint pertinaces, non eſſe abſoluendas, nec poſſe abſolui. Sequitur hoc euidenter ex dictis *cap.* 2. 3. & 4. *diſp.* 2. vbi probaui eſſe mortale, inducere conſuetudinem nudandi pectoris muliebris, vbi non eſt, quemadmodum non eſſe Mediolani *cap.* 4. ibidem docui. At qui in lethifera culpa obſtinatus eſt, a nullo abſolui poteſt, vt conſtat. Ergo. Et verò quâ tutâ conſcientiâ, quæ in præſens talem conſuetudinem Mediolani introducunt, abſolui queant, ego planè neſcio. Neſcio enim, vt ſupra *diſp.* 2. *cap.* 2. *num.* 22. iam ſemel præfatus ſum, vllam probabilitatem contrariæ opinioni relinqui; neſcio vllum Doctorem extare, qui ei patrocinetur, neſcio, qua auctoritate, vel fundamento rationabili oppoſitum placitum ſuſtineri poſſit. Quocirca quod ego neſcio, a doctis viris cupio perdiſcere; quos propterea enixè rogatos volo, vt ſua me ſcientia participare, & quæ ignoro, docere; nec non argumentorum, quæ mihi vim inferunt, ac ſupra expenſa ſunt, legitimam ſolutionem, tum aduerſæ ſententiæ ſolidum documentum indicare pro ſua humanitate dignentur. Cæterùm inter tam multa, quæ neſcio, hoc certè vnum ſcio planiſſimè, ab iſto Doctorum omnium, vt oſtendi, decreto ſine ratione; & ſine auctoritate diſſentire, non eſſe hominis ratione vtentis, ſed affectui mancipati, & cupiditatibus ancillantis.

IV. *Nec cẽſura iniuſta.* Dices ab hac cenſura, & nota contrariæ opinioni inuſta plures perplexitates,

probabilitatis iniuſta cõtraria opinioni excuſãti a mortali inſolitè pectus contra morẽ regionis nudãtes affert maiora incõmoda.

tates, pericula, & damna, tum Confeſſarijs, tum Pœnitentibus inferri, quàm quæ ego ipſe per talem cenſuram cupio vitari: neque mulieres huiuſmodi doctrinâ intellectâ a ſua vanitate, luxuque veſtium diſceſſuras, ſed multo plures, quàm nunc ad Inferos iniecto peccati mortalis ſcrupulo, & cõtempto, damnandas; quod nulla ratione à Theologo permittendum eſt. Reſpondeo I. generatim eam ſententiam ex prudentiæ regulis eſſe præferendam, quæ plura vitat incommoda; ſicut etiam queuis lex, vtcunque vtilis, aliquid ſemper incommodi ferè gignit, vel certè ex ea ſequitur: at quoties penſatis omnibus maior eſt vtilitas, quàm damnum, lex fertur, & tenet, vt compertum eſt. Iam verò indagandum, pluſne boni, an mali ex improbabilitatis nota & cenſura aduerſæ ſentẽtiæ impoſita oriatur, nec ne: ac primò vniuersè ratione immodici cuiuſcũq; ornatus ad libidinem valde prouocãtis, deinde ſpeciatim ratione inuſitatæ licentiæ nudandi pectora feminarũ.

V. Sed pl⁹ boni, quàm mali, parit, vt pates.

Quantum ad primum attinet, reſpondeo II. ex tali improbabilitatis nota inflicta, plus boni, quàm mali proficiſci. Nam I. etſi cõceſſa contrariæ ſententiæ probabilitas, vt ſine mortali mulieres ſuæ vanitati vtcunq; immoderatæ queant ſatisfacere, illis, quæ denuntiatâ improbabilitate, adhuc in mortali corruptela pergerent, longè vtilior ſit, quàm prædicata improbabilitas; alijs nihilominùs multo pluribus, quæ auditâ lethiferi peccati cenſurâ, abſtinebunt, quamuis non ab omni quidem ornatus exceſſu; at ſaltem certè ab exceſſu notabili ad malum valde prouocante, multomagis fructuoſa accidit, multoque, magis conſcientiarum laqueos tollit, quàm oppoſita, tum quia plures mulieres a corruptela abducit, atque ita a multis culpis, quas ipſæ per occaſionem talis corruptelæ, licèt hæc a peccato probabiliter excuſaretur, nihilominùs aliàs committunt; tũ quia, pluribus a corruptela abductis, viros lõgè plurimos aſpecturos, atq; in peccatum lapſuros a lapſu reuocat; tum quia etiamſi ponamus medietatem feminarum ab ornatu valde prouocatiuo ad libidinem non diſceſſuram; adhuc tamen altera medietas, quæ diſceſſura eſt, ingenſque ſcelerum cumulus, quem illa tali exceſſu dimiſſo a viris prohibebit, plus boni, quàm mali, vt liquet, procreabit.

VI. Et vincitur, qa ornatus ſcandalos⁹ grauiter prohiberi poteſt.

II. Certum eſt ex concordi Doctorum ſententia ſupra relata *diſp. 1. cap. 7. §. 12. nu.* 157. huiuſmodi ornatum immodicum notabiliter allicientem ad malum poſſe ab Epiſcopo ſancita Conſtitutione Synodali ac lege, ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ ad mortale obligante prohiberi. At niſi talis lex in maius bonum communitatis, quàm ſit damnũ priuatum inobediẽtium, cederet, nullo modo teneret, neque eſſet lex; quia de ſubſtantia legis eſt, vt in maius bonum commune redundet, vt cuncti Doctores apud Suarez *lib. 1. de legib. cap.* 7. tradunt: alioqui ſi ipſa in maius damnum commune cederet, iam non ampliùs ipſa eſſet iuſta, ceſſaretq; materia legis, ſine qua lex nequit conſiſtere, ac proinde & ipſa lex eſſe deſineret. Ergo ſi lex prohibitiua ornatus prouocantis valde ad malum cedit in maius animarum damnum, non poteſt Epiſcopus eam ſancire, & ſi ſãciat, peccat ipſe, & lex illicita, & inualida eſt, quia bono communi repugnat. Ergo quum nihilominùs Doctores communiter affirment poſſe huiuſmodi legem prohibitiuam ab Epiſcopo ferri, hi omnes neceſſariò ſupponunt ex tali prohibitione plus

boni manare, quàm mali. Atqui dum aliqua actio prohibita declaratur ſub mortali, donec probabilitas contrarię opinionis, quæ illam ſub tam graui culpa negat eſſe prohibitam, non oſtēditur, eadem perplexitas, periculum, & damnum maius imminet communitati, & particularibus perſonis, ſiue Confeſſarius, vel Concionator dicant eandem actionem eſſe mortiferam; quia lex & Conſtitutio Synodalis Epiſcopi eam tam ſæuerè vetuit; ſiue eidem culpæ obnoxiam eſſe pronuntiēt, quia Theologi ex alijs fundamentis exploratis ſine probabilitate oppoſitæ opinionis ita docent. Imperiti enim, & ignari Theologiæ iſta diſcrimina in praxi nihil prorſus attendunt, nec percipiunt; nec diſtingunt hoc eſſe mortale, quia lex Synodalis vetuit, vel quia Doctores tantummodo id efficaciter aliunde probant. Imò ſi Confeſſarius, vel Concionator Conſtitutionem interpretetur, notetque eam verbis præceptiuis non eſſe ſufficienter expreſſam, ac proinde non obligare ad mortale, vt ab alijs priùs exiſtimatum eſt; Pœnitentes, & Auditores talem interpretationem Confeſſarij, vel Concionatoris, quamuis fortè falſiſſimam, quum fortè Conſtitutio verbis clarè præceptiuis conſtet, atque ad mortale palàm obſtringat, nihilominùs ſtatim libenter arripiunt: adeoque eandem facilitatem obſequendi legi, vel pertinaciam reluctandi in praxi exercent, ſiue intelligant talem ornatum valde prouocatiuum ad libidinem eſſe lethiferum, quia Cōſtitutio Synodalis Epiſcopi eum prohibuit, ſiue idem ſibi perſuadeant, quia Doctores certis rationibus hoc ipſum demonſtrant. Ergo eadem perplexitas, & incommoda Pœnitentibus, vel Auditoribus accidunt tam ex lege Synodali prohibitiua ornatus valde prouocatiui ad malum, quàm ex certa Doctorum ſententia hunc generaliter mortalis culpæ damnante.

VII. *Secus foret, ſi contraria opinio probabilitate legitima niteretur.*

Non me fugit, legem hoc diſtare ab aliqua Doctoris ſententia, quæ notam mortalis culpæ in quibuſdam circumſtantijs irrogat, in alijs non item; quòd eæ actiones a lege poſitiua non prohibitæ, a nonnullis ſine peccato fiunt, etſi ab alijs communiter ob prauas circumſtantias mortiferè exerceātur; poſita tamen prohibitione legis graui ad mortale obligante, omnes euadunt lethiferæ: at verò ſublata tali prohibitione, illæ tantùm mortiferæ ſunt, quæ mortiferis circumſtantijs infectæ ſunt, cæteræ autem innoxiæ. At hinc tantùm efficitur, ſi detur opinio probabilis a mortali excuſans immodicum ornatum valde prouocatiuum ad malum, per huiuſmodi opinionem poſſe a mortali eximi illas, quæ eum aliàs etiam minimè ſunt dimiſſuræ: quæ tamen non excuſarentur, ſi generaliter a Lege Synodali idem ornatus immodicus ſub mortali foret prohibitus. Verùm hoc opus, hic labor in talis opinionis contrariæ probabilitate oſtendenda, quæ hactenus a nullo, quòd ſciam, oſtenſa eſt. Ergo quum auctoritates, & rationes euincentes immodicum ornatum valde prouocatiuum ad laſciuiam eſſe lethiferum, præcisè etiam a prohibitione legis Synodalis, integræ maneant, minimeque vacillent; adhuc quantum ad damnum pertinacium obedire detrectantium par ratio eſt tam ex generali prohibitione legis Synodalis, quàm ex ſententia certa generaliter mortalis damnante, vt enucleatum eſt. Ergo quum Doctores decernant talem ornatum valde prouocatiuum ad malum poſſe ſub mortali ab Epiſcopi Conſtitutione Synodali vetari, ac proinde & maius bonū ex tali prohibitione in Rempub.

redundare ſupponant, idem quoque & ex ſententia certa generaliter eum damnante contingit.

VIII. *Quæ tamē hactenus eruta non eſt.*

Dices, de facto non dari talem Cōſtitutionem, vel legem vniuerſalem Eccleſiaſticam prohibitiuam immodici valde ornatus ſub mortali; & ſi qua peculiaris eſt, eam in locis tantùm particularibus obligare, non extra: & tamen de facto damnari mortalis culpæ generaliter omnem ornatum valde prouocatiuum ad malum; ac proinde diſparem eſſe rationem. Reſpondeo, quicquid ſit de prohibitione Eccleſiaſtica poſitiua, immodicum ornatum notabiliter prouocantem ad malum, vetari a lege naturali, & diuina generaliter ſine vlla exceptione, vt docui *diſp.* 1. *cap.* 2 & 7. §. 17. ac propterea hic non ſolùm parem, ſed maiorem etiam rationem militare, vt apertum eſt: neque enim adhuc talis obligationis naturalis, & diuinæ exuendæ, vel negandæ, vel in dubium reuocandæ modus probabilis inuentus, atque explanatus a Doctoribus eſt.

IX. *Sic & alia leges tenēt, etſi pleriſque ſint incommoda, quia magis vtiles ſunt cōmunitati.*

III. Indubitatum eſt, legem naturalem & diuinam vetantem voluntarias pollutiones, fornicationes, adulteria, & cæteras impuritates, hominibus eſſe inſculptam. Quàm innumera tamen multitudo talem legem violantium, & propterea etiam ad Inferos ruentium? Nihilominùs propter maiora inconuenientia, quæ, tali lege non poſitâ, ſequerentur; magis expedit humanæ communitati eandem legem ferri, ac proinde & naturali iure lata eſt, vt rectè attingit in ſua ratiocinatione Sfortia Pallauicinus, ſupra *diſp.* 2. *cap.* 2. laudatus. At ſecus magis expedit humanæ communitati eſſe legem de abſtinēdo a quacunq; actione ſiue peccaminoſa, ſiue non, quæ poſſit facilè, & ſine graui incommodo omitti, ad vitandum graue damnum proximi, quale eſt peccatum mortale. Ergo eodem modo lex iſta naturalis eſt, vt pluribus *diſp* 1. & 2. explicatum eſt. Ergo illa incommoda perplexitatis, damni, periculi non a communi Doctorum ſententia ſupra expoſita, quæ ipſiſſima lex naturalis eſt, emanant, ſed a malitia volentium hanc legem tranſgredi & violare, quemadmodum quoq; in cæteris legibus tam naturalibus, quàm poſitiuis, quarum plurimi tranſgreſſores nunquam ferè deſunt, vſu venire quotidianis experimentis docemur.

Non ſecus, vtilior etiā eſt ſententia damnās mortalis luxuriantē nimis ornatum &c.

X. *Adeoq; non diſſimulāda.*

IV. *Peccatum non cognoui, niſi per legem*, aiebat Paulus *ad Rom.* 7. vt vir doctiſſimus a me hac de rè conſultus, aptiſſimè adiecit: *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt?* ac proinde non permittenda? *Abſit.* Eodem modo dicam ego: non cognoſcerent mulieres ornatu immodico ad malum notabiliter ſolicitante vtentes, peccatum ſuum, niſi per communem Doctorum ſententiam id eis indicantem. Quid ergo dicemus? ſententia eorumdem Doctorum peccatum eſt, & non vulganda, nec permittenda? Abſit.

XI. *Plus boni etiā fluit ex nota improbalitatis impoſita opinioni eximenti a mortali nudantes pect⁹ cōtra morem regionis.*

Quantum ad ſecundum de inuſitata licentia feminarum pectus contra loci, in quo verſantur, morem nudantium ſpectat, reſpondeo III. ex cenſura improbabilitatis latá in contrariā opinionem, quæ eas a mortali delicto eximendas velit, plus item boni, quàm mali, deriuari. Nam primò omnes rationes, quæ ſecundam reſponſionem probant, vt modò vidimus, perſuadent quoq; neceſſariò hanc tertiam. Quum enim nuditas inuſitata muliebris pectoris ad malum notabiliter prouocans ſit ſpecies immodici ornatus ad malum pariter valdè prouocantis, vt dixi *diſp.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. omnes autem rationes generis a ſpecie imbibantur, vt conſtat; ſequitur

neceſſariò eaſdem rationes, quæ ſententiam damnantem mortalis immodicum ornatum valde prouocatiuum ad malum ab inuidia maiorum incommodorum, perplexitatum, periculorum, & damnorum vindicant, vt iam pateſeci; vindicare quoq; ab eadem inuidia ſententiam etiam, quæ feminarum inuſitatam pectoris nuditatem, ceu ad malum vehemẽter incitatiuam culpæ item mortali addicit, vt euidens eſt.

XII. Abſque hac vni nota morbus longè latęque graſſaretur.

Sed præter has rationes generales, addo nunc alias particulares, quæ plus boni, quàm mali, ex recitata ſententia damnante mortalis dictam pectoris muliebris inſuetam nuditatem fluere demonſtrant. Nam I. vbi ea nuditas inſolita eſt, ac proinde maior pars feminarum tegit pectus, vt ex traditis *diſp. 2. cap. 4. num. 3. & ſeqq.* perſpicuum eſt, denunciata cenſura peccati mortalis a Confeſſarijs, & Concionatoribus primò maiori parti frænum inijcit, vt pectus conſtanter tegere pergat, neq; aliarum pauciorum corruptelam ſibi perſuaderi patiatur; deinde aliquas ſaltem ex ijs, quæ iam pectus detexerunt, retrahunt etiam a noua corruptela: quæ vtilitas ingens longè ſuperat damnum illarum pauciorum, quę corruptelæ ſemel arreptæ, cõtemptâ etiam delicti mortalis conſcientiâ, adhæreſcunt. At ſi huiuſmodi cenſurę frenum amoueretur, datâ contrariæ opinionis probabilitate, corruptela nudandi muliebris pectoris cũ infinita mortalium culparum hinc erumpentium meſſe, totam vrbem, vel regionem ſine vllo obſtaculo inuaderet, quod incommodum longè grauiſſimum eſt, reliqua omnia ſummopere excedens. Certè Mediolani experientia docuit, huiuſmodi cenſurâ peccati mortalis a Concionatoribus, & Confeſſarijs inculcatâ pleraſque reſipuiſſe, totamque corruptelam intra paucas adhuc conſiſtere; quin omne incendium planè fuiſſet reſtinctum, niſi Dæmones nonnullas faces ad id alendum, & propagandum ſubieciſſent. At ſi cenſura peccati mortalis prædicata feminas nõ deterruiſſet, inchoata lues cunctas iam corripuiſſet.

XIII. Eaque nota, & cenſura alijs locis vtiliſſima eſt.

II. Eadem cenſura peccati mortalis tot alijs vrbibus, & regionibus, in quibus nulla adeſt nudandi pectoris conſuetudo, & ne vna quidem ſic incedit, longè vtiliſſima eſt. Nam ad tales regiones, & vrbes in habitu honeſto conſeruandas hæc ipſa cenſura grauis culpæ generatim damnans inuehentes contrariam conſuetudinem, maximopere conducit. At oppoſita opinio negans iſtas grauiter delinquere, ad eundem habitum honeſtum retinẽdum ineptiſſima, & damnoſiſſima eſt, vt patet. Ergo maximum bonum honeſti habitus retinendi in vrbibus quàm plurimis, & penè innumeris prę ferendum omnino eſt pauciſſimarum corruptelæ pertinaciter ſeu retentæ, ſeu retinendæ, vt compertum eſt.

XIV. Expeditque, ne contraria opinio, etſi foret probabilis, in praxim reduceretur.

III. Data etiam, & non conceſſa probabilitate contrariæ opinionis, adhuc bono communi magis expedit, vt a Confeſſarijs ante auditam Confeſſionem repellantur, quæ a tali pectoris inſolita nuditate nolũt deſiſtere, quàm vt abſoluantur auditæ, vt experientia ipſa conuincit. Nam hoc pacto multæ emendatæ ſunt, & cæterę abſterritę, ne peſtiferum exemplum ſequerentur. Quod ſi per talem probabilitatem abſoluerentur paſſim, iam dudum conſuetudo nudandi muliebre pectus totã vrbem cum ſumma caſtitatis iactura inundaſſet. Quod etſi moraliter certum in praxi eſt, euidẽti tamen exemplo inſuper perſpicuè confirmatur. Vir enim nobilis (adeo & viri inſaniunt) Theologum rogauit, vt videret,

num aliqua opinionis probabilitate a peccato mortali, quæ modò Mediolani pectus detegunt, excuſari queant; ſi enim poſſent, velle ſe omninò, vt ſua vxor illud nudet; ſin autem, ſe a tali conſilio, & imperio diſceſſurum. Quis hîc non palpat opinionem laxantem habenas nuditati eſſe huiuſmodi viro, & huius vxori, ſimiliterq; alijs eiuſdem conditionis innumeris maximè perniciabilem?

XV. Aio II. Quantumuis aliqua opinio nuditatem pectoris inuſitatam feminis, vt ijs, quæ hîc Mediolani nudare cœperunt, ſine peccato mortali indulgens aliquâ probabilitate practicâ excogitatâ vtcumq; fulciri poſſet (quod ego tum credam, quùm videro) adhuc tamen ſaluti animarum, atq; ædificationi, quam Confeſſarij omnes cordi habere debent, nullo modo expedire, vt ab ijſdem Confeſſarijs, vel quibuſcunque alijs Conſultoribus in vſum reuocetur.

Vt palàm fit ex damnis, quæ ex ea ſequerentur.

XVI. I. Quia quum talis opinio, quâcumque demum probabilitate recèns erutâ nitatur, peccati mortalis infamia ex Doctorum omnium, qui hac de re ſcripſerunt, ſentẽtia laboret, non poteſt nõ malum odorem cõtra eum, qui ipſa vtitur, non excitare.

XVII. II. Quia viri graues, & benè docti, Deiq; zelum habentes hac ipſa praxi maximè offenduntur, etiamſi fortè exteriùs ſe prodere non audeant, vel iuſtas etiam ob cauſſas non debeant.

XVIII. III. Quia hinc plurimi anſam arripient maximam de talibus Confeſſarijs, & Conſultoribus detrahendi, quòd molles ſint, quòd adulatores ſint, quòd auidi ſint, quòd palpatores ſint, quòd æruſcatores ſint, quòd nobilium matronarum ad omnes corruptelas, laxatâ & luxatâ Theologiâ, ijs indulgendas fœda mancipia ſint, quòd mulierum ad Confeſſionale accedentium nuda pectora malint intueri, quàm tecta, & verò etiam voluptati habeãt; & alia ſimilia portenta parient, quæ tanto erunt vendibiliora, quò communis ſententia Doctorum huiuſmodi licentiam lethali obnoxiam culpæ vociferatur. Scio equidem de viris integerrimis, & Religioſiſſimis hæc, & alia ab improbis iniquè iactari, ſed iactantur tamen cum animarum pernicie non leui, quæ vt caueatur, omnisq; occaſio obtrectandi quibuſcunque puſillis auferatur, ipſa certè caritas etiam atq; etiam orat, ac ſuadet.

IV. Quia poſitâ quoque iſtâ, aut potiùs ſomniatâ probabilitate, maxima inuidia Sacramento Confeſſionis, & Euchariſtiæ conflatur, dùm permittitur vtrumque frequentari ab ijs etiã, quę tot corruptelis idem dędecorant. Nam quæ hæc diuina myſteria ita vanè obeunt, & quidem ſæpe, ab alijs, quæ ab ijs abſtinent, irridentur; quæ autem flagitiosè viuunt, ad eorum frequentiam non prouocantur, ſed prauo exemplo ab illis alienantur; adeòq; propter tales nomen Dei blaſphematur, non tantùm inter Gentes, ſed etiã inter Chriſtianos; inſurguntq; etiam e Catholicæ Eccleſiæ ſinu nonnulli, vt nuperrimè Arnaldus in Gallia, qui libros contra Sacramentorum frequentiam noxioſiſſimos edunt in lucem. XIX.

V. Quia ex praxi talis nouæ opinionis, & imaginariæ probabilitatis ſumma pernicies ſequitur animarum. Quis enim, rogo, fructus, vbi duæ ſunt in materia laſciuiæ præ manibus opiniones, quarum vna fauet, laxatq; habenas carni, altera adducit, ac frænat, ex laxa colligitur? quid hinc vtilitatis percipitur? In præſenti quidem caſu hoc potiſſimùm, vt omnes nobiles matronæ paulatim nudent pectora, vt nudatis pectoribus, cunctæ nudent & XX.

vbera; vt nobilitatis praua exempla & mercatrices, & plebeiæ amplectantur; vt in turpiora pedetentim incidatur; vt innumera libidinis peccata erumpant; vt infinita alia incommoda, & damna, quæ luxuriam comitari ſolent, in vrbem redundent. Hæc eſt meſſis copioſiſſima, ſed tæterrima; hæc vindemia optatiſſima, ſed nequiſſima; hæc ſeges fœcundiſſima, ſed perditiſſima, quam de iſtius nouæ opinionis, & commentitiæ probabilitatis praxi, adulatione, ac fabula omnes Tartarei Dæmones, & Inferorum furiæ ſummis votis expetunt, quærunt, procurant, expectant. Ergo, ne tot incommoda ſequantur, nouitiæ iſti opinioni omnino improbabili; etiamſi foret vtcunq; probabilis; omnis aditus penitùs occludendus.

XXI. Confeſſarij noxiè indulgentes accuſandi in Dei iudicio a Pœnitẽtibus.

At certè tam multæ animæ, quæ per flagitioſam immodici ornatus ad libidinem valde incitantis corruptelam vbiq; ferè peruagatam; nec non inuſitatæ nuditatis feminei pectoris nunc in pleraq; loca, vt Mediolanum quoq; irrepentem; ob Confeſſariorum ſilentium, & diſſimulationem, quorum culpa potiſſimùm huiuſmodi corruptelas ali S. Bernardinus Senenſis, & S. Carolus Borromæus iam ſupra *diſp. 1. cap. 9.* laudati, ſummopere conquerebantur, ac meritiſſimò deplorabant, cotidie pereunt miſerrimè; tam multæ, inquam, animæ ante tremendum Ieſu Chriſti tribunal accuſabunt in primis acerrimè ipſoſmet ſuos Confeſſarios, quibus curam, & ſalutem ſuarum conſcientiarum crediderant; quòd ſe errantes liberè pro ſuo officio non monuerint; quòd reſpectibus humanis inuoluti, delirantibus ignauè indulſerint; quòd metuentes, ne ipſas in hac vita amitterent, in æternum eaſdem ipſas, vnaq; & ſe ipſos quoq; horrendè perdiderint: ita facti illarum, quibus duces ad regnum Dei eſſe debuerant, ductores ad ſempiternum interitum.

XXII. Aduerſarij doctrina tradita ſi qui ſint, deliniun.

Non deerunt tamen; ſat ſcio, qui doctrinæ huic, & veritati in hac Lucubratione ſine fuco, ſine fallacia, ſine vlla rei mortalis affectione, ſed ex ſola diuinæ gloriæ, & ſalutis proximorum cupiditate candidiſſimè coram Deo, & hominibus a me. conteſtatæ aduerſabuntur, obloquentur, reclamabunt; linguas, & calamos contra hoc qualecunque opuſculum (ſi tamen tanti id reputabunt) exacuent. At ego hos omnes hìc humi flexis genibus, paſſiſq; brachijs quàm humillimè, & enixiſſimè rogatos volo, vt priùs coram Ieſu Chriſto ſeipſos ſyncerè interrogent, conſcientiæque latebras omnes excutiant, quo ſpiritu ducti, animum ad contradicẽdum appellant. num puræ veritatis indagandę ſtudio? præclarus conatus laurea dignus. num publicæ vtilitatis nomine? Salua res erit. num genuino ſalutis animæ tum ſuæ, tum ſuarum Pœnitentium procurandæ zelo? germane erit teſſera caritatis, mihi lõgè gratiſſima. an verò e cõtrario alicuius terrenæ perturbationis æſtu? fœdum. an caducæ, & lutulentæ ſpei conſilio? indignum. an ſolius contentionis ferendæ; ſtomachique erumpendi impulſu? Hunc enimuerò turbinem ego vt nihil timeo, nec moror, ita Deum optimum maximum obteſtari non deſinam, ne hic remoram vllam ſuæ diuinæ gloriæ, ſalutine animarum iniji patiatur.

XXIII. Quid de ignorantib' grauitatem culpæ?

Iam dubium vnum reſtat, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum ijs Pœnitentibus, quas peccare mortaliter vel propter inſolitam pectoris nuditatem, vel propter immodicum ornatum notabiliter prouocantem ad libidinem certò nouit; ac proinde ſi & ipſæ aduerterent, & in eo eſſent pertinaces, minimè forent, vt initio *num. 3.*

dixi,

dixi, abſoluendæ; ſed tamen pleraſque earum ignorantia talis delicti laborare conſpicit? Tenetur ne, aut licitè ſaltem poteſt eas de huiuſmodi culpa, & obligatione abſtinendi in poſterum admonere?

XXIV. *Vincibiliter ignorans pœnitēs, monenda neceſſariò eſt a Cōfeſſario de mortali ornatu, vel nuditate pectoris, etiam ſine ſpe fructus.*

Aio III. Si ignorantia non eſt inuincibilis, ſed vincibilis, & culpabilis lethaliter, cuiuſcunque iuris, vel facti ſit, non poſſe Confeſſarium diſſimulare, quamuis admonitio non ſit profutura, & quodcunque ſcandalum Pœnitentis ſequatur. Hanc doctrinam tradunt omnes, teſte Thoma Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 38. num. 2.* quia quum ea ignorantia minimè excuſet, Pœnitens affectus eſt culpa lethali; quare ſi Confeſſor diſſimularet, conferret Sacramentum indigno. Nec ſolùm non poteſt diſſimulare, ſed tenetur etiam omnino monere, tum quia talis admonitio proderit, vt liberatus Pœnitens ignorantia illa, cognoſcat malum ſtatum, in quo eſt, & fortè aliquando reſipiſcet; & mordebit conſcientia, ſtimuliſque agitabitur: tum quia ita anſam illi auferet conquerendi de negata ſibi abſolutione; tum quia ſic Confeſſarius ſuo muneri ſatiſfaciet, vt docet idem Sanchez *loc. cit.* vnà cum Soto, Ledeſma, & Arragonio, quos affert: ſupponitque tanquam certum Suarez *tom. 4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 4. num. 1. & 2.*

XXV. *Item quando ipſa dubia tantùm interrogat.*

Aio IV. Si Pœnitens dubius, vel dubia de tali ornatu, vel nuditate pectoris interroget Confeſſorem, vel virum doctum de alterutra re, teneri vtrumque veritatem ei aperire, quamuis profutura non ſit; quia iam conſcientia Pœnitentis læſa eſt illo dubio, & taciturnitatem Confeſſoris, vel viri docti prudenter poſſet Pœnitens in ſuum fauorem interpretari. Quocirca taciturnitas illa eſſet erroris approbatio. Ita generatim docet idem Sanchez *loc. cit.* vnà cum Soto, Ledeſma, Angles, Ludouico Lopez, Corduba, Henriquez, Arragon, Bartholomæo a Ledeſma, Medina & Manuele Rodriquez, quos citat, quibus etiam conſentit Suarez *loc. cit. nu. 2.* & Cardinalis de Lugo *diſp. 22. de Pœnit. ſect. 2. num. 29.*

XXVI. *Item quū inuincibiliter ignorat, ſed fructus ſpem probabilem præbet.*

Aio V. Si Pœnitens ignorantia planè inuincibili obſidetur talis ornatus mortiferi, vel talis nuditatis lethalis; & Confeſſor probabiliter credit ſuam monitionem ei profuturam ſine vllo ſcandalo, vel graui incommodo; debere eiuſmodi Pœnitentem a Confeſſore moneri, vt relinquat ſtatum, qui materialiter eſt ſtatus peccati mortalis, quamuis excuſetur per ignorantiam. Hanc pariter doctrinam, & concluſionem vniuersè laudant, & diuerſis exemplis illuſtrant, Adrianus, Medina, Soto vterque, Cano, Nauarrus, & Couarruuias allati, & probati a Suarez *loc. cit. nu. 3.* & a Sanchez *loc. cit. num. 5.* vbi Cordubam quoque, & Metinam producit, & a Cardinali de Lugo *loc. cit. nu. 27.* qui eandem quoque concluſionem tuentur, ſiue ignorantia ſit facti, ſiue cuiuſcunque iuris. Ratio eſt, quia Confeſſarius vel eſt Paſtor ex officio, vel tunc ſaltē tenet locum proprij Paſtoris ex huius delegatione. Atqui ad Paſtorem pertinet docere ſubditos, quæ neceſſaria ſunt ad ſeruandam legem Dei. Ergo quum ad hanc ſeruandam neceſſe etiā ſit abſtinere ab inſolita muliebris pectoris nuditate, & ab immodico ornatu valde ad libidinem prouocante, de vtroque tenetur Confeſſarius, vbi ſpes fructus eſt, monere Pœnitentem.

XXVII. *Imò etſi nullam fructus ſpē præbeat, &*

Aio VI. Quādo Cōfeſſarius ex monitione nō ſperat fructū emēdationis, ſed prudenter, & probabiliter timet Pœnitentē ab inſolita pectoris nuditate, aut ornatu valde ad malū prouoca-

tiuo

inuinci-biliter ignoret: quāquā alioqui Confeſ-ſario tacendum ſit.

tiuo minimè ceſſaturam; etiamſi talis Pœnitens ignorantia inuincibili obruta ſit, nihilominùs debere illam admonere. Ratio eſt, quia, etſi, vbi intercedit huiuſmodi ignorantia, & ſpes emendationis deeſt, Doctores adducti apud Suarez *loc. cit. nu.* 4. Sanchez *loc. cit. nu.* 7. 8. *&* 9. Cardinalem de Lugo *loc. cit. nu.* 24. nec non Thomam Tamburinum *lib.* 3. *Methodi expeditæ Confeſſionis, cap.* 4. *nu.* 5. quibus ijdem ſubſcribunt, decernunt Confeſſarium tacere debere; etiamſi talis quoque ignorantia in damnum proximi redundet, vt expreſsè idem Sanchez *ibid. num.* 10. vna cum Medina, Cano, Ledeſma, Henriquez, & Corduba,& cum his Suarez *loc. cit. nu.* 3.& Cardinalis de Lugo *loc.cit.nu.*26. contra Nauarrum, & Conarruuiam, apud eundem Sanchez *loc. cit. nu.* 1. aſſeuerant, ac probant: nihilominùs ijdem Doctores, & alij cuncti aliam rationem eſſe docent, quando ignorantia inuincibilis talis eſt, vt ex ea malum boni cōmunis timeatur, tunc enim præferendum eſſe bonum commune priuato, & quanuis fructus in eo minimè ſperetur, conſultum tamē iri bono communi: vt ſignanter notant Sanchez *loc. cit. num.* 15. Henriquez *lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 27. *num.* 4. & Cardinalis de Lugo *loc. cit. nu.* 30. & 34. ſine mentione cuiuſquam Auctoris, qui diſſentiat: adduntque exemplum, ſi Parochus inuincibiliter putet ſudditos ſolùm teneri ſcire articulos fidei; vel habeat errorem in fide, aut moribus, teneri Confeſſarium illū admonere, quicquid inde ſequatur, ne errore illo bono communi ouium ſibi commiſſarum noceat. *Vnde fit*, inquit Sanchez *ibid. vt ſi eſſet ſcandalum publicaque fama nullitatis matrimonij, tenetur Confeſſarius admonere, quia talis ignorantia eſt contra bonum commune.* Sic *Adrianus quodl.* 5. *art.* 2. *lit.* 1. *&* 4. *q.* 5. *de Confeſſ. dub.* 17. & Cardinalis de Lugo *loc. cit.* Atqui inuſitata nuditas pectoris muliebris eſt omnino contra bonum commune, vt *diſp.* 1. & 2. demonſtratum eſt, tum quia immediatè plures valde prouocat ad laſciuiam; tum quia cōcurrit prauo exemplo ad inficiendas alias, atque ad tam pernicioſam corruptelam introducendam. Ornatus item immodicus valde ad malum alliciens, eodem modo communi bono repugnat, tum quia proximè alios permultos ad libidinem vehementer incitat; tum quia alijs prauo exemplo eſt, vt eandem corruptelam arripiant, vel arreptam foueant. &c. Confirmatur, quia immodicus ornatus ad malū valde ſolicitans, vel inſolita nuditas feminei pectoris multo magis bono communi aduerſatur, quàm ſcandalū, vel publica fama nullitatis matrimonij; nam totum hoc ſcandalum & dānum in eo tantùm verſatur, quòd innoteſcit Bertam v. g. non eſſe Titij vxorem, ſed concubinam. At multo plura peccata mortalia, & damna boni communis ex nuditate inuſitata feminei pectoris, vel immodico ornatu notabiliter ad malum incitante, quàm ex ſola notitia Bertæ in concubinam tranſcriptæ, proficiſcuntur, vt moraliter certum eſt. Præſertim quia fieri poteſt, vt Berta tam deformis euaſerit, vt nullum libidinis periculum alijs immediatè afferat, ſicut affert inſueta nuditas muliebris pectoris, aut immodicus ornatus valde ad malum prouocatiuus. Ergo multo magis Confeſſarius tenetur ob publicum, & commune bonum admonere Pœnitentem cum inuincibili ignorantia peccati vtentem eiuſmodi immodico ornatu, vel nuditate, etiamſi nullā ſpem fructus habeat, quàm coniugem ignorantem

Quia ita exigit ratio boni cōmunis.

tem inuincibiliter nullitatem matrimonij, cuius tamen fama publica vulgata eſt, nec credit monitionem profuturam. Et ita omnino ſentiunt doctiſſimi Theologiæ magiſtri ac profeſſores a me nominatim hac de re conſulti.

An, et quando Euchariſtiæ Sacramentum immodicè ſe ornantibus ſit adminiſtrandum. Cap. II.

I. NOuam ex parte quæſtionem aggredior explicare, a Doctoribus, quantum ſcio, aut neglectam omnino, aut certè non ex profeſſo tractatam, quam vt proponam, ſoluamque.

II. *Public' peccator a Communione repellendus.* Suppono I. communem Theologorum, & vtriuſque iuris Doctorum ſententiam, publicum peccatorem nō emendatum, a ſuſceptione Euchariſtiæ repellendum, vt oſtendunt Suarez *3. part. tom. 3. diſp. 67. ſect.* 2. Fagundez *Præcepto 3. lib. 3. cap.* 10. *num.* 4. Cardinalis de Lugo *de Sacramentis, diſp.* 8. *ſect.* 10. *num.* 164. & 166. & alij omnes apud Ioannem Sanchez in *Selectis, diſp.* 34. *nu.* 1.

III. *Nō verò occultus publicè petēs Euchariſtiam.* Suppono II. occultum peccatorē publicè petentem a ſuſceptione Euchariſtiæ ex communi pariter Doctorum placito non eſſe reijciendum; vt ijdem demonſtrant, Suarez *loc. cit. ſect.* 4. Fagundez *loc. cit. num.* 16. *& ſeqq.* Lugo *l. cit. num.* 168.

IV. *At Doctores nō agūt de peccato, quòd in ipſa tātū ſūptione Euchariſtia cōmittatur.* At circa vulgatam huiuſmodi doctrinam animaduerto inprimis, Auctores loqui tantùm de eo peccato ſeu publico, ſeu occulto, quod quis aliàs, antequam ad Euchariſtiam accederet, admiſit, vt clarum eſt ex exemplis, quæ afferunt, hinc de publicis meretricibus, vſurarijs, & ſimilibus; illinc de occultis delictis, quæ Sacerdoti Euchariſtiam miniſtranti nota ſunt vel ex ſacramentali dūtaxat Confeſſione, vel extra hanc ex pauciſſimis illorum cōſcijs. At de peccato, quod in ipſamet Euchariſtiæ ſumptione tantummodò ex praua aliqua circumſtātia committatur, Doctores non agunt, nec quicquàm dicunt. Dixi *de peccato, quod in ipſa ſumptione tantummodo, &c. cōmittatur*; quia non eſt dubium, quin & peccator tam publicus, quàm occultus indignè ſumens, nouam ſacrilegij culpam contrahat: at is iam priùs alio mortifero peccato erat oneratus. Verùm fieri poteſt, vt aliquis, expers alioqui omnis culpæ lethalis, hoc ſolo nomine grauiter delinquat, quia cum aliquo habitu grauiter irreuerenti, qui cæteroqui poteſt eſſe etiam ſine peccato mortali, ad ſumendam Euchariſtiam accedit, de quo ijdem Doctores, quantum ego Theologos tam ſcholaſticos, quàm morales indagando, doctoſque viros conſulendo aſſequi potui, nihil diſputant, nihil quærunt. Certè Ioannes Sanchez, qui recentiſſimè omnium, quos viderim, plures caſus in *Selectis de Sacramentis*, præſertim, *diſput.* 34. de Euchariſtia publicis peccatoribus neganda, vel concedenda proponit, explanatque, de hoc articulo, punctoue nihil præcisè commemorat, Nihilominùs pro maiore rei totius notitia quæſtionem hîc in vtroque ſenſu, ſiue quum ornatus etiā extra templum eſt illicitus, ſiue quum reſpectu tantùm irreuerentiæ in ſumenda Euchariſtia, fit peccaminoſus, examinabo I. vniuersè pro quauis regione. II. ſpeciatim pro Mediolanenſi Diœceſi, & prouincia. Sed ad vitandas æquiuocationes.

Noto I. ex communi doctrina tradita a Gloſsa *de conſecratione, diſt.* 2. & relata, ac probata a Suarez *tom. 3. cit.* V. *Public' peccator dicitur,*

qui publicè agit, & ſine mortali non fieri, cõſtat, ideoque arcetur a Communione.

3. *cit. in 3. part. diſp. 67. ſect. 2. Verſ. Secundò ex hac generali,* Quando *actio publicè exercita ex ſe, vel ex obiecto talis eſt, vt ſine peccato mortali exerceri non poſſit: aut ſi ex obiecto non ſit huiuſmodi, ex modo ſaltem, quo fit, publicum, & manifeſtum eſt, non fieri ſine peccato mortali; alterutro ex his modis exercentes actionem prauam expelli a communione, & non aliàs; quia tunc ſolùm ſunt publici peccatores. Ratio eſt, quia tales peccatores neque re ipſa, neque externa ſpecie habent ius petendi Sacramentum, quandoquidem eorum ſtatus manifeſtus eſt, & alioquin ius diuinum petit, vt ipſis non detur. Deinde poteſt illis negari ſine vllo incommodo, quia nec ſequitur infamia eorum: nam hæc potius ſupponitur; quum eorum peccatum ſit publicum, neque etiam ſequitur ſcandalum; maius enim eſſet, ſi huiuſmodi hominibus Sacramentum daretur.*

VI. *Qua notitia peccati publici requiratur.*

Noto II. Ex eodem Suarez *ibidem*, *ſect. 3. Verſ. Inter has ſententias*, illam cognitionem peccati, & praui ſtatus pœnitentis ſufficere ad negandam ei Communionem, quę ſatis eſt ad negandam iuſtè abſolutionem: Præter hoc verò cauendum eſſe omne ſcandalum, atque omnem infamiam, omnemque criminis, ſeu reuelationis ſuſpicionem.

VII. *Peccatum, euidentia iuris, vel facti notorium quale ſit.*

Noto III. dici aliquod peccatum euidentiâ iuris notorium, quando iuridicè aliquis conuictus eſt de crimine per propriam confeſſionem, vel per ſententiam, & declarationem Iudicis: euidentiâ autem facti publicum appellari, quando pluribus notum eſt. Sed obſeruo ego tam in notorio facti miſceri plerumq; aliquam etiã notitiam iuris, quàm in notorio iuris aliquã facti. Quum enim facto notorium eſt, Titium a Caio necatum, ſimul etiam vulgo notum eſt, tale crimen eſſe morte multandum, quod e iure ſanè promitur, & certum eſt. Quum verò Iudex fert ſententiam, Caium eſſe ſupplicio plectẽdum, ſicut ex iure morte plectẽdum ait, ſic ex facto, quia Titium necauit, rationem pœnæ metitur, ac reddit. Diſtinguitur tamen ius facti a iure iuris, vt ſic dicam, quia illud non ſufficit ad varias pœnas, & effectus iuridicos, ad quos requiritur ius iuris, ſeu ſententia Iudicis &c. Rurſum peccator publicus cenſeri poteſt primò abſolutè, quando peccatum eius eſt multis cognitum notitiâ iuris, vel facti, cum qua notitia ſtare poteſt, vt illi, in quorum præſentia Sacramentum petitur, ignorent delictum; vt obſeruat idem Suarez l. c. *ſect. 5.* initio. Secundò verò reſpectiuè tantùm, quando delictum reuera occultum eſt, etſi illi pauci, corã quibus petitur Sacramentum, norunt illud, vt *ibidem* animaduertit.

VIII. *Euchariſtia neganda eſt, quoties iure, vel facto cõſtat de delicto abſolutè.*

Noto IV. Si delictum abſolutè ſit publicum euidentiâ iuris, vel facti, id ſatis eſſe, vt Sacramentum negari debeat, etiamſi peccatum non ſit notum illis, in quorum præſentia Sacramentum petitur, vt ex S. Thoma, Soto, & DD. tradit idem Suarez *loc. cit. Verſ. Dico tertio*, & luculenter probat, cui accedit Vazquez *Tom. 3. de Euchariſtia, diſp. 209. cap. 2. num. 13. 14. 15.* & Ioannes Sanchez in *Select. diſp. 37. num. 7.* vnà cum Victoria in *Summa, quæſt. 80.* Porrò certus numerus perſonarum, quibus euidentia facti nota eſſe debeat, definiri nequit, ſed prudenti arbitrio relinquendus, vt docent idem Suarez, & Ioannes Sanchez *loc. cit.* ex Soto in 4. *diſt. 12. q. 1. art. 6.* & Vazquez *Tom. de Euchar. diſp. 200. cap. 2. num. 13.* Cæterùm quum Doctores citati a Suarez l. c. numerum perſonarum ad hanc euidentis facti notitiam

titiam

titiam gignendam, ſufficientem alij, vt Siluelter, & Nauarrus, exiſtiment eſſe ſex; alij, vt Adrianus, & Panormitanus, decem, neq; vllus maiorem numerum expreſsè requirat; videtur hinc haud temerè colligi poſſe; ſi crimen in publica via, vel alio publico loco, vt in foro, vel celebri platea eo tempore, quo multis innoteſcere potuit, aderantque præſentes oculati teſtes, ſaltem decem, id in omnium ſententia reputari notorium, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt, vt indicatur *cap quæſitum, & cap. Tua nos. de cohabitat. Cleric. & mulierum*, & ex his ſumpſit S. Thomas 3. p. q. 86. *art.* 6. vt notat Suarez l. c. *ſect.* 5. in principio, & Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. c.* 11. *dub.* 13. *nu.* 73. tanquam exploratũ declarat; neq; diſſentiunt S. Antoninus, Paludanus, Poſſeuinus, Nonius, Sotus, Vaſquez, Antonius Ragucius citati, & laudati a Ioanne Sanchez *diſp.* 37. *cit. num.* 7. qui eũ publicum peccatorẽ, cui negari debeat Euchariſtia, definiunt, quando nullâ tergiuerſatione valeat celari, eũ ſponte ſua in ſtatu peccati permanere.

Saltem ſex, vel decem.

IX. Noto V. etiamſi alicuius delicti certa euidentia non habeatur, ſed ſuſpicio dumtaxat, non tamen qualiſcunque, non temeraria, nec probabilis tantùm, ſed planè violenta, quæ nulla probabili ratione deponi queat, nihilominùs hanc ſatis eſſe ad negandam Euchariſtiam iuxta communem Theologorũ doctrinam in 4. *diſt.* 9. teſte Suarez *loc. cit. ſect.* 6. *Verſ. Circa poſteriorem partem*, vbi pro eadem D. Thomã, S. Antoninum, Alenſem, Richardum, & Gabrielem refert, redditque rationem, quia violenta ſuſpicio nititur talibus ſignis, & indicijs, quæ licèt non faciant euidentiam rei in ſe, faciunt tamen moralẽ probabilitatẽ, & ſufficiũt ad probabile iudiciũ ferẽdum, quando in contrarium nihil eſt, quod excuſet, aut ſuſpicionem eleuet. Ergo ſufficit etiam ad negandum Sacramentum; publicè quidem, ſi ſuſpicio ſit publica; occultè verò, ſi priuata, & occulta. Quibus notatis, ſit.

Neganda itẽ, quando de delicto extat ſuſpicio violenta.

§. I. *Euchariſtiam cum publica mortali culpa ob ornatum accedentibus eſſe negandam.*

PRimum quæſtionis punctum, commune aliàs cæteris quoque publicis peccatoribus, de quibus Doctores paſſim tractant, propono, in quo tamen pleraque etiam non excuſſa particulatim ab alijs, non oſcitanter examinabo. Propero, &

X. Dico I. Vbi corruptela immodici ornatus valde ad libidinem prouocantis vſitata eſt, vel nuditas muliebris pectoris conſueta; etiamſi nudãtes ita ex more regionis feminas lethiferè delinquere iuxta ſecundam ſententiam *diſp.* 2. *cap.* 1. expenſam ponamus, ſicut ornatu immodico ad malum vehementer incitante vtentes pari culpa teneri *diſp.* 1. *cap.* 7. ſimpliciter docui; nihilominùs his vtriſque Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe denegandum. Ratio eſt perſpicua, quia licèt publicum ſit euidentiâ facti Bertam v. g. nudo pectore incedere, vel ornatu ad laſciuiam notabiliter ſolicitante indui; non eſt tamen publicum huiuſmodi actiones eſſe peccata mortalia, quum vulgo perſuaſum ſit, eſſe honeſtas, & licitas conſuetudines; ac proinde etiamſi ſtatuamus Bertam admonitam corruptelæ, & conſciam, peccare mortaliter, alterutrã pertinaciter retentã; adhuc tamen licèt honeſtè exteriùs viuat, eſt tamen peccatrix occulta, quia eius hoc delictum vulgo ignotum eſt. Ergo tanquam occultæ peccatrici, ſed publicè petenti Euchariſtia iuxta axioma cõmune

Euchariſtia neganda non eſt accedẽti cũ nuditate pectoris vſitata, aut cũ ornatu valde prouocatiuo &c.

ſupra *n.* 3. & 5.relatū denegāda nō eſt.

XI. Etiam vbi tales corruptelæ ſunt inuſitatæ, ſed neſciūtur eſſe lethales.

Dico II. Vbi alterutra ex his corruptelis inuſitata,& noua eſt, ſi tamen vulgò neſcitur adhuc,alterutram eſſe mortiferam,eandem eſſe rationem, ac prioris concluſionis,neq; locū eſſe denegationi Euchariſtię,vt palàm eſt.

XII. Negãda verò, vbi ſatis publicatū eſt, eſſe mortales ſine dubio.

Dico III. Vbi alterutra ex talibus corruptelis,ſeu nuditas inſolita mulieбris pectoris, ſeu ornatus immodicus valde ad libidinem incitans, euidentiâ facti publica eſt; ac prætereà nō ſolùm ex validis rationibus, & cōcordi Doctorum ſententia ſine diſcrepantia certum eſt, vtramque corruptelam eſſe mortiferam; ſed etiam per Concionatores publicè prædicantes, docentes,& oſtendentes, Epiſcopo ipſo non reclamante, publicatum, & denunciatum eſt, huiuſmodi corruptelas eſſe ſine controuerſia lethales; Euchariſtiæ Sacramentum accedētibus ad altare cum alterutra ex his corruptelis eſſe negandum. Probatur ſolidè. Nam in primis actio nudandi pectus muliebre præter morem regionis, vel geſtādi immodicum ornatum ad malum valde ſolicitantem, etſi intrinſecè mala non eſt, non fit tamen ſine delicto mortali,vt *diſp.* 1. *cap.* 7. & *diſp.* 2. *cap.* 2. demonſtratum eſt, vbi etiam notatum, opinioni aduerſanti nullam probabilitatem relinqui; ac proinde ſicut qui conſcius peccati mortalis cuiuſcunque, Euchariſtiam ſine præuia pœnitentia ſumit, ſacrilegium lethiferum inſuper committit, ita quæ ob alterutram corruptelam ſeu inſolitæ nuditatis pectoris, ſeu immodici ornatus ad libidinem vehementer incitantis rea mortiferæ culpæ eſt, ſi diuinam hoſtiam accipit,nouo præterea ſacrilegio ſe polluit, vt perſpectū eſt.

Quia fœminei pectoris nuditas inuſitata, et ornatꝰ ad malum valde irritans ſine mortali culpa nō fiūt.

XIII. Omnia profana colloquia in Templo vetita.

Addo nunc aliud ſacrilegium peculiare, & mortale, non tamen diuerſę ſpeciei, ab eadem patrari; pro quo explicando animaduerto a Gregorio X. in generali Concilio Lugdunenſi, vt *cap. decet, de immunit. Eccl. in 6.* refertur, de ſacrorum templorum veneratione ita decerni: *Ceſſent vana, & multo fortiùs, fœda, & profana colloquia. ceſſent confabulationes quælibet. Sint poſtremò quæcunque alia, quæ diuinum poſſunt turbare officium, aut oculos diuinæ maieſtatis offendere, ab ipſis* (nempe templis) *prorſus extranea, ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, ac deprehendatur peccata cōmitti.* Deinde a Pontifice vnà cum Concilio locorū Ordinarijs mandari, vt hæc, & alia ibi cōtenta faciāt obſeruari, & trāſgreſſores *Canonis huius auctoritate compeſcāt,* nempe per cenſuram Eccleſiaſticam, vel aliam pœnam, vt ibi notat Gloſſa, *Verbo, compeſcat.* Ex quo Canone patet,omnia peccata externa, præſertim mortalia, in templo ſpecialiter prohiberi,vſque adeo, ac tam explorate,vt Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 6. num. 6.* dilucidè affirmet, valideque probet, mortiferas detractiones, & colloquia turpia aliàs lethalia,ſi in templo fiant, nouâ ſacrilegij mortalis ſuperadditâ malitiâ contra locum ſacrum, ob ſpecialem prohibitionem in eo, *cap. decet,* contentam onerari. Quam doctrinam cum hoc grano ſalis accipiendam neceſſariò exiſtimo, dummodo tales detractiones mortiferæ, aut obſcœna verba mortalia ita cum alijs in colloquio petulanter edantur, vt notabilem irreuerentiam erga locum ſacrum præ ſe ferant exterius: alioqui ſi leuem duntaxat oſtendant, vt ſi quis clam,valdeque ſubmiſſè vnam detractionē mortalē,vel certè lethale deſideriū copulæ ſollicitæ in aurē ſocij adſtantis fundat, quanquam vtrumque crimen mortale quidem eſt, vnum contra iuſtitiam,

Et omnia mortalia ſpecialiter ibi prohibita.

Detractiones lethales; & turpia colloquia aliàs mortifera, in templo facta, mortalis ſacrilegij rea quando valde irreuerenter locū ſacrum violant.

alterum

alterum cõtra caſtitatẽ, neutrũ tamen malitiã mortalem cõtrã locum ſacrũ contrahit, ſed leuẽ tantùm, & venialẽ, quia ex tali detractione, vel obſcœno copulæ illicitæ deſiderio enuntiato eo pacto, & modo irreuerentia in templũ nõniſi leuis redundat, vt morali hominum æſtimatione certum videtur: atq; adeo etſi vtraque eiuſmodi culpa lethalis ſit, vna contra iuſtitiam, altera contra caſtitatem, neutra tamen mortalis eſt contra locum ſacrum, ſed venialis tantùm. Quod efficaciter vinco ex eo, quia etſi in eo Canone dicitur a templo abeſſe debere *quæcunque oculos diuinæ Maieſtatis poſſunt offendere*, per hæc tamen, aut alia verba nõ prohibentur ibi peccata merè interna, ſed tantùm quæ exteriùs quoque prodeunt; tum quia Eccleſia de facto actus merè internos non poteſt præcipere, nec prohibere, vt Doctores communiter apud Bonacinam *diſp.* 1. *de Legibus*, *quæſt.* 1. *pun.* 5. *nu.* 8. ſanciunt; tum quia ibidem, dum ſtatuitur, *extranea eſſe* debere a templis, *quæcunque diuinum poſſunt turbare officium*, *aut oculos diuinæ Maieſtatis offendere*: neceſſariò hæc intelliguntur de ijs, quæ oculos diuinæ Maieſtatis offendere poſſunt exteriùs quoque, non verò etiam interiùs ſolùm, vt ex verbis immediatè ſequentibus neceſſariò colligitur, *ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda*, *ibi peccandi detur occaſio, ac deprehendatur peccata committi*, quæ de culpis merè internis etiam, probabiliter exponi nequeunt, ſed de externis neceſſariò ſunt interpretanda; tum quia totus ille Canon, *Decet*, ad externam duntaxat reuerentiam diuini cultus in templis aſſerendam, & non ad aliam refertur, vt ex ipſomet textu liquet; ac proinde non vetat actiones, niſi tali reuerentiæ externæ aduerſentur, quales eſſe non poſſunt, niſi pariter extraneæ, vt manifeſtum eſt. Atqui ſi tales actiones externæ leuiter tantùm repugnẽt reuerẽtiæ externæ Templo debitæ, peccati lethiferi contra religionem templi reę eſſe non poſſunt, ſed venialis tantùm. Ergo &c.

XIV. *Vt liqt ex C. Decet.*

Hac poſita moderatione, quam ipſi quoque Suario probari perſuaſum habeo, doceo iam, detractiones lethales in templo cum notabili huius irreuerentia prolatas eo modo, quo fit in forenſibus confabulationibus, ſacrilegã malitiã mortiferã inſuper contra locum ſacrum inquinari, idemque de colloquijs obſcœnis, quæ maiorem etiam irreuerentiam irrogare ſolent, multo magis ſentiendum. Nam lex Canonica quoties triplici hac conditione prædita eſt. I. verbis præceptiuis lata eſt. II. materia ipſa grauis eſt, & culpæ lethalis capax. III. nulla adeſt circumſtantia mentẽ Legiſlatoris ad ſolam culpam venialẽ reſtringens; toties tranſgreſſores ad delictum mortale iuxta materiæ capacitatem obligat, vt tanquam compertum axioma tradunt Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 26. *num.* 5. 6. 7. 8. Bartolus, Medina, Vazquez, Soto, Victoria, Sanchez, Carbo, Sayrus, Molina, Reginaldus, Valentia, & alij paſſim, quos adduxi, & citaui in meo *Choreарum Speculo*. Atqui hæ tres conditiones in Canone *Decet* præſto ſunt. Ergo is de natura ſua obligat ad mortale.

XV. *In quo, præter cõſilia, continetur etiã præceptũ multiplex prohibitiuum.*

Minorem, quantum ad primam cõditionem attinet, oſtendo, quia in duas partes totus Canon diſtinguitur, ac prior quidem ab initio textus vſq; ad *Verſ. Nullus in locis eiſdem*, tenet; ac tota ſuaſoria eſt, nullumq; præceptum continet, vt patet eam expendenti, & Doctores indicant, de qua proinde tantummodo ea verba, quæ infra, *Verſ. Ordinarij locorum*, immediatè

poſt

poſt ſubijciuntur; *Suadenda ſuadeant*, nēpe Ordinarij, intelligēda ſunt, vt notat ibidē Gloſsa *Verbo, Suadenda*, & obſeruat Suarez *loc.cit.n.3*. Quænā enim sūt iſta *Suadēda? quæ ſcilicet dicta ſunt vſq; ad Verſ.* Nullus, ait Gloſſa *ibidem*. Poſterior autem pars Canonis ab hoc eodem *Verſ.* *Nullus*, vſque ad *Verſ. Ordinarij locorum*, extenditur, quam eſſe præceptiuam negari non poteſt irrationabiliter. I. quia per verbum imperandi, ſeu imperatiuo modo loquitur. II. quia infra, dicto *Verſ. Ordinarij*, ait Canon, *interdicta* (nempe in tali *cap. Decet*) *compeſcant*. At enim talis vox *interdicta* in rigore ſignificat prohibitionem obligantem. III. quia ibidem additur: *Ordinarij interdicta huius Canonis auctoritate compeſcant*: vtique per pœnam, & cenſuram, vt ibi Gloſſa declarat. At quomodo poſſent Ordinarij, ſeu Epiſcopi, quæ vetita sūt, Canonis huiuſmodi auctoritate compeſcere, ſi is totus foret ſuaſorius, & non præceptiuus? IV. quia inibi prohibentur quoque ſtrepitus iudicialis, mercatus, nundinæ, & ſimilia, quæ culpæ mortalis ob talem Eccleſiæ prohibitionem, ſine Doctorum controuerſiâ, damnantur; damnari autem tam grauis culpæ non poſſent, niſi Canon prohibens verbis præceptiuis conſtaret. Ex quibus manifeſtum eſt, primam conditionem verborum præceptiuorum huic Canoni non deeſſe. nec deſideratur ſecunda materiæ grauis, quādoquidem nonnullas actiones ibi prohibitas, vt mercatus, & ſimiles, eſſe mortales, certum eſt. Tertia denique cernitur, quia nullum reſtrictionis veſtigium apparet in Canone, & ſi quis ea obtrudat: *Ordinarij locorum hoc faciant obſeruari: ſuadeant; interdicta huius Canonis auctoritate compeſcant*. hinc potiùs oppoſitum elicitur, ſiquidem prior pars *cap. Decet* ſuadenda dicitur; altera autem, quia continet interdicta, ſeu prohibita, compeſcēda.

XVI. *Vnde elicitur ratio.* Vnde ſic argumentor. Quæ grauem irreuerentiam templo inferunt, vt *mercatus, ſtrepitus iudicialis* &c. mortalia ſunt, quia a tali Canone ſufficienter prohibentur. Ergo detractiones etiam lethales, aut turpes confabulationes in templo habitæ cum notabili huius irreuerentia, aliam mortalem ſacrilegij malitiam contra locū ſacrum contrahunt, quia hæ quoque ibidem ſufficienter prohibentur, & quidem cum exaggeratione, vt notat Suarez *num. 6. cit.*

XVII. *Alioqui nec mercatus, nec ſeminis effuſio etc. in templo forent vetita ex tali capite cōtra DD omnes.* Confirmatur, quia niſi huiuſmodi irreuerentes detractiones, & obſcœna colloquia ex vi iſtius Canonis grauiter prohibita cenſeantur, negari eodē modo iure poteſt, mercatum, effuſionē ſeminis, ſtrepitum iudicialem, & cætera illic grauiter prohiberi. At hoc eſt falſum, quia cuncta hæc grauiter ibi vetita a Doctoribus omnibus iudicantur. Ergo & illa grauiter quoque vetantur. Minor, & conſequentia ſunt explorata. Sequelam maioris probo, quia in ipſo Canone nullum prorſus verbum, nulla circumſtantia, nullum indicium eſt, ex quo colligatur prohiberi iſta, & non illa: imò ę contrario conſtat illa grauiùs, maiorique cum exaggeratione prohiberi, quàm iſta, vt patet. Nam Canon in prohibitione tam illorum, quàm iſtorum eodem ſanè verbo *ceſſandi* vtitur, at longè ſeuerius ea ſic vetat: *Ceſſent vana, & multo fortiùs, fœda colloquia. Ceſſent cōfabulationes quælibet. Sint poſtremò, quæcunque alia, quæ diuinum poſſunt turbare officium, aut oculos diuinæ Maieſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea, ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendatur peccata committi.* Quàm grauiter? quàm longo periodi tractu?

tractu? quàm explicatá prohibitionis ratione? quanto verborum pondere? De reliquis autem ibidem vetitis quæ formula vſurpatur? eadem prorſus immediatè poſt: *Ceſſent in Eccleſijs &c. negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuſcunque tumultus, omnis in eis ſecularium iud.ciorum ſtrepitus conquieſcat, nulla inibi cauſſa per laicos, criminalis maximè agitetur, ſint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.* Quæ omnia etſi pariter prohibentur; at certè non tam operosè, neque tam ſeriò, tantoque niſu, quanto præcedentia, vt ex mutua comparatione euidens eſt. Ergo quũ iſta nihilominùs ſub mortali prohibita in materia graui a Doctoribus cũctis exiſtimentur, & illa quoque pari modo vetita ab iiſdem reputanda ſunt, fruſtraque omnino, & ſine fundamento prohibitio ad iſta tantùm voluntariè reſtringitur, quum magis grauiter illa potiùs vetita cernantur.

XVII. *Nec refert, q tale ſacrilegiũ a ſolo Suarez aſſ.ratur.* Quod verò Doctores, qui de ſacrilegio poſt Suarez ſcripſerunt, hoc ſacrilegium ab eodem Suarez notatum, & probatum non commemorent, ſed ſilentio inuoluant, nil refert. Nam ne ipſe quidem Suarez, in iure Canonico nondum adeo verſatus *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. num. 19.* quærens, quę peccata ſint contra loci ſanctitatem, tale ſacrilegium agnouit, ſed negauit. At deinde ſenior *tom. 1. de Relig. loc. cit.* probè examinato dicto *C. Decet*, id animaduertit, ac tradidit. Alij autem, qui poſt eum ſcripſerunt, caſum hunc a Suarez ex profeſſo tractatum magna taciturnitate prętereunt, neque ſuper hoc Suarium citant, tantum abeſt, vt refellant, aut ipſi ex profeſſo quoque iterum diſputent, adeoque eorum auctoritas ſola, ſine caſus ponderatione Suario; qui hũc ex profeſſo tractauit, obſiſtere nequit, vt ſancit communis Doctorum ſententia, quos in mea *opinionum moralium Trutina par. 1. cap. 7. num. 5.* retuli: ſicut neque auctoritas quorumcunque Doctorum, qui rationem aliquam claram, textumue non attenderunt, probabili opinioni alijs reddendæ ſufficit, vt ibidem *cap. 9. nu. 15. & 16.* nec non toto *cap. 10.* patefeci.

Quanquam autem opinio de ſacrilegis detractionibus mortiferis contra dictum *C. Decet*, a ſolo, vnicoque Suarez traditur, non propterea tamen ſingularis, ſed communis potiùs cenſenda eſt. Nam opinio a ſex claſſicis v.g. Auctoribus tractata anteponitur probatæ a quinquaginta ſola auctoritate priorum ductis, vt diſertè ſanciũt Abbas, Alciatus, Nauarrus, Azor, Ioãnes Lupus, Menochius, Tomas Sanchez, Caſtro Palao, Baldellus & plurimi alij ſine vlla diſſenſione, quos in mea *opinionũ moralium Trutina par. 1. cap. 5. nu. 55.* recenſui, pronuntiantes eam opinionem ſimpliciter, vereque communem eſſe reputandam, quę a Doctoribus eam ex profeſſo tractantibus communiter defenditur. XIX. *Cuius opinio non ideo ſingularis, ſed potiùs communis cenſenda eſt.* Vnde Duardus *lib. 2. in Bullam Cœnæ, can. 15. q. 4. & 5. concl. 1. Numerus, inquit, & grauitas* (Doctorum ſcilicet) *non faciunt communem opinionē, ſed rationes, & reſolutiones occurrentium difficultatum, etiamſi ſolius Doctoris ſententia fuerit, eam conſtituunt.* Atqui Suarez luculenter tractauit ex profeſſo, & probauit graues detractiones in templo eſſe lethiferè ſacrilegas contra citatum *C. Decet*. *Qua etiam contraria adimit ferè probabilitatē.* Neque vllus ex Auctoribus, qui poſt Suarez ſcripſerunt, fundamenta ipſius refellit, imò neque mentionem eius tanquam aduerſantis vllam facit; atque adeo ipſamet illa fundamenta Suarij minimè a ſe lecta, ne dum expenſa, non obſcurè innuit. Ego certè neminem,

qui

qui talia fundamenta recitarit, ac reiecerit, etſi nulli diligentiæ in quærendo peperci, reperire potui. Quocirca dicta Suarij opinio ſolidioribus rationibus hîc etiã munita, non ſingularis, ſed multo probabilior, & cõmunis etiam exiſtimanda eſt. Quin etiam parum admodum probabilitatis relinquit oppoſitæ ſententiæ. Nam quoties ratio aliqua, aut lex vim maximã contra opinionem Doctorum faciens, attenta non eſt, aut ab ijs ignorata eſt, talis opinio apud doctos, qui illius gnari ſunt, probabilitatē amittit, vt ex communi Doctorum placito ſine vlla diſcrepantia in mea *opinionum Trutina par.1.cap.9.* oſtendo. Dum autē Suarij fundamēta ab alijs poſterioribus Auctoribus ne memorantur quidem, meritò præſumuntur ignorata; ac proinde & probabilitas contrariæ opinioni apud doctos adimitur.

XX. *Nec quiſquam Doctorū obluctari poteſt.* A qua ſententia ita explicata neminem puto ex Doctoribus diſſentire, nec probabiliter etiã diſſentire poſſe. Omnes quippe concedunt eos, qui ex contemptu aliquid ex vetitis in dicto *cap. Decet*, exercet, lethiferè delinquere, loquunturque neceſſariò de contemptu non tantùm directo, ſed indirecto quoq; tantummodo; alioqui ſi de directo ſolùm loquerentur, tum nõ ſolùm mortiferè peccarent, qui aliquid in eo *cap. Decet* prohibitū facerent, ſed etiã qui aliàs licita patrarent, vt Doctorat⁹ laureã in templo adipiſci, quod licitum eſſe Doctores communiter fatentur; vel certè, qui prohibita quidem in eo *cap. Decet*, ſed ex leuitate materiæ non mortalia, vt Secularia Concilia, & Parlamenta politica citra ſcãdalum, & extra tempus diuinorum officiorum, ibi ſine neceſſitate celebrarent, quę venialia tantùm ſunt, quia irreuerentia modica eſſe videtur, vt opinatur Suarez *loc. cit. nu.* 5. Omnes enim, & quicunque vel vnum iſtorum, aliàs aut licitum, aut veniale ſolùm, ex directo contemptu in templo agerent, lethiferè ſine dubio delinquerent, vt extra controuerſiam eſt. Ergo vt dictum *cap. Decet* vim peculiarem in ea, quę contra ipſius prohibitionem exercentur ex contemptu, ideoq; ſunt mortalia, oſtendat, de contemptu etiam indirecto intelligendum eſt. Hinc patet Angelum aientem in *Summa verbo, immunitas, num.* 5. omnia, quæ illic prohibentur, non eſſe peccata, niſi per ſe ſint mala, vel fiant ex contemptu; tum Nauarum *in Enchiridio de oratione, cap.5. nu.42.* ſtatuentem, tranſgreſſiones contra idem *cap. Decet*, eſſe tantùm veniales, niſi per contemptum fiant, vel cum notabili impedimento diuinorum officiorum; tantundemq; decernentem Silueſtrum *verbo; immunitas* 1. *q.* 2. *num.* 4. & Tabienam *ibid. num.* 3. minimè ab expoſita doctrina diſcordare, quum peccari mortaliter contra dictum *cap. Decet* contemptu etiam indirecto tantùm neceſſariò velint. Nam mercatus, & actus iudiciales, etſi per ſe mali non ſint, & in templo extra tempus diuinorum officiorum, & orationis exerceantur, adeoq; hæc non impediant, nihilominùs rei ſunt culpæ mortalis contra locum ſacrum, vt certum eſt, quia nempe notabilem irreuerentiam eo *cap. Decet* prohibitam, licèt hanc ex contemptu tantùm indirecto inferant, continent, vt conſtat. Ergo eodem modo multo magis detractiones, & colloquia turpia, quæ per ſe mala ſunt, quando ſunt mortalia, & cum magna eiuſdem templi irreuerentiã copulantur, etiamſi ex contemptu tantùm indirecto hæc fiãt, nouam malitiam mortalem contra eundem locum ſacrum contrahunt, ſi quidem iſta quoque eodem *cap. Decet* grauiter, & cum exaggeratione vetantur.

Doctoratus laurea permiſſa in templo.

Concilium Politicum ibi veniale.

tur: A quo placito nemo cohærenter, & probabiliter diſſentire poteſt.

XXI. *Eodem cap. Decet vetatũ quoque omnis irreuerẽtia externa in Euchariſtia ſumenda.* Vnde infero, multo magis eodem *cap. Decet* prohiberi grauiter omnem irreuerentiam externam, quæ in Chriſti Domini Corpore ſuſcipiendo committitur; tum quia hæc oculos diuinæ Maieſtatis exteriùs offendit, quod illic vetatur; tum quia dum ibi Pontifex irreuerentiam arcet a templo, multo magis, & neceſſariò hanc arcet quoq; a Chriſto ipſo in Euchariſtia incluſo, a quo omnis reuerentia in templum deriuatur; tum quia prohibitâ templi irreuerentiâ, prohibita etiam cenſetur ea, quæ circa rem præcipuam, & ſummam in templo exiſtentem, qualis eſt Euchariſtia, verſatur; tum deniq; quia lex extendenda eſt etiam vltra proprietatem verborum naturalem, & ciuilem quoque ad eum caſum, ad quem, vt vitet abſurdum, eam extendi neceſſe eſt, vt ex Communi Doctorum ſententia oſtendit Suarez *lib. 6. de legibus cap. 2. num. 7.* Imò etiamſi lex pœnalis ſit, dummodo extenſio comprehenſiua fiat ob identitatem rationis in ipſamet lege expreſſæ, extendenda, nihilominus eſt, quemadmodum idem Suarez *ibidem cap. 4. nu. 2.* & Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp. 42. num. 12.* ex communiſſima, & receptiſſima doctrina omnium tradunt. At enim I. Lex iſta *cap. Decet*, quando etiam poneremus non directè, & planè vetare quoq; irreuerentiam in ſumenda Euchariſtia; niſi tamen ita extenderetur, vt prohibens templi irreuerentiam, comprehenderet etiam prohibitionem irreuerentiæ in eadem Euchariſtia ſuſcipienda, eſſet omnino abſurda, dum minorem irreuerentiã, quæ in ſolum templum committitur, vetat, & non vetat longè maximam, quæ in rem ſummam ipſius templi, & totius Mundi etiam, nempe in Chriſti Corpus committitur. II. Eadem lex habet in ſe expreſſam rationẽ, ne quid *oculos diuinæ Maieſtatis illic offendat, vbi venia peccatorum eſt poſtulanda.* At hæc eadem ratio multo magis in irreuerentia externa ſumendæ Euchariſtiæ militat, vt patet. III. Quia eadem lex non pœnalis, ſed tota fauorabilis eſt ad cultum templi tuendum, & augendum, vt liquet. Ergo multo magis extendenda, vt comprehendat etiam prohibitionem irreuerentiæ externæ in ſuſcipienda Euchariſtia, vltra quoq; proprietatem verborum, ſi opus foret, quanto autem magis, quum opus non ſit, & ſine tali improprietate poſſit? Ex quibus deducitur illas, quæ præ inſolita pectoris nuditate, vel immodico ornatu ad laſciuiam notabiliter prouocante lethiferè peccant, ſi cum alterutra ex his corruptelis in templum intrent, ibique in populi frequentia verſentur, nouam ſacrilegij mortalis malitiam contra locum ſacrum ob prohibitionem in eo *cap. Decet* contentam contrahere, atque adeo ſi diuinam hoſtiam ita participent, rurſum aliud ſacrilegium lethale committere, quia cum delicto mortali, & lethifero ſacrilegio Sacroſanctę Menſæ ſeſe ingerunt, quanquam diſtinctio ſacrilegiorum huiuſmodi non eſt ſpecifica, ſed numerica tantùm, quum ſit idem irreuerentiæ motiuum.

Deinde, tales corruptelas nudi pectoris contra conſuetudinem regionis, vel immodici ornatus ad libidinem valde incitantis exerceri a Berta v. g. vel Sempronia, euidentiâ facti notiſſimum eſt, quum ita publicè incedant per vrbem, & quæuis alia loca, conſpiciantúrque a plurimis, atquè a cuncto populo facilè cerni queant, aut ſaltem a decem, vel a pluribus in publico loco videantur, vnde de facti euidentia iuxta doctrinam communem *num. 6.* XXII. *De publico delicto Bertæ nudãtis cõtra morem regionis pectus, vel ornatu valde prouocatiuo vtẽtis ſatis cõſtat.*

Tt & 7.

& 7. obſeruatam dubitandi locus non eſt.

XXIII. *Vulgãtib' Cõcionatorib' omnino ſufficientibus ad illud de iure publicandum.* Præterea a Concionatoribus, vt ſuppono, publicè in templis denuntiatum eſt, Epiſcopo conſentiente, ſaltem tacitè, huiuſmodi corruptelas eſſe omnino lethiferas. Vnde non ſolùm euidentia facti habetur, quòd Berta, & Sempronia pectus contra morem regionis publicè nudant, ſed etiam notitia publica, quòd tales corruptelæ ſunt mortales, ac proinde cognitio iuris extra forum iudiciale cum facto ipſo coniuncti. Confirmatur I. quia aliarum legum, vel Edictorum Epiſcopalium, vel Bullarum Pontificiarum publicatio facta a Parochis, vel horum loco a Concionatoribus in Concione cenſetur omnino ſufficiens ad neceſſariam talium legum publicam notitiam, & obligationem eas obſeruandi inducendam, vt manifeſtum, & certum eſt. Eodemq; modo ſufficit, vt aliquis excommunicatus ſit neceſſariò vitandus, ſi a Concionatore illius excommunicatio a Iudice legitimo lata, huius iuſſu in Concione populo denuntietur. Ergo vt publica notitia lethiferæ culpæ, quæ in nudando muliebri pectore contra morem regionis, vel in geſtando immodico ornatu ad malum valde prouocante cõtrahitur, ad obligationem vtriuſq; corruptelę ſub mortali cauendæ populo imponendam ſatis ſit, ſufficit, vt Concionatores illam intiment, & tanquam doctrinam apud Doctores exploratam inculcent. Cõfirmatur II. quia ſicut Concionatores publicantes Bullam Pontificis, aiẽteſque omnes teneri ad eam ſeruandam, ſufficienter obligationem publicant, & diuulgant; ita dum inſuetam pectoris feminei nuditatem, & immodicum ornatum valde allicientem ad laſciuiam, corruptelas eſſe mortales diuina, & naturali lege vetitas, atque à Doctoribus palàm damnatas, populo explicant, ac teſtantur, ſufficientet obligationem eas vitandi publicant, vt compertum eſt. Ex quibus conſtat, publicum, & manifeſtum eſſe v. g. Mediolani, vbi Concionatores in huiuſmodi inſuetam pectoris muliebris denudandi corruptelam iuſtâ culpæ mortalis cenſurâ, acerrimè, vt *diſp. 2. cap. 4.* narraui, inuecti ſunt, Semproniam non ſolùm nudare pectus publicè contra legem, & conſuetudinem regionis, ſed delictum etiam mortale incurrere a Concionatoribus denuntiatum.

XXIV. *Adeoq; Euchariſtia publicè nudãti pectus Mediolani, & vbi publica peccatrix ſatis innotuit, neganda eſt: & quanã publica peccatrix ſit.* Vnde infero etiam, Semproniam hîc eſſe, ac dici publicam peccatricem, cui Euchariſtia negari debet: peccatricis autem nomine denuntio a me tum hîc, tũ deinceps intelligi quancũq; mulierẽ, quæ mortali culpę externæ obnoxia eſt, etiamſi ab omni labe libidinis ſit aliena, & honeſtiſſima habeatur. Repellẽda tamen eſt, I. quia vt *n. 5.* ex communi doctrina Auctorum notaui, exercentes publicè, & manifeſtè actionem lethalem, quam eſſe lethalẽ publicè manifeſtum eſt, ab Euchariſtia arcendi ſunt. Sempronia exercet publicè, & manifeſtè huiuſmodi actionẽ, vt expoſitum eſt. Ergo. II. Ad negãdam Communionem ſufficit ea cognitio peccati, & praui ſtatus Pœnitẽtis, quæ ſatis eſt ad negandam iuſtè abſolutionem, dummodò ſcandalum omne, atque infamia, omniſque reuelationis ſuſpicio vitentur, vt ex Suarez *num. 6.* animaduerti, & aliàs etiam liquet. At certum eſt, nudantem feminam pectus publicè contra regionis conſuetudinem, itaque publicè incedentem iuſtè a Confeſſario ſine abſolutione, ſi in ea corruptela perſiſtat, dimitti, vt *quæſt. 2. cap. 2. & 4.* oſtendi. nullum verò hîc eſſe periculum reuelationis, perſpicuum eſt, quia euidẽtia

tiâ facti notum eſt, ita detecto pectore illam incedere. Vnde neque vllum infamiæ, vel ſcãdali diſcrimen imminet; quandoquidem talis peccati infamiã publicam ipſamet ſponte ſubit, non autem a Sacerdote reijciente irrogatur; neque in reijcienda eâdem ſcandalum vllum parit Sacerdos, ſed potiùs prohibet, quod alioqui emergeret, ſi publicæ peccatrici obſtinatæ Euchariſtiam porrigeret, vt in ſimili materia Doctores *num.* 5. relati generaliter argumentantur. Ergo iure Euchariſtia Semproniæ neganda eſt. III. In hoc caſu crimen lethale eiuſdem Semproniæ eſt abſolutè publicum euidentiâ facti, & iuris etiam, quatenus a Cõcionatoribus nota peccati mortalis in omnes Mediolani pectus nudantes publicè, publicè denuntiata eſt, vt ex ijs, quæ *num.* 7. explanaui, conſtat. Ergo etſi Euchariſtiam petat coram ijs, quibus tale eius peccatum ignotum eſt, adhuc ei negari debet, quia adhuc peccatrix abſolutè publica, & non tantùm reſpectiuè eſt, vt ex obſeruatis *num.* 7. & 8. euidenter deducitur. Confirmatur, quia talis, vt Theologi ſupra *nu.* 5. ratiocinantur, neq; reipſa, quum ſupponatur eſſe in mortali ob talem corruptelam; neque externa ſpecie habet ius petendi Sacramentum, quia iam publicè euidentiâ facti de eius peccato conſtat; eique ſine vllo incõmodo, & periculo ſcandali, vt explanatum eſt, negari poteſt. Ergo omnino etiam debet, quia ius diuinum in tali caſu hoc exigit. IV. Etiamſi in huiuſmodi caſu certa delicti euidentia deeſſet, & ſola violenta ſuſpicio præſto foret, ſed publica; adhuc iſta ad negandam Semproniæ Euchariſtiam ex cõmuni Theologorum doctrina, vt *num.* 9. vidimus, ſufficeret. At hæc abunde hîc adeſt, vt patet. Ergo.

§. II. *Allata doctrina impugnatur, & propugnatur.*

VErùm contra probatam aſſertionem dices I. quid ſi aliqui Theologi, aut alij viri docti a Concionatorum ſententia diſſentiant, & talem nudandi pectoris muliebris conſuetudinem introducere, negent eſſe peccatũ mortale? Tum certè violenta ſuſpicio mortalis culpæ, & multo magis euidẽtia ceſſabit; quam opinio probabilis tot virorum elidit. Reſpondeo hîc non eſſe quæſtionem, vtrum Sempronia coram Deo peccet detectione inſolita pectoris. Nam quamuis probabilitas talis opinionis a mortali excuſantis huiuſmodi corruptelam neq; vlla ratione tolerabili, neque vlla auctoritate valida a Doctoribus, qui hactenus hac de re ſcripſerunt, adhuc inuenta ſit, vt *diſp.* 2. *cap.* 2. & 4. oſtendi, ſatiſque non ſit, vt verè probabilis opinio contra torrentem Doctorum eam damnantium cenſeatur, ita aliquos nulla ratione redditâ, nullâ ſolutione allatâ, nullâ auctoritate producta, exiſtimare; vt facilè quiuis ſapiens intelligit, & ego in mea *Trutina moralium opinionum par.* 1. *cap.* 10. & 12. planum facio; nihilominùs ſupponamus Confeſſarium ſeu paſſione cæcatum, ſeu ignorantia inuincibili ductum Semproniæ dixiſſe, poſſe eam ſine ſcrupulo mortalis pectus Mediolani v.g. contra regionis morem nudare; ac proinde hanc bona fide nudantem nõ peccare grauiter. At id hoc loco non quæritur; ſed vtrum, quum publicè nudo pectore incedat contra loci conſuetudinem, publiceque Concionatores denunciarint, ita nudantes mortiferè delinquere, atque ita reuera tradant omnes Doctores ſine veſtigio oppoſitæ opinionis probabilis; Sacerdos, qui hæc omnia nouit, a Commu-

XXV. *Nudãr publicè pectus, vbi mos non eſt, ideoque a Cõcionatoribus rea culpa mortalis denuntiata, arcẽda a Cõmunione eſt, vt publica peccatrix licèt fortè non peccaret.*

nione eam repellere debeat, nec ne; quicquid ſit, an coram Deo ignorantiâ inuincibili a crimine excuſetur? Hic eſt verè præſentis quæſtionis articulus, cui reſpondeo affirmatiuè, aloq; omnino eſſe repellendam, quia ad hoc vt aliquis ab Euchariſtia iure arcendus ſit, nihil aliud requiritur, niſi vt peccator publicus ſit, vt docent omnes. Vnde Suarez *ſect. 2. cit.* quum titulum propoſuiſſet: ***Vtrum publico peccatori petenti Euchariſtiam, ſemper ſit deneganda***: ſtatim reſpondet: ***Si peccator publicus ſit, ſiue publicè, ſiue occultè Euchariſtiam petat, illi eſſe denegandam***: ſubditq; continuò: ***In hac regula conueniunt Auctores omnes.*** At Sempronia eſt publica peccatrix, quia publicè actionẽ nudãdi pectoris cõtra loci morẽ a Concionatoribus, Epiſcopo conſentiẽte, ſaltem tacitè, mortalis delicti publicè, ex Doctorum omniũ conſenſu, iure damnatam exercet, quod ſatis eſt, vt publica peccatrix habeatur, quemadmodũ ſupra explanaui.

XXVI. *Per opiniones priuatas aliquorum contradicẽtiũ nõ tollitur in foro externo publicitas delicti, nec obligatio legum.*

Quod verò nonnulli priuati, & priuatim contrariam opinionem præ ſe ferant, non ſatis eſt, neque tollit, quin illa in foro externo adhuc publica peccatrix ſit; neque enim per huiuſmodi priuatos rumores paucorum ea publicitas de loco publico, a publico Concionatore in publica Concione vulgata ex iure, & officio publici Doctoris, magiſtri, & medici animarum, quo quilibet Concionator fungitur (& qui in Cathedralibus, vel Parochialibus templis Verbum Dei prædicant, Paſtoris etiam vices inſuper obeunt) aboletur, aut ſupprimitur; alioqui de omnibus legibus diuinis, & humanis, de cunctis Bullis Pontificijs, de vniuerſis edictis Epiſcopalibus, nec non de Conſtitutionibus Synodalibus, ſi publicata ſufficienter, ex aliquorum diuerſa opinione in irritum reuocari poſſent, actũ penitùs eſſet. Neq; enim vnquam deſperuit, neq; deſunt, neque defuturi ſunt homines, qui varios prætextus, & excuſationes ad leges etiã ſole meridiano clariores eludendas habuerunt, habent, & habituri ſunt præ manibus. Dicent eſſe iniuſtas, non tenere, verbis præceptiuis carere. Et fieri aliquando poteſt, vt ita ſit: At forum externum hos omnes rumores, & contradictiones floccipendit, & obſeruantiam legis publicatæ vrget, ſonteſque plectit; quod verò in foro interno Confeſſarij oppoſitum doceant, nihil moratur; aut quod alij priuati reclamẽt, nihili facit. Aliquis v.g. percuſſit publicè Clericum, de cenſura excommunicationis nihil cogitans, omnique aduertentia carens, adeoq; iuxta probabilem ſententiam cenſuram eam non incurrit, & a peccato mortali percuſſionis grauis poteſt abſolui per quemlibet approbatum Confeſſarium, & clam etiam ad diuinam Euchariſtiam admitti; at verò exteriùs debet ſe gerere vt excommunicatum, ipſumque forum externum in hunc tamquam verè excommunicatum iudiciũ exercebit. Haud ſecus Sacerdos in negãda Euchariſtia publicis peccatoribus nihil aliud attendit, niſi vt ſibi conſtet, tales in foro externo eſſe publicos peccatores. Nam ſi Petrus publicus vſurarius habetur, & Apollonia publica meretrix, vtcunque hæc, aut ille bonam fidem, vel ignorantiam prætexant, ſi velint in iiſdem contractibus, & occaſionibus, præ quibus publici peccatores meritò crediti ſunt, pergere, vtrumque Sacerdos a Communione ſubmouere tenetur, vt manifeſtum eſt. Ergo in caſu propoſito quum Sempronia publicè nudans pectus contra morem loci per aliquorum priuatam excuſationem non eximatur, quin adhuc in foro externo peccatrix

trix

eſt, non delinquere adhuc tamen, vt publica peccatrix, eſt arcẽda ab altari.

trix publica ſit, Euchariſtia illi meritò adhuc neganda eſt, vt patet.

XXVII. *Nec obeſt, quod aliqui Concionatores minus cauti decipiantur.*

Dices II. Si Concionatorum dictis tanta vis, atque auctoritas ineſt; quum aliqui eorum nonnunquam certas actiones mortiferas, quæ tamen a probatis Doctoribus excuſantur, præ ſimplicitate, vel ignorantia, vel inconſulto zelo pronuntient, fore obligatum Sacerdotem ad negandam Communionem iis, qui eiuſmodi actiones, vt mortales a Concionatore inconſiderato vulgatas exercent. At hoc eſt abſurdum, Ergo. Reſpondeo negãdo ſequelam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia caſus inſolitæ nuditatis pectoris muliebris a cunctis Doctoribus mortalis damnatur, nec oppoſitæ opinioni obnoxius eſt, ſed certa ſentẽtia nititur. Secus verò eſt, vbi res ſub opinione tantùm verſatur, aut error pro opinione venditatur. Nam in hoc caſu ſtatim viri docti omnes, Religioſi, & Sacerdotes, præſertim Parochi reclamant, & publica contradictione legitima dedocent populum errorem, vel ei probabilitatem oppoſitæ quoq; ſententiæ patefaciunt, atque ita efficiunt, ne qui eaſdem actiones exercent, peccatores publici in foro externo ampliùs cenſeantur, adeoque neq; ab Euchareſtia arceri poſſint. At Epiſcoporum vigilantiæ eſt, vbi tale quid accidit, curare, vt populus de veritate moneatur, laqueique conſciẽtiarum, reſtituta opinioni ſua probabilitate, & vulgatâ, ſi hac verè illa potitur, de medio tollantur.

XXVIII. *Etſi maior pars populi opinetur nudantem publicè pectus, vbi mos nõ*

Dices III. Quid ſi maior pars populi, vel ſaltem æqualis, a viris doctis, vel qualicunque auctoritate præditis, qui a Concionatorum certa, & exploratam ſententia, inuſitatam muliebris pectoris nuditatem mortiferam reputante, diſſentiunt, contraria opinione eximente a tam graui culpâ imbuta eſt? poteruntne a Communione repelli, quæ ſic nudare volunt pectus? Reſpondeo per inſtantiam; quid ſi aliqua vera meretrix, & verus vſurarius, vt tales peccatores a Concionatore iuſſu Epiſcopi publicati, deinde factione nonnullorum paulatim a maiore parte populi impetrent, vt tales, licèt verè ſint, nõ habeãtur? Poteruntne hi a Communione repelli? Certum eſt, ſi adhuc publici peccatores in foro externo cẽſeantur, poſſe, & debere: ſin autem minimè; idemque eſt de nudantibus pectus præter morem patriæ, vel loci in ſimili opinionum fluctuante æſtu: quanquam diſcrimen intercedit, quòd opinio populi Lydiam v. g. meretricem credentis, vel non credentis circa merum factum verſatur; Petrum verò vſurarium, vel Semproniam ream mortalis iudicãtis, aut abſoluentis circa ius tantummodo; quandoquidem, licèt nemo de facto dubitet, quin hæc nudum pectus contra morem patriæ, vel loci gerat, ille talem numero, vel ſpecie contractum ineat; nihilominùs maior pars, vel æqualis putat hunc non eſſe vſurarium, neque eiuſmodi nuditatem lethiferam, tametſi ex certa vniuerſorum Doctorum ſententia verè hæc mortifera ſit, & ille verè vſurarius. Quid ergo dicendum? eruntne iſti in foro externo adhuc peccatores?

Reſpondeo affirmatiuè, quia publicitati criminis ſufficienter inductæ opinio contraria maioris partis populi nihil obſtat. Nam ſi Titius in publico foro coram centum teſtibus in meridie occidit Paulum Clericum, dicitur, & verè eſt publicus, & notorius Clerici percuſſor, qui nulla tergiuerſatione celari poteſt; atque adeo excommunicatus, neceſſario ſtatim vitandus, vt commune [illegible] eſt; neque excuſatur, quin talis ſit, & omnino vitandus, quia forte per ſuos conſangui- XXIX.

Vt oſtẽditur, quia notorietas in foro externo per eã opinionem maioris partis populi oppoſitã nõ tollitur.

neos valde potentes decipit maiorem partem populi, cui falsò perſuadetur, vel Paulum non fuiſſe Clericum, quod ad factum attinet; vel opinionem, aiẽtem eximi ab excõmunicatione illico ſubeunda notoriũ Clerici percuſſorẽ, eſſe probabilem, ſententiamque oppoſitam minimè eſſe certam (quod tamen vtrumque falſum planè eſt) quod ad ius ſpectat; ac propterea neque huic, ſi alteri ita ſe ingerat, a Sacerdote, qui huiuſmodi circumſtantias omnes tenet, Euchariſtia vllo modo administranda eſt, vt conſtat, quia non obſtante tali multitudinis opinione erronea vel circa factum, vel circa ius, adhuc ipſe notorius Clerici percuſſor in foro externo eſt; ac proinde excommunicatus etiam, & neceſſariò vitandus, multoque magis ab altari repellendus. Atqui par quoque ratio eſt ratâ proportione de nuditate pectoris feminei inuſitatâ, mortalis culpæ per conſtantem, indubiamque Doctorum ſententiam damnatâ, & a Concionatoribus diuulgatâ, in qua de facto, quòd Sempronia ita denudet pectus publicè, nemo dubitat; de iure autẽ apud Doctores res certa eſt; & ſufficienter hæc publicata. Ergo adhuc ea publica peccatrix eſt, neque hanc notam ei detrahit opinio maioris partis populi ſecus exiſtimantis per errorem, ſeu dolosè ab alijs perſuaſum, ſeu innocenter aliunde hauſtum. Confirmatur, quia leges, & iura non permittunt aditum huiuſmodi erroribus, dolis, factionibus, cum grauiſſimis Reipub. incommodis, quę hinc omnino ad eludendas eaſdem leges orirentur, aperiri; qui vtique aditus aperiretur maximè, ſi talia effugia, & prætextus, velut legitimæ excuſationes admitterentur, vt perſpicuum eſt. Ergo ea mulier adhuc ab altari reijcienda eſt.

Dices IV. Quid ſi mulier pectus contra morem patriæ nudans, imò cõplures etiam pectus detegẽtes pariter contra regionis cõſuetudinem, tamen a doctis, & probis Confeſſarijs ad Sacramenta admittantur? Reſpondeo, etſi opinioni probabilitas ſufficiens interdum ex ſola Doctorum auctoritate conciliari poteſt, in foro tamen externo, de quo ſolo hîc loquor, quoties certitudo oppoſita legitimè publicata eſt, non eſſe huiuſmodi probabilitati locũ. Quum enim contractus ex Doctorum indubitata ſententia vſurarius a Concionatore legitimè publicatus eſt, talis vſurariæ culpæ ius in populo ſufficienter publicum eſt. Quanquam autem nonnulli talem vſuram indeſinenter exercentes, a ſuis Confeſſarijs vtcumq; doctis, & probis ſinuntur Sacramenta participare; non idcirco tamen in foro externo deſinunt eſſe publici vſurarij, ſicut reipſa etiam ſunt in interno ex certa Doctorum ſententia; idemque forum externum tales delinquentes publicos eſſe vſurarios, eâ Confeſſariorum indulgentiâ, atque approbatione fruſtra excuſante, declarabit, & iure puniet. Alioqui ſi talis Confeſſariorum approbatio ad ſufficientem publicitatem certi iuris vſurario contractui a cunctis Doctoribus reprobato detrahendam apud populum, licèt antea a Concionatore rectè, & exploratè vulgata ea fuerit; vel ſaltem ad talem publicitatem in dubium, etiam in foro externo reuocandam ſatis eſt; de publicitate Legum omnium tam diuinarum, quam humanarum eodem prætextu facillimè elidendâ, in foro externo magna ex parte actũ planè eſt. At hoc eſt abſurdum, vt patet. Ergo tale Confeſſariorum patrocinium, vel opinio diuerſa non liberat Semproniam, & alias ſimiles, quo minùs in foro externo publicæ

XXX. *Etſi autem a doctis et probis Confeſſarijs admittitur ad Sacramenta, tamen adhuc vt peccatrix publica repellẽda a Cõmunione.*

cæ peccatrices habeantur, atque adeo ab altari quoque ſint repellendæ.

XXXI. *Neque nuda facta Religioſorum, qui probi, & docti habentur, dant opinioni probabilitatem contra aduerſam rationem, vel textum, etſi ipſi abſoluant.* Sed addo inſuper; quamuis nuda facta Religioſorum virorum, qui probi, & docti habentur, ad probabilitatem opinioni eadem facta honeſtanti, vbi nulla ratio textuſue illi aduerſatur, conflandam ſatis ſint, etiam in foro interno, nedum in externo; nequaquam tamen, quoties aliqua ratio grauis, vel textus validus exaduerſum militat, ſufficere, vt longa diſputatione in mea *Opinionum Trutina, par. 1. cap. 10. §. 8.* planũ feci, ex qua pauca dumtaxat libans, in mentẽ Lectori reuoco, tria Africæ Cõcilia prouincialia errori tum etiã certo de rebaptizãdis baptizatis ab Hæreticis ſubſcripſiſſe, tãlemque errorem multis etiam Scripturæ teſtimonijs, & rationibus comprobare ſtuduiſſe, quibus Concilijs Patres admodum graues, virique doctiſſimi, & sãctiſſimi vno plures, martyrio quoque deinde inſigniti, interfuerũt, inter quos omnium princeps ſanctus etiam Cyprianus; atque ita viri quoq; probiſſimi, & ſapientiſſimi baptizatos ab Hæreticis rebaptizabant. Sed num propterea illi factis eiuſmodi frequentatis probabilem talem opinionẽ alijs viris doctis oppoſitæ veritatis tum etiam probè gnaris reddere poterant? Abſit. Antipapas pleroſque quot viri probi, & docti ſecuti ſunt? An cuncti probabiliter? Abſit. In Conciliabulis quoq; quàm multi docti, & probi viri, vt Theodoretus in Epheſino, numerati ſunt? Ergone ex factis eiuſmodi repetitis probabilitas illico emergit? Abſit.

XXXII. *Sicut nec in caſu p̄ſēti Cōfeſſarij admittētes ad* At in præſenti caſu I. nulla ratio probabilis ab vllo aſſignata eſt a mortali eximens inſolitam pectoris nuditatem, nec quiſquam hactenus tentauit probabilem ſolutionem oppoſitæ ſententiæ moraliter certæ. II. Nullus Auctor indubitatus a mortali crimine inſolitam pectoris nuditatem liberans *Sacramenta hic nudantes pectus.* huc vſq; productus eſt, III. Sententia communis, & vera lethiferæ culpæ illam damnans a Concionatoribus publicata ſæpius, atque inculcata, oppoſitaque improbabilitatis notata, & ipſimet Confeſſarij, qui abſoluunt, publicè reprehenſi. Ergo licèt nudãtes pectora contra morẽ regionis ab aliquib⁹ Cõfeſſarijs permittantur obire Sacramenta, non tamen ex huiuſmodi factis vlla probabilis opinio alijs doctis conſcijs veritatis contrariæ idem ijſdem permittendi ſuppeditatur.

XXXIII. *Vt extorquetur per inſtantiam.* Confirmo id I. Quia opinionem, quæ poſt Concilium Tridentinum negat iuſtam pœnitẽtiam ſub graui obligatione eſſe acceptandam alij eſſe cõtra fidem, alij erroneam, alij temerariam, alij improbabilem aiunt; Dianæ tamen decem Auctores profert, qui illam ſequuntur, & alios, qui probabilẽ cenſent; neque dubium, quin multi in praxi eam amplexantur. At, his minimè obſtantibus, etſi tales Auctores oppoſita fundamenta probabiliter ſoluere, & ſua fulcire nituntur; poſteriores Doctores tamen, & in his Cardinalis de Lugo *de pœnit. diſp. 25. ſect. 5. num. 68.* eiuſmodi ſententiam improbabilitatis notant. Ergo etſi inſolitè nudantes pectora a quibuſdam Religioſis donantur Sacramentis, multo tamen minus ex tali facto alij docti prohibẽtur, quin eam opinionem a mortali ipſas excuſantem eſſe improbabilem meritò pronuntient; quando quidem hîc nemo fundamenta oppoſita cõnatur diluere, neque vllus Doctor tali opinioni patrocinatur: in priori verò caſu & plures Doctores præſto ſunt, & rationes promuntur, & obiectorum ſolutio tentatur.

Confirmo II. quia qui ex iuſta cauſa non ſubtrahit proximo occaſionem XXXIV. *Et per aliã rationẽ*

nem propinquam delinquendi lethaliter, non peccat, vt *diſp. 1. cap. 5. §. 11. num. 177.* oſtendi. Etſi autem inſolita pectoris nudatio ex ſe ſit mortalis, poteſt tamen ob varias cauſſas, vt ſupra *cap. 8. diſp.* 1. generatim põderaui, excuſari. Ergo licèt inſolitè nudantes pectora abſoluantur ab alijs Confeſſarijs, iure præſumi poteſt, non ideo abſolui, quia opinio a mortali eas eximẽs probabilis ab illis reputetur, ſed quia, licèt improbabilis ab ijs iudicetur, ob alias tamen iuſtas cauſſas, quas illi bona fide putant extare, cum abſolutione dimittuntur. Ergo ex facto aliorum Confeſſariorum abſoluẽtium inſolitè detegentes pectus non gignitur opinio probabilis pro alijs Confeſſarijs ad abſoluendas ſimiles abſque alia legitima cauſſa.

XXXV. Ex quibus colligo I. Semproniam v. g. nudantem publicè pectus Mediolani contra morem Vrbis non eximi in foro externo a publica peccatrice, etiamſi ipſa, & nonnullæ aliæ ſimiles admittantur ad Sacramenta; dum Concionatores iuſſu Archiepiſcopi in talem corruptelam inuehuntur, oppoſitamque opinionem improbabilitatis a Doctoribus damnatam perſpicuè teſtantur ipſi, & eos, qui illas abſoluunt, palam improbant: atque adeo nihilo ſecius dicta Sempronia, & pariles ab altaris menſa arcendæ ſunt. Colligo II. ex facto aliorum Confeſſariorum abſoluentium &c. nullam probabilitatem alijs Confeſſarijs in foro interno ad tales abſoluendas conſtari, vt ex diſceptatis perſpectum eſt.

Nec per talium Confeſſariorũ indulgentiam deſinit Berta nudans pectus haberi publica peccatrix,

XXXVI. Dices V. in exemplis ſupra allatis de meretrice publica, & de publicè nudante pectus eſſe diſparitatem, quia culpa illius indubitata in iure, huius autem controuerſa. Reſpondeo in ordine ad publicitatem in foro externo, de qua ſola hîc loquor, ſatis eſſe moralem certitudinem. Porrò nudantes contra morem regionis pectus lethiferè peccare non eſt apud Doctores controuerſum, vt ſine vllo fundamẽto dicitur, ſed moraliter omnino certum.

Ad publicitatẽ in foro externo ſat eſt moralis certitudo.

Dices VI. quid ſi Epiſcopus, & XXXVII.
Pontifex notitiam corruptelæ detegentium pectora contra morem regionis habentes, oppoſitam ſententiã eas a mortali eximentem minimè dãnent, neque vllo decreto prohibeant? Tum certè populus non pro certo habebit mulierem nudantem pectus eſſe publicam peccatricem; imò mirabitur nouitatem tam obſtinatè ſociantis matronam ſcortis, eo quòd pectus dumtaxat nudauerit.

Reſpondeo I. quamuis Epiſcopus XXXVIII.
ad aliam definitionem, vel prohibitionem non procedat, dum tamen per Concionatores denuntiari ſinit populo culpam eſſe lethalem ex communi Doctorum ſententia, nudare præter regionis morem pectus, Semproniam publicè ita pectus detegentem contra conſuetudinem, non eximi, quin adhuc in foro externo publica peccatrix habeatur: ſicut etiam quando lex declarat contractum aliquem eſſe vſurarium, neque apud Doctores probabile eſt eum eſſe licitum, conſtatque, illum a nonnullis celebrari, non eximuntur ij a publicis peccatoribus, etiamſi quia ſuis Confeſſarijs abſoluantur, vel Epiſcopus nullam aliam ſpecialem de illis declarationem edat; vel aliqui oppoſitam opinionem probabilem aſſerũt. Imò dum Epiſcopus contra ſententiã pro improbabili vulgatam à Concionatoribus non curat edoceri populum ipſum eſſe probabilem, meritò præſumitur exiſtimare eandem eſſe improbabilem.

Sinente Epiſcopo publicari nuditatem feminei pectoris contra morẽ regionis, eſſe lethalem, licèt oppoſitam opinionẽ non vetet, adhuc ita nudans publica peccatrix eſt in foro externo,

Reſpondeo II. etiamſi Summus XXXIX.
Pontifex talem opinionem non damnet

Etſi Pontifex nõ

net

net improbabilitatis, neq; prohibeat, certum tamen omnino eſſe non idcirco eam eſſe probabilem, neque a doctis viris oppoſitæ veritatis gnaris prudenter præſumi poſſe ipſam eſſe probabilem. Nam licèt talis præſumptio, vbi nulla valida ratio, aut textus opinionem labefactat, locum ſanè habeat, longè ſecus tamen eſt, vbi opinionis probabilitas, vel præſūptio a ratione, vel textu repugnāte eliditur, vt in mea *Opinionum Trutina par.* 1. *cap.* 10. & 12. demonſtraui. Indubitatum quippe apud omnes Doctores eſt, complures opiniones, quamuis a Pontificibus nominatim minimè damnatas, ſed toleratas, omni nihilominùs probabilitate deſtitui: alioqui cunctæ, quæ nominatim damnatæ non ſunt, forent probabiles practicè, quod eſt falſum, abſurdumque. Ecce. Pius V. pleraſque Michaelis Baij opinionis declarauit eſſe improbabiles, temerarias, atque erroneas, tametſi illæ cum Cenſorum approbatione in Vrbe valde Catholica, & Vniuerſitate inclyta editæ in lucē fuerāt. Ergone omnes illæ opiniones ante declarationem doctis viris erant probabiles, tutoque in templis Chriſtiano populo inſtillari poterāt? ſcilicet. Macchiauelli liber ſceleſtam Politicen docens, Romæ primùm cum facultate Magiſtri Sacri Palatij & cæterorum Cenſorum de more typis impreſſus eſt, vt Henricus Vvagnerechius in præfatione ſuarum Vindiciarum obſeruat. Ergone peſtilens illius, atheaq; doctrina viris doctis ante, quàm fraudes illius, deceptioque cenſorum detegerentur, & liber prohiberetur, fuit probabilis? vana illatio. Dum nihil obſtat, liberque, & opiniones ab Inquiſitoribus, Epiſcopis, & Sede Apoſtolica permittuntur, ſanè legitima præſumptio, vt rectè notat Caſtro Palao, *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punc.* 1. *nu.* 4. de probabilitate opinionnm habetur; at vbi talis præſumptio a contrarijs obſtaculis ſufficienter euertitur, perit illico eiuſmodi probabilitas; vt palàm ex omni iure eſt, & pluribus ego in mea *Trutina cap.* 10. & 12. *cit.* oſtendo.

XL. Ex quibus liquet, quāquam opinio excuſans a mortali inſolitè nudantes pectus non damnetur, nec vetetur a Pontifice, neque ab Epiſcopo; dum tamen a Concionatoribus vt improbabilis denuntiata eſt, & reprehenſi Confeſſarij, qui illas abſoluunt, Epiſcopuſque ita denuntiantibus, & reprehendentibus non obſiſtit, ſed potiùs velificat, populus ſatis pro certo habet nudantes præter morem regionis pectus eſſe publicas in foro externo peccatrices: nec quiſquam prudens miratur matronas ſcortis ſociari, vbi in more eſt, a ſcortis dumtaxat nudari pectus, ſi quæ matronæ hunc ſcortorum habitum æmulari non erubeſcunt contra regionis conſuetudinem. Eo vel maximè, quòd *feminæ*, vt ſupra *diſp.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. ex Sopranis notaui, *quæ nunc ex aliqua peruerſa conſuetudine, nudis mamillis incedunt, intelligant meretricio ſe habitu incedere, non matronali.*

Nec tollitur, qua ita nudans publicè peccatrix habeatur.

XLI. Dices VII. Plus valet ad credendum nuditatem pectoris non eſſe mortalem, tolerantia Epiſcopi permittentis Euchariſtiam inſolitè contra regionis morem detegentibus pectus adminiſtrari, quàm clamor Concionatorum contra eaſdem: Hi enim ſequi poſſunt opinionem valde communem; ille verò, ſi toleraret Communionem publicis peccatoribus dari, peccaret grauiter; tolerat autem palàm, dum in Sacerdotes communicantes non animaduertit. At nefas eſt credere tot Epiſcopos eſſe in peccato mortali ob talem conniuentiam. Ergo

Nec peccat Epiſcopus, etſi non puniat Sacerdotes miniſtrantes Sacramēta ſic nudantib⁹, nec ideo ea deſinit eſſe publica peccatrix.

go &c. Reſpondeo, etiamſi Epiſcopus non animaduertat in abſoluentes, & communicantes Sacerdotes, ſed tantùm per Concionatores denuntiari ſinit, mortalem eſſe inuſitatã muliebris pectoris nuditatem; non idcirco detrahi infamiam lethalis delicti opinioni contrariæ excuſanti, neq; publicitatem peccatricum in foro externo ipſiſmet feminis nouè nudantibus, vt ſatis ex dictis liquet; neq; talis permiſſio illico Epiſcopum reum facit, quum varijs rationibus excuſari queat, & ad maiora mala cauenda, quæ in pœnis irrogandis ſubinde imminent, multa diſſimulanda meritò ſint. Hic tamen Mediolani vigilantia, & zelus Eminentiſſimi Cardinalis Montij Archiepiſcopi, præter Concionatores in deteſtationem talis corruptelæ a ſe incitatos, moneri etiam Confeſſarios omnes tam Regulares, quàm Eccleſiaſticos, curauit, vt tales delinquentes omni conatu a tam pernicioſo abuſu omnino deterreant.

XLII. *Inſolita pectoris feminei nuditas a publicitate culpa mortalis fruſtra eximitur, quia hæc ſubtilis ſit.* Dices VIII. Ideo vſurarius repellitur ab Euchariſtia, quia apud omnes conſtat, vſuram eſſe mortalem, & ille publicus eſt vſurarius. At nuditas pectoris feminei palàm exercetur in varijs prouincijs; vbi autem inuſitata eſt, ſubtile omnino, ignotumque vulgo eſt, eam eſſe illicitam, quia noua ſit: Licèt verò Concionatores diuulgarint eſſe lethalem, adhuc tamen nudantes admittuntur a nonnullis ad Sacramenta, ſciente Epiſcopo, & tolerante Papa. Ergo &c. Reſpondeo, quod ſpectat ad Epiſcopi, & Papæ tolerantiam, hanc nihil aſſertioni obeſſe, vt patet ex dictis. Cæterùm per Cõcionatores cõmuniſſimam, & moraliter certam ſententiam inculcantes effectum planè eſt, geſtantes nudum pectus contra morẽ regionis publicas in foro externo peccatrices cenſeri, quicquid ſit, an huiuſmodi delictum ſit ſubtile, an verò craſſum. Nam haud ſecus varij etiam contractus certiſſimè vſurarij ob pretium mutui præcisè deductum in pactum, diuerſis titulis lucri ceſſantis, damni emergentis, periculi ſortis &c. honeſtari queunt; atq; ita ſubtilitati pariter expoſiti ſunt, & tamen publicitatem infamiæ, qua in foro externo laborant, minimè impediunt, vt compertum eſt. Ergo neque talis nota infamiæ mortalis a Concionatoribus vulgata in pectus nudantes contra morem patriæ, vel regionis, eximitur a publicitate in foro externo, quia culpa ſubtilis ſit. Præſertim quia hæ multo difficiliùs a mortali culpa, quàm illi contractus, excuſari queunt.

Ratio porro a priori eſt, quia Eccleſia in publico peccatore arcendo ab Euchariſtia duo attendit, Chriſti Domini videlicet cultum, populique vtilitatem, vel ſaltem indemnitatem. Iam ſicut, quando aliquis Clericum publicè percutiens ſine vlla excommunicationis aduertentia, quanquam coram Deo excommunicatus non eſt, in foro tamen externo gerere ſe debet pro excõmunicato, vt notum eſt, quia ita cultus Chriſti ſponſi Eccleſiæ, & animarum indemnitas exigit: ſic etiã ex æquo ad cultum Chriſti, & populi indemnitatem pertinet, vt publica peccatrix in foro externo reijciatur à Communione, ſiue ipſius peccatum ſit indubitatum ex aliqua definitione Canonis, ſiue ex moraliter certa Doctorum ſententia, dummodo ſufficienter ſit publicatum. Imò verò reijcienda a Communione itidem eſt, quamuis ſupponamus ipſam, vel ignorantia, vel alia ratione excuſatam coram Deo nequaquam peccaſſe, ſed in foro tantùm externo publicam peccatricem reputari: quia nimirum in tali etiam caſu cultus Chriſti, & in- XLIII. *Nudans publicè pectus, vbi mos non eſt, arcenda ab altari, quia ita expedit cultui diuino, & bono publico.*

indemnitas animarum poſtulat, vt repellatur.

XLIV. *Vt docetur amplius. Nã quanititur opinione probabili nota, nõ irrogat Euchariſtia irreuerentiã, irrogat verò, q̃ in probabili publicè denuntiata ducitur.*

Confirmatur, quia etſi Euchariſtiæ Sacroſanctæ honori, ac venerationi nequaquam derogatur, neque populi indemnitati præiudicatur, quando apud Doctores probabilis vtrinque opinio extat, actionem aliquam quibuſdam mortalis culpæ damnantibus, quibuſdam autem ex oppoſito abſoluentibus; quia ſcilicet qui ex probabili opinione agentes ad diuinam Euchariſtiam accedunt, dignè accedere in foro externo, communique hominum æſtimatione iure cẽſentur. Quòd ſi fortè probabilitas a nonnullis Doctoribus opinioni quidem tribuitur, ſed a pleriſque alijs adimitur; quanquã nubes aliqua irreuerentiæ hinc excitari videatur; adhuc tamen, quum cõtrouerſia priuata ſit inter Doctores, facultas libera cuiuis relinquitur, vt alterutri parti, & probabilitati probabiliter ſaltem aſſertæ, quam malit, licitè adhærere queat, atque hac ratione honeſtè agere, atque irreuerentiam auferre exiſtimetur. Longè nihilominùs ſecus eſt, quando de opinionis improbabilitate inter Doctores Claſſicos publicis monumentis compertos nulla penitùs eſt diſſenſio, neque a viris doctis viuentibus vlla firma ratio, aut textus ad eius probabilitatẽ oſtendendam, fulciendamque depromitur, & ipſa improbabilitas eiuſdem opinionis a Concionatoribus ex publica Epiſcopi auctoritate, vel permiſſione publicè denuntiata eſt. Tum enim communis exiſtimatio inuadit populum; indignè illos accedere ad cæleſtis panis epulum, qui in ea actione mortalis culpæ a Concionatoribus damnata publicè, ſine vlla probabilitate oppoſita perſiſtunt, & tamen diuinæ Menſæ ſeſe ingerunt: ac proinde in Euchariſtiæ irreuerentiam, populique damnum, hoc eſt in ſcandalum graue redundat, illos cum tali indignitatis exiſtimatione communi ſumere diuinam Hoſtiam.

XLV. *Neq; excuſatur, quòd ſecus aliqui DD. opinentur.*

Neque ij ſufficienter excuſantur ex eo, quòd priuati aliqui Confeſſarij, vel Doctores aliter opinentur, aut ſecus in praxi faciant. Id quippe ſatis minimè eſt ad infamiam mortalis criminis ob pectus præter regionis conſuetudinem denudatum certò incurrendi, iam a Concionatoribus publicatum, in foro externo reuocandam, abolendamque, aut quoquo modo impediendam: quemadmodum etiam Titio notorio Clerici percuſſori, vel ob aliud delictum excommunicato, & nominatim denuntiato a Iudice, infamiam patrati flagitij, contractæque cenſuræ non abrogant plerique Doctores inficiantes illum eſſe verè excommunicatum, ob inaduertentiam nimirum, ignorantiamue, aut ob alium ſimilem prætextum. Quocirca quum Sempronia, & aliæ paris conditionis ob inſolitam pectoris nuditatem contra regionis morem, mortalis culpæ a Doctoribus ſine controuerſia damnatam, & a Concionatoribus publicè Epiſcopi permiſſu prædicatam, nec vnquam ob qualemcumque prętextum, vel factionem ſecus operantium, vel opinantium reſtitutam, adhuc in foro externo publicæ peccatrices meritò præſumantur; intereſt omnino reuerentiæ Chriſto debitæ, cõmuniſque vtilitatis, vel ſaltem indemnitatis, eaſdem a ſacri altaris Communione ſubmouere, ac propterea ſubmonendæ inde etiam reuera ſunt.

Quin publica peccatrix cenſeatur, & ab altari ſit repellẽda.

XLVI. *Nec tamẽ vlla rei deſinitio ex dictis Concio…*

Dices IX. hîc tantum tribui Concionatorum dictis, & pijs in pectoris inſolitam nuditatẽ declamationibus, vt inde definitio veluti fidei in hac controuerſia duci videatur. Reſpondeo nullam fidei definitionem a Con-

natorū ducitur. cionatorum auctoritate hîc peti, ſed munus dumtaxat doctrinæ certæ a Theologis iudicatæ diuulgandæ iiſdē impertiri. Quamobrem certitudo vel eſt à definitione fidei facta ab Eccleſia, vel a textu aliquo cogente, vel a conſenſu Doctorum ſine oppoſita probabilitate. Per accidens autem eſt, quòd ex imperitia Concionator pronuntiet eſſe certum, quod tale non eſt; vel etiam aſſeueret, ac venditet pro Catholica veritate exploratum errorem, quem populus ceu fidei articulum arripiet, vtſupra *num.26.* notaui. Vnde Concionator poteſt quidem vel ex malitia, vel ex ignorantia populum decipere, fidei autem definitionem ſtatuere minimè.

XLVII. *Nō porrigenda publicè Euchariſtia digno, niſi priùs populo detecto errore falſæ opinionis arrepta.* Dices X. Quid ſi maior pars populi aliquid per errorem putet mortale peccatum, ſine vlla tamen probabilitate apud Doctores? Quid faciet Sacerdos cum eo, qui tale quid perpetrauit, & cum tali putato crimine non expiato ad Euchariſtiam publicè accedit? Reſpondeo non eſſe hanc illi publicè adminiſtrandam, antequam publicè vulgatum errorem, quem ipſe probè nouit, populo detegat, idque neceſſariò ad vitandum ſcandalum, ne alioqui Sacramentum indigno porrigere exiſtimetur.

XLVIII. *Vt nudans pectus & aliꝰ q; peccatur publicè arceatur a Cōmunione, qua notitia requiratur.* Dices XI. Sacerdos non eſt competens Iudex, an mulier detegens cōtra loci cōſuetudinem pectus a Communione arcenda ſit. Reſpondeo, interrogando, quid requiratur, vt publici vſurarij, publicæ meretrices, & alij publici peccatores ab Euchariſtia arcendi ſint? Non certè neceſſariò Iudicis ſententia, quæ eos criminum cuiuſque modi damnarit, ac publicarit, vt tradunt omnes, quod ad publicitatem iuris pertinet: ſed ſatis eſt, ſi facto ipſo conſtet tales eſſe peccatores, & non correctos, quod ad facti publicitatē ſpectat, vt cuncti pariter decernunt. Vt verò Sacerdoti ſufficiētèr perſpectum ſit, Titium v.g. eſſe publicum vſurariū, vel Liuiā publicā meretricē, quid requiritur? Nempe vt id a fide dignis acceperit, vnde moraliter certum credat, eos verè tales eſſe. At Sacerdoti videnti mulierem nudo pectore, præter regionis conſuetudinem, Euchariſtiæ accedentem, multo certiùs conſtat, hanc eſſe publicam peccatricem, vt pote quam publicè ſic incedentem, itaque ſe altari ingerentem publicè delinquere ſuiſmet oculis cernit; quàm Titium eſſe vſurarium, vel Liuiam meretricem, & vtrumque peccatorem publicum, quorum neutrum peccare videt, ſed relatione tantùm fide dignorum nixus, publicam hanc meretricem, illum publicum vſurariū eſſe credit. Neque refert, quòd meretrix, & vſurarius plura multiplicarint peccata, tū quia Doctores ad peccatorem ab Euchariſtia reijciendum delictorū copiam non exigunt, ſed vnū ſaltem mortale, publicumq; in quo ille pertinaciter hæreat, ſatis eſſe arbitrantur, quod ſanè in femina nudum pectus contra regionis morem gerente publicè reperitur: tum quia vnum peccatum continuatum odij v.g. per tres horas, æquiualet, imò ſuperat alia peccata odij eiuſdem intenſionis intra tres horas interpolata. At mulier plures menſes nudum pectus contra loci conſuetudinem publicè ferens idem delictum mortale continuauit: quin id quoque ſomno ſaltem interruptum, ac deinde repetitum multiplicauit.

Neque obſtat prætextus ignorantiæ, aut bonæ fidei, quia Sacerdos, cognito a fide dignis Titium eſſe vſurarium publicum, & Liuiam meretricē publicam, huiuſmodi prætextum admittere XLIX. *Ignorātia, aut bona fides prætextus non præ-*

deſt publico peccatori, quo minùs ab altari repellatur.

mittere non poteſt, ſed vtrumque ab Euchariſtia arcere debet. Eadem verò ratio & in muliere quoque pectus contra loci morem publicè detegente militat, vt patet. Ergo ſi Liuia, & Titius Euchariſtiâ a Sacerdote iure prohibentur, tantùm quia is a fide dignis intellexit certò illos eſſe publicos peccatores, neque eos ignorantiæ, aut bonæ fidei nomine excuſat, multo minùs hoc ipſo nomine excuſare poteſt, ſed multo magis eâdem Euchariſtiâ prohibere debet Semproniã nudo pectore contra morem regionis accedentem publicè, quam publicè delinquere mortiferè, & ſacrilegè in ipſomet etiam ſacri altaris aditu ſuiſmet oculis cernit. Confirmatur, quia vbi Iudæi pileum rubrum ad diſtinctionẽ Chriſtianorum geſtant, & nemo alius, niſi Iudęus; ſi quis ad Menſam Euchariæ Iudæorum proprium eiuſmodi pileum manibus ferens ſeſe offerat, neq; ex colore, aut alia circumſtãtia Sacerdos certò colligere queat eum eſſe Chriſtianum, tenetur omnino illum a Communione repellere, quia ſatis argumenti habet, vt eum reputet eſſe Iudæum, etſi fortè Chriſtianus reuera eſt, qui Iudæo pileum abſtulit. At multo plus argumenti Sacerdos habet, vt perſuadeat ſibi Semproniam nudo pectore obtrudentem ſe Euchariſtiæ contra loci conſuetudinem, eſſe publicam peccatricem, quippe quam actu peccare lethaliter, & publicè ſuis oculis intuetur; quàm Titium eſſe Iudæum, quòd ipſe non videt, ſed tantùm ex ſigno certo colligit. Ergò vt iure ille repellitur, multò magis illa. Hîc enim non de grauitate peccati Iudaiſmi cum nuditate inuſitata muliebris pectoris comparatio fit, ſed de maiori tantùm peccati mortalis notitia, quæ reſpectu mulieris præſto eſt, vt liquet.

L.

Etſi publicè confeſſo vſurario, et meretrici Euchariſtia miniſtranda eſt, nõ tamen accedẽti cum inſolita pectoris nuditate, quãuis paulò ante confeſſa.

Dices XII. Si Vſurarius publicus publicè confiteatur, & meretrix publica publicè item pœnitentiæ Sacramẽtum obeat, deinde ad Menſam Euchariſtiæ accedant; non poſſunt iure a Sacerdote repelli, ſed Sacramento donandi ſunt, vt docet Ioannes Sanchez in Selectis *diſp.* 34 *cit.* Ergo ſi Sempronia contra morem regionis detegens pectus Euchariſtiam petat, etiãſi nudo pectore accedat, hac nullo modo fraudari a Sacerdote iuſtè poteſt, ſed præſumendum ab illo eſt, illam priùs eſſe rite confeſſam, nec vllum obicem Sacramento ab ea interponi. Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem, quia in primo caſu ſupponitur neceſſariò (alioqui ea doctrina Sanchez eſſet apertè falſa) nullũ ſignum probabile, ne dum certum, in publico Vſurario, publicaue meretrice Sacramentaliter Confeſſis publicè, delicti mortalis adhuc poſt Confeſſionem perſeuerantis publicè ampliùs extare, vt planum eſt: nam ſi adhuc extet poſt eam, vel ſacrilegam fuiſſe Confeſſionem, vel ad vomitum peccatores rediјſſe, morali certitudine manifeſtũ eſt. At in ſecundo caſu etiam poſt Confeſſionem videt Sacerdos Semproniam cum peccato mortali detecti, contra morem regionis, pectoris, publicè ſe ingerere Euchariſtiæ, vnde in foro externo præſumitur, & meritò colligitur, aut ſacrilegè eam eſſe Confeſſam, aut in mortale relapſam, quum ad tollendum ſcandalum obligata eſſet ante quàm ad Confeſſionem accederet, vel ſaltem ſtatim poſt, lineo pãno, aut alio tegumento illud velare: ac propterea Sacerdos hanc ab Euchariſtia, non obſtante tali Confeſſione, debet repellere; etiamſi quoque a Confeſſario putante non eſſe mortale (quanquam reipſa ſine fundamento, vt vidimus *diſp.* 2. at licitè ex bona fide)

fide) incedere nudo pectore contra morem regionis nullus ſcrupulus talis nuditatis ei eſſet iniectus, quia ipſa adhuc eſſet publica peccatrix ob rationes antea explicatas, cui proinde Communio a Sacerdote negari planè debet.

§. *III. aliæ aſſertionis oppugnationes reijciuntur.*

HActenus eas difficultates, quas contra explanatam meam ſententiam militare, egomet ferè vidi, ſatis, ni fallor, validè eliſi; nunc addo alias, quas vir doctiſsimus, meis hiſce Paradoxis priuatim lectis, atque expenſis non minùs candidè, quàm amanter oppoſuit.

LI. *Fruſtra negatur certum eſſe ius damnãs mortalis inſolitè pectus nudantes.*

I. Nudatio pectoris non eſt de ſe mala, nec vllo iure directè prohibita. Quare nec factum ipſum de ſe malum eſt, nec Concionatores poſſunt publicare ius aliquod eidem directè aduerſum. Totum igitur ius, contra quod indirectè dici poteſt peccare, quæ ſic nudat pectus, eſt caritatis. At non videtur indubitatum, nudationem pectoris inſolitam opponi indirectè caritati mortiferè, quum aliquis grauis Auctor contra ſentiat; qui vtcunque argumentis redarguatur, at nonniſi ab homine priuatæ auctoritatis. Nec item aliam habent auctoritatem Concionatores, quanuis ſcientibus, & conſentientibus, imò etiam iubentibus Epiſcopis, publicè factum damnent mortalis, tantùm enim ſuam, & Epiſcopi ſententiam dicunt. Neque eſt par ratio de denuntiatione Bullarum Pontificiarum per Concionatores, ac de denuntiatione nudationis pectoris mortiferæ, nam illud eſt verum ius, & ſine controuerſia, hoc autẽ nequaquam. Reſpondeo latum diſcrimen publicæ auctoritatis Pontificiæ a priuata cuiuſuis Doctoris mihi non latêre, neque auctoritatem Concionatorum priuatam auctoritati publicæ Bullarum Pontificiarum fuiſſe a me exæquatam, ſed tantùm quod ad publicationem attinet ab iiſdem Concionatoribus factam, talem publicationem, ſeu publicam notitiam tam de aliqua ſententia certa doctrinæ, quàm de Pontificia lege, miniſterio Concionatorum priuata auctoritate in vtraque notitia vulganda ex æquo fungentium, haberi. Deinde fateor in caſu præſenti inſolitæ nudationis pectoralis caritatis ius indirectè violatũ vrgere: quanquam non ſolum, ſed eius quoque virtutis, ad quàm violandam occaſio hîc malè præbetur, vt *diſp. 1. cap. 5. §. 9.* oſtendi. At enim ſicut Bullarum Pontificiarum ius certum, ac verum eſt, poſitiuum, atque humanum, ita quoque ius caritatis alteriuſque virtutis de ſcãdalo etiam indirecto vitãdo naturale, & diuinum, maius, quàm humanum, certum item, ac verum eſt, atque id a Concionatoribus æquè publicatur, ac illud, vt patet.

LII. *Applicatio legis generalis caſui particulari a priuato Doctore etiam facta, moraliter certa eſſe poteſt, ſufficienſque ad legis obligationem.*

Dices diſparem eſſe rationem, quia licèt ius generale caritatis de ſcandalo etiam indirecto vitando ſit verum, & certum, incertè tamen applicatur caſui particulari inſuetæ denudationis pectoralis. Reſpondeo, etſi a Doctore priuatæ auctoritatis applicatio caſui particulari legis generalis fiat, applicationem tamen eſſe moraliter certam, ac ſufficientem ad legis obligationem publicandam, vt ex alijs exemplis compertum etiam eſt. Nam in Bulla Cœnæ inter alios excommunicantur quoq; v. g. qui arma Saracenis, Turciſue deferunt, nihilque de ſagittis, vel ſclopis particulariter exprimitur. Similiter in lege celebrandi diei feſti opera ſeruilia generatim prohibentur; quæ ſint autem

ſeruilia

ſeruilia ſingillatim, minimè enumerantur. Ponamus iam huiuſmodi leges a nulla poteſtate publica fuiſſe caſibus particularibus applicatas, ſed tantùm a Doctoribus priuatæ auctoritatis; quibus probè inſtructus Concionator in ſuggeſtu prædicat cunctos, qui deferunt ſagittas, vel ſclopos Turcis, mortaliter peccare, & eſſe excommunicatos; qui verò die feſto ſine legitima cauſſa artem ſutoris, fullonis, ſartoris, & ſimiles per notabile ſpatium exercent, lethali culpa obſtringi: hîc applicatio vtriuſq; legis generalis prohibitoriæ, etſi non fiat immediatè, & explicitè ab vllo legislatore, vel publica poteſtate, ſed a priuato Doctore tantummodo, fit tamen certò moraliter, quia ex lege generali certò moraliter elicitur, quum ex hominum æſtimatione exploratum ſit, ſagittas, & ſclopos eſſe arma, quæ deferri Turcis vetantur; arteſque ſutoris, fullonis, & ſimiles eſſe opera ſeruilia, quæ in die feſto prohibentur. Neq; dubium inter Doctores eſſe puto, quin huiuſmodi certitudo moralis ab homine priuatę auctoritatis obſeruata, ad obligationem repellendi ab Euchariſtia publicũ talis notæ peccatorem inducendam, ſufficiat. Nam ſi Sacerdoti ſatis perſpectum ſit, Titium, poſt declarationem, & publicationem factam a Parocho, vel a Concionatore, quòd deferre ſagittas, vel ſclopos Turcis mortale eſt, & excommunicationi Bullæ Cœnæ obnoxium; artemque ſutoris, fullonis, & ſimiles die feſto ſine cauſſa iuſta, per notabile tempus, exercere lethali pariter ſcelere obſtrictum; alterutrum ex his peccatis publicè committere, & cum tali peccato non expiato, notaque impœnitentia altari ſeſe ingerere, extra controuerſiam eſt, hunc eſſe a ſacra Cõmunione ceu publicũ peccatorem reijciendum. Eâdem planè

Ad repellendũ quoque peccatorem a Communione.

ratione in caſu etiã præſenti, quia ex generali lege caritatis de ſcãdalo etiã indirecto cauendo deducitur certò moraliter tum per rationes validas, tum per communem Doctorum ſententiam ſine probabilitatis contrariæ veſtigio, denudationem pectoris feminei inuſitatam eſſe ſcandalum indirectum, & graue contra caritatem, eadem lex caritatis generalis caſui particulari ſatis certò moraliter applicatur; tametſi applicatio nonniſi a priuato Doctore, a Parocho, vel a Concionatore fiat; ac proinde talis applicatio, & certitudo ſufficit quoque Sacerdoti, vt mulierem cum ſimili denudatione pectoris a Concionatoribus publicè delicti lethalis notata accedentem Euchariſtiæ, repellere teneatur. Confirmatur, quia vt ex vulgata Doctorum ſententia *num. 6.* animaduerti, quæ peccati, & praui ſtatus Pœnitentis cognitio ad abſolutionem ei iuſtè negandam ſufficit, ſufficit quoq; ad Euchariſtiam eidem ſubtrahendã, præciſo ſcandalo, &c. At certum eſt, abſolutionem fulloni, ſutori, ſartoriq; obſtinatè volentibus tales artes die feſto ſine cauſa iuſta per tempus notabile exercere eſſe denegandam; ergo etiam Euchariſtiam, vbi par cognitio iuris, & facti, ſecluſo ſcandalo, & reliquis, habetur. Ergo idem quoque de repulſa nudantis pectus præter morem regionis a participatione diuinæ Hoſtiæ exiſtimandum, vt ſupra probatum eſt, quum hîc pariter cognitio tam iuris, quàm facti moraliter certa ad negandam abſolutionem ob talem nudationem extra controuerſiam ſit, ac propterea ad negandam quoque Euchariſtiam ex æquo ſufficiens.

LIII. Quis porrò Auctorum in pectoris inſolita nudatione a peccato mortali excuſanda a reliquis omnibus damnãtibus diſſentiat, neſcire me fateor, conatusque

Nemo negat eſſe mortalẽ inuſitatam

Feminei pectoris nuditatem certumque adhuc eſt, eſſe eam lethalem.

natuſque ſum *diſp. 2. cap. 2.* ex omnibus, quos recitaui, neminem id auſum eſſe, oſtendere. Etſi verò vnus etiam id auſus foret, vel alter, dum tamen nullam ſuæ opinionis rationem probabilem extulit, nullo modo poteſt ſuam opinionem, quæ communi aduerſatur, probabilem efficere, in hac re præſertim de facto experimentali, quæ ab humana æſtimatione pendet, vt in mea *opinionum moralium Trutina par. 1. cap. 8. & 10.* demonſtraui. Quocirca adhuc certitudo moralis ſententiæ communis, quæ talem corruptelam mortalem iudicat, incolumis permanet, ſatiſque eſt, ſi reliquæ conditiones adſint, ad huiuſmodi peccatrices publicas a ſacra Synaxi arcendas.

LIV. Euchariſtia neganda etiā eſt ob publica peccata, licèt etiā non intrinſecè mala.

Ex quibus etiam liquet Euchariſtiam negandam eſſe non ſolùm ob publica peccata, quæ intrinſecè mala ſunt, ſed ob alia etiam, quæ licèt intrinſecè mala non ſint, manifeſtum tamen eſt, ac publicum ex modo agendi hîc, & nunc nō fieri ſine peccato mortali, vt ſupra *num. 5.* ex Suarez præmonui. Nam exercere artem fullonis, ſartoris, & ſutoris etiam in die feſto, aut deferre arma Turcis non ſunt per ſe mala intrinſecè, alioquin nunquam honeſtari poſſent; honeſtari verò interdum, certum eſt, vt quum ex ſumma neceſſitate artes illæ die quoque feſto exercentur, & fidelis aliquis ex ſumma item neceſſitate Principi Turcarum arma defert, quibus eum cōtra Ethnicos tantùm, non verò contra Chriſtianos vſurum certò nouit, inſuperque magnum emolumentum ex tali delatione chriſtianis ipſis acceſſurū, puta, quia decem millia captiuorum Chriſtianorum liberos dimittet, cognouit. Nihilominùs quando hîc, & nunc iſta ſine peccato mortali non fieri publicum eſt, & manifeſtum, ſufficit vt tales peccatores ab Euchariſtia remoueantur; eademque ratio eſt, idemque & de inſolita nudatione feminei pectoris, quanquam intrinſecè mala non eſt, vbi concurrunt cæteræ circumſtantiæ ſupra enucleatæ, meritò pronuntiandum, ad Euchariſtiæ Sacramentum minimè eſſe admittendam.

LV. Publicè nudans pectus contra morem regionis præſumitur peccare, donec oppoſitum nō oſtēdit, adeoque ab altari reijcitur.

Præterea ab eodem Theologo oppoſitum mihi eſt, Ius caritatis ſuas habere exceptiones: ac proinde præſumi debere Semproniæ, quæ femina alioqui honeſta eſt, & ſacramenta frequentat, & niſi probetur mala, non debet talis exiſtimari, iuſtam omnino cauſſam nudandi pectoris ſuppetere. Reſpondeo, quoties aliqua actio habet apparentiam mali, adeoque ſcandaloſa euadit proximo, etſi mala intrinſecè non ſit; eum, qui iuſta cauſſa ad talem actionē exercendam vrgetur, obligatū eſſe ad talē cauſſā detegendā, vt ſcandalū puſillorū ex ignorantia ortū tollatur, quemadmodum communis doctrina Theologorum in materia de ſcandalo decernit, & ex *diſp. 1. cap. 5.* §. 1. & 2. notum eſt, alioqui in foro externo eadem actio præſumitur ſcandaloſa. Atqui denudare pectus femineum contra morem regionis tanquā actio mortaliter ſcandaloſa a cunctis Doctoribus cenſetur, ac probatur, nec non a Concionatoribus publicata eſt: Ergo in foro externo, de quo ſolo hîc, vbi de neganda Euchariſtia publico peccatori agitur, quæſtio eſt, donec a Sempronia cauſſa legitima nudandi contra morem regionis pectoris non explicatur, præſumitur talis nudatio ſcandaloſa; & ſicut præſumptio præſumptione poſteriore, & validiore eliditur, ita præſumptio prior, quòd Sempronia eſſet honeſta, & bona, ſufficienter eliditur poſteriore præſumptione ex nudatione ſcandaloſa, ac per hanc ſufficienter etiam probatur mala. Quæ doctrina ſicut plana eſt, ita niſi

pro

pro certa habeatur, neceſſariò fit, vt nullum vnquam ſcandalum ex mali apparentia, quando intrinſecè malum non eſt, in foro externo præſumi poſſit. Si enim in foro externo præſumptio iuſtæ cauſſæ latentis a mali apparentia non aboletur, neque ſcandalum in eodem foro vnquam reputari poteſt, vt patet. At hoc eſt falſum, vt conſtat. Ergo & antecedens. Ergo Sempronia adhuc oſtenſa mala ſufficienter ipſâ pectoris inſuetâ nudatione, meritò ab Euchariſtia arcetur. Confirmatur, quia eadem iuſtæ cauſſæ occultæ præſumptio ad fullones, ſartores, ſutores, & ſimiles feſto die laborantes, nec non ad Titium deferentem arma Turcis excuſandos aduocari poteſt; quum enim viri ſint aliàs honeſti, & Sacramenta obeant, mali haberi non debẽt, niſi probentur. At talis præſumptio, atque excuſatio ijs in foro externo; ſi manifeſtum publicumque ſit, eiúſmodi actiones ab ipſis fieri, nec de iuſta cauſa quicquam conſtet, nullo modo prodeſt, quo minùs ab Euchariſtia, in eiſdem publicè obſtinati, reijciantur, vt palàm eſt. Ergo idem quoque de Sempronia præſumente iuſtam nudandi pectoris cauſſam ſtatuendum &c.

LVI. *Publici peccatores, & peccatrices arcendi ab Euchariſtia ſunt omnes, mortalis culpa manifeſtò rei, etſi aliàs infames & minimè ſint.* Ad hæc idem Theologus. Publici peccatores, & peccatrices habentur vulgo infames. quæ autem ſic nudant pectus, habentur honeſtæ: neque quantum ad vulgarem infamiam eſt par ratio vſurarij, vel meretricis, ac Semproniæ nudantis pectus: nec nudatio pectoris habetur vulgo pro peccato mortali manifeſto, & indubitato. Reſpondeo nomen infamis eſſe æquiuocum. Sæpe enim, atque vt plurimum idem valet, ac ignominioſus, ſeu turpi nota fœdatus, quales referũtur *ff. de ijs, qui notan. infam. l. 11. §. ait Prætor:* nonnunquam verò idem ſignificat, ac qui infamia cuiuſcunque rei laborat, ſeu qui diffamatus eſt, vel infamatus, vnde infamis, quaſi qui in fama eſt, ſeu fama veluti iactatur. Iã peccatores publici, qui iuxta Canones, & Doctores ab Euchariſtia repelluntur, non ſunt neceſſariò infames priore modo, ſed tantùm poſteriore, quia ſcilicet criminis infamia, hoc eſt, vulgato rumore & notitia aſperſi ſunt, ſeu publica ſceleris cognitione tenentur. Nam quamuis in *cap. pro dilectione diſt. 2. de conſecratione*, ex S. Cypriano dicatur Communionem hiſtrioni, qui *tam turpi, & infami contagione fœdatur*, eſſe negandam, in reliquis tamen Canonibus, quos Doctores ad communẽ ſententiam de Euchariſtia publico peccatori neganda probandam afferunt, pauloque poſt §. 4. enumerabo, nulla prorſus infamiæ, aut infamis mẽtio apparet, neque etiam a Doctoribus ipſis additur, ſed ab vtriſque ſola criminis, vel peccati mortalis nota commemoratur, quæ cadit etiam in illos ſontes, qui ab hominibus infames minimè exiſtimantur.

LVII. *Vt planum fit.* Confirmo id ipſum I. quia infamia, hoc eſt, ignominia duplex eſt, alia iuris, alia facti. Etſi autem vtrâq; infamiâ tã Vſurarij, quàm meretrices publicę notati ſint, ſcortator tamen neque iuris ciuilis, neque facti infamiæ apud Mundi homines ſubiectus eſt. At in Canonico iure non tantùm qui ſcortator eſt, ſed quicunque alius etiam peccato mortali obſtrictus, infamis reputatur: ac propterea a ſacra etiam Euchariſtia arcetur tum ſcortator publicus, tum quiuis alius publicus peccator, etſi neque iuris Ciuilis, neque facti infamia in communi hominum exiſtimatione flagrat; vt perſpectum eſt. Quanquam autem de facto mulieres, quæ publicæ peccatrices habentur, regulariter infames ſint tum iure, tum facto, quia quæ tales ſunt de facto, li-

quet eſſe meretrices cōmuniter, quas infamia iuris, & facti laborare cōpertum eſt: id tamen non impedit, quin aliæ quoque peccatrices publicæ eſſe queant ea própter dumtaxat, quia publicâ peccati mortalis infamiâ iuxta ſacros Canones notatæ ſunt, etiamſi nulla alia iuris, vel facti infamiâ apud homines inquinentur, vt ſi odium hoſtis, vlciſcendique atrociter voluntatem pertinaciſſimam publicè profiteantur. His quippe publicè notis, publiciſque peccatricibus non confeſſis, neque expiatis Euchariſtiam eſſe negandam, etſi infamiæ iuris, & facti apud homines expertes ſint, ex certa Doctorum omnium conſenſione indubitatum eſt.

LVIII. Et præterea oſtenditur.

LVIII. Confirmo II. quia, vt *num.* 5. præmiſi, Doctores rationem, præter Canonum Sanctiones, aſſignantes, cur publico peccatori Euchariſtia neganda ſit, nullam prorſus infamiæ conditionem tangunt, ſed totam illam inde deriuant, *quia tales peccatores neque reipſa, neque externa ſpecie habent ius petendi Sacramentum, quandoquidem eorum ſtatus manifeſtus eſt, & alioquin ius diuinum petit, vt ipſis non detur.* Quæ ſanè ratio conuenit quibuſcunq; peccatoribus notis, qui etſi infames non habeantur, tamen ob peccatum mortale publicum carent iure Sacramenti petendi, & hoc poſtulat, ne ipſis detur. Nec *ſequitur infamia eorum*, aiunt Doctores, hoc eſt, euulgatio criminis ipſorum; *nam hæc potiùs ſupponitur, quū eorum peccatum ſit publicū.*

LIX. Nec a publici peccati reatu a Concionatorib' vulgato eximūt priuato-

LIX. Hinc infero, quāuis Sempronia pro infami, vulgò nō habeatur, quū tamen in mortifera denudatione pectoris publicè deprehendatur, adhuc ei Euchariſtiam ob rationes expoſitas eſſe negandā. Quod autē nudatio pectoris vulgò nō habeatur pro peccato mortali manifeſto, & indubitato, vbi nulla talis doctrinæ publicatio per Concionatores, & Parochos præceſſit, vt ſupra explicaui, verum eſt; ſecus verò, vbi ea præceſſit, vt in caſu præſenti ſuppono. Eâ autem præcedente, quòd aliqui adhuc aliter opinentur, nil refert, vt ſatis ſupra §. 2. expendi. Stultorum enim infinitus eſt numerus, Salomone teſte, *Eccl.* 1. & pleriq; opiniones fatuas de mundano honore, de diuitijs, de voluptatibus, ac de alijs rebus quanquā centies damnatas a Concionatoribus ſuiſmet auribus audierint, nihilominùs mordicus, ac pertinaciſſimè adhuc retinēt: quorum certè inconſulta obſtinatio tanti non eſt, vt manifeſtam & indubitatam peccati mortalis notam varijs facinoribus meritiſſimò a Concionatoribus inuſtam poſſint detrahere, aut ita perturbare, quominùs publica ſufficienter ea ſit, alioqui, vt ſupra vrgebā, de omnium legum obſeruatione, & obligatione actum penitùs eſſet.

num cōtrariæ opiniones, vel inſania.

LX. Publicè nudans præter morē regionis pectus, repellēda ab altari eſt ob manifeſtū crimen lethale, etſi aliàs nullam inſuper irreuerentiam Sacramēto inferret.

LX. Poſtremò, vt idē Theologus indicauit, obijci adhuc poteſt, accedere feminam ornatam valde, nudatoq; præter morem regionis pectore ad Euchariſtiā, in morali hominū æſtimatione nō videri notabilem irreuerentiam, quādoquidem pleræque cum tali nuditate ad Principum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium audientiam ſine graui horum irreuerentia accedūt, ac ſine querela admittuntur. Reſpondeo I. etiamſi darem ex inſueta muliebris pectoris denudatione grauem irreuerentiam Euchariſtiæ non irrogari, quum tamen adhuc exploratum ſit, huiuſmodi denudationem inſolitā eſſe lethalem, vt *diſp. 2. c. 2. & 4.* probaui, accedentem cum tali culpa mortali ad Sacramentum Euchariſtiæ, lethifero ſacrilegio inſuper obſtringi, vtcumque etiam ipſomet habitu, & nuditate pectoris nullam Sacramento irreue-

rentiam præciſè, & immediatè inferat, ſed tota irreuerētia ex peccato mortali eiuſdē nuditatis, quatenus hæc proximo ſcandaloſa eſt, & ruinæ ſpiritualis occaſionem præbet, oriatur. Quum verò tale peccatum mortale Semproniæ ſit publicum tum facto, tum iure, vt ſæpius ſuppoſui; adhuc iſta publica peccatrix eſt, ac proinde ab altari, & participatione diuinorum myſteriorum arcenda, vt ex dictis palàm conficitur. Sicut enim alij peccatores publici, quamuis habitu ipſo nullam Sacramento irreuerentiam faciant, repelluntur tamen preciſè, quia ipſo peccato mortali publico ſat irreuerenter ſe ei obtrudunt: ita quoque Sempronia ob eandem rationem, & irreuerentiam ex ſcandalo mortali proximi, manante e ſuo nudo pectore profectā, non autem ob irreuerentiam immediatam ex ipſa nuditate in Sacramentum redundentem, pariter repellenda eſt, vt liquet.

LXI. *Licèt autē ita nudo pectore inuiſens Mundi Principes, nullam ijs irreuerentiā exhibet, tamē magnam Euchariſtiæ, ſic ei ſe ingerens, irrogat.*

Reſpondeo II. Etiamſi concedatur, nihil irreuerentiæ a feminis cum pectore, præter regionis morem, detecto viſitantibus, vel adeuntibus Principes tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, ijſdem Principibus inferri; falſam tamen eſſe conſequentiam hinc colligentem, ſine irreuerentia quoq;, ſaltem notabili Diuinę Hoſtię, eaſdem mulieres cum eiuſmodi nuditate huic ſumendæ ſeſe ingerere. Nam in morali hominum eſtimatione illuſtris vir vlciſcendi hoſtis, atque iniuriæ cupiditate flagrans pertinaciſſimâ, etiamſi cum tali ſcelere publico accedat ad Principem, Eccleſiaſticum quoque, ipſum etiam Summum Pontificem, nullam huic irreuerentiam exhibere cenſetur; & tamen ſi cum eodem publico ſcelere ad ſacroſanctam Euchariſtiam participandam accedat; præciſâ etiā eâ irreuerentiā, quæ iure naturali, & diuino ex ipſo peccato mortali repugnante ſanctitati Sacramenti neceſſariò manat, in morali quoque prudentum Chriſti fidelium æſtimatione magnam adhuc irreuerentiam eidem Sacramento ob idem crimen irrogare creditur. Rurſum, coram Principibus multi habitus ridiculi a mimis, ab hiſtrionibus, a laruatis citra ipſorum irreuerentiam geſtantur; & tamen maxima ex ijſdem habitibus irreuerentia Euchariſtiæ fieret, ſi ad hanc ſumēdam cum illis accederetur, vt conſtat, pauloque poſt meliùs explanabitur. Præterea viri nobiles tectis pileo capitibus in Conuiuijs a Dynaſtis, & Principibus volentibus, ſine horum irreuerentia, aliquando adhibentur; & tamen tecto capite ingerere ſe accipiendæ Euchariſtiæ, in grauem huius irreuerentiam cedit. Ergo non ſecus, quamuis inſolita denudatio pectoris feminei irreuerentiam hominibus in morali hominum prudentum æſtimatione non irroget, irrogat tamen in eadem æſtimatione prudentum Euchariſtiæ, & quidem notabilem, dum talis habitus ſcandaloſus, fideles ad laſciuiam notabiliter alliciens, & propterea a Concionatoribus publicè dānatus culpæ mortalis, eidem ſacroſanctæ Hoſtiæ temerè, ac petulanter obtruditur.

LXII. *Vt amplius docetur.*

Dices diſparem eſſe rationem, quia Principes voluntariè concedunt tegi coram ſe caput, & a mimis, laruatis, ac hiſtrionibus pleraque ridiculè agi, quæ ſi contra ipſorum voluntatem fierent, meritò irreuerentię arguerentur. Quando autem cum talibus habitibus ridiculis Euchariſtia ſumeretur, id Deo improbante accideret, ac proinde irreuerentia ex illis Sacramento inferretur. Reſpondeo aſſignatam diſparitatem non ſufficere. Nam quamuis Princeps ius habeat, ne quid a ſub-

a ſubditis corã ſe inuito fiat, & ſi fiat, de irreuerentia, quatenus, quod fit, eius voluntati repugnat, conquerendi; non tamen poteſt reputare iure irreuerẽtiam ſui, quòd mimus, laruatus, & hiſtrio ſuæ arti congruentibus veſtibus, & verbis vtantur. Vnde ſicut vir nobilis contra voluntatem Principis irruens in eius cubiculum, vt ipſum alloquatur, irreuerentiam ſine dubio ei irrogaret; at vbi Princeps ſponte illum ad colloquium admiſit, non poteſt ampliùs ſui irreuerentiæ adſcribere, ſi idem vir nobilis admiſſus, veſtes, & verba ſuo ſtatui conuenientia adhibet: ita pariter mimus, hiſtrio, & laruatus ſi Principi renuenti ſe ingerunt, irreuerenter ipſum planè habent; ſi tamen vltro admittuntur, nequit ille de ſui irreuerentia ampliùs expoſtulare, quòd iſti ſuæ profeſſioni congruenter & loquantur, & veſtiti incedant. Ergo diſparitas adducta adhuc non tollit diſcrimen inter irreuerentiam Euchariſtiæ, ac Principum. Addo inſuper eſſe aliquem habitum omnino decentem, de quo Principes conqueri iure non poſſint, quod irreuerentiam præ ſe ferat. Nam ſi ſubditi eius ipſum alloquantur ſtantes, & non genua flectentes, nullam prorſus irreuerentiam ei exhibent, & tamen irreuerentiam exhibent Sacramento, ſi id non genuflexi citra iuſtam cauſſam accipiunt. Quid quòd Princeps alium Principem alloquitur tecto capite ſine irreuerentiæ veſtigio, vbi par vtriuſque dignitas intercedit, nec alter alterum iure prohibere poteſt, quin iure ſuo vtatur, & tegat: neuter tamen poteſt tecto capite citra neceſſitatem ad diuinam Hoſtiam ſumendam, ſine magna huius irreuerentia accedere?

LXIII. *Quænam verò ab alijs Confeſſarijs abſoluatur, nõ ideo tamen ab alijs quoque abſoluenda eſt, aut probabili opinione nititur.*

Dices præterea, ſi contingat, vt eæ mulieres, quæ contra loci conſuetudinem pectus nudant, a doctis, & probis Confeſſarijs abſoluantur, reddi ab his in praxi ius dubium, ac proinde non poſſe a ſacra Communione repelli. Imò cæteras quoque eodem modo nudantes eſſe a reliquis Confeſſarijs exemplo aliorum abſoluendas: atque adeo, quum cognitio ad abſolutionem ijs iuſtè negandam ſufficiens hîc deſit, non poſſe quoque iuxta dicta *num. 6.* & 45. ab Euchariſtia meritò arceri; eo præſertim, quòd certitudo iuris caritatis ſub mortali obligantis in hoc caſu particulari denudationis pectoris inſolitæ, viris doctis tantummodo conſtat, non autem populo, qui ea Confeſſariorum abſoluentium auctoritate ſe tuetur. Reſpondeo in primis, quod ad opinionem eximentem a culpa mortali feminas nudantes contra regionis conſuetudinem pectus attinet; hanc non eſſe probabilem, vt ſæpius dixi, & *diſp. 2. cap. 2.* & 4. probaui: nec eſſe abſoluendas, quæ ea corruptela abſtinere nolunt, vt ſupra *diſp. 3. cap. 1. nu. 3. & ſeqq* animaduerti: Confeſſarium autem, qui Pœnitentis opinionem aliquam tum rationibus validis, tum grauibus teſtimonijs improbabilitatis a cunctis Doctoribus damnatam, vel ſaltem a nullo ceu probabile in practicè admiſſam nouit, non poſſe ſe eiuſmodi opinioni conformare, vt in præſenti caſu accidit, in quo opinio excuſans a mortali inſuetam denudationem feminei pectoris, omni probabilitate caret: quando enim opinio Confeſſarij a Pœnitentis opinione diuerſa eſt, nunquam ille huic tenetur ſe conformare, niſi hæc probabilis apud multos, & doctos cenſeatur, vt ex communi ſatis ſententia docet Cardinalis de Lugo *de Pœnit. diſp. 22. ſect. 3. nu.* 43. & 46. inſolitam verò feminei pectoris nuditatem lethalis culpæ eſſe immunem, opinio eſt omnes apud Doctores probabilitate deſtituta. Ergo &c.

Deinde

LXIV.

Nec, ſacratū Cōfeſſariorū probabilitati opinionis ignēda in hoc caſu ſat eſt, neque eximit abſolutā a publica peccatrice in foro externo.

Deinde aio factum ſupra ſuppoſitū nonnullorum Confeſſariorum, qui inſolita pectoris nuditate obſtinatè vtētes abſoluunt, ad probabilitatem huiuſmodi opinioni contra opoſitam Doctorum omnium afferendam ſatis nō eſſe, vt in mea *Opinionū Trutino, pa.* 1. *c.* 10. §. 8. oſtendo, & ſupra *n.* 31. notaui; ac proinde non poſſe eaſdē feminas ab illis Cōfeſſarijs, quibus talis improbabilitas perſpecta eſt, licitè, aut validè abſolui. Quod autem ad populū ſpectat, ex ſuppoſitione ſententiæ decernentis inuſitatā pectoris muliebris denudationem eſſe lethalem, tanquam certæ omnino a Concionatoribus publicatæ; certitudo ipſa talis iuris caritatis aſtringentis ſub mortali in hoc caſu particulari talem denudationem inſolitam, non viris doctis ſolùm, ſed populo quoque in foro externo ſufficienter ita conſtat, vt de publicitate eiuſdem certitudinis nullum dubium ob auctoritatē, & factū oppoſitū illorū Confeſſariorum abſoluentium, in foro externo admittatur, vt compertum eſt: alioqui de publicitate, & obſeruatione omnium legum humanarum certitudo omnis eodem prætextu, & colore in dubium reuocaretur, ſimulque abrogaretur; ac proinde & qui cenſuram iuſtam Interdicti, & qui iniuſtam excommunicationem, & qui ſuſpenſionem iuſtam a diuinis ſine legitima cauſa violant, & qui hæc, & ſimilia publicè peragunt, obſtinatèque, & publicè in ijs perſeuerant; dummodo populus iſtos a nonnullis Confeſſarijs doctis, & probis ad Sacramenta fuiſſe admiſſos, vel admitti non ignoret, non eſſent ampliùs in foro externo publici peccatores, atque adeo neque Euchariſtiā priuari poſſent, quod falſum omnino eſt, vt patet. Cur autem, niſi quia factum contrarium doctorum, & proborum Confeſſariorum tales abſoluentium nulla ratione explicata munitum non ſufficit ad ſtatuendum opinionis exploratis & certis legibus oppoſitæ, nec non indubitato iuri contrariæ probabilitatem; ac propterea neque ad certitudinem iuris talium legum, quæ ſub mortali obligans ad ſui obſeruationem, publicata ſemel ſufficienter eſt, dubiam in foro externo reddendam, ſatis eſſe poteſt? Quare quum Semproria in memorato caſu publicè nudet pectus contra regionis conſuetudinem, de quo facto publicè conſtat, quumq; tale factum in talibus circumſtantijs non ſine peccato mortali fieri ex Doctorum omnium ſententia certum ſit, taliſque certitudo a Concionatoribus ſufficienter populo propoſita, & diuulgata ſupponatur, etiamſi a ſuo Confeſſario docto, & probo admittitur ad Sacramenta, id tamen factum non tollit, quin ea in foro externo publica adhuc peccatrix ſit, & ideo Euchariſtiā ſit etiam priuanda.

LXV.

Etiamſi bona fide excuſetur publicè nudās pectus a Confeſſario, nō ideo tamen admittenda est ad Euchariſtiam.

Dices denique, Semproniam, vbi inſolitam pectoris nuditatem a Concionatoribus peccati mortalis publicè notatam intellexit, conſuluiſſe viros doctos, & probos, ſuum Confeſſarium, & alios, nullumq; ab ijs ſcrupulum ſuper tali nuditate ei fuiſſe iniectum; ac proinde ipſam bona fide, integraque conſcientia nitentem, ab Euchariſtia nullo modo eſſe repellendam. Reſpondeo dubium non eſſe, quin ea femina, vt pote indocta, nec veritatis explorandæ per ſe potēs, tuta ſit in conſcientia, & foro interno, vbi bona fide conſilium proborum, & doctorum virorum amplectitur; ideoque ſi Euchariſtiam occultè petat, hanc ei eſſe porrigendam. At enim tota hæc doctrina hactenus enucleata de Euchariſtia publico peccatori neganda militat dumtaxat in foro externo, in quo ſi Sacerdos nouit aliquem eſſe verè peccatorem,

catorem publicum, ſeu, vt rectiùs loquar, publicum peccatorem certò haberi, etiamſi in foro interno Confeſſionis ſcit eum eſſe innocentem, non tamen poteſt illi Euchariſtiam adminiſtrare publicè, niſi priùs populum publicè errorem, ſufficienter hominis innocentia patefacta, dedoceat. Quare licèt Sempronia, conſultis viris doctis, & probis, in foro interno extra culpam ſit; tamen quum in externo foro inſolita nuditas pectoris a Concionatoribus indubitatæ culpæ mortalis rea publicata ſit, nec per priuatam illam Doctorum repugnantiam in dubium ſufficienter in eodem foro reuocata ſit, adhuc ipſa in tali foro externo publica peccatrix eſt, ac proinde & ab Euchariſtia omnino reijcienda.

LXVI. *Secus eſt, quãdo ius publicatũ a Cõcionatorib⁹ dubiũ redditur.* Verùm etſi hæc ita a me diſceptata, & conſtituta ſunt; addo tamen, quoties certum ius a Concionatoribus aliquando publicatum, poſtea ex qualicunque circumſtantia dubium meritò redditur, non poſſe tum Semproniam ab Euchariſtia arceri. Quum enim antecedenter ipſa certa poſſeſſione certi iuris petendæ Euchariſtiæ, donec hæc poſſeſſio, & ius certum per oppoſitum ius non eliditur, potiatur; conſtat eiuſmodi ius certum per contrarium dubium, nequaquam elidi, ac propterea non poſſe eandem Euchariſtia priuari.

LXVII. *Non redditur autẽ dubium in foro externo, ex oppoſita ſolum Confeſſariorũ praxi.* Dices, negari non poſſe, quin ius illud certum a Concionatoribs vulgatum, oppoſitã proborum Confeſſariorum praxi dubium ſaltem reddatur. Ergo doctrina hactenus tradita tota euertitur. Reſpondeo antecedens falſum omnino eſſe, tum quia eiuſmodi praxi, dum ceu improbabilis a Concionatoribus exagitatur, ius certum ab ijs denuntiatum, in foro externo dubium minimè redditur; alioqui nulla penè delicti certitudo moralis, nullaque iuris diuini, vel humani publicitas foret, quæ hoc eodem prætextu in dubium non reuocaretur, quod eſt abſurdum: forum quippe externum publicum Clerici percuſſorem, vtcunque ad Sacramenta a Confeſſarijs ob inaduertentiam excommunicationis admiſſum, vel a quibuſdam Doctoribus priuatis excommunicationem validã negantibus defenſum, nihiloſecius punit: ac proinde feminæ nudanti pectus certò infamatæ culpæ mortalis a Concionatoribus Euchariſtia iure deneganda eſt. Tum quia illa Confeſſariorum praxis ne opinioni quidem probabili pro foro interno gignendæ ſufficit, vt ſupra animaduerti; ac proinde multo minùs certitudinem oppoſiti iuris poteſt conuellere.

Hæc de primo quæſtionis puncto, quod ad culpam lethalem præuiam ſine ordine etiã ad Euchariſtiæ ſacrilegam ſumptionem attinet. Nunc de altero philoſophemur.

§. IV. *Diuinæ menſæ cum valde irreuerenti habitu obtrudentes ſe a ſacra Communione eſſe repellendos.*

AVſpicor ſecundum queſtionis caput, quod a nemine hactenus ex deſtinato explanatum, vel propoſitum, quanquã in quærendo multus fui, reperire potui, vt ſupra iã memoraui. Faxit Deus, vt bene vertat. Certè ego religionis, & reuerẽtiæ ſummę Chriſti Domini corpori debitę ſtudio ductus,

LXVIII. *Accedẽs cũ valde irreuerenti habitu ad Euchariſtiam, hac* Dico IV. Quicunque ad ſacram Euchariſtiam cum immodeſto habitu grauem ei irreuerentiam irrogante accedit, diuina Communione a Sacerdote eſſe priuandum. Non loquor hîc de nuditate pectoris, cum qua mulier ad ſumendum Chriſti corpus accedit;

eſt priuanda, vt conſtat ex Tridentino.

cedit; de hac enim agam aſſertione ſequenti §.5. ſed generatim tantum de habitu irreuerenti, quicunque is tandem ſit, hoc loco diſſero. Quare concluſio in hoc ſenſu.

Probatur I. ex Concilio Tridentino *ſeſ. 22. in decreto de euitandis in celebratione Miſſæ*, vbi mandat Epiſcopis, vt ad tãti Sacrificij *irreuerentiã vitandam, neminem, qui publicè & notoriè criminoſus ſit, aut Sancto altari miniſtrare, aut Sacris intereſſe permittant; neque patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi; ac niſi priùs qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declarauerint, ſe mente etiã, ac deuoto cordis affectu, non ſolùm corpore, adeſſe.*

Sanciẽte Miſſam celebrandam coram ijs, qui cõpoſito habitu corporis decẽter interſint.

Vnde liquet, Concilium non permittere, vt Miſsa celebretur in priuatis domorum Oratorijs, extra Eccleſiam autem in Oratorijs ad diuinam tantùm cultum dedicatis, niſi coram ijs, qui decenter compoſito corporis habitu ei interſint. Ergo multo minùs Concilium permittit, accedentibus cum habitu valde irreuerenti Euchariſtiam præberi. Conſequentia perſpicua eſt, quia longè minor conſecratæ Hoſtiæ irreuerentia eſt coram adſtantibus incompoſito habitu in Miſſa immolari, quàm iſtis cum valde irreuerenti ſe ingerentibus manducandam dari, vt euidens eſt. Ergo Concilium multo minùs permittit Euchariſtiam accedentibus cũ habitu valde irreuerenti porrigi.

LXIX.

Et ex Apoſtolo iubẽte velari caput

Probatur II. Paulus Apoſtolus I. *ad Corinth.* 11. iubet mulieres orantes velare caput ſuum. *Omnis autem mulier orans*, inquit, *aut prophetans nõ velato capite* (nempe in publico conuentu, vt in templo, quemadmodum Cornelius hoc loco exponit) *de turpat caput ſuum, vnum enim eſt, ac ſi decaluetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari: velet caput ſuum.*

mulierũ in tẽplis.

Quo loco mulieris nomine non ſolas vxores, ſed virgines quoque, & quaſcunque feminas ab Apoſtolo fuiſſe comprehenſas, fuſiſſimè, & efficaciſſimè probat Tertullianus *lib. de velandis Virginibus, cap. 4. & ſeqq.* tum cunctas omnino, non obſtante quauis conſuetudine, velandas eſſe, quia id præcipit hic Apoſtolus, ſtrenuè contendit toto eo libro: ſubditq; *cap. 8. Sic & ipſi Corinthij intellexerunt. Hodie denique virgines ſuas Corinthij velant. Quid docuerint Apoſtoli, qui didicerunt, approbant.*

Tũ etiã Virginũ.

Quin etiam *Iudæis feminis*, eodem Tertulliano teſte *lib. de Corona militis, cap. 4. tam ſolemne eſt velamen capitis, vt inde cognoſcãtur.* Cur verò Apoſtolus feminas velari iuſſerit, Clemens Alexãdrinus *lib. 2. Pædagog. cap. 10.* præclarè ſic expendit: *Caput tegere, & vultum adumbrare iuſſum eſt; neque enim honeſtum eſt corporis pulchritudinem eſſe hominum aucupium, neque par, vt purpureo vtens velo femina, velit aſpici.*

Ne alioqui aucupio virorũ ſint obnoxiæ.

Imò, quum S. Paulus in eadem *Epiſt. 1. ad Corin. cap. 10. cit. Verſ. 10.* ſubdat: *Debet mulier poteſtatem* (hoc eſt, velum, tanquam ſignũ quod viri poteſtati ſubiecta ſit, vt liquet ex Tertull. *lib. de corona militis, cap. 14.* ex S. Io. Chryſoſtomo *in hæc verba*, & ex Concilio Gangrenſi *cap. 17.*) *habere ſupra caput, propter Angelos*; S. Anſelmus, & S. Thomas *ibi*, nomine Angelorum Sacerdotes quoque, atque Epiſcopos, qui *Apoc.* 2. Angeli vocantur, intelligunt; voluntq; ab Apoſtolo velum mulierum capiti tegendo fuiſſe præſcriptum: idcirco

Et ad malum putent etiam Sacerdotes.

etiam

etiã, ne ex illarum aſpectu ad malum Sacerdotes quoque, atque Epiſcopi prouocarentur, vt bene notat doctiſſimus Io. Stephanus Menochius in ſuis eruditiſſimis Storeis, *cent. 3. cap. 42.* Verùm S. Linus Pontifex Maximus, S. Petri Apoſtoli proximus in Pontificatu ſucceſſor, decreuit omnino ex eiuſdem S. Petri præſcripto, nullam mulierem in templum, niſi velato capite, pedem inferre debere, vt ex libro Damaſi de Romanis Pontificibus, in quo ita memoriæ proditum eſt: *Item ex præcepto beati Petri conſtituit, vt mulier velato capite in Eccleſiam introiret*, memorat Baronius *tom. 1. Annal. Chriſti, anno* 80 *cap* 4. & liquet etiam ex Breuiario Romano, *die 23. Septembris lect.* 4 vbi habetur: *Sanciuit, ne qua mulier niſi velato capite in Eccleſiam introiret.*

LXX. *Tum ex Senatus conſulto Reipub. Venetæ.* Vnde prætermittere nullo modo poſſum, quin ſummopere hîc prædicem, maximiſque laudibus in Cœlum feram decretum a Sereniſſima, ac Sapientiſſima Repub. Veneta editum, quo Sanctorum Apoſtolorum, Sanctorumque Pontificum veſtigijs inſiſtens, luculento prorſus religionis exemplo, anno ſuperiore vetuit, ne qua honeſta mulier non velato capite têplum, ingrediatur, vt compertum eſt ex eodem decreto, quod typis publicè impreſſum vulgo cirfertur hiſce totidem verbis.

» Parte preſa nell'eccelſo Cõſeglio
» di Dieci, Adi 14. Gennaro 1648.
» in materia della riuerenza
» douuta alle Chieſe.

» MEntre da queſto Conſeglio s'vſano tutti li mezzi valeuoli a leuar gl'abuſi dalla Città con quiete, e beneficio de' ſudditi, ſi deue applicar' anco l'animo maggiormente a vietare quei ſcandali, tanto più deteſtabili, quanto che ſi cõmettono nelle Chieſe, oue anzi con tutta veneratione, & humiltà attendere ſi douerebbe a placar l'ira del Signor Dio nelli preſenti tempi, ne i quali grauiſſimi ſi ſentono i colpi del ſuo giuſtiſſimo ſdegno, mentre le Donne in habiti profani, & improprij, ſcoperte ſenza velo in teſta, e baldanzoſe ardiſcono con notabile irreuerenza maggiormente eccitar l'ira di Sua Diuina Maeſtà tanto geloſa del riſpetto douuto a proprij Santiſſimi Tempij, ilche eſſendo contrario alla pietà della Republica noſtra, li cui fondamenti hanno per baſe la religione, e la Fede; Sia però preſo, che inherendo ad altre conſimili deliberationi fatte da queſto Conſeglio, non ſia in auuenire permeſſo ad altre Donne, che alle publiche Meretrici, l'entrar nelle Chieſe di queſta Città, & Iſole, ſcoperte con trauerſa inanzi, & ſenza velo in teſta, come habito ad eſſe ſole meretrici conueniente, & in tutto cõtrario, a chi profeſſa honore, & honeſtà; & la permiſſione ſodetta non s'intendi, che deroghi in alcuna parte a gl'ordini de gl'Eſſecutori contro la Biaſtema, e de' Proueditori, e ſopra Proueditori alle Pompe publicati cõtro le medeſime Meretrici; anzi li ſopradetti Magiſtrati ſiano dalli Capi di queſto Conſeglio ſtrettamente incaricati ad eſſequir ſeueramente tutte le pene eſpreſſe in queſto propoſito. Et perche appreſſo la nota, che doueran riceuere nell'honore tutte le donne maritate, & honeſte, che ardiſſero cõtro la preſente deliberatione con sfacciata maniera nell'habito predetto eſpreſſamente prohibito comparire ne i Tempij Sacri, riſſentino anco i mariti loro le proprie pene della Giuſtitia, ſia in oltre preſo; che li mariti delle donne ſodette, accuſate, & con-

giunte

» uinte che eſſe ſiano dalla proua de' » teſtimonij, ſe ſaranno Nobili noſtri, » s'intendino immediate incorſi in pe- » na di Ducati cinquecento, da darſi all' » accuſatore, che douerà tenerſi ſecre- » to, & di più d'eſſer priui del Maggior » Conſiglio per anni cinque continui. » &c. e ſe ſaranno Cittadini, o d'altra » qualità, di riceuere da queſto ſteſſo » Conſeglio, oltre la pena predetta de' » Ducati 500. in tutto, come di ſopra, » quel caſtigo di più, che ſarà giudicato » proprio cōtro chi hauerà arditamen- » te tranſgredito gl'ordini riſolutiſſimi » del Prencipe, & poco curato il pro- » prio honore tanto geloſo.

Quæ Italica verba ego Latinè qua maiore poſſum fide ſic reddo:

LXXI. *Deliberatio in excelſo Conſilio decemuirali 14. Ianuarij 1648. habita. Quod ad reuerentiam Templis debitam attinet.*

DVM ab hoc Conſilio remedia omnia ad corruptelas ex Vrbe tollendas accommodata pro quiete, & bono Subditorum adhibentur, incumbendum animo magis eſt ad ea vetanda ſcandala, eo deteſtabiliora, quò in Templis perpetrantur, vbi potiùs iræ Dei placandæ omni veneratione, atque hun illitate ſtudendum foret hiſce temporibus, quibus grauiſſimi ictus iuſtiſſimæ indignationis ipſius excipiuntur, dum mulieres profanos, minimeq; conſentaneos indutæ habitus, detectæ ſine velo in capite, atque exultabundæ audent iram Diuinæ Maieſtatis venerationem proprijs ſanctiſſimis Templis debitam cordi tantopere habentis ingenti irreuerentia magis proritare: quod quum pietati noſtræ Reipub., cuius fundamenta baſi religionis, ac Fidei nituntur, repugnet, decernitur idcirco, ſecundùm deliberationes alias conſimiles ab hoc Conſilio habitas, ne deinceps alijs fœminis, quàm publicis Meretricibus permiſſum ſit ingredi Templa huius Vrbis, ac Inſularum, detectas cum anteriore ventrali, et ſine velo in capite, ſeu cultu ipſis ſolis Meretricibus congruente, omninoque aduerſante honorem, & honeſtatemque profitentibus; prædicta autem permiſſio non intelligatur quicquam derogare mandatis Executorum contra blaſphemiam, ac Prouiſorum, ac ſupra Prouiſores luxus veſtium publicatis contra eaſdem Meretrices; imò ſupradicti Magiſtratus a Capitibus huius Conſilij planè adacti ſint, ad omnes pœnas hac in re præſcriptas ſeuerè exequendas. Et quia præter maculam honori inurendã, qua omnes mulieres maritatæ, atque honeſtæ notandæ erunt, ſi quando contra præſentem deliberationem cum prædicto impudẽti habitu palàm vetito auderent in ſacris Templis apparere, mariti etiã ipſarum luant proprias pœnas ex iuſtitiâ; decernitur præterea, vt mariti prædictarum mulierum, ſimul atque accuſatæ, & conuictæ fuerint per teſtium fidem, ſi ex noſtris Nobilibus fuerint, intelligantur extemplo incurriſſe in pœnã quingentorum Ducatorum, accuſatori numerandorum, qui clam habendus erit, atq; inſuper priuationis Conſilij maioris in quinquennium continuũ &c. Sin autem ciues, vel alterius conditionis fuerint, ſufferendæ, præter commemoratam quingentorum Ducatorum pœnam, omnino, vt ſupra, multæ cum eo auctario, quod ei, qui audaciter præciſa imperia Principis violauerit, propriumque honorem, tantæ aliàs curæ parum curauerit, conuenire iudicabitur.

Hactenus prudentiſſimus ille Venetæ Reipub. Senatus inſigni Chriſtianæ religionis ſtudio, ac documento, cuius iuſſa in vſum planè reuocata, atque ad vnguem omnino obſeruari, ex oculatis exploratæ fidei teſtibus lætabundus intellexi. Neque ego dubito, quin ſicut pijſſima hæc, religioſiſſimaque cuta ſcandalorum, atq; offen- LXXII. *Quod à Deo fortunatũ eſt.*

diculorum abolendorum Diuinæ Maieſtati gratiſsima accidit; ita Deus Optimus Maximus eam in hoc etiam Mundo tam portentoſis glorioſisq; victorijs de Turcarum Imperatore, potentiſſimo, atq; efferatiſsimo hoſte cælitus conceſsis remunerari voluerit, quò diſcant hinc terreni omnes Reges, ac Principes potiſsimũ aduersùs hoſtes armamentarium, præſidium, ac robur eſſe æterni cũltũ Numinis, Chriſtianæ religionis procurationem ſartã tectam, vitiorumque omnium, præſertim grauiorum ſeueram, inexorabilemque cenſuram. Quibus ſanè victorijs ſicut Chriſtianus Orbis vbique perſonat, ita quicunque Chriſtum ſine fuco colunt, ex animo ac medullitus ſummopere gratulantur.

LXXIII. *Quàm fœdum ſit, feminam non velato capite incedere.*

At Tertullianus ob recenſita antea Apoſtolorum, Linique præcepta in libro iam laudato *de velandis Virginibus*, non immeritò excandeſcit in illas quæ tenui vtuntur velo, quod id maius libidinis irritamentum ſit, quàm pudoris tegumentum, Gentilium feminarum vſu potiùs, quàm Chriſto credentium comparatum: neque dubitat *cap.* 3. ſententiam generalem his verbis ferre: *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſsio eſt*: nimirum quia *quæ aperto vultu oculis ſuis libere vagatur, vt videat, & videatur, facilè in ſpiritu violatur*, vt rectè Cornelius a Lapide 1. *Corin. XI. Verſ.* 10. *num:* 102. hoc Tertulliani dictum interpretatur. Imò idem Tertullianus *loc. cit. cap.* 3. disertè ita pronuntiat: *Tales enim oculi volent virginem viſam, quales habet virgo; quæ videri volet: Inuicem ſe eadem oculorum genera deſiderant. Eiuſdem libidinis eſt videri, & videre.* Vnde *cap.* 4. mox colligit: *Denudaſti puellam a capite, & tota iam virgo ſibi non eſt: alia eſt facta, & cap.* 17. exclamat: *Iudicabunt nos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo librato contentæ ſint, dimidia frui luce potiùs, quàm totam faciem proſtituere.* Nec minùs egregiè *cap.* 15. *Pura virginitas ſemper timida, oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, contra ictus tentationum, contra iacula ſcandalorũ, contra ſuſpiciones & ſuſurros*: Tum ſub finem luculenter hoc modo perorat: *Oro te, ſiue mater ſiue ſoror, ſiue filia, ſiue virgo, ſecundùm annorum nomina dixerim, vela caput: ſi mater, propter filios; ſi ſoror, propter fratres; ſi filia, propter patres: Omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

LXXIV. *Vt patet etiã ex Ethnicis.*

Adde quòd C. Sulpitius Gallus, quamuis homo Ethnicus eſſet, tamen vxorem, vt ſcribit Valerius Maximus *lib.* 6. *cap.* 3. *dimiſit, quòd eam capite aperto foris verſatam cognouerat*: Poppæa etiam Sabina, vt teſtatur Tacitus *lib.* 14. fuit mulier *Rari in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat.* Plutarchus quoque in Laconicis Apophthegmatis refert Spartanas vxores capite operto ideo inceſſiſſe, quòd mortalium nemini, præter maritum, placere deberent.

LXXV. *Abuſum eſſe, Virgines nõ velato capite prodire.*

Quæ & alia quum Cornelius a Lapide vir Religioſiſſimus, & ſapientiſſimus, olim meus in diuinis Scripturis magiſter in Romano Collegio, ſecum reputaſſet, illo *num.* 102. *cit.* liberè monet, *meritò abuſum cenſeri, et corrigi debere quòd nõnullis in locis virgines nudo planè capite incedunt, ſcilicet vt formam oſtentent, & ſponſum captent, quum reuera tum alios, tum ſeipſas caſtitatis periculis exponant, & lenonum fraudibus ſeſe in dies obijciant;*

Vnde

vnde tot pudicitiæ naufragia videmus, & audimus. Veletur igitur virgo, vt tecta in publicũ prodeat, ne vel ipſa videat, quæ non decent, vel in aliorum aſpectum vultus eius incurrat. Innumerabiles enim per aſpectum vel ipſa perierũt, vt ſumma cautio oculis meritò ſit adhibenda. Hæc Cornelius, ingenij cęteroqui minimè auſteri, aut rigidi, ſed omnino mitiſſimi, & placidiſſimi.

L XXVI. *Multo minùs Eucharistia p̃benda accedẽtibus cũ valde irreuerẽti habitu.* Sed quorſum hæc tã copioſa de velando mulierum capite diſſertatio? nempe vt vincam manifeſtò, multo minùs ſacram Euchariſtiam ingerentibus ſeſe cum valde irreuerenti habitu eſſe præbendam. An S. Petrus, an S. Paulus, an S. Linus, an veteres Patres, an diuinarum Scripturarũ Interpretes, qui feminam velato capite in templũ ingredi, quin extra templum quoque vbique incedere, Patres, & Doctores debere planè decernunt, irreuerenti valde habitu in ſacras ædes irrumpentem patientur? abſit tanta peruerſitas. num cæleſti Euchariſtiã impartiendam exiſtimabunt? abſit multo maior inordinatio. Quis hanc luce meridiana clariorem non cernit? Atqui lex, quæ ſine extenſione abſurda euadit, extendenda neceſſariò eſt, vltra quoque naturalem, & ciuilem verborũ proprietatem, ad illum caſum, ad quẽ, vt ceſſet abſurdum, extendi opus eſt, vt ſupra §. 1. *nu.* 21. ex omnium Doctorum placito, animaduerti. Eſſet verò lex ab Apoſtolis Petro, & Paulo, Linoque Pontifice Maximo lata, ſi vetaret feminas ſine capite velato templum intrare, & cum irreuerenti valde habitu eas accedere ad diuinam Euchariſtiam ſumendam, & quidem in templo, permitteret, perabſurda, vt euidens eſt. Ergo ea neceſſariò extendenda eſt ad talem acceſſionem cum irreuerenti valde habitu ad idem Sacramentum, omnino vetandam. Ergo Apoſtoli Petrus, & Paulus, Petrique ſucceſſor Linus nunquam tolerafſent ſacram Euchariſtiam obtrudentibus ſe cum valde immoderato, & irreuerenti habitu adminiſtrari. Quicquid deinde ſit, an tempore Apoſtolorum mulier non velato capite in templum pergens, grauiter, an leuiter peccaret: ſiquidem Euchariſtia ex iure poſitiuo, ſi certus habitus honeſtus præſcribatur, iſto carentibus denegari poteſt, etſi aliàs præceptum talis habitus ad mortale omittentes minimè obliget. Hodie tamen certum eſt, grauem obligationem velandi capitis muliebris non agnoſci. Neq; hîc adhuc de nudãte pect⁹ loquor, ſed generatim tantùm de habitu valde irreuerenti.

Probatur III. Parochus non poteſt ad infirmum Euchariſtiam deferre, quoties eam cum habitu decenti, nimirum cum ſtola, & ſuperpellicio, lumineque præcedente, geſtare nequit, vt in *cap, ſanè, de celebrat. Miſſarum* ſtatuitur, & ex Silueſtro, *Verbo, Sacramentum, num.* 3. & Poſſeuino *de Officio Curati, cap.* 5. *num.* 29. notat Bonacina *de Sacramentis, diſp.* 4. *q.* 5. *pun.* 2. *num.* 8. At ſubinde poteſt contingere, vt ægroti, factã in ipſo morbo poſtremo Confeſſione informi, aut inualidã, adeoque in iiſdem culpis lethalibus hærentes; nec de noua Confeſſione rite peragenda cogitãtes, peractam iam ſufficere arbitrati; nec de actu contritionis eliciendo ſolliciti, rati ſe eſſe in gratia; ob ſtolæ, vel ſuperpellicei defectum ſacroſancto Viatico orbentur, itaque ſine extrema quoque Vnctione ob emergens impedimentum non adibitã, moriantur, ac damnentur: qui tamen ſi diuinũ Viaticum percepiſſent, ad attritionem criminum fuiſſent excitati fortaſſe, & cum Euchariſtia primam etiam gratiam iuxta probabilem ſententiam XXVII. *Vt reuereatur et ex Eccleſia p̃ſcripto.*

recuperâſſent, damnationemque eternam euaſiſſent. Nihilominùs Eccleſia, etſi mater pijſſima, ad nullum ægrotū ſine præſcripto habitu decenti Sacerdotis, ſtola, ſuperpelliceo, & præuio lumine Sacramentum cæleſtis Viatici deferri permittit, mauultque eundem ęgrotum tanto adiumento priuari, dānationiſque perpetuæ aliquanto diſcrimini, ob delicta non rite expiata, interdum exponi, quàm quicquam de præcepta reuerentiæ forma in eadem ſtola, ſuperpelliceo, & lumine ferendo remittere: etiamſi nulla ægroti culpa, ob quam Viatico extremo orbandus ſit, interueniat. Ergo multo minùs Eccleſia patitur, vt Euchariſtia porrigatur obtrudenti ſe cum habitu valde irreuerenti; non infirmo, ſed ſano; nō morituro alioqui cùm damnationis periculo, ſed extra tale periculum poſito; non ſine propria voluntate, & culpa, ſed ſponte, voluntariè, & culpabiliter, vt a fortiori perſpicuè conficitur.

L XXVIII. *Tum ex iure naturali.* Probatur IV. Ius naturale, & diuinum poſtulat, vt Euchariſtia cum debita reuerentia, ac proinde etiam cum reuerenti habitu ſuſcipiatur, vt per ſe manifeſtum eſt. Ergo etiam poſtulat, ne ingerentibus ſe cum valde irreuerenti habitu concedatur, vt ex æquo dilucidum eſt.

L XXIX. *Tū etiā ex remotione omnis Legis vetantis.* Probatur V. Nuſpiam extat vllus Concilij, vel Canonis, vel Decreti, vel cuiuſcunq; Legis textus, vnde generalis prohibitio fixa conſtet, ne Euchariſtia cuiquam, niſi ob notorium, & pertinax delictum, aliàs extra templi fores compertum, denegetur. Neque Doctores generalem huiuſmodi prohibitionem tradunt, ſed aiunt tantummodo, publico peccatori Euchariſtiā eſſe ſubtrahendam: cæteris verò omnibus vtcunque irreuerenter accedentibus eſſe indulgendam, neque dicunt, neque ſomniant. Neque Canones illi, ex quibus ijdem Doctores eruunt, publico peccatori eſſe negandam; nempè, *c. pro dilectione, diſt. 2. de conſecrat. cap. placuit 6. q. 2. cap. ſi tantum, ibid. cap. Placuit, 23. q. 5. cap. multi, 2. q. 1. cap. Tua nos, & cap. quæſitum, de cohabitat. Clericor. & mulierum*; quicquam habent, aut indicāt, cur eadem Euchariſtia omnibus, præter notorios peccatores non emendatos, vtcunque etiam irreuerenter ſe inferentibus ſit exhibenda. Caput verò *multi* citatum, vbi D. Auguſtinus ait: *Nos verò quenquam prohibere a communione non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum &c.* non loquitur de Communione Euchariſtiæ, de qua ne verbum quidem facit, ſed de communione ciuili, ſeu conuerſatione, docetque neminem eſſe vitandum, niſi conuictum de crimine, vel confeſſum, cū alijs circumſtantijs requiſitis, vt Auctores, præſertim Gloſſa, animaduertunt. Quum igitur neque textus vllus, neque Doctores adminiculentur, fruſtra temereque aſſeritur, Euchariſtiā ſolis publicis peccatoribus eſſe negandam, cæteris verò cunctis, vtcūq; etiā cum irreuerenti habitu accedentibus, eſſe concedendam. Ergo quum ius naturale, & diuinum exigat, vt Euchariſtia cum debita reuerentia, etiam externi habitus, ſuſcipiatur; neque Canones, aut Doctores affirment (quod ne affirmare quidem rectè poſſunt) irruentes cum valde irreuerenti habitu ad ſacram Communionem eſſe admittendos, ſolidè prudenterque tū ob hoc, tum ob reliqua documenta aſſeueratur, huiuſmodi irreuerentes perſonas a diuina Menſa eſſe ſubmouendas.

Eucharistia enim negāda est nō solis publicis peccatoribus, sed alijs quoque.

Probatur VI. Ratio fundamentalis, cur Doctores occultum peccatorem publicè Sacramentum petentē, quum etiam illius crimen extra Confeſſionē LXXX. *Citra vllā iniuriam eorum.*

Sacra-

Sacramentalem Sacerdoti, paucisſimiſque alijs innotuit, repellendum negent, ea ſcilicet eſt, ne alioqui eiuſmodi delictum adhuc intra paucos latens, negatâ illi Euchariſtiâ, in vulgus contra iuſtitiam publicetur, atque ita ipſe infametur. At in præſenti caſu ſi Sacerdos moneat adſtantes Euchariſtiam Semproniæ, non ob aliquod facinus ab ipſa aliâs patratum, ſed ob ſolam immodeſti habitus irreuerentiam negari; nulla cōmittitur iniuſtitia, neque fit ei iniuria, neq; vlla infamia inuritur, quandoquidem talis habitus irreuerentia non eſt occulta, vt ſuppono, ſed publica, cerniturq; oculis ab adſtantibus, & ab ipſamet Sempronia palàm amatur; neque a Sacerdote publicatur, ſed publica iam, tanquã obex Euchariſtiæ indicatur dumtaxat. Quod ſi fortè hæc ratio non infamandi vlteriùs Semproniam noua alicui, & valde ruralis videatur, ac proinde non vſurpanda; inueniat ipſe elegantiorem, atque vrbaniorem, ne magis illa infametur, & ob aliud ſcelus turpiùs repelli cenſeatur, & nullo negotio admittetur. Interim verò ſimilis omnino mos Mediolani tam celebri vrbe, in Cathedrali ex Ambroſiano Rituali a Parochis palàm monentibus, ne mulieres aperto, & nudo pectore altari ſe ſiſtant ad Communionē, adhibetur. Non igitur a Sacerdote ſic perſtricta femina iniuriam accipit, ſed ipſa potiùs iniuriã Euchariſtiæ, cũ tam irriuerenti habitu hanc adiens, irrogat. Quare Sacerdos eam repellens, illam neutiquam iniuriâ afficit, ſed illatam ab eâ, vel inferendam Sacramento prohibet. Mortificat quidem valde, ſat ſcio, huiuſmodi repulſa mulierem, eoque magis, quo magis inſolita, ſed iure optimo, neque vllam facit ei iniuriam: ac proinde qui cum tali irreuerenti habitu Sacramento ſe ingerunt, ſibi ipſis dumtaxat imputent, ſi repelluntur. Hîc enim quoq; illud Apoſtoli 1. *Timot.* 5. non inconcinnè quadrat: *Peccantes, coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*. Ergo quum neque ratio delicti publicandi a Doctoribus allata, obſtet, neque periculum vllum infamiæ inurendæ proximo ingruat; contra autem naturalis & diuina lex iubeat, Euchariſtiam reuerenter ſuſcipi, meritò ſtatuitur, hanc irruentibus cum valde irreuerenti habitu eſſe denegãdam.

LXXXI. *Quod etiam patet ex abſurdo.* Probatur VII. Si quis vultu laruato vſque ad os, vel fuligine, vt fit in Bacchanalibus, ridiculè turpato, vel capite non detecto, ſed pileato, vel prelongis cornibus onuſto, vel alio ſimili monſtroſo habitu, ſacræ Menſæ, quamuis non ex mala intentione, ſed ex mera ſimplicitate & ignorantia ſe ſiſteret; quis Theologorum non exclamaret, diuinam Hoſtiam ei eſſe ſubtrahendã? Ergo par quoque ratio in cæteris ſimilis irreuerentiæ.

LXXXII. *Alioqui ſequentur magna incōmoda.* Probatur VIII. niſi hæc regula ſtabiliatur, vt quicunque cum valde irreuerenti habitu ad ſacram Communionem accedit, a Sacerdote omnino reijciatur, ingens oſtium maximæ licentiæ irruendi in cæleſtiſsimum Sacramentum cum modis immodeſtiſſimis in ſacroſanctæ Hoſtiæ irreuerentiam intolerabilē redundantibus aperitur. Nam ſi libuerit feminis a mento vſq; ad cingulum ſine vlla mala intentione totas ſe nudare, & abſurda quæque audere; aut viris cum ſolo induſio æſtate vitandi æſtus gratiâ incedere, tum alia portenta complura moliri, & cum his diuina libare Myſteria; dummodo publici peccatores inemendati aliâs, antequam templum intrent, minimè ſint, ijs cunctis Euchariſtia adminiſtranda erit, quod intolerabile dictu eſt, & ſumma cum tremendæ

mendę Hoſtię irreuerentia coniunctũ. Ergo vt huiuſmodi incommoda caueantur, fatendum neceſſariò eſt, ingerentes ſe cum valde irreuerenti habitu diuino conuiuio, ab hoc eſſe prorſus arcendos.

L XXXIII. *Nec periculum vanum eſt.* Dices, iam per tot annos in pleriſque prouincijs detecto pectore ad Euchariſtiam acceſſerunt, nec vltra mammas digitum nudum vllum per tot ſecula protulerunt. Ergo obiectũ periculum vanum eſt. Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſubinde noua corruptelarum monſtra eduntur in orbem, quæ nulla antiquitas aliàs peperit. Deinde ſi mulieribus probè tectis vſque ad collum laxentur habenæ, periculum eſt, ne vnum primò digitum pectoris nudent, deinde duos, poſtea tres, donec tota vbera in theatrum dent. Imò nonnullæ & humeros, & dorſum nudare cæperunt; adeo pudoris illas piget. Hinc facillimo traiectu ad oſcula, & ad turpiora, Venere plaudente, venietur.

L XXXIV. *Et Euchariſtia vileſcit.* Probatur IX. Niſi irreuerenter ſe obtrudentes ab Euchariſtia ſubmoueantur, graue offendiculum in Eccleſia Chriſti gignitur, quia ineffabile hoc Diuinitatis epulum paſſim vileſcit, ac ſpernitur, exiſtimatio magna eiuſdem obteritur, ab huius frequentia fideles, qui non ſolent, alienantur, tot corruptelis illorum, qui tam irreuerenter in ſacram Hoſtiam inuolant, contaminantur, ac reliqua incommoda, quæ iam *cap.* 1. *num.* 19 recenſui, planè ſequuntur. Ergo vt hæc declinentur omnia, quicunque irreuerenter valde altari ſeſe obtrudunt, a Sacerdote repellendi ſunt.

L XXXV. *Quũ tamen Eccleſia maiorẽ curã habeat reuerentia debita Sacramento Euchariſtiæ, quàm noſtra vtilitatis in eo ſuſcipiẽdo.* Probatur X. & magis roborantur cuncta argumenta hactenus librata. Eccleſia in diſtribuendo Euchariſtiæ Sacramento maiorem habet rationẽ reuerentiæ ipſimet exhibendæ, ac retinendæ, quàm vtilitatis ſuſcipientiũ, vt egregiè probat, atq; oſtendit Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo *de Euchariſt. diſput.* 12. *ſect.* 3. *num.* 81. Hinc non permittit eadem Eccleſia hoc Sacramentum bis, aut ſæpius eodem die percipi, licèt maior fructus ex tãta frequentia eliceretur. Hinc negat idẽ paruulis, tametſi baptizatis, & in articulo mortis verſantibus, quibus procul dubio gratiã augeret, & conſequenter etiam gloriam eſſentialem. Hinc non ſinit dari amentibus etiam baptizatis, neque ægrotis cum periculo vomitus, quanuis vtriq; priuentur fructu Sacramenti. Hinc non patitur porrigi laicis ſub vtraque ſpecie ob periculum irreuerentiæ, ſinitque potiùs aliquos populos id indignè ferentes in hæreſim labi, & hæreſi contabeſcere. Hinc deniq; non concedit ægroto, vt in abſentia Sacerdotis poſſit propria manu Euchariſtiam ſumere, iudicatque minus inconueniens, ipſum ſine viatico mori, quàm diuinã hoſtiã manu laica contingi. Rurſum cunctæ leges ab Eccleſia in honorem Euchariſtiæ ſancitæ, nõ ſolùm ſunt fauorabiles, ſed purè fauorabiles, ad reuerentiã tã auguſti Sacramẽti ſeruandã augendamq; decretæ, vt ex ijs, quæ diſputat Suarez *lib.* 5. *de Legibus c* 2. *n.* 6 manifeſtum eſt: ſi quidẽ omnes illæ res honeſtas, neque humanæ conditioni graues, ſed moderatas, communiq; viuendi modo humano congruentes præſcribunt: ipſa verò ſacroſancti Corporis Chriſti Cõmunio fauor eſt ſine dubio maximus, qui ſine cuiuſquam grauamine confertur, etiamſi nonniſi cum conditionibus tantæ, ac talis reuerentiæ conferatur; Sicut nec deſinit eſſe purus fauor, priuilegium Marchionatus, vel Comitatus a Principe ſine alterius onere conceſſum, licèt non concedatur, niſi cum conditione honorandi

norandi directum Dominum, ſaltem per epiſtolam ſignificando illi ſuam ſubiectionem, & obligationem, vt certum eſt. Porrò quum lex purè fauorabilis eſt, omnino extendenda eſt ad omnem verborum proprietatem tum naturalem, tum ciuilem, ſeu iuridicã, vt tradit *ibidem* Suarez *num.* 5. & 6. Idemque proportione de rationibus quoq; exiſtimandum, quæ, vbi materia purè fauorabilis eſt, eodem modo ſunt ampliandæ. Ergo in fauorem reuerentiæ, quæ Sacramento Euchariſtiæ debita eſt, quum expoſitæ leges Eccleſiæ, atq; rationes, eidem reuerentiæ fauorabiles quàm maximè ſint, eæ extendendæ omnino ſunt huc vſq; ad minimum, vt quoſcunq; cum valde irreuerenti habitu tanto Sacramento ſe obtrudentes reijciendos, prorſus euincant. Quin etſi haud ita eſſent fauorabiles, quum Eccleſia in diſpertienda Euchariſtia magis reuerentiam iſtius, quàm ſuſcipientium vtilitatem, reſpiciat, adhuc tam eadem Eccleſia, quàm eædem leges, & rationes irreuerenter valde ſe ingerentes repellendos penitùs vociferantur.

L XXXVI. Et aliàs periculum offẽſionis immineat.

Confirmatur, quia ex irreuerenti habitu, vt ex nuditate feminei pectoris, multo maius publicæ offenſionis, & irreuerentiæ diuino Sacramento irrogandę in huius ſumptione periculum ingruit, quàm ex Euchariſtia infantibus baptizatis, & moribundis prębita. Nam, vt omitam quę de irreuerentia ex nudato mulieris pectore ſupra in medium iam attuli, narratum mihi preterea eſt a Religioſo viro doctiſſimo, fideique digniſſimo, cõtigiſſe paucis ante annis quadam in Vrbe, in qua ipſemet verſabatur (nomini vtriuſque lubens parco) vt Sacerdote Euchariſtiam in populum diſpartiente, minuſque, quàm opus erat, attento, paruula Hoſtia feminę porrecta, caſu excidens, in nudum ipſius pectus, & vbera deciderit, ingenti prorſus cum offenſione totius populi adſtantis, ſummaque cum eiuſdem Sacerdotis perturbatione, confuſione, & perplexitate. Præſertim quia remedium ipſum tantæ irreuerentiæ adhibendum, vndique perdifficile, & plenum aleæ videbatur. Quis enim ſacram Hoſtiam ex vberibus extraheret? num mulier ipſa? num maritus? quid ſi virgo erat? an eius parens, vel affinis? At quanta irreuerentia, vt perſona laica ſacroſanctam, & diuinã Hoſtiam tangat? num ipſemet Sacerdos? At quo pacto tandem, vel qua denique dexteritate adeo exquiſitã, vt non ſimul vbera, vel nudum pectus mulieris tangeret; certè quidem minimùm tangere vulgo crederetur? Qua verò ratione pectus, vel vbera ad reuerentiam Sacramenti reſarciẽdam ipſemet abraderet, vel ablueret? Quãta hinc rurſus offenſio populi? quanta ſacræ Hoſtiæ irreuerentia? Nec dubito ego, quin ſimilia offendicula alibi quoque compluries acciderint, & facilè quiſq; ita ſubinde euenire intelligit. Quis porrò non fateatur multo plus offenſionis, & irreuerentiæ hinc proficiſci, quàm ex Hoſtia moribundo infanti baptizato datâ? Ergo ſicut Eccleſia, vt Sacramenti reuerentiæ conſulat, non patitur, dari Euchariſtiam paruulis baptizatis, etſi moribundis etiam, & meritò: ita ad prædicta omnia offendicula, & pericula cauenda, Sacramentum Euchariſtiæ cum irreuerenti cultu, nudiſque vberibus, aut pectore ſe obtrudentibus adminiſtrandum non eſt. Et ſanè ipſamet auguſtiſſimæ Hoſtiæ ſumma ſanctitas, ſumma munditia, ſumma reuerentia, ſummuſq; honor, & cultus debitus maximo iure a cunctis Epiſcopis etiam, atque etiam exigit, vt ſeuero

edicto

edicto prohibeant, ne cuiquam feminæ nudo pectore accedenti, etiam vbi mos eſt detegendi pectus, vel etiam vbera, diuina Hoſtia præbeatur; ſed omnes, ſolitæ quoq; nudare vbera, aut pectus, cõpellantur vtraq; velo aliquo nõ traſparenti, vel quocumq; alio operimẽto nõ diaphano probè tegere vſq; ad collũ ſaltem tum temporis, quando ad cæleſtem Menſam accumbunt: atq; hoc modo adigantur pericula grauis irreuerentiæ penitùs auertere.

LXXXVII. *Euchariſtia neganda ob grauẽ irreuerentiam licèt hac non foret lethalis.*

Ex quibus conſtat I. ob grauem irreuerentiam diuinum Euchariſtiæ Sacramentum petenti eſſe negandum, ſiue talem irreuerentiam ſtatuamus eſſe peccatum mortale, ſiue dicamus nullum eſſe peccatum. Nam ſine vlla ſuſcipientis culpa idem ſuſcipiens priuatur ſacra Communione, quando deeſt ſtola, vel ſuperpelliceum, vel lumen; priuatur, quando adeſt in eo periculũ vomitus; priuatur, quando amens eſt; priuatur, quando deeſt Sacerdos, qui ei porrigat; priuatur ob ſimilem irreuerentiam in alijs caſibus, quanuis talis irreuerentia ſit omnino inuoluntaria, & abſque vllo peccato tam ſuſcipientis, quàm Sacerdotis etiam, contingat; neque cauendæ infamiæ, quæ reipſa nulla hîc interuenit, prætextu admittitur ad Euchariſtiam, qui cum periculo vomitus ſe ingerit, vel amẽs, vel non ieiunus, ſed a Sacerdote gnaro, & conſcio, monente priùs adſtantes, ſi ignorent eiuſmodi circumſtantias, ad ſcandalũ tollendum, reijci omnino debet, quia nimirum Eccleſia in talibus euentis magis curæ habet Sacramenti reuerentiam, quàm ſuſcipiẽtium vtilitatem. Dixi verò *talem irreuerentiam eſſe omnino inuoluntariam,* quia præter voluntatem omnino accidit laborare aliquem vomitu, deeſſe ſtolam, ſuperpelliceum, lumen, incidiſſe in amentiam &c. quanquam irreuerentia euadit deinde voluntaria, quum quis cum periculo vomitus, vel non ieiunus extra articulum Viatici, &c. (vt quum nocte præcedẽte ſaccharum in ore medicinæ gratiâ accepit, & poſt dimidiatam noctem deglutiuit in ſomno inuoluntariè, quum eo animo ſumſerit, vt deglutiret priùs, ſed deinde narrans circumſtantias Sacerdoti, intelligit ſe deglutiſſe poſt, nec eſſe ampliùs ieiunum) vult nihilominùs ſumere Euchariſtiam, vt patet. Ergo, quum Eccleſia ſacra Communione priuet ſuſcipientem præ irreuerentia antecedenter planè inuoluntaria, neque infamiæ vitandæ prętextum locum habere velit; multo magis eundem ſuſcipientem priuat ob irreuerentiam antecedenter merè voluntariam & volitam, ab ipſo commiſſam, actuque voluntariè durantem, neque infamiæ declinandæ prætextum curãdum exiſtimat. Quæ conſequentia vt moraliter euidens eſt, ita ſine ingenti temeritate negari nequit. Nam ſicut in primo caſu negatur Euchariſtia etiam ob inuoluntariam antecedenter irreuerentiam, quia poſitiua lex Eccleſiæ ſic iubet: ita in ſecundo neganda multo magis eſt ob voluntariã antecedenter irreuerentiam, quia lex naturalis, & diuina, exigens diuinã Hoſtiam reuerẽter ſuſcipi habitu etiam externo, quę lex maior longè eſt, quàm pura lex Eccleſiæ, negandam prorſus decernit. Et ſicut Eccleſia ob inuoluntariam antecedenter irreuerentiã præfert Sacramenti reuerentiam ſuſcipientium vtilitati, & infamiæ cauẽdæ prætextui; multo magis ſine comparatione præfert eandem reuerentiã ſimili vtilitati, & prætextui ob voluntariam antecedenter irreuerentiam, quæ ab ijſdem ſuſcipientibus irrogatur, vt perſpicuum eſt.

Confirmatur quia illatam publicè iniuriam LXXXVIII.

Tum quia fas eſt arcere iniuriã vtcunq; ẽt ignorantem.

iniuriam fas eſt iuſtè repellere etiam publicè, vt notum eſt; iniuſtum quoq; vitæ, honoris, & facultatum aggreſſorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ licet occidere, quando hæc bona aliter conſeruari non poſſunt, vt tradunt communiter Doctores apud Bonacinam *de Contract. diſp. 2. quæſt. vlt. ſect. 1. punt. 8. num. 3. & pun. 10. num. 1. & 5* Et iniuſtè infamatus iuſtè poteſt infamantis occulta crimina ad ſe tuendum ab infamia, quando aliter nequit, detegere, vt docent paſſim ijdem Doctores apud eundem Bonacinam *ibid. quæſt. 4. punct. vlt. num. 4. & de Legibus, diſp. 10. quæſt. 3. punct. 2. num. 10.* Quanuis verò iniuſtus aggreſſor, iuſtè occiſus, & iniuſtè infamãs, iuſtè infamatus, grauiſſimo damno, ille vitæ amiſſæ, hic famæ deperditæ afficiantur, nihil refert. ſibi enim hæc damna, quæ, alios iniuſtè damnificare volentes, ſubeunt, imputare debent, vt liquet. Neque excuſantur, quòd per ignorantiam, vel inaduertẽtiam in ebrietate, in furore, in ſtultitia alium vitã, honore, famã, bonis ſpoliare conentur. Quum enim actiones ipſæ externæ iniuſtè aggrediendi, iniuſteque infamandi iniuſtæ extrinſecus ſint, iniuſteque alium lædant; adhuc iniuſtè læſus, poteſt ad propriam vitam, honorem, famam, & facultates conſeruanda, illas prohibere, & iniuſtum aggreſſorem occidere, iniuſtumque infamatorem infamare, quum aliter tam grauia damna nequit auertere. Amittit quippe ius ad vitam, famamue, qui alteri vitam, vel famam iniuſtè eripere nititur. Atqui Chriſtum Deum eſſe in Euchariſtia ſummè colendum, & venerandum, ipſiuſque ius maximum eſſe ad ſui reuerẽtiam tuendam iura omnia naturalia, diuina, & humana clamant, vt palàm eſt. Qui verò habitu valdè irreuerenti ſeſe Euchariſtiæ obtrudit publicè, ius diuinæ Hoſtiæ, & reuerentiam illi debitam iniuſtè, & publicè lædit, eſtque cultus & honoris Dei iniuſtus planè aggreſſor, vt compertum eſt. Ergo non obſtante quacunque eius ignorantia, vel damno infamiæ, iuſtè a Sacerdote publicè repelli poteſt, quum aliter irreuerentia Euchariſtiæ caueri nequeat, vt clarum eſt. Quanquam enim Chriſtus, & Eccleſia peccatoris famæ, quando huius crimen occultum eſt, & publicè petit, conſuli velit, & ne ea lędatur, adminiſtrari ipſi Sacramẽtum iubeat; ſecus tamẽ eſt, & minimè patitur, quãdo ipſe publicè reuerentiã Euchariſtiæ violat, & irreuerenti valde habitu, vt fit in hoc caſu, iniuriam publicè illi facit. nam moderamen inculpatæ tutelæ exigit, vt repellatur, & qui publicè irreuerentẽ ei ſe præſtat, publicè etiam reijciatur. Quod ſi eius fama læditur, ſibi imputet. quũ enim Euchariſtiæ reuerentiã iniuſtè lædat, iuſtè ipſe cum infamia abigitur, amittitque ius ad talem famam, dum iniuſtè eandem Euchariſtiæ reuerentiam affligit; nec prodeſt illi ignorantiæ, vel inaduertentiæ prætextus, quia hic non tollit, quin adhuc externus habitus immodeſtus valde, grauiter, & iniuſtè lædat Chriſti Domini ius, & reuerentiam ipſi debitam; ac proinde quin etiam iuſtè reijci queat ad talem irreuerentiam arcendam, vt ex dictis conficitur. Quum igitur reijci poſſit, vt probatum eſt, ſequitur manifeſtò eſſe etiam neceſſariò reijciendum; tum quia hic ius famæ, ob quod peccatori occulto publicè petenti datur Sacramentum, amiſſum eſt, vt oſtendi: talis autem valde irreuerens habitus eſt mortalis, vt iam iam monſtrabo, taliſque irreuerentia eſt publica, adeoque, Sacerdos Euchariſtiam, ne indigno porrigat, ei negare debet; tum quia ingerens

gerens ſe cum larua, ſine dubio repellendus eſt, neque excuſatio famæ, ne per repulſam lædatur, eum iuuat, vt certum eſt; ideoque par quoque ratio in ſimilibus; tum quia ipſamet Eccleſia,quam Sacerdos imitari tenetur, vbi ius famæ petentis Euchariſtiam non obſtat, ſemper reuerentiam Sacramenti præfert illius vtilitati, vtſupra vidimus. At in hoc caſu, vt probaui, publicè lædens grauiter reuerentiam Euchariſtiæ,amittit ius ad talem famam,quæ illam lædit. Ergo &c.

LXXXIX. *Grauis Euchariſtiæ irreuerẽtia mortalis eſt.* Cæterùm quando irreuerentia ex incompoſito ſuſcipientis habitu externo grauis eſt,grauiterque in diuinã hoſtiam redundat, cenſeo ego hanc ex natura rei eſſe planè mortalem,nec puto quenquam aliter iure ſentire poſſe. Eſt quippe religio poſt Theologales virtutes proxima, & prima omnium moralium, quæ ex genere ſuo non læditur grauiter ſine culpa graui,vt clarum eſt. Nam ſi,vbi læditur grauiter fama, vel honor proximi iniuſtè per iniurioſam oblocutionem, aut contumeliam, lethiferè peccatur contra iuſtitiam, quum valde immoderatè bibitur, & comeditur cum graui noxa valetudinis, vel cum ebrietate,mortaliter delinquitur contra temperantiam; & ſic contra alias virtutes graues peccatur aliter,& grauiter; eodem etiam modo lethaliter contra religionem delinquitur, quando per grauem irreuerentiam reuerentia, & cultus Dei,quem illa reſpicit, & cordi habet,grauiter læditur, vt perſpectum eſt. Talis verò Dei cultus,& reuerentia ex valde irreuerenti ſuſcipientis habitu externo grauiter læditur, vt liquet. Ergo &c. Nec obſtat,quòd aliqui peccata contra iuſtitiam grauiora arbitrentur, quàm quæ contra religionem tantùm ſunt: quicquid enim de hoc ſit, id non tollit, quin omnes fateantur lethiferè etiam delinqui, quum ſola religio grauiter læditur.

Vnde perſuaſiſſimum habeo mortaliter peccare contra reuerentiam Auguſtiſſimo Sacramẽto debitam tũ qui cum valde irreuerenti habitu quocunque ſeſe ei ingerit; tum qui iam ſacræ menſæ accumbens, immediatè ante, vel poſt ſumptionem colloquia obſcœna cum adſtante miſceret, aut verba turpia proferret, quanquam iſta aliàs non forent, niſi venialia; tum qui cachinnos effuſiſſimos ante, vel poſt immediatè,ac voluntariè ederet; tum quicunque ſimiles immodeſtas actiones in ipſo ſumendæ Hoſtiæ diuinæ limine exerceret. Ioannes Sanchez *diſp. 11. num. 22.* rectè etiam cenſet mortale eſſe ſacrilegium, premere pedem feminæ immediatè ante Communionem, etiamſi abſit finis lethalis, idemque tradit etiam Freitas *q. 7. nu.* 33. Meritò quoque Thomas Tamburinus *lib. 2. Methodi breuis Confeſſionis, cap. 7. §. 5. num.* 43. ſentit graue ſacrilegium a Sacerdote committi, ſi ſacram Euchariſtiam portans, carnalem copulam habeat, magnamque irreuerentiam fieri non ſolùm contra votum caſtitatis, ſed etiam contra cultum Euchariſtiæ. Ratio eſt,quia hę cunctæ actiones, & verba in grauem Euchariſtiæ irreuerentiam morali Sapientum omnium æſtimatione redundant. Et ſanè ſi vox aliqua contumelioſa in plebeiũ hominem prolata, leuis iniuria reputatur, at eadem ab eodem,qui etiam ſubditus ſit,in Regem, in Imperatorem, in ſummum Pontificem prolata,euadit grauiſſima,grauiſſimeque expianda, vt ex Ariſtotele tradunt communiter Thologi in tractatu de Incarnatione ad oſtendendã grauitatem ſeu offenſæ, vt omnes, ſeu iniuriæ etiam, vt plerique opinantur, per peccatũ mortale Deo illatæ; haud XC. *Actiones ob grauem irreuerentiam in Euchariſtiam lethales.*

mirum

mirum eſt, ſi verba, vel actiones aliàs citra mortale, vel fortè etiam ſine vlla culpa, vbi ex circumſtantijs grauem irreuerētiam Chriſto Domino, Deoq; in Euchariſtia latitanti, Regum omnium, Imperatorum, ac Pontificum ſupremo Monarchæ, increatoq; Creatori irrogant, in totidem lethalia delicta concedunt.

XCI. *Euchariſtia negāda ignorāti etiam grauem irreuerentiam ipſi illatam, vel non aduertēti.*

Conſtat II. ex dictis eandem Euchariſtiam a Sacerdote ſubtrahendam illi quoque, quem cum ignorantia inuincibili grauis irreuerentiæ, quam ei cum habitu grauiter irreuerenti infert, petere animaduertit. Nam irreuerentia grauis ex valde immodeſto habitu in populi æſtimatione irrogatur Euchariſtiæ etiam a neſciente, nec aduertente, vt patet. Ideo Eccleſia vetans Miſſam celebrari coram adſtātibus ſine decenti habitu, deferri Euchariſtiam ſine ſtola, ſuperpelliceo, & præuio lumine ad ægrotum, præberi amentibus, vel vomitu laborantibus &c. excuſationem ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vt ſuam prohibitionem in tali caſu ceſſare velit, aut patiatur, minimè admittit, vt compertum eſt; nempe quia magis Sacramenti reuerentiæ, quàm ſuſcipientis vtilitati, proſpicit. Atqui hæc eadem prorſus, imò & longè etiam maior ratio proſpiciēdi magis reuerentiæ Sacramēti, quàm vtilitati ſuſcipientis, vrget multò magis, ac militat, quum quis voluntario habitu valde irreuerenti ſe illi obtrudit, quàm quum inuoluntario vomitus periculo, aut ſtolæ, ſuperpellicei, vel luminis defectu ad ſacram menſam accedit. Ergo quum excuſatio ignorantiæ, vel inaduertentiæ in hoc caſu ſuſcipientem minimè tueatur, quin nihiloſecius a Sacerdote rijciendus omnino ſit, multo minùs eundem tuetur in primo, quin multo magis ſit repellendus, vt manifeſtum eſt. Nec quiſquam profectò ſani capitis Theologus ſacra Communione ruſticum laruato vultu ex mera ſimplicitate ei ſe ſiſtentem, quamuis inculpata ignorantiâ, vel inaduertentiâ illum errare, certum habeat, donauerit, vt palàm eſt. Parque ratio in ſimilibus quoq; idem præſtandum perſuadet, vt itidem notum eſt.

XCII. *Nec vllus Doctor aduerſatur.*

Conſtat III. explanatæ hactenus, probatæque doctrinæ nullos Theologos, vel Doctores, a quibus huiuſmodi articulus ne propoſitus quidem eſt, nedum ex profeſſo examinatus, refragari, omnes verò generatim neceſſariò patrocinari, vt ex eorum communibus principijs neceſſariò deducitur: ideoque non mirum, ſi nullos pro hac concluſione Auctores nominatim profero, quum a nemine tractatam, vel diſceptatam inuenire potuerim.

§. V. *Inſolitam mulieris pectoris nuditatem a ſacra Communione eſſe arcendam.*

XCIII. *Euchariſtia negāda feminæ nudo pectore contra morem regionis accedenti etſi vulgo non cōſtaret, id eſſe crimen lethale, ob grauē adhuc illius irreuerē̄tiam.*

DIco V. quęcunque femina nudo pectore contra regionis morem incedit publicè, talique habitu ad ſacram Euchariſtiam ſumendam accedit: etiamſi ponamus talem nuditatem non fuiſſe diuulgatam a Concionatoribus, vel ab alijs, vt mortiferam, ac proinde tale eius delictum lethale eſſe adhuc occultum, modò actio ipſa nudandi pectoris, & ita Communioni diuinæ ſe ingerendi ſit publica; nihilominus a Sacerdote eſſe repellendam, petitoq; Sacramento priuandam. Ratio eſt, quia talis habitus externus inuſitatæ nuditatis pectoris, tametſi vulgo non conſtet eſſe mortalem, adhuc tamen in grauem Euchariſtiæ irreuerentiam cedit. Ergo talis femina eadem Euchariſtiâ priuanda nihiloſecius eſt. Conſequentia eſt

certa ex præcedente Concluſione iam oſtenſa. Antecedens probo, quia in æſtimatione morali hominum multo grauior irreuerentia fit Euchariſtiæ, iuri naturali, & diuino magnã reuerẽtiã exigenti oppoſita, ac repugnans, ex inſolita & merè voluntaria muliebris pectoris nuditate; quàm ex defectu vel ſtolæ, vel luminis, vel ſuperpellicei, ſi vnũ horum deſit, & aliàs decenti toga Sacerdos indutus ſit (maximè ſi noctu clam ad pauperculum ægrotum, & ſolum deferat Viaticum diuinum) aut ex ſumptione geminata Sacramenti eodem die contra præcepta Eccleſiæ. Quamuis enim de culpa mortali inſuetæ nuditatis pectoralis notitia publicata non ſit, adhuc tamen talis nuditatis nouitas, & inſolentia communiter offendit, paſſim vituperatur, multorum peccatorum occaſio cenſetur, ad concupiſcentiam, & libidinem vehementer inflammare, vſu ipſo, atq; experientiâ deprehenditur, quantoq; magis amore vanæ creaturæ ſuccendit, tanto magis ab amore, a cultu, a deuotione, & reuerentia Dei auocat, ac retrahit, vt euidens eſt, vtcunque ignoretur etiam deciſio caſus, quòd ſit mortifera. Vnde vulgo quoq; (ignoranti maximè præſcripta Eccleſiæ) multo magis perſuaſum eſt, maiorem irreuerentiam Sacramento Euchariſtiæ a tali nuditate inſolita muliebris pectoris tot offendiculorum ſatrice, atque altrice, merè voluntaria etiam antecedenter, conflari, etiamſi ſubtiliter de lethifera culpa mentio, vel cogitatio non habeatur; quàm a defectu ſolius luminis, vel ſolius ſuperpellicei, vel ſolius ſtolæ in alea extremæ neceſſitatis, & mortis antecedenter omnino inuoluntario, vt moraliter, ni fallor, perſpicuum eſt.

XCIV. *Qua amplius ir-* Confirmatur, quia ex inſolita muliebris pectoris nuditate plus irreuerentiæ, quàm ex laruato vultu ruſtici *ſuper oſtenditur.* præ ſtolida ſimplicitate diuinæ Menſæ ita accumbentis, in ſacroſanctam Hoſtiam redundat. Nam licèt hæc actio, vt fortè magis inuſitata, plus ſcandali, quàm illa, gignere videatur; reipſa tamen nihil veri ſcandali parit, ſed illa dumtaxat. Verum enim, & propriũ ſcandalum illud tãtummodo eſt, quod proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis præbet, vt a cunctis Theologis, quemadmodum *diſp. 1. cap. 5. num. 2.* notaui, definitur. Sæpiſſimè tamen ſcandalum impropriè accipitur, idemque valet, ac ſonat, quod admiratio, cum qua confunditur, vnde vulgo dici ſolet: *ſcandalizatus ſum*, pro *valde admiratus ſum*: *& ſcandalum magnũ dedit*, pro *cauſſam vehementis admirationis præbuit*. Sed id genuinum ſcãdalum, præbens occaſionem ruinæ, non eſt, vt probè, & diſertè Suarez *2. 2. de Caritate, diſp. 10. ſect. 1. nu. 1.* Benedictus Iuſtinianus *in 1. Corin. 8. verſ. 13. in fine*, & Ferdinandus a Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 6. punc. 1. num. 4. & 5.* vbi & Ioannem Sanchez *in ſelectis, diſp. 46. num. 11. & diſp. 48. n. 45. citat* (in quibus tamen locis is Auctor nihil talè præciſè tangit) animaduertunt. Iam offerre ſe cum larua Euchariſtiæ plus quidem ſcandali improprij, hoc eſt, plus admirationis in populo ob inſolentem nouitatem, quàm ſe cum pectore nudo eidem obtrudere, ſine dubio excitaret; at non plus veri ſcandali, imò nihil talis ſcandali præberet, quia neminem ad peccãdum alliceret, ſaltem mortaliter, ſed vel ad iuſtam indignationem, vel ad irriſionem, aut in ſumma ad veniale tantummodo inuitaret. At muliebris pectoris nuditas inuſitata verum, & propium ſcandalum actiuum parit, ad libidinem quàm maximè accendit, luxuriæ occaſionem

porrigit, populum in Templo verſantem, qui oculos in eandem pectoris nuditatem conijcit, veneno mortis, dum vitæ panem mulier vult accipere, non raro inficit, luto verò ſenſualitatis ad minimum, ſemper contaminat, ipſos quoque Sacerdotis ſacram Hoſtiã deferentis oculos patulo ſinu, profanoque ſui aſpectu offendit, atque ad malum, quantum eſt ex ſe, non leniter ſolicitat, certè quidem ſemper profanat, etſi minus admirationis afferat: atque adeo plus veri, & proprij ſcandali, minus autem improprij gignit, præ quo etiam vero ſcandalo a cunctis Doctoribus peccati mortalis, vt *diſp 2 cap. 3. & 4.* probaui, iure damnatur. Sed actio mortifera inſolitæ nuditatis feminei pectoris, propriè ſcandaloſa, & publica, nec non antecedenter merè voluntaria, etiamſi ratio peccati mortalis diſtincta, atq; expreſſa communiter non percipiatur, nec publica ſit, maiorem irreuerentiam Sacramento Euchariſtiæ impingit; quàm actio geſtatæ laruæ, alioqui indifferens, quæ ex praua tantùm circumſtantia, quia hic, & nunc irreuerens fit diuinæ Hoſtiæ, totam ſuam malitiam trahit, neque ſcandalum vllũ proprium generat. At accedere ad Communionem ſacram cum larua in grauem irreuerentiam Sacramenti cedit, vt in ſuperiore Concluſione demonſtratum eſt. Ergo in maiorem etiam eiuſdem Sacramenti irreuerentiam cedit ingerere ſe ei cum inſolita muliebris pectoris nuditate. Ergo quum ob illam irreuerentiam a larua profectam accedens reijciendus neceſſariò ſit a Sacerdote, vt in eadem Concluſione oſtendi, multo magis femina ob inſuetam pectoris nuditatem neceſſariò repellenda eſt.

XCV. *Occurritur que* Dices I. eum, qui cum cornibus, cum larua, vel cum habitu ridiculo ad Principem accederet, non fore dignũ, qui ne a nobilibus quidem viris admitteretur, ſi quidem ijs irreuerentiã non leuem irrogaret; ideoque ab Euchariſtia multo magis repellendum, quàm grauiter planè dedecoraret; at ſecus eſſe de inſolita pectoris nuditate, quæ Euchariſtiæ irreuerentiam notabilem minimè infert, ſi communis hominum æſtimatio ſpectetur. *exceptioni.* Reſpondeo primò notabilem irreuerentiam ex inuſitata feminei pectoris denudatione in Euchariſtiam, etiam iuxta communis æſtimationis prudens iudicium deriuatam, ſat ſupra fuiſſe explicatam, & ponderatam. Deinde, poſſe a Principibus citra ſui irreuerentiam, laruatos, alioque cultu ridiculo indutos ad ſui colloquium admitti, & tamen non poſſe iſtos citra magnam Euchariſtiæ irreuerentiam, huic ſumendæ ſe ita incompoſitos ſiſtere. Denique, nobiles viros obuiam ſibi mutuò factos in nonnullis Italiæ locis non ſolere caput detegere, ſed ore tenus vicisſim ſalutem dicere ſine vllo irreuerentiæ periculo; & tamen hos non poſſe tecto capite Euchariſtiæ accipiendæ ſine ingenti huius irreuerentia ſe ingerere. Ergo &c.

Dices II. Si ob talem irreuerentiam ſolam Euchariſtia denegetur, fore vt homines ab eius frequentia alienentur, & varij Sacerdotes ſcrupuloſi, vel imperiti, zelumq; habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam, irreuerentiam grauem ex habitu ſuſcipientium pro ſuo ingenio ſibi fingant, vel forment, temereque plures a ſacra Communione arceant. *XCVI. Ex periculis incommodorum.* Reſpondeo I. melius eſſe, vt a frequẽtia Euchariſtia irreuerẽtes voluntariè, & valde, ſeſe abſtineant, quàm vtea abutantur, quemadmodum fit, & Doctores conqueruntur; ſi quidẽ Eccleſia in hoc Sacramento diſtribuendo maiorem reuerentiæ ipſius, quàm

quàm vtilitatis ſuſcipientium, rationem habet, vt ſupra *num.* 82. obſeruaui. II. doctrinam communem,& certam de Euchariſtia publico peccatori neganda, tum de Miſſa coram adſtantibus ſine compoſito corporis habitu ex Cócilio Tridentino non celebranda ſupra traditam, huic ipſi temeritatis, vel immodici zeli ſcopulo eſſe expoſitam: ſemper enim imperiti, ſcrupuloſi, nimioque æſtuantes zelo, in diſcernendo, quis ſit publicus peccator, vel incompoſitus corporis habitus, erroris, ac præcipitis ſententiæ diſcrimini ſunt obnoxij; & nihilominùs prędictæ doctrinæ, ac praxi nihil obſtant; ideoque horum perplexitas, vel præcipitantia Concluſionibus de eadem Euchariſtia nudo prẹter regionis morem pectore feminis ſe ingerentibus ſubtrahenda incommodare nequit. III., periculo temeritatis, vel immodici zeli locum hîc eſſe non poſſe, vbi nudatio inſolita muliebris pectoris ab vniuerſis Doctoribus lethifera iudicatur, totq; rationes ſolidæ planum faciunt grauem valde eſſe irreuerentiã cum eiuſmodi inſueta nuditate diuiniſſimo Sacramento ſeſe obtrudere. IV. quòd aliqui præ ſcrupulis, ignorantia, vel inconſulto zelo perperam nonullos ab Euchariſtia repulſuri ſint, nihil obeſſe; quandoquidem nulla lex eſt tam vtilis, prudens, & ſancta, quæ pedibus inſipientium in muſcipulam poſita non ſit; nec tamen deſinere legem idcirco eſſe iuſtam; nempe quia maius bonum, quod ex ea ſequitur, magis ſpectatur, ac minoribus incommodis emergentibus præfertur. Sic in propoſito multo maius bonum ex repulſa data verè,& valde irreuerentibus exiſtit,& reuerentiæ Sacramenti accedit, quàm incommoda, quæ ex imperitorum, ſcrupuloſorum, vel zelotarum inconſideratione, vel feruore manant. Sacerdotes tamen, qui minùs ſapiunt, ſapientes viros,& Doctores, ne quem ab altari temerè arceant, antea, ſi per tempus licet, ſeriò conſulant: ſin autem nequeunt, quum dubijs vexantur, Deo ſe enixè commendent, vt mentem illuminet; & quod ille ſuggeſſerit, ſimpliciter exequantur. Quid amplius ab illis quiſquam iure poſſit exigere?

§. *VI. Eccleſiæ Mediolanenſis de eadem re ſanctiones.*

QVum quæſtionem in duplici ſenſu de Euchariſtia, vel ratione delicti mortalis publici, vel ratione ſolius habitus externi valde irreuerentis,& publici neganda ſupra *num.* 4. propoſitam iam generaliter abſoluerim, reliquum eſt, vt ſpeciatim quoq; eandem reſpectu Eccleſiæ Mediolanenſis, in qua dego, non oſcitanter expendam. *XCVII.*

S. Carolus Borromæus Vaticanæ purpuræ decus, noſtrique ſeculi gloria, ſicut ſanctiſſimos quoſque veterum Patrum, ac Præſulum ſanctimonia vitæ expreſſit, ita quoque Apoſtolorum, priſcorumque Pontificum doctrinam, ſpiritum, ac zelum in ſuæ Eccleſiæ diſciplina Chriſtiana conſtituenda ad amuſſim ſecutus eſt. Plurima verò ad Templorum, dupliciſque Sacramenti, Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ reuerentiam ſpectantia præclariſſimè ſanciuit. Quæ quoniam præcedentes Cóncluſiones mirificè illuſtrant, & confirmant, hîc recenſenda, ac trutinanda ſunt. XCVIII. *S. Carolus diuini cultus ſtudioſiſſimus.*

Primò, S. Carolus, & Concilium Mediolanenſe Prouinciale III. *cap. de ijs, quæ pertinent ad ornatum, & cultum Eccleſiarum*, quod extat in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, *par.* 1. *pag.* mihi 101. ita præfantur: *Grauiſſimis verbis* XCIX. *Sancit, vt mulieres velato capite Tẽplũ ingrediãtur.*

verbis hoc Paulus Apoſtolus monet, ac præcipit, vt mulieres in Eccleſiam conueniant velato capite: hoc ipſum docet Princeps Apoſtolorum Petrus, cuius etiam iuſſu ſanctiſſimus Pontifex, qui in eius locum ſucceſſit, Linus decreto idem ſancit. Deinde monent Epiſcopos, *vt in conſuetudinem introducere curent, vt velo caput ipſæ* (mulieres) *induant*. In Concilio autem Mediolanenſi Prouinciali VI. *cap. Quæ ad cultum Eccleſiarum pertinent*; continetúrque *par. 1. Act. Eccl. Mediol. pag.* mihi 309. idem S. Carolus relato priùs Concilij III. decreto proximè hîc recitato, hoc prætereà addit: *Mulieres cuiuſuis Ordinis, ſtatus, & conditionis ſint, pœnâ interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ſancitâ, velato in Eccleſia capite ſint*. Idem quoque præcipit in Edicto ſingulari *par. 3. Act. Eccl. Mediol. pag.* 436. vbi plura ad Templorum reuerentiam pertinentia ſub pœna ad arbitrium, etiam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ incluſiuè, & excommunicationis in ſubſidium, nec non ſub alijs pœnis ſacrornm Canonũ, ſummorumq; Pontificum egregiè cõſtituit: inter reliqua autem præcisè quoque ita vetat: *Niuna donna di qual ſi voglia ſtato, grado e conditione ſi ſia, entri, o ſtia in Chieſa per alcuna cauſa, o occaſione, ne accompagni le ſacre proceſſioni col capo, che non ſia coperto di velo non traſparente*. Idem Sanctus Archiepiſcopus inter reliqua capita, quæ Regularibus exequenda, anno 1577. Auguſti die 26. auctoritate Apoſtolica intimauit, & *par. 6. Act. Eccl. Mediol. pag.* mihi 1000. leguntur, hoc etiam inculcauit: *Admonitio, & excluſio ab Eccleſia mulierum non velatarum, vt oportet, & aliorum etiam non ſeruantium edicta noſtra in aſſiſtendo Miſſæ debito modo, aut aliàs malè conuerſantium in Eccleſia, nec non & mendicantiũ, vt etiam debent ex Bulla Pij V. deputando Sacriſtas, & Cuſtodes, & alios huic muneri*.

Sub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ.

At certum eſt, in multo maiorem Euchariſtiæ irreuerentiam redundare, ſi mulieres ad illam nudato pectore, præſertim vbi non eſt conſuetudo, quàm ſi nudo tantùm capite ſine velo, accedant; quum illud, quia ad libidinem valdè incitat, eoque vehementiùs, quo magis inſolitũ, delictũ lethale ſit, præcisã etiam lege poſitiuã vetãte, vt probatũ eſt, etiamſi pectus extra Tẽplum nudent; in Templo verò ſi nudent, atq; ita ad Euchariſtiã accedant, ſacrilegiũ item mortale ſuperaddant, vt pariter oſtensũ eſt. Quæ omnia in muliere nõ velato capite, præcisâ lege id vetante, non habent locum, vt patet. Quocirca multo minùs irreuerentiæ Sacramento infert nudum feminæ caput ſine velo, quàm nudum pectus, etiam vbi vtrumque eſt conſuetum; multo verò magis vbi hoc inſolitum, illud vſitatum. Ergo quum feminæ ſine velo incedẽtes detecto capite, ex præſcripto S. Caroli, & Conciliorum Prouincialium Mediolanẽſium a Templis arcendæ ſint; & Regularibus auctoritate Apoſtolica mandetur, vt eaſdem expellant; multo magis eædem, quæ in Prouincia Mediolanenſi nudo pectore Euchariſtiæ ſe ingerunt, ab hac ex S. Caroli, & Conciliorũ Mediolanenſium præſcripto arcendæ, & repellendæ ſunt. Conſequentiam probo, tum quia hîc militat eadem prorſus, & adæquata ratio vitandæ irreuerentię, alioqui Sacramento Euchariſtiæ imminẽtis, imò multo magis, & a fortiori, vt apertum eſt: tum quia huiuſmodi leges non ſunt pœnales, ſed fauorabiles in Sacramenti fauorem latæ, vt *nu.* 82. animaduerti; atque adeo ad hoc extendendæ neceſſariò ſunt, quando etiã non ita propriè talem abuſum, & corruptelam prohiberent (etſi ſatis propriè

priè hanc prohibent) tum denique quia niſi extenderentur, eſſent abſurdæ,& ridiculæ, ſi mulieribus permitterent ſacræ Euchariſtiæ cum peccato mortali ob inuſitatam pectoris nuditatem, & ſuperaddito ſacrilegio ſe obtrudere, negarent autem cum nudo dumtaxat capite ſine velo accedere, quod longè minus eſt, & aliàs ſine vllo peccato.

C. *Itemq; vt velato capite ad Sacramentũ Pœnitentiæ accedãt.* Secundò, in *Rubricis generalibus de Sacramentorum adminiſtratione*, quæ in Sacramentali Ambroſiano, & *par. 4. Act. Eccl. Mediol. pag.* mihi 496. habentur, idem S. Carolus ita decernit: *Vt Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus ab ijs tribuatur, qui ea ſuſcipient, non patietur* (Parochus) *quenquam ad illa ſuſcipienda accedere, niſi exteriore quoque habitu veſtiumque modeſtia debitam illis venerationem præ ſe ferat. Videbit igitur, vt viri armis depoſitis, vtque mulieres rectè velato capite accedant: vt omnes veſtitu, & toto corporis habitu modeſto humilitatem Chriſtianam præ ſe ferant.* At feminæ habitus cum nudo pectore contra morem Mediolanenſis Vrbis, ac Diœceſis, ſicut cùm peccato mortali, & ſi inferatur etiam in ſacrum Tẽplum, cum ſacrilegio inſuper lethifero, vt ſupra *num.* 13. ponderaui, coniunctus eſt; ita a veſtium modeſtia, & debita Sacramenti veneratione, quam idem S. Carolus, & Ceremoniale Ambroſianum meritiſſimò exigunt, longè admodum alienus eſt, vt ex ijs, quæ ſupra toto §. 1. & 2. diſceptaui, planiſſimè dilucet. Ergo S. Carolus, & Ceremoniale Ambroſianum vetant apertè huiuſmodi mulieri detecto pectori ad Eccleſiam accedenti vllum Sacramentum adminiſtrari.

CI. Tertiò, ſpeciatim de Sacramento Confeſſionis idem S. Carolus *par. 4. Actor. Eccl. Mediolan. pag.* mihi 763. ita præcipit: *Niun Confeſſore adunque aſcolti Confeſſioni di donne, che non ſiano veſtite con habito modeſto, e ſemplice, e che non habbino il capo velato cõdecentemente.* Ergo D. Carolus multo minùs permittit, vt ſacra Euchariſtia mulieri non velato capite ſeſe obtrudenti præbeatur. Ergo adhuc multo minùs patietur, vt ingerenti ſe cum nudo pectore porrigatur, vt liquet ex dictis.

Quartò, nominatim de Sumptione Euchariſtiæ idem S. Carolus, & Concilium Mediolanenſe Prouinciale V. grauiſſima Cardinalis Iacobi de Vitriaco auctoritate laudatâ ita *par. 1. Actor. Eccl. Med. pag.* 288. mandant: *Parochi ſinguli quàm maximam in eo ſolicitudinem, perſuadendique ſtudium adhibeant, vt omnem luxum cincinnorum, ornatum, inaures, quod ſignum Diaboli S. Auguſtinus nominat, fucũ, & veſtes in primis, quas caudatas dicunt, Parochiæ ſuæ mulieres omnino deponant. Qua in re perſuadenda argumentorum vim, rationumq; momenta ſibi comparent, quum ex S. Ambroſij Patris noſtri illarum luxũ grauiter exagitantis libris, tum ex S. Chryſoſtomi, aliorumque Patrum monimentis, in primiſque ex homilia, quam eo de genere grauiſſimam vir doctiſſimus, idemq; religioſiſsimus Iacobus Vitriacus S. R. E. Cardinalis olim habuit. Hoc autem vſque adeo ab Eccleſia vetitum eſſe ille ipſe affirmat, vt ſi caudatæ ad Eccleſiam accederent, ſacra Communione interdicerentur.* CII. *Vetatq; nlium veſtium luxum geſtari feminis in Templis.* Quam ſententiam, & verba refert quoque, ac probat Theologus Nicolaus Aurificus in ſua *Summa tit. 3. cap. 14. art.* 11. Si igitur mulieres ob caudatas veſtes, etſi hæ per ſe indifferentes, nullaque malitiæ labe infectæ ſint, neque tum ex praua circumſtantia forent mortales, nihilominùs ex Eccleſiæ prohibitione

tione a ſacra Communione arcebantur; multo magis ob nudum præter loci conſuetudinem pectus, quod cum lethifera culpa,& ſacrilegio mortali, ſi in Templo quoque nudum illud geſtetur cõtra regionis morem, copulatur, vt patefeci, ab eadem Communione arcendæ ſunt, vt compertum eſt.

Prohibet expreſsè miniſtrari Euchariſtiam fœminæ cũ nudo pectore ſe ingerenti.

CIII. Quintò idem S. Carolus de præparatione ex parte corporis ad ſuſcipiẽdam Euchariſtiam *par. 4. Act. Eccl. Mediolan. pag.* 514. expreſsè agens, hæc ſciſcit. *Mulieres non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus; non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; ſed ita veſtito, vt ne præter faciem quidquam nudum cernatur, velo denſo bene ſuper faciem demiſſo*. Tum infra *pag.* 726. ibidem explanatè iubet, ne vlla mulier ſine velato capite, aut non modeſtè veſtita ad Euchariſtiam admittatur, idemque de viris quoque non modeſtè veſtitis conſtituit. Nam vbi vir ſanctiſſimus varia luxus genera, a quibus modeſtũ habitum ad ſumendam Euchariſtiam accommodatum, & requiſitum abeſſe docet, enumerauit, nominatimque imperauit, vt mulieres accedant velatæ, ſubdit, niſi vtrique ita modeſto habitu accedant, neutros admittendos: *Altramente che non ſaranno,* inquit, *admeſſi queſti, ne quelle alla ſantiſsima Communione, come così ordiniamo, che non s'admettano in alcun tempo ſenza l'habito, e modeſtia, che s'è detto di ſopra*. Ergo D. Carolus multo magis a ſacra Communione repelli eas vult, quæ cum nudo pectore contra loci morem ad illam accedunt,vt ex conſequentia ſupra probata,& certa perſpicuum eſt.

Roboraturque tradita doctrina.

CIV. Confirmo I. omnes illationes hactenus elicitas præualidè, quia, niſi eæ concedantur,& veræ ſint,ſequitur, illa D. Caroli decreta, leges, ac mandata fuiſſe, atque eſſe abſurda, quippe quæ inconueniens, quod longè minus eſt, & nullum cæteroqui, peccatum, tam ſeuerè prohibeant; quod verò longè maximum eſt, & peccatum mortale, valde abſurdum,permittãt, vt ex doctrina *n.*13.&82.obſeruata manifeſtum eſt. At nemo niſi perabſurdus, recenſita S. Caroli acta, & decreta, ceu abſurda culpare poteſt. Ergo conſequẽtiæ,& illationes ſupra explicatæ veræ ſunt, ac ſolidæ. Confirmo II. Quia eædem S. Caroli leges,mandata,& decreta ſunt quàm maximè reuerentiæ Sacramenti Euchariſtiæ fauorabilia, vt euidens eſt. Ergo ad illationes ſupra commemoratas illa omnino ſunt extendenda, vt ex Doctorum placito *num.* 82. relato animaduerti.

Negaturque Euchariſtia ob defectũ debitæ reuerẽtiæ non obſtante ignorãtia, vel inaduertentia, etſi aliàs nullũ peccatũ ſit.

CV. Hinc apertè liquet, ſacram Euchariſtiam in Eccleſia Mediolanenſi accedentibus negari, non ſolùm ob publica peccata mortalia non emendata,ſed etiam ob defectum debitæ reuerentiæ in externo tantùm habitu, ſiue huiuſmodi defectus ſit ex ignorantia, vel inaduertentia inuincibili, ſiue non. Nam vtcunque hanc ignorantiam, vel inaduertentiam mulier prætexat, nihilominùs S. Caroli leges, atque edicta, ſi ea velo, modeſtoque habitu caret,ipſam a Templo,a Sacramento Pœnitentiæ,a ſuſceptione Euchariſtiæ arcent, vt exploratum eſt. Rurſum,eędem leges,atq;edicta eandẽ ob eundem defectũ repellunt, ſiue defectus reuerentis habitus ſit peccamínoſus, ſiue non. Quocirca ſic interrogo.Mulier ſine velo ingerens ſe Euchariſtiæ in Diœceſi Mediolanenſi contra S. Caroli leges, atque edicta, vel peccat, vel non peccat? Si dicis peccare, & ob tale peccatum,negandam ei eſſe Euchariſtiam: quæro, tale peccatum eſtne mortale, an veniale? Veniale

tantummodo? Ergo ob ſolum veniale Euchariſtiam feminæ negandam ais. Mortalene? Ergo omiſſionem meram veli, alioqui maximè indifferentem, ſi cùm hac mulier Euchariſtiæ ſe ſiſtit, lethiferam cenſes. Ergo hæc omnia multo magis de muliere accedente cum nudo pectore contra loci morem affirmare cogeris, ſiquidem iſta duplicem malitiam mortalem, alteramque ſacrilegam, citra etiam indignam Euchariſtiæ ſumptionem, cōtrahit, quarum vtrumque eadem edicta, & leges multo magis ſine dubio prohibent, vt iam oſtendi. Sin autem ais mulierem ſine velo accedentem ad ſacram Communionem minimè peccare. Ergo concedis illam ab eadem Communione, tametſi omnis culpæ etiam leuis planè immunis ſit, ob ſolum veli defectum peccati expertem, eſſe nihilominùs reijciendam. Ergo idē prorſus multo magis ſtatuere debes de accedente in eadē Diœceſi Mediolanenſi cū defectu velati pectoris contra regionis conſuetudinem, quod iuxta Doctores omnes, vt demonſtraui, mortale ſcelus ſemper eſt.

CVI. *Doctrina horũ Paradoxorũ cura eſſe debet Ambroſiano Clero pͤcipuè, alioqui S. Carolus maximè indignaretur.*

Ex quibus dilucet manifeſtò, expoſitam tota hac lucubratione tripliciq; diſputatione doctrinam cunctis Eccleſiæ Ambroſianæ Sacerdotibus, & Clericis curæ eſſe in primis debere, vt pote quam ſanctiſſimi Archiepiſcopi conſilijs, ordinationibus, Concilijs decretis, atque actis, quæ ipſis magnæ eſſe venerationi par eſt, vndique conſentire probè cernunt. Si qui porrò mollioribus placitis indulgendum putarent, quid de ijs Sanctus ille Carolus, qui hanc Mediolanenſem Eccleſiam priùs tam miſerè lapſam tot laboribus, & ſudoribus erexit, atque in tam egregiam diſciplinæ Chriſtianæ formam reformauit, extulit, amplificauit, ſi modò in terris verſaretur, diceret? quid diceret, qui in Concilio Prouinciali 6. vt docui, ſanciuit, ne qua mulier aperto capite in Templo ſit, alioqui ab eius ingreſſu arceatur? Quid diceret, qui in Ambroſiano Sacramentali, vt palàm feci, Parocho mandat, ne quenquam ad Sacramenta ſuſcipienda, *niſi exteriore quoque habitu, veſtiumque modeſtia debitam illis venerationem præ ſe ferat*, accedere patiatur? Quid diceret, qui *par. 4. Actor. Eccleſia Mediolan.* vt patefeci, vetat Confeſſionem cuiuſuis feminæ, niſi velato capite, modeſtoque habitu accedat, excipi? Quid diceret, qui in Concilio V. vt notaui, Parochos iubet ſolicitudinem, quam maximam poſſunt, adhibere, vt omnem luxum cincinnorū, ornatum, inaures, fucum, veſteſque caudatas cunctæ mulieres deponant, laudatque veterem Eccleſię morem ſacra Communione ijs cum huiuſmodi luxu ſe obtrudentibus interdicentem? An qui hæc, & alia id genus non ſanè blanda, ſed grauia, & ſeria ſuo Clero S. Carolus tam diſtinctè, tam ſolicitè, tam præcisè inculcat, ſi quem Sacerdotem tam remiſſi animi, animaduerteret, vt luxuriantem ornatum ad Venerem valde proritantem, nuditatemque pectoris inſuetam, libidinis illiciū ingens, feminis ſine lethiferæ culpæ ſcrupulo contra Doctorum omnium ſententiam, contra tot rationes ſupra expenſas, contra cætera incommoda antea recenſita, indulgeret, ferendum exiſtimaret? Si talem Sacerdotē vmbras & laruas, tutâ, ſanâ, certâq; doctrinâ relictâ, ſectantē videret, tacitus diſſimularet? Si perniciosiſſimam conſuetudinem inuehentibus aſſentientem, ſi infinitam luxuriæ ſegetem inferentibus obſequentem, ſi diſciplinæ Chriſtianæ multiplicia flagitia ferentibus manus dantem intueretur, opertis oculis tranſiliret?

Qui capite velato mulieres ad Templum accedere vult Carolus, nudato incedentes pectore tolerabit? Qui nullum Sacramentum ab ijs, niſi venerationem eius ipſâ veſtium modeſtiâ teſtentur, ſuſcipi mandat, detecto pectore immodeſtiam oſtentantes ingerere ſe, Carolus patietur? qui nullius Confeſſionem, niſi hanc modeſto habitu, velatoque capite obeat, audiri præcipit, nuditati pectoris pertinaciter mancipatam abſolui contra Theologorum omnium calculos Carolus ſuſtinebit? qui fucum omnem, & vanum ornatum a mulieribus faceſſere imperat, planeque proſcribit, eaſdem patulis pectoribus ſcādala animarum Dæmonumq; aucupia negotiātes Carolus ſilentio tranſmittet? Ieſu Chriſte, quæ portenta audio! procul hæc omnino ſunt a doctrina, a conſilijs, a decretis, ab actis, a diſciplina, a ſpiritu, atque exemplis ſanctiſſimi, ac ſapientiſſimi Paſtoris, vt conſtat.

CVII. Solicitudo Paſtoralis Cardin. Montij arcet cōtagionē.

CVII. Verùm nihil iſtorum timendum, dum Eminentiſſimus Montius Archiepiſcopus Cardinalis huic Eccleſiæ Mediolanenſi præſidet. Nam ſingulari planè zelo, vigilantia, atque conſtantia ingruenti iſti corruptelæ ſeſe oppoſuit. Non ſolùm quippe Concionatores, & Confeſſarios ad eam vituperandam, compeſcendam, exterminandamque paſtoralibus monitis ſæpius hortatus eſt, & alia pleraque officia quoque priuata paternæ correctionis cum alijs nobilibus feminis interpoſuit; ſed ipſemet etiam in Metropolitano huius Vrbis Mediolanenſis maximo Tēplo, ipſo ſolemni feſto Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis, cui idem Templum nuncupatum eſt, inſignem omnino Concionem, diuinarum Scripturarū Oraculis, ſanctorumq; Patrum ſentētijs refertiſſimā, ac luculentiſſimam in pectoralis nuditatis feminarum deteſtationem, vbi priùs de ſumma Matris Dei in cultu modeſtia diſſeruit, ad auditorium confertiſſimum, & nobiliſſimum ſuperiore anno habuit, maximo planè cum ſapientum omnium, præſertim Religioſorum virorum, applauſu, nec non etiam cum ipſarum mulierum fructu. Neque hiſce pudoris vindicijs contentus, illuſtriſſimas quoque matronas; ad tegendum pectus ſuâ prudentiâ, humanitate, caritate, atq; auctoritate peruicit, vt nullam porrò pectoris nuditatem ampliùs oſtenderint, animumque ad id probè operiendum ſeriò tādem induxerint. Quę omnia, & alia vigilantiſſimi Paſtoris munia dum Eminentiſſimus Montius implet, vſitatam Eccleſiæ Mediolanenſis morum normam, ac diſciplinam conſeruat, conſeruabitque, & digniſſimum S. Caroli ſucceſſorem ſe non minùs factis, quàm verbis, ſicuti comprobare ſtudet; ita in dies etiam magis magiſque, aſpirante Numine, comprobabit.

Qua ratione Confeſſarius, & Sacerdos explicatam Doctrinam in vſum reuocare debeant. Cap. III.

I. Probabilitas opinionis ſaltem per auctoritatē externam Doctorū arctat certitudinē oppoſitæ ſententiæ.

I. VNicum dubium iam ſupereſt, quid Confeſſario, & Sacerdoti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta adminiſtrantibus, doctrinamque antea probatam probantibus, ratamque & fixam habentibus agendum ſit, vbi alijs Confeſſarijs, & Sacerdotibus doctis quoque ac pijs eadem Sacramenta pertinacibus quoque in luxuriantis valde ornatus, inſolitęq; nuditatis pectoralis corruptela impertiri ſciunt; an horum exemplum tutâ conſcientiâ

ſcientiâ ſequi illi poſſint, aut etiam debeant? Hîc enimuerò controuerſia ingens cunctis præteritis quæſtionibus non leue negotium facesſit, in quibus diſſoluendis quum pleraſque ſententias non ſolùm probabiles, ſed etiam certas; oppoſitas verò omnino improbabiles pronuntiarim, generalis quædam oppugnatio iam omnes eiuſmodi notas ac cenſuras inuadit, molliquè admodum brachio prorſus expungit. Quamuis enim probabilitas opinionum ſupra reiectarum per interna principia, & cauſſas ab eo,qui hæc cognoſcit, exploratáque eſſe ſibi perſuadet, ſuſtineri nequeat; commodè tamen, & tutò per externa principia, atq; auctoritatem Doctorum ſecus exiſtimantium, etiam aduersùs certam,propriamque ſententiam propugnari ac defendi poſſe videtur, quẽadmodum in ſexcentis alijs quoque caſibus vſuuenire compertum eſt, & Theologi paſſim, vt notum eſt, docẽt. Ergo totus horum Paradoxorum fructus ſi non vno penè flatu difflatur, magna certè ex parte corrumpitur.

II. Video ſanè capitatum arietem, vſitatumque machinamentum ad quaſcunque doctrinas tametſi minimè ancipites,ſed certas etiam excuneandas, eludendaſque ſemper in promptu,nec ratò etiam a compluribus perperam peruerſeque vſurpatum; quo ne quis abuſus,fucum veritati facere, Lectoribuſque minùs oculatis imponere deinceps poſſit, integrâ *Trutinâ moraliũ opinionum* recèns ex deſtinato elucubratâ,haud ſegniter, ni fallor, proſpexi. Ex qua paucis,quæ excitatæ difficultati perrumpẽdæ ſatis ſint,hìc ſtrictim libatis,iniectam paulò ante remoram facilè tollo.

III. *Sed reijcitur a Legiſlatoribus, nec admittitur ad Sacramenta, etſi abſolutus a Confeſſario, qui in leges delinquit. &c.*

Nam reſpondeo in primis tale effugium,per quod omnes leges nullo negotio irritæ planè redduntur,a cunctis Legiſlatoribus minimè admitti. Quin D. Carolum expreſsè denuntiare, ne a Parochis Sacramenta adminiſtrentur ijs, quibus negat in certis caſibus eſſe adminiſtranda,etiamſi ijdem dicant a ſuis Confeſsarijs ſe fuiſse admiſsos.

IV. Dices, quanquam S. Carolus ita ſtatuit, non proptera tamen ius adimitur cæteris,quin alios graues Theologos ſecus docentes ſequi poſsint. Olim plures opiniones habitæ ſunt improbabiles, quæ poſtea a recentioribus Doctoribus ſolida probabilitate donatæ ſunt. Reſpondeo id a me non negari: ſed hoc ſolũ intendi: ſicut S. Carolus volebat certum ius ſuarum Legum,quæ tum erant in viridi obſeruantia, ſeruari, neque admitti a Parochis earum violatores, licèt ab alijs Cõfeſſarijs admiſſos:ita pariter Theologum gnarum ex ſententia Doctorũ indubitata mortalis damnari inſolitã muliebris pectoris nuditatem,non debere admittere tales mulieres inſolitè nudantes ad Sacramenta, etiamſi a nonnullis alijs admittantur. Diuerſa autem ratio eſt quando opinio probabilis oppoſita reperta eſt, tum enim licet ei adhærere plerumque: at ſecus eſt in præſenti caſu, in quo probabilitas a mortali excuſãs inuſitatum eiuſmodi nuditatem nondum ab vllo eruta, vel oſtenſa eſt.

V. *Nec facta bonorum, & doctorũ virorũ ſunt probabilitati opinionis ædificãda ſatis.*

II. Aio eam conſequentiam a pleriſque frequentatam: *Hoc, vel illud a viro docto, & probo fit. Ergo idem quoque cuilibet alteri ſemper licitum eſt*: eſſe omnino falſam, vt ex profeſſo in dicta *opinionum Trutina, par. 1. cap. 10. §. 8. probat. 10. num. 6.* oſtendo. Sint planè quicunque Confeſſarij, & Sacerdotes qui feminis luxuriantem valde ornatum adhibentibus, aut pectora contra morem regionis, in qua verſantur, nudantibus Sacramenta etſi huiuſmodi corruptelis abſtinere

nolint,

nolint, liberè concedunt, viri longè doctiſſimi, & religioſiſſimi; ſuas habeant rationes, quibus ducantur, ſua fundamenta, quibus nitantur. Id tamen non ſufficit, vt alius in re clara ſibique perſpecta aliter poſſit ſentire, atque agere licitè, vt in lucubratione citata toto *cap.* 8. & *ſeqq.* reuici. Quāquam enim maximi viri illi ſint, id tamen non prohibet, quin aliquis alius, etiamſi minimus, in certa aliqua & ſingulari materia, aut quæſtione peritior eſſe poſſit, quàm ipſi, etiamſi ijdē innumeris alijs prærogatiuis floreant, ac cunctis antecellant vſque ad miraculum. Perexigua, & breuis in volatilibus reſpectu aquilæ eſt apis, nullius planè pretij, nullius nominis; & tamē hæc ingenioſa mel elaborat, quod nequit aquila, etſi iſta tot alijs dotibus eā vincat. Haud ſecus magni plurimi ex Auctoribus, qui, licèt morte ſublati, in ſuis tamen præclaris monumentis æternùm viuunt; magni quoque plurimi alij, qui noſtro quoque æuo ſuperſtites, ingenio, eruditione, doctrina, magiſterio, librorum editione locupletem auctoritatem ſibi compararunt. At nihilominùs poteſt puſillus aliquis ſingularem aliquam quæſtioſtionē excuſſiſſe, & alia vidiſſe, quæ illi non viderunt, neq; excuſſerunt, quanquam ijdem longè plurima alia quoq; puſillo nunquā excuſſa, nec viſa viderint, & ſi quæ puſillus excuſſit, excuſſiſſent quoq; etiā ipſi, feliciùs, ac meliùs excuſſuros fuiſſe mihi perſuadeo.

VI. Præferēdaq; auctoritas, & veneratio Doctorū iā defunctorū viuētib⁹.

III. Denuntio ſeriò, ac obſeruatè, magnum hîc a me honorem Doctoribus haberi. At enim Confeſſarij plures, & Sacerdotes Sacramenta feminis valde immoderato ornatu vtentibus, aut pectora contra loci conſuetudinē detegentibus ſine vllo ſcrupulo adminiſtrant. Tranſeat. Verùm ego Doctorum omnium, qui hac de re vulgatis libris tractarunt, ac cōſentiunt, vt *diſp.* 1. & 2. demonſtraui, auctoritatem pluris faciendam, quàm aliorū modò viuentium, & ſolo facto diſcrepantium, nulla autē probabili ratione explicatā redditaq; opinioni contrariæ, quam ſectātur, probabilitatē conciliantium, qui omnibus illis Doctoribus librorū editione inclytis ſimul iunctis auctoritate non dum ſe ſe exæquarunt, iure optimo arbitror; nec quiſquam de hac mea exiſtimatione meritò conqueri poteſt.

VII. Quādo tutò opinio aliqua vt probabilis admitti poſſit.

IV. Cenſeo, vt quis alienam ſententiam velut probabilem tutò amplecti poſſit contra propriam, neceſſe omnino eſſe, vt quando propria opinio ratione firmā, etſi minimè demonſtratiuā, aut certa moraliter, nititur, oppoſitæ opinionis rationē quoq; probabilem non ſolùm præſumat, ſed etiam expreſſam videat, atque intelligat: quando verò propria certā ratione vel textu munitur, probabilem iſtius ſolutionem a contrarijs Doctoribus allatam percipiat; nec ſatis eſſe cuiuſcunque viri docti, & probi nudam auctoritatem apud eum, cui contraria fundamenta vim inferunt, vt copioſè in memorata opinionum *Trutinā, par.* 1. *cap.* 8. 9. 10. 11. & 12. planum feci. Rectè enim Epiſcopus Malderus 1. 2. q. 19. *art.* 5. & 6. *diſp.* 86. *verſ. Dico Secundò*, ad probabilem opinionem neceſſariò requiri animaduertit, vt *non temerè contradicat communi & receptæ Doctorū ſententiæ, vel euidenti rationi.* Vt autem vir doctus, de quo ſolùm hîc loquor, qui communem, & receptam Doctorum ſententiam amplectitur, aut rationem certam, euidentemq; reputat, alium diſſentientem non temerè illi contradicere prudenter iudicet, haud ſatis eſt nuda ipſa viri docti, probique diſſentientis auctoritas, ſed explicitā inſuper ſolutione probabili funda-

ſundamentorũ communis ſententiæ, vel euidentis rationis opus eſt, quam idem vir doctus perſpectam habeat, quò ſententiam propriam certam iam eneruatam iure queat exuere, vt in eadem *Trutinâ, cap. 9 10 & ſeqq.* ſolidè oſtendi. Atqui contra concluſiones *diſp.* 1. & 2. probatas nullam rationem, aut ſolutionem probabilem ab vllo hactenus deprompta ſcio, nec reperire huc vſque quenquam potui, qui huiuſmodi Paradoxa ex profeſſo examinauerit, atque tractauerit, vt operæ pretium erat, neque Doctorem vllum, qui traditæ doctrinæ obluctetur. Quare ego ſanè aliter ſentientibus, niſi priùs opinionis oppoſitæ probabilitatem me doceant, prudenter aſſentiri minimè poſſum, ac proinde neque iuxta eorum opinionem licitè operari. De Euchariſtia autem ad eam accedentibus cum valde irreuerenti ornatu habituque denegandâ quinam ex Doctoribus diſputauerit, fruſtra ego diu multumque indagaui; adeoque neceſſe habui, animum, ac ſtudium huic quæſtioni diſceptandæ ab alijs neglectæ adijcere. An ergo ſi cernam Euchariſtiam laruatis hominibus, vel nudatis vſq; ad cingulũ mulieribus, vel ſimili irreuerentiâ impudentiſſimâ ſe obtrudentibus a viro probo, & docto præberi; continuò idẽ ego quoque licitè queam facere, non obſtantibus cunctis ſupra toto hoc in opere congeſtis, quæ penitùs reclamant? Non puto. & næ magnus mihi erit Apollo, quicunque id mihi haud tralatitiè commonſtrauerit.

VIII. Nuda facta Religioſorum ſat non ſũt opinioni probabili ſerẽda.

V. Nuda facta Religioſorum etiam virorum, licèt probitate, & doctrina præſtantium, quamuis vbi nihil obſtat, ad opinionem probabilem fundandã ſubinde ſatis ſint; nequaquam tamen, quoties grauis ratio, vel textus aduerſatur, vt in mea *Trutinâ opinionum, par.* 1. *cap.* 10. §. 8. oſtendo. At hîc aduerſùs talia facta nonnullorum Sacerdotum adminiſtrantium Sacramenta nudantibus pectus contra morem regionis, militat ſententia, tales culpæ mortalis damnans omnino certa, Doctorum omnium conſenſu, rationumq; efficacium præſidio munita militat. Ergo ex illis factis hîc nulla probabilitas opinionis exprimi poteſt.

IX. Confirmatio prædictorũ ex Lainio.

VI. Denique, ac poſtremò, confirmo prædictas meas rationes, & reſponſiones grauiſſima auctoritate, & ſapientiâ Iacobi Lainij Præpoſiti generalis Societatis noſtræ, viri conſummatæ prorſus doctrinæ, prudentiæ, probitatis, atq; virtutis, vt in Præfatione ad ipſum Lectorem initio Paradoxorum expoſui; cuius Doctoris longe doctiſſimi ſanè opuſculum *de ornatu, & fuco mulierum* manuſcriptum ſicut non priùs meas in manus peruenit, quàm quum omnia propè horum Paradoxorum folia iam typis impreſſa erant; atq; adeo integrũ mihi ampliùs nõ fuit, in præcedentibus quæſtionibus lucẽ, & ſplendorem meis dictis ex huiuſmodi lucubratione afferre; ita poſtea vbi eam reuolui ſedulò, reperi magno meo cum gaudio omnes meas, quas ex deſtinato propugnaui, concluſiones de ornatu mulierum, eiuſdem Lainij ſuffragio, teſtimonio, ac ſententiâ fuiſſe præuentas, ac ſtabilitas. Quocirca operæ pretium cenſeo, quoniam non licuit ſingulas quaſq; controuerſias tanti etiam viri calculis ſuo loco illuſtrare, appingere ſaltem in calce operis præclara additamenta, quæ inde excerpſi, vt principio Lectorem monui, & mox præſtabo. Ad rem verò præſentem quod attinet, ſimilem prorſus difficultatem ſibimet idem Lainius duodecimo, & vltimo loco obijcit eorum, qui *dicunt ſe conſuluiſſe & Confeſſores, & alios peritos, qui hu-*

huiuſmodi abuſum (immodici nimirum ornatus) *leuem dicunt*: ſtatimque talem prætextum ita planiſſime totidem hiſce verbis reijcit:

X. *Cuius verba recitantur.* *Reſpondemus, nec huiuſmodi viros ita bonos, & peritos eſſe, vt non poſſint decipi, quia contrarij videntur eſſe Scripturis, & Patribus, & rationi; neque conſulentes ita conſulere, vt decipi non mereantur. Deberet enim conſulens priùs præmittere orationem, deinde tollere peccatum prouocans Dei iram, ideo, quia Iudæi, licèt conuenerint, & ieiunauerint, manebant tamen in peccato conſulentes Deum, non ſunt exauditi, dicente Domino per Iſaiã c.* 58. Scire vias meas volunt quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: quare ieiunauimus, & non reſpexiſti. &c. *quibus reſpondet.* Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. *Præterea, Conſulens debet eſſe paratus, & expectare, & exequi diuinum conſilium, neque deſiſtere, vt Pilatus, qui quærens, quid eſſet veritas, non expectauit reſponſum: neque volens trahere ad ſuum affectum conſulentem, vt faciunt illi; qui, quia nolunt mores ſuos diuinæ legi accommodare, eam potiùs accommodant moribus ſuis, vt regulam Lesbiam; quod ne fiat, iuuaret imitari Saulem, qui mutato habitu conſuluit Pythoniſſam: ita & hi in aliena perſona caſum deberent transfigurare, ne Conſultor ſtudio placendi tractus a vero deuiaret, quæ quia non obſeruant, non eſt mirum, ſi decipiantur, dicente Domino:* iuxta iniquitatem interrogantis ſic iniquitas reſpondentis Prophetæ erit. Ezech. 14. *Præſtat igitur, omiſſis cauillis, & rationum fuco, abſtinere deinceps ab huiuſmodi crimine, nec Euam imitari matrem, quæ valde malè habuit, quòd ſeducta a Serpente varijs rationibus virum ſuaſerit edere pomum vetitum: quod licèt ridens fecerit, poſt factum tamen amarè fleuit; quem fletum ſicut & illum Magdalenæ quærentis Dominum tutiùs imitabuntur, vt in æternum poſtea gaudeant: aliàs verendum eſt,* ne ducentes in bonis dies ſuos, poſtea in puncto ad Inferna deſcendant.

Ex quibus liquet manifeſtò, tam eximio Doctore Iacobo Lainio iudice, non idcirco, quia culpæ leuis dumtaxat immodicus ornatus ab alijs viris doctis, & probis reus cenſetur; & conſequenter, qui in eo ornatu perſeuerare vult, abſque abſolutione ob eum dimittendus non eſt; ſatis hoc eſſe, vt quicunque alius vir doctus, ita iudicare pariter, & pœnitentem talem abſoluere debeat, aut poſſit. Eademque planè ratio eſt, etiamſi alicui Euchariſtia ab alijs doctis adminiſtretur, non propterea continuò eidem a quouis alio docto quoque alijs rationibus aliter informato, ductoque eſſe adminiſtrandam, vt abunde in citata mea *opinionum Trutina par.* 1. *cap.* 10. & 12. patefeci, & ſupra ſatis indicaui. XI. *Ex quibus res conficitur.*

Addi-

Additamenta Superioribus Paradoxis, ſingula ſuis quæque locis inſerenda, ex manuſcripta potiſsimùm lucubratione Iacobi Lainij Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu de ornatu, & fuco mulierum *excerpta. Cap. IV.*

Diſp. 1. initio *pag.* 4. *columna* 1. poſt ea verba : *ſeu deformitatem minuens* : addo :

I. Ornat⁹ pro ornamento, et cōtra hoc pro illo. PAſſim tamen ornatus pro ornamento, & ornamentum pro ornatu accipitur, quo pacto etiam a me ſine vllo diſcrimine plerumque vſurpabitur.

II. Diuiditur in ornatū ſtrictè ſuptū, & fucū. Porrò ornatus, ſiue ornamentum generatim ſumptum diuiditur in fucum, & in ornatum ſtrictè acceptum, vt rectè Laínius initio opuſculi *de ornatu mulierum* obſeruat. Fuci nomine intelligitur cultus ille pulchritudinis, qui mulierum præſertim arte concinnati ſolet, vel ad cutis mollitiem, & ſplendorem concinnandum; vel ad colorem rubrum, aut album mentiendum; vel ad oculorum ſpeciem augendam; quando nempe mulieres ſiue aquis acrioribus, & abſtergentibus, vel alijs vnguentis maculas faciei, & pellis duritiem tollentibus, & ei nitorem comparantibus, vtuntur; ſiue ceruſsâ, & purpuriſſo faciem liniunt, & incruſtant, & ſtibio oculos ſuffundunt; ſiue pilos e cilijs, & fronte euellunt; ſiue crines torquent, aut alienos capillos adhibent. Ornatus verò nomine deſignatur quicquid gemmarū, & auri, & veſtium additur corpori, vel etiam lectis, & parietibus, & iumentis. Quo pacto Tertullianus duplici libello, altero de cultu mulierum, altero de ornatu earundem diſſerit, ac priore quidem de fuco, poſteriore autem de ornatu. Cæterùm in his Paradoxis, nomen ego ornatus, ſiue ornamenti, non ſtrictè, ſed generatim, & latè ſumpti, prout etiam fucum cōplectitur, indiſcriminatìm ordinariè, vbi nullo diſcrimine res ipſa tractata indigebit, vſurpabo.

Diſp. 1. *cap.* 1. *pag.* 4. *col.* 1. *num.* 1. *verſ.* 3. poſt illa : *ne moderatum ego ornatum* : addo :

Eum nempe, qui iudicio bonorum, & prudentium intra rationis metas continetur. *III.*

Ibid. num. 2. *col.* 2. *verſ.* 4. poſt illa : *Ruth.* 3. addo :

Video Eccleſiam ſub typo honeſtæ Reginæ a Dauide Pſal. 44. deſcriptam: *Aſtitit Regina*, inquit, *a dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.*

Ibidem, verſ. 11. poſt illa : *verba facientem* : addo :

Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis, collum tuum, ſicut monilia, murenulas aureas facimus tibi vermiculatas argento : vel, vt vertunt alij : *Venuſtæ ſunt genæ tuæ conuenientibus ornamentis, & collum tuum torquibus: Ornamenta enim conuenientia ex auro faciemus tibi cum notis argenteis.* Video ſanctam quoq; feminam Suſannā, etſi naturâ pulchram, balneum tamen, & vnguenta inſuper addidiſſe: vnde ancillis ſuis imperat, Dani. 13. *afferte mibi* *IV. Ornat⁹ moderatus licitus eſt.*

mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia pomarij claudite, vt lauer. Illa autem: *Muranulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, vt ſuperflua, deleantur.

Ibid. verſ. 16. poſt illa: *vſam fuiſſe:* addo:

V. Video de eadem Regina in eodem libro, *cap.* 15. memorari, quòd *die tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & eſt circundata gloriâ ſuâ, quum regio fulgeret habitu, & inuocaſſet omnium Rectorem, & Saluatorem Deum, aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur, quaſi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens: altera autem famularum ſequebatur Dominam defluentia in humum ornamenta ſuſtentans: ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa & gratis, & nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.*

Ibid. pag. 5. *num.* 2. *verſ.* 12. poſt illa: *vt Iudith.* 10. *ſcribitur.* addo:

VI. Ex quo loco, vt bene notat Lainius *de ornatu, quæſt.* 3. conſtat, ſanctam Iudith non ſolùm ornatu, fucoque ad Olofernem decipiendum vſam fuiſſe, ſed olim quoque, quum maritus eius viueret, eundem cultum adhibuiſſe, ſiquidem ſacer Hiſtoricus diſertè teſtatur, eam *induiſse ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ*; rurſumque: *& omnibus ornamentis ſuis ornauiſſe ſe.*

Diſp. 1. *cap.* 4. *num.* 5. *pag.* 15. poſt illa: *mortiferè peccare:* addo:

VII. *Ornatus euadit* Ad hoc caput rauocatur culpa grauis, quam contrahunt plereque mulieres, *quæ tanto ſtudio*, vt bene notat Lainius in opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. Ratione 1. *ſe ſuperfluè ornant, vt Deum ſui corporis adorare videantur. Illi enim ingenium, memoriam, voluntatem, & linguam, & labores, & ſubſtantiam offerunt, dum nil aliud ita cogitant, memorant, loquuntur, amant, & laborant, ſicut corpus ornare. Quod etiam idolum alijs adorandum oſtentant dum compoſito gradu, & pompaticè incedunt per vicos, & plateas, & templa.* *mortalis ob violationẽ aliorum præceptorũ.* Vnde ratione tam deprauati affectus nullo negotio aliquod præceptum violant, grauiterque delinquunt. Nec ſolùm artifices his, quæ ad fucum, atq; ornatum pertinent. vt carè vendant, vtque expectentur, dum hęc vana conficiant, mille periuria frequentant; ſed etiam ementes quoque millies peierant, vt viliùs emant, vel empta apud maritos, & parentes, vel Dominos excuſent. Violant inſuper eadem feſta, & loca ſacra, dum Sacra omittũt vel quia non ſunt ornatæ, vt earum ſuperbia cupit, vel quia tempus in ſe ſe ornandis diu nimis temerè inſumunt.

Diſp. 1. *cap.* 4. *nu.* 7. *pag.* 15. *col.* 1. *verſ.* 37. poſt illa: *opus exiſtimo*, addo:

VIII. Lainius in opuſculo *de ornatu mulierũ* citato, alios caſus *quæſt.* 5. in quibus ornatus euadit mortalis, recenſet. Vnde lethalis fit

IX. *Tum ob contemptũ Dei directũ.* Sextò, ratione directi contemptus Dei, *vt quum mulier deliberato animo deſpiciens formam ſibi a Deo datam, quaſi ſibi bene non prouiſum fuerit, querula de diuina prouidentia, vult aliam quaſi meliorem pulchritudinem ſuperinducere, quod planè mortale eſt, vt D. Thomas ait, quia contra caritatem Dei eſt, eum contemnere vilipendẽdo eius fabricam,* quod etiam ſtatuit Abulenſis in *cap.* 11. Matth. *quæſt.* 25.

X. *Nec non ob ſpretū mariti iuſſum. In cap. Fucare, de conſecrat. diſt. 5.*

Septimò, *quando vxor contra præceptum viri ſui expreſſum, vel præſumptum vtitur fuco, vel ſuperfluo ornatu, tunc anim eſt mortale, vt ait Cardinalis de Turrecremata. Eſt enim hoc ſuperbia, & inobedientia mortalis, quia eſt de re ſeria, & habente mali ſpeciem, & dante viro zelotypo occaſionem ſuſpicandi laſciuiam, & iurgia, & mala magna excitandi.*

Diſp. 1. cap. 4. nu. 10. pag. 15. col. 2. verſ. 14. poſt illa*: cap. 10. num.* 221. addo:

XI. *Ornatus valde ſupfluus mortalis eſt.*

Idem prorſus quoque antea docuerat Iacobus Lainius in ſuo opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, *quæſt. 5. caſu* 12. multis in locis, nec non in ſolutione tertiæ obiectionis; vbi diſertè ait: *Si abuſus ille magnus eſt, vt pote de re magna, vel in malum finem notabiliter, abuſus ille mortalis eſt, quod accidit in exceſſiuo cultu, & ornatu.*

Diſp. 1. cap. 5. §. 4. nu. 43. col. 2. verſ. vlt. poſt illa: *ſatis probata eſt.* addo:

XII. *Occaſio proxima ſubducēda ſub mortali eſt perſona etiam indefinita.*

Probo VI. Quando occaſio non eſt ſufficienter hîc, & nunc determinata cum probabili periculo delinquendi lethiferè, atque adeo non eſt proxima; tum ſiue Titius in particulari, ſiue alius in confuſo, & vagè lapſurus in peccatum a puella proſpiciatur, non tenetur eadem puella talem occaſionem ſubducere, quia eſt tantùm occaſio remota, & non proxima, vt aſſertione pimâ docui. Ergo ſi ea occaſio ſufficiēter determinetur, & cum probabili periculo delinquendi mortaliter hîc, & nunc coniungatur, atque ita fiat proxima: puella abſque iuſta cauſſa præbens talem occaſionem, in vtroque caſu peccat lethaliter, ſiue a Titio in particulari, ſiue ab aliquo indefinito ſe concupiſcendam animaduertat: quia in vtroque caſu præbet ſine cauſſa ſufficienti, aut non ſubtrahit occaſionem proximam delinquēdi mortiferè alteri, vt clarum eſt.

Diſp. 1. cap. 5. §. 9. num. 127 pag. 71. col. 2. verſ. 19. poſt illa: *contra teneat.* addo:

XIII. *Species etiam peccati particularis in ſcandalo confitenda eſt.*

Idem enucleatè ſancit Hurtadus de Mendozza 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 8. §. 61. cui adhæret prorſus etiam Diana *par. 5. Tract. 7. de ſcandalo, Reſol. 2.* vbi ait: *Præmittendum eſt, difficultatem de oppoſitione ſcandali cum caritate, aut diſcrimine ſcandali actiui, & paſſiui eſſe ſpeculatiuam potiùs, quàm practicam; etenim in quauis ſententia ſcandalizans tenetur exponere in confeſſione, qua ratione fuit alicui occaſio peccandi, neque ſatis eſt, exponere, ſe occaſionaſſe alicui peccatum, ſed opus eſt, exponere tum ſpeciem ſcandali actiui, tum paſſiui.* & infrà: *Exponenda etiam ſunt omnia ſcandala paſſiua in ſpecie, nec enim ſatis eſt aperire, te fuiſſe mihi occaſionem peccati, ſed opus eſt afferere, cuius peccati ſpecie, an luxuriæ? adulterii? furti? aut cuiuſuis alterius.* Quid clarius?

Ibidem, num. 128. *col.* 2. *verſ. vlt.* poſt illa: *ad mortale inducit.* addo:

XIV. *Vt liqꝫ e Sancto Chryſoſtomo.*

Probo 1. perſpicuâ, & grauiſſimâ auctoritate S. Ioannis Chryſoſtomi *ſermone, quòd Regulares feminæ viris cohabitent*, cuius verba infra *cap. 7. §. 6. num.* 71. ſyllabatim referam; vbi ſapientiſſimus Doctor inter reliqua, hæc etiam habet: *Quomodo putas te puram a peccato, quum totum ipſum opus operata ſis? etenim quum adulterum feceris perfectum eum, quem tuo*

iſto

iſto habitu cepiſti, quomodo non potes eſſe adultera, quum opere tuo adulterium committitur? Illius inſania tuum opus eſt. Profectò te, quæ adulteros præparaſti, adulterij ſupplicium minimè poſſe effugere, nulli non manifeſtum. Tu gladium acuiſti, tu dexteram armaſti, tu armatam dexteram in miſeram animam impuliſti: quomodo igitur poteris ab homicidij ſupplicio liberari? Ex quibus liquidò conſtat eum, qui præbet ſcandalum, reum eſſe non ſolùm alieni peccati in genere, ſed etiam in ſpecie, vt furti, & conſequenter talem etiam ſpeciem furti, Chryſoſtomo Iudice, confiteri debere.

Diſp. 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 19. *verſ. vlt. pag.* 128. poſt illa: *facit de ſe credi:* addo:

XV. *Nimius ornatus gignit impudicitiæ ſuſpicionē.* Eadem prorſus eſt ſententia Iacobi etiam Lainij Pontificij Theologi in ſuo opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. Ratione 2. vbi ait: *Habitus index eſt eius, qui illo ornatur: & ita ſicut miles, & nauta, & Monachus, & Philoſophus, & Senator, & Doctor, & Rex, & Pontifex, ex habitu dignoſcitur; ita honeſta, & inhoneſta mulier. Inhoneſtæ autem mulieris habitus fucus eſt, & ornatus ſuperfluus. Talem enim, vt vidimus, deſcripſit Ioannes in Apocalypſi, de qua etiam Salomon ait:* & ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas. Prou. 7. *Idcirco Iudas, quum videret Thamar, quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſerat theriſtrum, & mutato habitu ſedebat in biuio, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem. Vnde Lacedæmones ſolis meretricibus, teſte Clemente Alexandrino, veſtes fucatas coloribus, & auri vſum concedebant. Quum igitur fucus, & ornatus ſuperfluus meretricem indicet, quæ illo vtitur, ſe quaſi impudicam infamat. Neque ſe purgat, ſi lingua teſtetur, ſe eſſe pudicam, quia eſt proteſtatio contraria facto; ac ſi quis aliquem pugno percutiens, proteſtetur, ſe nolle eum percutere, cui proteſtationi non eſt adhibenda fides: ita etiam, quum facies, oculi, pectus, manus, pedes, inceſſus, & omnia membra fuco, & ornatu ſuo teſtentur impudicitiam, plus illis mentiri neſcijs credet homo, qui cor non intuetur, quàm linguæ ſoli mentiri aſſuetæ.*

Diſp. 1. *cap.* 7. §. 2. *pag.* 137. *nu.* 24. *col.* 1. *verſ.* 39. poſt illa: §. 2. *ibid. &c.* addo:

XVI. *Fucus præclaris ornamentis magis infeſtus eſt caſtitati.* Sed longè ante ipsũ Sopranis eãdē de re Iacob⁹ quoq; Lainius in opuſculo de ornatu. & fuco mulierum ita præclarè diſſerit. *Ornamenta pretioſiora licèt lædant Rempub. in abuſu diuitiarum, quæ ſunt verui ipſius, plus, quàm fucus; in prouocatione tamen ad luxuriam, & ad mala, quæ ex eo naſcuntur, plus nocet fucus; quia experientia monſtrat, quòd veſtis, licèt pretioſa, modò ſit honeſta, non prouocat ita ad laſciuiam: imò quo honorabiliorem oſtendit habentem, eo minùs ſperant, & audent carnales eam prouocare; fucans autem ſe, oſtendit ſe curioſam, & vanam, & quæ carnis ſunt, quærentem, & quaſi ſe proſtituentem, ideo aditum facit concupiſcentiæ, & audaciæ eam tentandi. Idcirco volebat Paulus, vt velato capite in Eccleſia mulieres orarent propter Angelos, qui offenduntur, dum in tortis crinibus, quaſi reti, & Dæmonum nido piſcantur animas, quas ipſi cuſtodiunt. Ideo etiam Tertullianus laudat feminas Arabes, quæ media luce ſe priuabant, altero tantùm oculo videntes, ne ab hominibus inſpicerentur. Reprehen-*

dit etiam Reginam illam Romanam, quæ illas miſeras dicebat, quòd ita velatæ amare poſſent, & non amari; hoc, inquam, reprehendit Tertullianus, quia rarò accidit, quòd ipſæ ament, ſed frequenter amentur, ſi non velantur. Vnde etiam Clemens Alexandrinus non commendat illam, quæ, quum audiſſet, pulcher cubitus, *reſpondit,* at non publicus: *& dicenti,* pulchra facies, *reſpondit,* at ſolius mariti mei. *Conſultius enim fuiſſet regere membra, quàm occaſionē dare huiuſmodi laudatoribus, qui ab his ſcandalizantur: melius eſt enim labi pedibus, quàm oculis, teſte* eodem *Clemente Alexandrino.*

Diſp. 1. cap. 7. §. 4. pag. 146. nu. 49. col. 2. verſ. 41. poſt illa: §. *6. recitato,* addo:

XVII. ornatus valde ad laſciuiam prouocans mortalis eſt.

Hanc eandem ſententiam Iacobus quoque Lainius in opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. tradit quàm diſtinctiſſimè, & operosè etiam probat. *Quum igitur,* inquit, *ita fucus, & ornatus ſuperfluus Deum offendat, & eum, qui ſe ſuperfluè ornat, & alios proximos omnes: mortale peccatum procul dubio erit ſæpiſſime, & æterno igne dignum, idcirco totis viribus vitandum, & diſſuadendū. Quod tamen de vniuerſo abuſu, vel aliqua magna eius parte intelligendum cenſeo. Talis enim contra caritatem ferè militat. Quod non ita auderem aſſerere de quauis huius abuſus parte: nec enim ſemper peccatum mortale putarem abuti alienis capillis, vel pilos euellere, vel chirothecis excedentis pretij, & ſimilibus. Quoduis enim ſeorſum non ſemper erit contrarium caritati, quia expenſas caritati contrarias inducet* (ſic habet meum exemplar, ſed mendosè, quum dicere debeat neceſſariò, *non inducet*) *neque vtentem impudicam oſtendet: neque alium mortaliter ſcandalizabit.* Vbi Doctor grauiſſimus ſancit planiſſimè, quum ornamentorum exceſſus non eſt ſaltem magna ex parte, hoc eſt, non eſt notabilis, non eſſe per ſe lethalem; quum verò magna ex parte, ſeu notabiliter excedit, eſſe mortiferum: non ſolùm quando exceſſus notabilis eſt in genere prouocationis ad laſciuiam, ſed etiam quando quoque eſt in genere tantùm pretij, vt ibidem pluribus docere nititur, Vnde de abuſu ornatus, & fuci paulò ante eodem loco generatim ſic enucleatè ſcribit: *Non ſolùm enim Auctores Scripturæ, quos attulimus, ſed innumeri Sancti, & Doctores, & antiqui Patres* (in quibus Lainius, ſi quiſquam alius, erat verſatiſſimus) *huiuſmodi abuſum taxant, & igne æterno dignum exiſtimant; qui tam multi ſunt, vt ob prolixitatem vitandam, eorum ſententias non retulerimus.*

Itemq: excedēs multū in genere pretij ſolùm.

Eidem quoque ſententiæ ſubſcribit Alphonſus Salmeron a Sede Apoſtolica delegatus Theologus in Concilio Tridentino, Lainijque ibidem collega, Tom. 15. in Pauli Epiſt. diſp. 9. in 1. Timot. 2. *pag.* mihi 479. ſic palàm ſanciens: *Poſtremò cogita, quòd in fuco, & pigmentis, maximè immoderatis, aut in ornatu veſtium ſuperfluo non vnum ſimplex peccatum, ſed multiplex, & graue ſæpe inuenitur. Eſt enim ſuperfluitas, vanitas, inanis gloria, impudicitia, prouocatio libidinis, contemptus proximi, erga pauperes immiſericordia, peſſimum a matribus ad filias, & alias mulieres transfuſum exemplum: inde excreſcunt in immenſum dotes, & patrimonia integra abſumuntur, dum nullus ab alio ſinit ſe ſuperari. & vt hæc poſſint ſuppetere, multæ vſuræ admittuntur, & maxima populo ſcādala exhibentur.* Vbi, quando ornatus ſuperfluus valde grauiter prouocat ad libidi-

XVIII. Idemq; docet & Salmeron.

libidinem, minimè dubitat Salmeron culpam eſſe grauem, hoc eſt, mortale, ſine cauſſa legitima eum geſtare. Quod euidentius liquet ex eo, dum illico ſubdit ab Apoſtolis Petro, & Paulo fuiſſe vetitum, & non ob lenia delicta.

Diſp. 1. *cap.* 7. §. 7. *num.* 75. *pag.* 158. *verſ.* 37. poſt illa: *iure non poteſt*: addo:

XIX. *Et ex Iſaia euincitur.* Confirmatur I. quia ex *cap.* 3. Iſaiæ conſtat, ob mulierum vanitatem in ornatu irrogandum ſupplicium vaſtationis denuntiari a Deo. *Pro eo,* inquit, *quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & motibus oculorum, ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques,* & cætera, quæ ſupra *cap.* 2. *num.* 2. iã recitaui. vbi notanda præcipuè illa Prophetæ poſtrema verba: *Pulcherimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mœrebunt, atq; lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit.* Ex quibus liquet, vaſtitatem vrbis prę vano feminarum cultu diuinit' importari. Iam, etſi mors corporalis non ſemper ob ſolum peccatum lethale a Deo infligitur, nec etiam in vetere Teſtamento infligebatur, ſi quidem Prophetam illum a falſo Propheta deceptũ, vt, præter iuſſum Domini, comederet, ac biberet, repentina morte ſublatum, quẽadmodum 3. *Reg.* 13. legimus, culpã leuem tantummodo contraxiſſe Doctores communiter tradunt, vt videre eſt apud Gaſparem Sanctium *ibid.* Heli quoque Sacerdotis crimen ob filios peccantes non ſatis fortiter correctos, præ quo ſubita morte punitus eſt, vt patet 1. *Reg.* 4. quanquam plerique fuiſſe mortale autumant, complures tamen veniale dumtaxat fuiſſe opinantur, vt idem Sanctius, & Mendozza *ibidem* oſtendunt. Nihilominùs quum non ſolùm mors corporalis vni, vel alteri infertur, ſed cędes, ac ſtrages, vrbiſque vaſtatio diuinitus immittebatur in veteri Teſtamento, non ob lenia, & venialia peccata, ſed ob mortalia delicta a Deo infligebatur, & quibus criminibus mors corporalis, grauiſq; vaſtatio populi, ſeu deſolatio tum infligebatur, in nouo Teſtamento Infernus imminet, vt rectè Lainius in opuſculo *de ornatu mulierum, quæſt.* 5. *caſu* 12. obſeruat, & ſtrenuè vrget. Ergo quum hoc loco vaſtatio vrbis ob vanum mulierum ornatum a Deo in ſupplicium immittatur, culpæ mortalis ille ſatis apertè arguitur. *Conſiderandum etiam eſt,* ſubdit illico idem Lainius, *quòd ſi in veteri Teſtamento, vbi carnalia promittebantur, hic abuſus erat mortalis, in nouo erit horrendum crimen, vbi ſpiritualia bona promittuntur, & via ad illa eſt crux, & eius luctus ſtatuitur, qui non ſolùm mente, ſed corpore, & ornatu profitendus eſt.*

Confirmatur II. quia Paulus caritatem deſcribens 1. *Corin.* 13. inter reliqua de ea ait: *Caritas non æmulatur, non agit perperã.* quod Clemens Alexãdrinus, teſte Lainio, *loc. cit.* ad cultum ſuperfluum, & ambitioſum refert, ideoque ſequitur, *non inflatur, non eſt ambitioſa.* Ergo *qui perperam agit cultu ſuperfluo abutens* (infert idem Lainius) *ſine caritate eſt. Si enim Dominus præcepto ſuo, vt Clemens Alexandrinus ait, prohibet ſolicitudinem etiam neceſſarij ornatus, dicens:* Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, nec corpori veſtro, quid induamini: *quanto magis intelligitur prohibere ſuperfluum ornatum,* XX. *Nec non ex Apoſtolo quoq;*

quem

quem Paulus deſcribens ait? Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, & auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. Cui conſonat Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 3. palàm enuntians: Similiter, & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore ſanctam, vel (vt alij reddunt) caſtam conuerſationem veſtram, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples; Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubiectæ proprijs viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ, benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem. Hactenus Apoſtoli. Ita Lainius.

Ibidem pag. 158. *diſp.* 1. *cap.* 7. §. 7. *num.* 76. *verſ.* 11. poſt illa: vt eodem *cap.* 2. monſtraui: addo:

XXI. *A quibus vetitus eſt apertè.* Confirmo hanc reſponſionis, & euaſionis refutationem auctoritate, & ratione Lainij, qui *loc. cit.* manifeſtè aſſeuerat eos, qui in allatis Scripturis præceptum vetans ſuperflua ornamenta non agnoſcunt, decipi, probatque ex eo, *quia quum Iſaias Iudæis feminis ſub præcepto, & graui comminatione ſuperfluitatem ornatus probibeat* (vt ſupra expendimus) *Apoſtoli Chriſtianis feminis tanto plus prohibebunt. Quod ex adiunctis verbis manifeſtè conuincitur. Nam ſobrietas, & verecundia, & proteſtatio pietatis per bona opera, & ſancta, ſiue caſta conuerſatio, & modeſtia, & quies ſpiritus, de quibus Apoſtoli ante, & poſt loquuntur, præcepta ſunt, & non conſilia. Ergo & ſententia de ornatu, quæ in horum medio ponitur, præcepti erit, & non cōſilij; & quia præceptum propriè mortale vetat, & Apoſtoli, & ſancti Doctores non ſolent ita exaggerare leuia peccata, quia eſſet animas illaqueare, quæ ſine his peccatis viuere nequirent, fit, vt peccatum mortale hîc prohibeatur;* nempe quum ornatus notabiliter excedit; etſi ex leuitate exceſſus contingat eſſe tantùm venialem; ſicut in quolibet alio etiam præcepto habente latitudinem materiæ, ex huius leuitate culpa, alioqui grauis, in venialem degenerat, vt vulgatum eſt.

Tantundem prorſus ſentit quoque Alphonſus Salmeron Theologus Pontificius, collega Lainij in Cōcilio Tridentino, *Tom.* 15. *diſp.* 9. *in* 1. *Timot.* 2. vbi ait: *Neque credibile eſt, propter tam leuia delicta, ſi grauia non fuiſſent, Apoſtolos Petrum, & Paulum tantam verborum efficaciam adhibuiſſe in funditus extirpando hoc abuſu, Neque Deus apud Eſaiam* cap. 3. *tantâ verborū acerbitate, et tot ornamentorū peculiari enumeratione hoc vitium perſecutus eſſet, neque adeo graues pœnas tùm feminis, tùm viris interminatus eſſet. Nam eorum pulcherrimos viros gladio interituros, & fortes ſuos in prælio conterendos denuntiat.* XXII. *Idem tradit Salmeron.*

Diſp. 1. *cap.* 7. §. 7. *pag.* 159. *num.* 78. *verſ. vltimo* poſt illa: *aut percipio*: addo:

Quin addo etiam, vt præclarè philoſophatur Lainius, *non ſolùm feminis illis primitiuæ Eccleſiæ ornatum immodicum fuiſſe prohibitum,* etſi cultu *ob feruorem ſpiritus minùs abutebantur;* XXIII. *Vanus ornatus ab Apoſtolis vetit⁹ quoque*

& for-

que ſuccedenti Eccleſiæ. *& fortaſſis ob coniunctionem infidelium illis licebat eo vti, ne ſe, vel ſuos periculo ante tempus exponeret, vt de Eſther vxore infidelis Aſſueri vidimus* (conſtatque ex *cap.* 14. Eſther) *ſed multo magis probiberi feminis Chriſtianis ſuccedentis Eccleſiæ; quæ illo magis abutuntur, & abſque cauſſa, quum non ſint ſub Principibus, vel maritis infidelibus.* Idem planè & Alphonſus Salmeron *Tom.* 15. *diſp.* 9. *in* 1. *Timot.* 2. affirmat, præceptum Apoſtoli interdicens ſuperfluo ornatu non fuiſſe tantùm pro primitiua Eccleſia.

Diſp. 1. *cap.* 7. §. 11. *num.* 144. *col.* 1. *pag.* 186. *verſ.* 10. poſt illa: *euadit mortalis:* addo:

XXIV. *Ornatus nimius Inferno multãdus.* Pari quoque ſpiritu Thomas Morus, ſupremus Britanniæ Cancellarius, morte pro tuendâ Catholicâ veritate ſtrenuè obitâ inclytus, cuidam puellæ, vt narrat Cornelius a Lapide *in* 1. *Timot.* 2. *verſ.* 10. *num.* 8. quæ multo cum labore, & dolore crines complicabat, vt frons latior eſſet, pectuſque, & tunicâ conſtringebat, vt gracili eſſe videretur, dixit, *Niſi Deus pro hoc tuo tanto labore Infernum reddat, magnam tibi profectò faciet iniuriam.* Idem affirmabat ſeriò, perſuaſiſſimum ſibi eſſe, quàm plurimos in hac vita eo labore Infernum mercari, cuius vel dimidio Cælum lucrati fuiſſent.

Ibidem eadem pag. & colum. verſ. 28. poſt illa: *non repreſſerunt:* addo:

XXV. *Maximis lacrymis expiat.* Hinc diuina illa Heroina, ſancta Paula luxum hunc veſtium, etſi leuem etiam dumtaxat, tãtâ pœnitentiâ, totque lacrymis, vt S. Hieronymus in eius Epitaphio teſtatur, in ſe expiauit: quumque a nobis, inquit, moneretur, vt parceret oculis, reſpondit: *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibium ſæpe depinxit; affligendum eſt corpus, quod multis vacauit delicijs; longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu; mollia linteamina, & ſerica, et pretioſa aſperitate cilicij commutanda: quæ viro, & ſæculo placui, nunc Chriſto placere contende.*

XXVI. Sed lubet nunc alia quoque exitiorum exempla, quæ in feminas ob nimium ornatum edita ſint, hîc recenſere, etiamſi culpa, quæ in ijs plectitur, non in ipſam prouocationem libidinis conferatur; quo deinde colligatur, quanto ſeueriùs talis prouocatio diuinitus puniretur.

XXVII. *Prætextata diuinitus punita ob cultũ Virgini additum.* Memorabile in primis eſt, quod idem S. Hieronymus *in Epiſt. ad Lætam* hiſce verbis commemorat. *Prætextata nobiliſſima quondam femina, iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtachij virginis fuit, habitum eius, cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum, & matris deſiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus, quæ nunc areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris: & finito menſe quinto ad Inferna duceris; ſin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filijs. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiã velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas, & pretioſiſſima ornamenta defendit.*

XXVIII. *Puella ob fucũ, & periurium exuſta.* Ianus Nicius Erithæus *in exemplis virtutum, & vitiorum* Coloniæ recuſis, exemplo XCIII. *Feſtis,* inquit, *Bacchanalibus, Romæ, in quadam vicinia ludi con-*

conuiuales quidam celebrandi erant, quibus virgo nubilis, pſallere, & cantare docta, ſe ornauerat; nimirum vt ibi eſſet cum adoleſcentulis, ſuis æqualibus; neque ſolùm dederat operam, vt bene veſtita, & aurata conſpiceretur, verùm etiam multâ malas ceruſsâ candefecerat, ac purpuriſſo depinxerat; quam quum mater ita pictam, fictamque eſſet intuita, expoſtulare cum ea cœpit, quòd nondum nupta, auſa eßet pigmẽtum vllũ attingere, atq; ori admouere. illa negare, a ſe tactum eſſe, neq; ceruſsam, neq; purpuriſsũ, neq; vllam aliã offuciam; ac nitorem illum, a natura ſibi datum eſſe, dicere, non aliunde petitum. mater inſtare, factum: virgo negare, ac D. Antonium precari, vt, ſi mentiretur, igne correpta deperiret. Sed neſcio quo caſu, eâ nocte non eſt celebratum illud conuiuium. Sed dilatum in craſtinum. virgo eius rei certior facta, omni ornatu depoſito quieſcendum in præſentia duxit; & quum eſſet tempeſtas perfrigida, ignẽ in patellam indidit, cum eaque in ſuperiorem ædium ſuarum partem aſcendit; vbi quum ſediſset, diuaricatis cruribus, eum ſibi ignem ſuppoſuit; quo iuuante, ſopori ſe tradidit. interim ita eam arctè complexus eſt ſomnus, vt antea totis ignẽ membris conceperit, atque adeps eliquatus in terram defluxerat, quàm ſopore ſoluta, clamores tollere, opemque implorare potuerit. verùm quum ad vocem clamantis, vicinorum concurſus fieret, hærentẽq; virginis membris ignem aſpicerent; ne ille longiùs ſerperet, rectè curarunt: Sed quia iam intra viſcera penetrauerat; nulla eam vis potuit morti ſurripere. Itaque meritas periurij ſui pœnas D. Antonio dependit, quem mendacij ſui teſtem ſimul, & vltorem inuocauerat.

XXIX. *Alia ob ornatũ a Dæmone aſportata.* Idem Ianus Nicius ibidem, Exemplo CVII. *Mulier erat quædam, quæ propriũ, & naturalem oris ſui nitorem contemneret, eidemque aduentitium, fucoque quæſitum induceret, ac totos dies purpuriſſo, ceruſsâ alijſque id genus pigmentis ſibi malas inficere. itaque, quum eſſet honeſtis orta parentibus, in morem meretricis, fictam pictamque in hominũ conſpectum prodire non erubeſcebat; quæ res magnum propinquis, ac parenti in primis, dolorem inurebat, qui non ceſſabant eam hortari, atque admonere, vt nimiam illam cultus ſui curam diligentiã que remitteret. Sed nihil proficiebant; nulla enim cuiuſquam neque auctoritate, neque oratione adduci potuit, vt quidquam de inani illo ſtudio deponeret: verùm quum illi parens, deterrendæ eius gratiâ, atque ab inani illa ſollicitudine abripiendæ, Deo eßẽ inuiſas diceret, quæ ſibi formam fingerent, & nouam quaſi faciem imponerent, easque procul a diuino conſpectu repelli; contempſit illa, atque arrogantibus ſanè verbis, ſi me, inquit, nolit Deus ad ſe recipere, abigat quò velit, nihil eius conſpectum moror; nam certũ eſt mihi, ſuum corpori cultum non eripere. mortua eſt mulier, & Chriſtianæ ſepulturæ mandata, ſed tellus, tanquam dedignaretur eam amplecti, quæ Deum à ſe repudiaſſet, ſuo e gremio foras excluſit. quod quum patri renuntiatum eſſet, elatam e templo ad litus maris deportari iuſſit, atque in arena ſepeliri; quæ itẽ retinere apud ſe eam noluit, cui prope fuerat Dei conſpectus inuiſus; itaque paulò poſt foras euomuit. tum pater cõmotus, euocaſſe dicitur Dæmonem, & clarè, omnibus audientibus dixiſſe, vt eius quoque ſibi corpus haberet, ſecumq; ad Inferos traheret, cuius iam animam eſſet potitus. atque eius imperijs præſto fuiſſe Diabolus creditur. nam infelix illud cadauer ab oculis ſublatum, nuſquã poſtea eſt viſum.*

XXX. Idem Auctor exemplo CVIII. eodem loco. *Mulier quædã Venetijs fuiſſe traditur, quæ ita nitida corpus ſuũ curaret, ita molliter, delicateque haberet, vt dedignaretur eius ſordes communibus, atq; vſitatis*

Alia ꝓ deliſijs extabeſcit. *vſitatis aquis abſtergere, ſed roſaceis tantùm, aut alijs eiuſmodi odoratis aquis vteretur; verùm hæ tam putidæ, ambitioſæque deliciæ magnum illi, apud Deũ, odium pepererunt; qui grauiter offenſus, tam fœdum illi morbum immiſit, vt eius fœditatem odoris ne beſtiæ quidem ferre poſſent; ancillæ autem, quòd non auderent ad eam accedere, ne eius corporis afflatu exanimarentur, procul ſtantes, cibum ægræ porrigerent, ac ſtatim deinde recederent.*

XXXI. *Alia ornat⁹ ſtudioſior, quàm pudoris, miſerè perit.* Idem Ianus eodem loco, exemplo CLXXII. *Quandã,* inquit, *viduã ex honeſta familia, Romæ nuper formæ quouis modo augẽdæ tantus ardor, vel furor potiùs inceſſerat, vt ſenas cotidie horas eidẽ excolendæ traderet, ac ſe lauãdi, fricãdi, tergendi, expoliendi, fingendiq; nullũ finem, modumque ſtatueret; quumque eſſet, vt diximus, vidua, nunquam domi (nam foris haud licebat) collum baccatis monilibus vacuum gerebat, verſicolori ſemper veſte induta, beneque aurata ingrediebatur; formoſorum, quorũ circa ſe multos habebat, conſuetudine delectabatur; nullum ſermonis genus a ſe alienum exiſtimabat, ſiue modeſtum, ſiue molle, ſiue facetum, ſiue hilare, ſiue procax. quamobrem ſermo erat omni populo, aperiebatque maledicis hominibus, quorum plena ſunt omnia, diuulgandi locum, quòd parum honeſtè pudicitiam haberet. Sed non eſt paſſus Deus exquiſitam illam, atque inutilem, in tuenda, augendaque forma, mulieris ſedulitatem, cum tanta diuinæ ipſius maieſtatis contumelia, atque hominum offenſione coniunctam, inultam abire: neque diem ſupplicio diſtulit; ſed repente indidem, vbi illa peccabat, graues ab ea pœnas, ac iuſtas expetijt. nam primùm caput illi præter modum intumuit, cuius capillis, Coſmianis, vt veteres loquebantur, medicamentis, aureum fulgorem conabatur inducere, quoſque tanta diſponebat arte, vt partim, ſicut nunc mos eſt, ad genas fluere ſineret, partim eleganti nodo deuinctos, vertici daret, vt inde inextricabiles incautis ſpectantium oculis laqueos intexeret; tum malæ, quas ceruſſa, purpuriſſoque non infecerat, ſed incruſtauerat, tã fœdum, tam atrum nigrorem contraxerant, vt horrorem ijs, qui aderant, incuteret; oculi ita extabant, prominebantq; vt penè e ſuis ſedibus diſcederent; linguam, foras eiectam, crebris ſibi morſibus dilacerabat; & in hoc oris habitu animam edidit, ſingulare mulieribus illis exemplum, quibus carior eſt forma corporis, quàm animi, pulchritudinis fama, quàm pudicitiæ.*

***Diſp.* 1. *cap.* 7. §. 12. *num.* 145. *pag.* 188. *col.* 1. *verſ.* 13.** poſt illa: *coma eſt*, addo:

Et Iacobus Lainius in ſua lucubratione *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt.* 5. *caſu* 12. *Ratione* 2. in eadem ſententiam ſcribit nimium ornatum, & fucum corpori quoque noxium eſſe, *quia ceruſsa, vt fertur, maxillis applicata valde dentibus obeſt, crebra etiam humectatio capillorum, & crebra exiccatio valde capiti nocet. Et, ſi Clementi Alexandrino credimus, ex capitis ſiccitate deficiente humore, quo capilli nutriuntur, ipſi velut areſcentes, albeſcunt, & cani citò fiunt.* XXXII. *Fucus noxius capillis, & capiti.*

***Diſp.* 1. *cap.* 7. §. 12. *num.* 145. *pag.* 187. *col.* 1. *verſ.* 11.** poſt illa: *in laſciuiam degenerat*, addo:

Nam, vt rectè Lainius *loc. cit.* quæ ornata eſt mulier, *vagatur, & occaſiones immunditiæ habens polluitur. Ideo conſulit Clemens Alexandrinus maritis, vt abſtrahant ab eis ornamenta, ne vagentur,* XXXIII. *Ornat⁹ detrahendus vxori, ne vagetur.*

gentur, ſicut auibus extrahi ſolent pennæ, ne fugiant. Vxor enim, quæ iuxta Dauid ſententiam, vt vitis abundans manere debet in lateribus domus, Pſal. 127. & non extra vagari, vt id faciat, eſt putanda, ablatis ſuperfluis ornamentis.

Diſp. 1. cap. 7. §. 12. num. 148. pag. 187. verſ. vlt. poſt illa: *moles ponderum?* addo:

XXXIV. *Curioſitas ornat⁹ peior gula, et ebrietate.* Quid dicam porrò de immanibus impenſis, & ſumptibus, qni in ſuperfluum ornatum comparandum temerè fiunt, vt propterea meritò dixerit Clemens Alexandrinus, apud Lainium in opuſculo *de ornatu & fuco mulierum. quæſt. 5. caſu 12. Ratione 2.* curioſitatem ornatus peiorem eſſe gulâ, & ebrietate, quòd huic ſufficiant, quæ in vna menſa apponuntur, iili non ſufficiat totus Orbis.

Diſp. 1. cap. 7. §. 12. pag. 189. col. 1. num. 151. verſ. 3. poſt illa: *inſidijs?* addo:

XXXV. *Incommoda ex nimio feminarũ cultu.* Verùm operæ pretium quoque eſt, audire Iacobum Lainium in ſuo opuſculo *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. Ratione 3.* fusè recenſentem incommoda, & damna, quæ ex nimio feminarum cultu proficiſcuntur, quanquàm horum nonnulla iam ſupra ſatis perſtricta ſunt. *Lædunt,* inquit, *in primis parentes, quia, quum filiæ nimis in pompis expendunt, vexantur parentes, dum cogitant, & anguſtiantur pro dote quærenda, ſiue per vſuras, & fraudes; ſiue per rapinas, & bella, & malas artes. Vexantur etiam fratres, quibus ſæpe incumbit onus maritandi ſorores, & eadẽ faciendi, quæ de parentibus diximus. Vel ſi parentes eas maritârũt, quia ipſis nihil relinquitur, coguntur vel vacare iniuſtis negotijs, vel ire ad bella, & omnia militum peccata diſcere; vel quia non audent ita pompoſas ducere vxores ob graues expenſas, manent interdum cum concubinis, vel his fœdiora peccata committunt. Vexantur parentes, quia vnâ, vel alterâ dotatâ, reliqua manent ſine dote, & vel coguntur inuitæ intrare monaſteria, vel præ inuidia ſororum, & deſperatione inhoneſta committunt. Vexantur & ſerui, qui vel in victu, vel in verbis, vel in verberibus, vel in mercede læduntur occaſione harum pomparum. Vexatur maritus fictis ſuſpirijs, & lacrymis, vnde cogitur malè lucrari, vt vxor eius expẽdat, quem quandoque mulier prodit, vt habeat, vnde ornetur, vt Eriphyle meretrix facta,* auri quæ pretium ſumpſit pro coniuge caro. *Vexantur conſanguinei, et alij ſimilis nobilitatis, dignitatis, et gradus, ſed pauperes, qui non poſſunt ita dotare filias ſuas, quæ vel remanent innuptæ, vel nubunt vilioribus, vnde nobilitas perditur, & iam dicta mala ſequuntur.*

Læduntur etiam artifices, qui in his faciendis, vel vendendis occupantur, & horum operarij. Sicut prohibita piſcatione, non ſolùm piſcantes, ſed etiam retia illis dantes, incidunt in pœnam: ita etiam iſti artifices, qui non vtuntur ſuperfluo ornatu, peccant iuuando, ſe abutentes. Alij etiam pauperes læduntur, quia ſuperflua diuitum pauperibus erogari debent: in hoc enim eis data ſunt. Alij etiam proximi læduntur, quia huiuſmodi ornatum vident. Præbetur enim eis occaſio contentionis, inuidiæ, æmulationis, murmurationis, irriſionis, & frequentis laſciuiæ, præſertim ex fuco. XXXVI. *Artifices iuuantes abuſum ornatus peccant.*

Læduntur etiam honeſtæ, & modeſtæ perſonæ non parum, quæ inter huiuſmodi *Alia damna indidẽ*

ambi-

emergẽtia.

ambitioſas viuunt, dum irridetur eorũ iuſtitia, & ſimplicitas, quòd modeſtè, & ſobriè ſe ornent: interdum quoque, quia infirmæ ſunt, timore huius opprobrij exceſſiuè ſe ornant. Abſentibus etiam obſunt, & quia huiuſmodi pompoſæ vanitates de gente in gentem facilè tranſeũt; & quia ſubdoli, & iniuſti negotiatores, & crudeles milites alienas regiones diripiunt, & mare, & terras inquietant, quò malè conquirant aurum, gemmas, & ornamenta, quibus natale ſolum inficiunt. Nocent etiam futuris hominibus, qui malam huiuſmodi inuenientes conſuetudinem, vel ſeruant, vel in peius augent, in quo frequenter peccare ſolent matres, filias docendo huiuſmodi fucum, & ornatum.

Diſp. 1. cap. 7. §. 13. pag. 194. num. 162. col. 1. verſ. 38.

poſt illa: *vxorem voles*:

addo:

XXXVII. Id etiam exemplum a pulchritudine ſumptum reijcit optimè Iacobus Lainius in opuſculo *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. in ſolutione octaue rationis*: quia, vt quis alterum ſcandalizet, ſat eſt, quòd per aliquem actum vel malum, vel mali ſpeciem habentem det ei occaſionem peccati; quam planè dat, quæ exceſſiuè ſe fucat, vel ornat, quia hoc ipſo oſtendit, ſe curioſam, & leuem, & carnalia amantem, & ſui copiam facilè facturam. Vnde & concupiſcentiam in infirmis excitat, & ſpem ſui potiendi, & animum ſe ſolicitandi: quæ omnia non reperiuntur in non fuçata pulchritudine.

Etſi naturalis pulchritudo extra culpam eſt, non tamen adſcitus ornatus ſuperfluus.

Diſp. 1. cap. 7. §. 17. pag. 206. num. 202. col. 2. verſ. 1.

poſt illa: *Theologus ſapientiſſimè*, addo:

In eandem quoque ſententiam Iacobus Lainius in opuſculo *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. in ſolutione ſeptimæ rationis*; rotundiſſimè: *Conſuetudo quoque*, inquit, *non excuſat in his, quæ per ſe mala ſunt, vel mali occaſio, alioqui liceret blaſphemare, & fornicari, quòd ſimilia peccata nimis crebrò fiant: ſuperfluus autem ornatus & malus eſt de ſe, & mali occaſio, & contra ius naturæ, & caritatis, cui conſuetudo non poteſt derogare; vltra hoc, quòd eſt probibitus præceptis Apoſtolicis.* XXXVIII.

Vanus ornatus fruſtra conſuetudine excuſatur.

Diſp. 1. cap. 7. §. 18. pag. 215. num. 218. col. 1. verſ. 17.

poſt illa: *oculis appareret*,

addo:

Dices, a Scripturis hîc paulò ante allatis, nec non ab alijs *cap. 1.* productis oſtendi, non ſolùm moderatum ornatum eſſe licitum, ſed etiam immoderatum, & ſuperfluum, ſiquidem ornatus in illis deſcriptus planè nimius, ac ſuperfluus videtur. Reſpondeo eiuſmodi ornatum illis perſonis, quæ eo vtebantur, fuiſſe moderatum, atq; honeſtum. Addit verò Iacobus Lainius in opuſculo *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. in obiect. 1.* in veteri Teſtamento licitum fuiſſe *vti auro, & gemmis, & veſte pretioſa, quia: Mundus erat paruulus, & condonandum erat eius pueritiæ: Nunc autẽ poſt Chriſti exemplum, & doctrinam, & Apoſtolorum, & Patrum probibitiones, id non licere, dicente Paulo*; non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, XXXIX.

Ornatus moderatus nobilibus pſonis, nõ alijs.

Auri, gẽmarum, veſtiſq; pretioſæ vſus olĩ licitus, poſt Chriſtũ autẽ minimè, niſi Principibus.

aut veſte pretioſa. Deinde animaduertendum monet, *quòd perſonæ, quæ in illis ſententijs ornatæ inducuntur, magnæ erant. Nam Eccleſia a Dauide, & Salamone, & Synagoga ab Ezechiele, vt Regina introducitur. Dauid enim ait:* Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. *Salomon:* ſexaginta ſunt Reginæ, & vna eſt columba mea, *vbi etiam Reginis eam præfert. Ezechiel etiam de Regina loquitur: ait enim:* & profeciſti in regnum. *Eſther quoque Regina erat, & nondum Regnum adepta, quum introducenda eſſet ad Aſſuerum, non curauit, vt aliæ iuuenculæ, muliebrem cultum, ſed quæcunque voluit Egeus Eunuchus cuſtos virginum, hæc ei dedit; erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur. Mulier quoque fortis Salomonis, quaſi Senatoris, & Principis vxor deſcribitur: dicitur enim* nobilis, & in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ. *Iudith etiam, & Suſanna primariæ feminæ erant, quibus etiam tunc cultiori habitu vti licuit. Idcirco Iſaias non Reginas, ſed alias communes filias Sion reprehendit. Paulus quoque non de Reginis, & magnis Principibus eſt intelligēdus, quia in ſignū magiſtratus, & principatus, et vt a plebe in eius bonum debitè honorentur, licebit eis auro, & veſte pretioſa vti, nec illis erit exceſſiuus ornatus.*

XL. *imò, & nobilibus. Quanq̃ Lainius renuere videtur.* Idem porrò ego cenſeo de nobilibus quoq; feminis, vt a plebe ſecernantur, & honorentur, quibus fas eſſe adhibere aurum, veſtemque pretioſam cum moderatione, exiſtimo. Fateor tamen eundem Lainium *ibidem in ſolutione* 5. *obiectionis,* tradere diſtinctionem membrorum Reipub. diuitum, nobilium, ac digniorum, ne confundantur, *ſeruari poſſe, & debere, ſed ita ne Apoſtolorum præcepta tranſgrediantur. Poſſe autem haberi hanc diſtinctionem, non vtendo auro, vel veſte pretioſa. Semper enim apud maiores noſtros hæc diſtinctio ſeruata eſt, qui tamen his ſuperfluis non vtebantur. Ferunt enim fide digni, ante centum annos, principes, & nobiles in Hiſpania burello panno indui ſolitos. Rex etiam Ioannes abauus Caroli Cæſaris, relegauit a Curia ſua duos filios cuiuſdam Principis, quòd in luſu arundinum integris manicis ſericis vſi fuerint, quum ipſe Rex medias tantùm manicas, & collare ſericum ferret. Hodie quoque Rex Luſitaniæ, & totum Regnum non fert integram veſtem ſericā.*

Ita Lainius de cultu ſuorū temporū, qui tamen minimè dictis obluctatur. *XLI. Qui tamen nō obſtat.* Nam, quum exploratum ſit, aliquem ornatum, qui alicubi immoderatus aliquādo communiter reputabatur, mutatis alio tempore circumſtantijs, euadere poſſe ibidem, dummodo ad malū non prouocet, moderatum, ſi per legitimam conſuetudinem introducatur: vnde, ſi qua in regione præ inopia ſericis veſtibus, vel auro nulla etiam matronarum vtebatur, contingatque deinde, vt ea regio auro, ac ſericis abūdet, paſſimque nobiles auro, & ſericis induantur; non auſim ego ex hoc præciſo capite ita incedentes alicuius culpæ damnare, quum intra limites moderati ornatus, honeſtique cultus ab Apoſtolo permiſſi ſe ſe contineant. Nomine quippe auri, margaritarum, veſtiſue pretioſæ &c. ab Apoſtolis deſignatur dumtaxat, ac vetatur immodicus ornatus, qui deſcribitur per aurum, gemmas, pretioſas veſtes, tortos crines &c. vt facilè colligitur ex textu, & Cornelius, ac Iuſtinianus, cæterique communiter interpretantur: etſi aliquid auri, gemmæ, pretioſæ veſtis, torti crinis moderato quoque cultui ineſſe poſſit, nec quicquam prohibeat.

hibeat. In quo ſenſu ne ipſe quidem Lainius diſſentit, nec vllus iure diſcrepare poteſt. Certum enim eſt, ieiunium Quadrageſimale inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis, vt Doctores apud Fagundez *de Præcep. præc. 4. lib. 1. cap. 5. num. 4* notant, & tamen conſuetudine in pleriſque locis introductum eſt, vt oua, & lacticinia in tali ieiunio edantur; & vbique ferè nocturnum ientaculum, ſeu collatiuncula ſine ſcrupulo ſumatur. Ergo ornatus ex auro, licèt ab Apoſtolis pro immoderato habitus fuiſſet, & prohibitus; vbi tamen per legitimam conſuetudinem iam eſt introductus, nec alioqui prouocatiuus libidinis eſt, euadit licitus.

Diſp. 1. cap. 17. §. 17. pag. 207. col. 2. num. 203, verſ. 3.
poſt illa: *quinta ratione,*
addo:

XLII. *Irriſio ſubeunda ob moderatum ornatū nō arcet culpam immoderati.*

Hanc ipſam doctrinam, & reſponſionem confirmat quoque ſapientiſſimus, & grauiſſimus Theologus Iacobus Lainius in ſuo opuſculo *de ornatu & fuco mulierum, quæſt. 15. caſu 12. in ſolutione ſextæ rationis,* vbi excuſationem immodici cultus ab irriſione apud alios ſubeundā petitam ita luculenter refellit. *Tales ſcire debent, in primis non ſe poſſe ſimul placere Deo, & Mundo: ideo ſi ſaluare ſe volunt, opus eſt, vt parati ſint non ſolùm verba, ſed etiam verbera potiùs pati, quam Deum offendere. Deinde, videant; qui ita irrident, tales ſunt, vt potiùs ſapienti decus ſit illis diſplicere, qui non placent Deo. Demum videant, quòd non ſolùm apud Deum, ſed apud homines prudentes, quorum iudicium pluris faciendum eſt, honor verus potiùs ex modeſtia, & timore Dei, quàm ex ornatu comparatur. Rectè enim dixit Salomon,* Vanus decor, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Deū ipſa laudabitur. Prou. 31. *Alibi quoq; ait:* circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua: Prou. 11. *Vt enim porcus auream armillam fœdaret: ita vana mulier corporis pulchritudinem peccato fœdat. Idcirco Ariſtoteles ait, vxorem debere ornare ſe minùs etiam, quàm leges permittant, ſciens ſe plus ex honeſtate, quàm ex forma, & veſte laudari: quia animi ornatus perſtat vſque ad mortem, quin etiam poſt mortem ornat filios: ille verò corporis nec tranſit ad filios, nec vſque ad mortem comitatur, quum vel ſenectute, vel ægritudine deficiat. Idcirco curare debet iuxta Tertullianum, vt pro candore ſimplicitatem ſumat, pro rubore pudicitiam, pro ſtibio verecundiam, pro inauribus verbum Dei, pro torque iugum Chriſti, pro capitis ornamento obedientiam mariti, pro chirothecis lanam, & opus manuum, pro ſandalijs manſionem in domo. Sic ornata etiam garrulas, & vanas confundit, & ſaltem ad Dominum conuerſæ laudabunt Deum. Sic enim mater non curat iudicium filiæ phreneticæ, dum phreneſis durat, ſed ſanæ. Probè ergo ait Tertullianus:* ipſe habitus ſonat: ſic denique audit Philoſophus, dum videtur: de occurſu meo vitia ſuffundo. *Ideo iuxta eundem, Vitium quidem eſt ob ſuperſtitionem, vel laſciuiam, vel pompam, vel leuitatem mutare veſtes; & rectè in Alexandrum Sutaballa vtentem dictum eſt:* vicerat non modicam gentem, & victus eſt modica veſte. *Rectiùs tamen mutatur veſtis ob ſimplicitatem, & expeditiorem vſum, vt Chriſtiani Carthaginēſes relicta toga, quam in gratiam Romanorum ſumpſerant, redierunt ad antiquum pallium. Rectiùs autem Tertullianus ait:* Gaude pallium, & exulta: melior iam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianū veſtire cœpiſti.

Diſp. 1. cap. 7. §. 19. pag. 220. num. 228. col. 1. verſ. 24.
poſt illa: *caſus ratio eſt.*
addo:

XLIII. Vera deuotio cum vano ornatu non cōſiſtit.

Obijces IX. nonnullas feminas, etſi operosè ſe exornant, nihilominùs deuotas eſſe, & guſtare ſpiritus dulcedinem, quod non fieret, ſi eſſet peccatum mortale. Reſpondeo vnà cum Lainio in opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, quæſt. 5. caſu 12. in ſolutione nonæ rationis, *talem deuotionem poſſe quandoque eſſe naturalem, quandoque a Dæmone immiſſam, quandoque a Deo imperatam, ſed eo fine, vt homo a peccato exeat, vt propriam voluntatem mortificet, pompis, & laſciuijs renuntiando. Vera enim deuotio quaſi ientaculum debet eſſe, quod dat operarijs mercedem, vt magis laborent. Altare enim incenſi vicinum debet eſſe illi holocauſtorum, ideſt, deuotio ſpiritus ſenſuum mortificationi. Ideo rectè ait ſponſa*, Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *vt enim collis via eſt, qua aſcendimus montem, ita deuotione debet mortificatio curari. Idcirco eâ abutitur, qui eâ contentus, concupiſcentias ſuas, & pompas tuetur.*

XLIV. Ornatꝰ nimius non fit licitꝰ ob ſubleuādos inopes artifices.

Obijces X. Multos pauperes artifices ex confectione vani ornatus ali, dum ea, quæ ad hunc concinnandum pertinent, fabricant, atque adeo ferè eſſe eleemoſynam, quę ipſis tribuitur. Reſpondet egregiè Lainius *loc. cit.* in ſolutione decimæ rationis, *iniquitatē ſibi mentiri. Nec enim eleemoſynam facere intendunt, nec reuera eſt eleemoſyna, ſed merces laborum, frequenter etiā parca: nec ſi maximè eſſet eleemoſyna, liceret exceſſiuis pompis vti, ideſt, peccare, vt ea fieret. Sed tunc tandem videretur amore pauperum artificum ſincerè moueri, ſi eis gratis darent, quod loco mercedis erat eis dandum; in quo dātes etiam lucrarentur, quia non facerent iacturam pretioſæ materiæ, quam tradunt artificibus, eam inſuper, & operis pretium perdentes: poſſent enim artifices alii honeſta opera facientes, vt olim alebantur.*

XLV. Femina ſui contemptū ornatu ſolùm modeato, non autem vano adhibere poteſt.

Obijces XI. Mulieres habent ius, ne contemnantur a viris tanquam turpes, adeoque poſſunt adhibere ornatum, vt pulchræ videantur, atque ita minimè ſpernantur. Ergo ad tuēdum hoc ius poſſunt licitè vſurpare quemcunque ornatum, vtcunq; etiam exceſſiuum. Reſpondeo ex vero antecedenti elici manifeſtè falſam, & fatuam conſequentiam. Nam cuilibet ius ſanè eſt ad tuendum honorem, & exiſtimationem: at licitis dumtaxat, honeſtiſque artibus, vt conſtat. Immodicus autem ornatus ad laſciuiam valde alliciens iure naturali, & diuino prohibitus, illicitus omnino eſt, ad quem nullum ius femina habet, neque habere poteſt, vt indubitatum eſt, ſed moderato tantùm cultu, honeſtoque habitu poteſt conciliare ſibi pulchritudinem, vel naturalem formam iuuare, non autem ſuperfluo, & prouocatiuo ad malum.

Diſp. 1. cap. 7. §. 19. pag. 222. num. 235. col. 2. verſ. 11.
poſt illa: *grauiter periclitaturum*, addo:

XLVI. Gerens ornatū valde prouocatiuū libidinis peccat mortiferè.

Ergo ſicut pingens laſciuam imaginem, vel componens laſciuum librum, eo ipſo, quòd hunc, vel illam exponit oculis intuentium, & neſcit ceſſare periculum graue alieni peccati, &c. peccat mortaliter in ſententia Doctorum omnium, quia cēſetur hoc ipſo

ipſo temerè exponere proximum periculo probabili delinquendi lethiferè: ita mulier eo ipſo, quòd ornatum immodicum, quem ſcit eſſe valde prouocatiuum libidinis, exponit oculis ſpectantium, & ignorat eſſe ſine graui periculo peccati alterius, peccat lethiferè in ſententia cunctorum Doctorum; quia hoc ipſo exiſtimatur præbere hîc, & nunc, occaſionem, ſeu creare proximũ periculum alijs delinquẽdi lethiferè. Et hoc expreſsè docet etiam maximus, & grauiſſimus Theologus Pontificius Iacobus Lainius in ſuo opuſculo de ornatu, & fuco mulierum, quæſt.5.caſu 12.in ſolutione nonæ rationis; vbi ita egregiè ratiocinatur: *Licèt quis expreſsè non intendat inducere aliquem ad peccatum, tamen, quum ita excedit, vt det occaſionem ſui illicitæ concupiſcentiæ, perinde eſt, ac ſi intendiſſet; quia actus redit in ſuam formam ob damnum notabile, quod irrogat, & vitare tenebatur. Licèt enim quis non intendat aliquem ſingulariter percutere, non tamen excuſatur a peccato, ſi tormẽtum aliquod bellicum in multitudinem aliquam exoneret; quod illæ faciunt, quæ ſe quaſi proſtituunt toti populo, dum ſe fucant, & ornant; ideo non eſt admittenda proteſtatio, quod non intendant quenquam lædere, quia eſt contraria facto, ſicut intentio placendi marito excuſat quidem eas, ſi honeſtè ſe ornarent, non autem, ſi exceſſiuè.*

XLVII. *Vt ampliùs reuĩcitur.* Confirmatur tota hæc ratio ex S. Bernardino ſupra §. 4. *pag.* 144. *num.* 46. relato, vbi egregiè vrget, vt vidimus, eum, qui temerè iacto lapide necauit hominem, vel fodiens ciſternã, non cauit, ne vlla beſtia in eam incidat, minimè excuſari, quin reus ſit ſecuti homicidij, aut damni alterius, licèt non intendat tale homicidium, aut damnum: neque ſecus feminam vanè ornatam, etſi ruinam alterius non intendit, ream tamen eſſe culpæ alterius ipſam concupiſcentis, quia vanũ ornatum, tanquam lapidem iecit, quo alterius anima icta perijt, & velut ciſternam fodit, obiecitque, in quam illa miſerè cecidit: atque ita periculũ, & occaſionem proximam hîc, & nunc peccandi lethiferè alteri præbuit.

Diſp. 1. *cap.* 9. *nu.* 7. *pag.* 236. *col.* 1. *fine* poſt illa: *eos abſoluunt,* addo:

Neque ſecus Alphonſus Salmeron Tom.15. diſp. 9. in 1. Timot. 2. de nimij ornatus corruptelis, & vitijs nominatim diſſerens, *Siquidem*, inquit, *in his non minùs viri hæc tolerantes, quàm feminæ ipſæ peccant, & Sacerdotes, qui a confeſſionibus earum ſunt, ac de facili eas abſoluunt, non commonefacientes eas de tanto periculo, in, quo verſantur, nec eas graui ſermone ad viuum tangentes reprehendunt; imò quòd plus eſt, Epiſcopi negligentiùs agentes: quia his immoderatis, & ſuperfluis ornamentis, & libidinis fomentis non ſe opponunt, & quoad poſſunt, omnibus rationibus coercent.* XLVIII. *Confeſſarij temerè abſoluentes vanè ornatas, carpuntur.*

Diſp. 1. *cap.* 11. *pag.* 245. *num.* 4. *col.* 2. *verſ.* 4. poſt illa: *minus eſt alienus:* addo:

Vnde Iacobus Lainius in ſuo opuſculo *de ornatu, & fuco mulierum, quæſt.* 5. *caſu* 12. ſapienter pronuntiat. *Quod ſi probibetur* immodicus ornatus *feminis, quæ minùs pollent rationis iudicio, vt ait Clemens Alexandrinus, multo magis probibetur viris, qui magis pollent ratione, & natura ſunt robuſtiores.* XLIX. *Ornatus vanus vetitus etiam viris.*

Ideo

Ideo deplorandum noſtrum ſeculum, in quo & viri, & femina communiter aquis odoriferis, & chirothecis abutentes, & auro, & gemmis, & ſericis, & purpureis, & mollibus veſtibus, Chriſtũ denuo purpurâ induentes, & diuitem Epulonem & meretricem illam a Ioanne viſam imitantes; ideo, quod ſupra dictum eſt de mulierum fuco, & ornatu, multo magis eſt in hos intorquendum.

Atque hæc cuncta de propoſitis tribus diſputationibus, ac Paradoxis ad Dei Opt. Max. gloriam, animarumque ſalutem enucleatis dicta ad id locorum ſufficiant, quæ ego Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ iudicio lubens, ac venerabundus ſubijcio.

FINIS.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

Prior numerus diſputationem, alter diſputationis caput, tertius capitis paragraphen, quartus ſectionem capitis, vel paragraphen, poſtremus paginam deſignat.

A

Abſoluo.
Abſolutio.
Vide, *Confeſſarius, Pœnitens, Recidiuus.*

Ex facilitate abſoluendi quoſcunque peccatores ingens animarum pernicies exiſtit. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 110. num. 203. p. 111.

Vtiliter abſolutio negatur, vel differtur recidiuis. num. 204. p. 112. *&* num. 205. p. 112.

Differri poteſt abſolutio, ne pœnitens relabatur in priſtina peccata. num. 205. Ibidem.

Pectus nudantes feminæ pertinaciter contra morem regionis, non abſoluendæ. D. 3. C. 1. num. 3. p. 312.

Actus.
Eccleſia non poteſt præcipere actus merè internos. D. 3. C. 7. §. 1. num. 12. p. 325.

Admoneo. Admonitio.] Vide *Pœnitens*.

Adulatio,
Adulor.
Nonnulli Doctores, & Confeſſarij adulantur perniciosè conſcientijs animarum. Ad Lectorem. num. 2.

Ægidius Coninch.
Vide *Coninch*.

Æſtimatio.
Communis æſtimatio hominum peritorum in iudicijs experimentalibus conſulenda. D. 1. C. 7. §. 9. num. 110. p. 171. num. 111. p. 172. *& ex moralibus documentis eruenda*. Ibidem.

Aggreſſor.
Iniuſtum vitæ, honoris, vel facultatum aggreſſorem licet occidere, quando aliter ſeruari nequeunt. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 36.

Angelus.
Propter Angelos velandum caput mulieris. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 361.

Animal.
Omne animal diligit ſimile ſibi. D. 1. C. 7. §. 17. num. 190. p. 203.

Anna Maria Auſtriaca,
Vide *Maria Anna Auſtriaca*.

Antimonium.
Antimonium formam conciliat pulchritudinis. D. 1. C. 2. num. 5. p. 7.

Antoninus Diana.
Vide *Diana*.

S. Antonius.
Ignem S. Antonij imprecans ſibi cum periurio, exuritur mirè. D. 3. C. 4. num. 28. p. 384.

Arma.
Arma Turcis deferre vetatur ſub excommunicatione; & quando hæc incurratur. D. 3. C. 2. §. 3. n. 52. p. 343. *quando verò excuſetur*. num. 54. p. 344.

Armilla. V. *Fumus*.

Arrogantia.
Non eſt mortalis plerumque. D. 1. C. 7. §. 19. num. 225. p. 218.

Artifex.
Nimij ornatus peccat. D. 3. C. 4. num. 36. p. 386.
Ornatus nimius non euadit licitus ob ſubleuandos pauperes artifices. num. 44. p. 390. Ibidem.

Aſpectus.
Aſpicio.
Aſpectus pudendorum diuerſi ſexus per ſe turpis eſt. D. 2. C. 2. §. 1. num. 8. p. 277. *& mortalis*. Ibidem. *fruſtra negante Baldello*. Ibidem.

Aſpectus pudendorum diuerſi ſexus ex curioſitate ſolùm, venialis ex Baldello. num. 8. Ibidem. *& ex alijs quoque, quando non datur occaſio commotionis grauis ſpirituum*. num. 9. *ſed reijcitur*. Ibidem.

Aſpectus pudendorum diuerſi ſexus non eſt lethalis ex Baldello, quando eſt ſine affectu libidinis, & citra periculum pollutionis, vlterioriſue conſenſus. num. 10. p. 279.

Auctor.
Vide *Doctor*.

Aurum.
Vſus auri in ornatu poſt Chriſtum non eſt licitus, niſi Principibus. D. 3. C. 4. num. 39. p. 387. *Imò & nobilibus*. num. 40. p. 388. Ibid. *& num. 41. olim nec Regibus aurum in vſu erat*. num. 40.

Ddd Bal-

B

Baldellus.

Nicolaus Baldellus.

OPinio Baldelli de aſpectu pudendorum diuerſi ſexus ex curioſitate. D. 2.C.2. §. 1. num. 8.p.277. & ſeqq. vſque ad 280.num. 11. quando abeſt affectus, & periculum libidinis, & vlterioris conſenſus, reijcitur. D.2. C.2. §.1.num. 8.p. 277. num. 10. p. 279.

Baſilius Pontius.

Vide Pontius.

S. Bernardus.

Sororem ſuam ſuperbè ornatam reijcit primò, dein conuertit ad Deum. D. 1. C. 9. num. 4. p. 234.

Bibo.

Inuitans ad bibendum cum periculo ebrietatis alienæ, peccat lethiferè. D. 1. C. 5. §. 4.p. 41.

Non tamen, ſi ex graui cauſſa id facit. C. 7. §. 18. num. 218. p. 214.

Bonum commune.

Curandum à Principe, & præferendum priuato, etiam ſuo. D.2. C. 1. §. 4. num. 47. p. 266. & num. 48.

C

Cædes.

Vide ſtrages.

Cæſar Montius.

Vide Montius Cardinalis.

Caietanus.

Thomas Caietanus.

NON negat eſſe lethalem ornatum valdè prouocatiuum libidinis. D. 1. C. 7. §. 1.num. 3. p. 130. excuſans inuehentes nouam formam veſtis refellitur. Ibid. §. 16. num. 189. p. 202.

Non inficiatur eſſe mortale nudare pectus femineum, vbi mos non eſt. D. 2. C. 2. §. 2. num. 19. p. 285.

Capillus.

Capillorum concinnandorum mulier ſtudioſa nimis, moritur miſerè. D. 3. C. 4. num. 31. p. 385.

Caput.

Vide Mulier.

Mulieris caput detectum vituperatur a Patribus. D. 2. C. 1. num. 44. pag. 265.

Velandum femina oranti in Templo. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 351. & §. 6. num. 99 p. 366.

Caritas.

Grauitas peccatorum, quæ caritati fraternæ opponuntur, non variatur ſpecie pro diuerſa ſpecie mali proximo illati. D. 1. C. 5. §. 9. num. 148. p. 82.

Caritas magis inclinat ad ſeipſum amandum, & præferendum alijs, quo ad bona ſpiritualia, cæteris paribus, & quo ad vitandum peccatum. §. 10. num. 162. p. 89.

Caritas non obligat niſi ad humanam, & moralem diligentiam. num. 167. pag. 92.

Caro.

Carnis prudentia.

Vide Prudentia carnis.

S. Carolus.

Diuini cultus ſtudioſiſſimus plura ad Templi, Eucharistiæ, & Confeſſionis reuerentiam conſtituit. D 3. C 2. §. 6. toto p. 367.

Niſi ſeruentur ſua decreta de cultu Sacramentorum, & Templorum a Clero Mediolanenſi, indignabitur maximè. num. 106. p. 370.

Caſillç.

Vide Doctores.

Caſtitas.

Caſtus.

Obligat ad non dandam alteri occaſionem laſciuiæ, etſi non obligat ad procurandam alterì caſtitatem. D. 1. C. 5. §. 9. num. 128. p. 72.

Obligatque grauiter ad ſubtrahendam talem occaſionem. num. 131. p. 73.

Caſtitas, quam ſibi quis curat, eſt ſpecie diuerſa ab ea, quam alteri curat. Ibid. num. 136. p. 75. num. 138. p. 77. & hæc poſterior eſt etiam in Angelis. num. 144. p. 81.

Caſtitas magis floret, vbi occaſiones libidinis deſunt. D. 2. C. 1. num. 9. p. 250. num. 10. 11.

Cauſſa.

Vide Incommodum.

Cauſſa iuſta tollit ſcandalum, vel peccatum ex malitia latè ſumptum; ſecus, ſi deſit. D. 1. C. 5. §. 2. num. 17. p. 22. num. 21. p. 24. num. 23. & 24. p. 25.

Cauſſa iuſta permittendi ſcandali eſt ex circumſtantijs æſtimanda. num. 22. p. 24.

Cauſſa diuerſa requiritur ad excuſandam rerum indifferentium ſubminiſtrationem abuſuro. D. 1. C. 5. §. 4. num. 35. p. 30. & qualis eſſe debeat, vt prudenter ea ſufficiens reputetur. Ibid.

Ex iuſta cauſſa ſcandalum honeſtè permittitur, adeoq; illa ſemper reſpicienda. num. 120. p. 68.

Cauſſa determinata peccati in communi vitanda eſt, non verò indeterminata. §. 13. num. 219. p 119.

Grauis cauſſa ornatum valdè prouocatiuum libidinis reddit licitum. D. 1. C. 8. num. 1. p. 223. licèt alijs ſit occaſio ruinæ. Ibidem.

Cauſſa iuſta laſentis præſumptio perimitur a mali apparentia. D. 3. C. 2. §. 3. num. 55. p. 344.

Caſtro Palao.

Vide Palao.

Cenſura.

Vide opinio.

Certitudo.

Certus.

Certa ſententia non fit dubia in foro externo ob facta Confeſſariorum contraria. D. 3. C. 2. §. 3. num. 67. p. 350.

Chorea.

Mortalis eſt ratione probabilis periculi animæ ſuæ, vel alterius. D. 1. C. 5. §. 10. num. 161. p. 89.

Non eximitur a mortali culpa ob conſuetudinem. C. 7. §. 17.

§. 17. num. 201. p. 205.

Chorea in feſtis grauiter vetita. D. 2. C. 1. § 4. num. 52. p. 269.

Chriſtianus.

Veterum Chriſtianorum feruor ornatum repudiabat. D. 1. C. 10. num. 5. *patiendi cupidi patientia florebant*. n. 6. p. 243. *vt Cælo potirentur, vim ſibi inferebant*. Ibid.

Chriſtus.

Euchariſtiæ verba proferens, ſcandalum Phariſaicum meritò permiſit. D. 1. C. 7. §. 163. p. 194.

Circumſtantia.

Circumſtantia vni opinioni aggrauans, alteri eſt mutans ſpeciem, nec miſceri debet. D. 1. C. 5. §. 9. num. 146. p. 81. *Grauitas circumſtantiæ fatenda eſt etiam in minimo peccato mortali*. num 147. p. 82.

Clericus.

Tenetur domo expellere feminam ſuſpectam, licèt non adſit peccandi periculum. D. 1. C. 5. §. 6. num. 70. pag. 47.

Cognitio.] Vide *Noſco*.
Cognoſco.]

Colloquium.

Omnia profana colloquia in Templo vetita. D. 3. C. 2. §. 1. num. 13. p. 324.

Colloquia obſcœna lethalia in Templo euadunt etiam mortiferè ſacrilega. num. 13. Ibidem. & 14. p. 325. num. 15. *vſq; ad* num. 21. p 329.

Columa.] Vide *Margarita Columa*.
Columba.]

Commune bonum.

Vide *Bonum commune*.

Communio.

Vide *Euchariſtia*.

Comœdia.

Vide *Spectaculum*.

Compendium.

Compendia caſuum conſcientiæ nimis breuia improbantur. D. 1. C. 5. §. 6. p. 56.

Concilium.

Concilium politicum in Templo veniale eſt. D. 3. C. 2. §. 1. num. 20. p. 328.

Concio.

Concionator.

Vide *Euchariſtia, Peccator, Pectoris feminei nuditas*.

Hæc Paradoxa pro concionatoribus præcipuè exarata. *Ad Lectorem* num. 8.

Concionator aiens in concione ſe aliquod peccatum audiſſe in Confeſſione, reus eſt mortalis ſcandali. D. 1. C. 5. §. 4. num. 41.

Concionator valdè. debet reprehendere luxum ornatus. D. 1. C. 9. *num.* 6. p 235. *Conniuens ornatui feminarum carpitur*. num. 7. p. 235.

Inſtar fluuij eſt, ſed a Dæmone abſorbetur. *p.* 236. Ibidem.

Sufficienter ad obligandum publicat edicta, Bullas, &c. D. 3. C. 2. §. 1. num. 23. p. 330. *& ſententias certas Doctorum*.

Nec tamen vlla rei definitio ex dictis Concionatorum ducitur. Ibidem. §. 2. num. 46. p. 339.

Ex æquo publicat iura humana, & diuina &c. num 51. p. 342.

Concluſio.

Ex duabus præmiſſis reuelatis concluſio theologica ſolùm elicitur. D. 1. C. 5. § 9. num. 137. p. 76.

Concubina.

Concubinarius.

Prætextus non eijciendæ Concubinæ inanis reijcitur. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 111.

Concupiſcentia.

Vide *Ornatus*.

Res nequit vitiò verti, licèt multa peccata ex ea oriantur. D. 1. C. 7. §. 13. num. 160. p. 193.

Inculpabilis, quia non voluntaria.

Si voluntariè ab homine aſſumeretur, omnia peccata inde orta ei imputarentur. num. 161. Ibidem.

Non poteſt a puella, vel adoleſcente per eſum calidorum prouocari. num. 162. p. 194.

Confabulatio.] Vide *Colloquium*.
Confabulor.]

Confeſſarius.

Vide *Abſoluo*.

Confeſſarius monens Pœnitentem.

Vide *Pœnitens*.

Pleriq; in opinionibus metiendis adulantur. *Ad Lectorem*. num. 2. *& in peccatis deſigunt*. Ibidem.

Pro Confeſſarijs præcipuè conflata hæc Paradoxa de ornatu. num. 8.

Ne abſoluat relapſos ſine emendationis ſigno. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 110.

Facilè abſoluens recidiuos, peccatorum ſegetem ſerit. Ibidem.

Væ Confeſſarijs, qui conniuent ornatui mulierum valde prouocatiuo libidinis. C. 9. num. 1. 2. 3. p. 233. *Vtinam autem reſipiſcerent, modumq; tractandi pœnitentes diſcerent a S. Bernardo*. num. 4. p. 234.

Plurimas vanè ornatas ſi corriperent Confeſſarij, a corruptela reuocarent. num. 5.

Confeſſarij debent luxum ornatus valde reprehendere. num. 6 p. 235.

Neq; timeant, ne ideo a Pœnitentibus deſerantur. neq; metuant pœnitentes, ſed ab ijs timeantur ipſi.

Confeſſarius non adulator, ſed liber quæſitus a Principe Ibidem.

Confeſſarius metuens amittere pœnitentes, in periculo eſt, ne cum ipſis damnetur. Ibidem.

Confeſſarij abſoluentes malè, ornatas nimis mulieres, vt cæci duces, damnantur. num. 7. Ibidem.

Culpa Confeſſariorũ ornatus pompa creſcit. Ibid p. 236.

Cõniuens cõſuetudini ornatus abſorbetur a Dæmone. Ibid.

Confeſſarij qui nimis facilè abſoluunt pœnitentes, delineantur, & vituperantur. D. 1. C. 9. num. 8. pag. 236.

Nobiles, & diuites pœnitentes aucupantur, quibus faciles ſe præbent, negligunt autem pauperes. Ibidem.

Sic Confeſſarius perdit animam eorum, & ſuam. Ibid. p. 237. *& temporali damno etiam afficitur*.
Dynaſtam inabſolutum dimittit fortiter, quem alius malè abſoluit, at cum ipſius bella exprobratione. Ibid.
Quæſtus Confeſſarij eſt Inferorum viaticum. Ibidem.
Quoties Confeſſarius veritatem non audet detegere Pœnitenti, in periculo eſt, ne cum ipſo damnetur. Ibidem.
Matrena ſine abſolutione dimiſſa a Confeſſario ob retentas peccati occaſiones, ſpe lucri omni contempta egregiè. num. 9. p. 238.
Quid in immodico ornatu debeat animaduertere. num. 10. Ibidem. *ne ſit de rapinis, vel de ſanguine pauperum comparatus*. Ibidem.
Cordi etiam habeat monita S. Caroli. num. 11. p. 239.
Præſumere debet viuere in peccato mortali, quæ ſupra vires opum ornantur. Ibidem.
Ne abſoluat lethifero ornatu vtentes. num. 12. *In dubio autem de mortali, cautè agat*. Ibidem.
Non tenetur de quouis peccato explicitè iudicare, an ſit mortale. num. 13.
In dubio, cogat pœnitentem ſtare iudicio periti. Ibid.
Abſoluens Principem hærentem in mortali ob non ſublatam noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris, peccat mortiferè. D. 2. C. 1. §. 4. num. 55. p. 270.
Abſoluens Epiſcopum obſtinatè negligentem tollere noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris, vel obſiſtere ingruenti, peccat mortaliter. num. 64. p. 272.
Confeſſarij nonnulli fingunt incommoda, ne pœnitentes mœreant. D. 2. C. 3. §. 7. p. 296.
De Confeſſarijs detrahitur ob laxas opiniones. D. 3. C. 1. num. 18. p. 317.
Confeſſarij abſoluentes vanè ornatas, & pectus nudantes accuſabuntur a ſuis Pœnitentibus in Dei iudicio. num. 21. p. 318.
Etſi a doctis, & probis Confeſſarijs admittantur ad Sacramenta pectus detegentes contra morem regionis, vbi talis nudatio publicata eſt lethalis, non deſinunt in foro externo eſſe publicæ peccatrices, repellendæ ab Euchariſtia. D. 3. C. 2. §. 2. num. 30. p. 334. *vſq; ad* num. 46. p. 340. *Neq; hinc gignitur opinio probabilis*. num. 31. p. 335. *ad* num. 36. §. 3. num. 62. & 63.
Non tenetur ſe conformare opinioni pœnitentis, niſi hæc probabilis apud multos, & doctos habeatur. §. 3. num. 63. p. 348.
Publicè nudans pectus contra morem loci, licèt ab alijs Confeſſarijs abſoluatur, non tamen eſt abſoluenda, nec admittenda ad Sacramenta. num. 63. 64. 65. Ibidem. *nec opinione probabili nititur, nec deſinit eſſe peccatrix publica in foro externo*. Ibidem. *Licèt coram Deo non peccarit*. Ibidem. *nec ideo ius certum reuocatur in dubium*. num. 67. p. 350.
Etſi nudantes pectus contra loci morem admittantur ad Sacramenta ab alijs Confeſſarijs, non ideo tamen admitti etiam poſſunt ab alijs conſcijs veritatis. D. 3. C. 3. toto p. 371. & ſeqq.
Pœnitens volens ad ſuum placitum trahere Confeſſarium, vel Doctorem, decipitur. Ibidem. num. 10. p. 375.
Abſoluens vanè ornatas peccat. D. 3. C. 4. num. 48. p. 391.

Confeſſio Sacramentalis.

Crimen in Confeſſione aliquando tacendum ad vitandum ſcandalum. D. 1. C. 5. §. 7. num. 104. p. 61.
Sacrilega punita diuinitus. D. 1. C. 7. §. 11. num. 140. p. 184. 185. *ficta*. Ibidem.
Nemo ſine modeſto habitu admittendus ad Confeſſionem. D. 3. C. 2. §. 6. num. 100. pag. 368. num. 101. Ibidem.
Etſi aliqui Confeſſarij licitè abſoluant nonnullos, licitè tamen non poſſunt alij conſcij veritatis. D. 3. C. 3. toto. p. 371.

Coninch.

Ægidius Coninch.

Immeritò reiectus a Cardinali de Lugo. D. 1. C. 5. §. 9. num. 146. C. 81. num. 147. p. 82. & num. 148. *ſibi contradicit*. num. 149 p. 83.

Conſilium.

Conſulo.

Petentes malè conſilium de ornatu mulieres, merentur decipi. D. 3. C. 4. num. 10. p. 375. *conſulere Doctorem quomodo quis debeat, ne velit eum trahere ad ſuum placitum*. Ibidem.

Conſuetudo.

Vide *Pectoris feminei nuditas*.

Conſuetudo peccati.

Vide *Peccati conſuetudo*.

Doctores quidam tuentur cunctas Mundi conſuetudines contra Scripturas, temerè. Præl. num. 2. p. 1.
Peccata horrori tantùm ea ſunt, quæ ſunt contra conſuetudinem. Præl. 2. & 3. p. 2.
Non excuſat vanum ornatum vetitum ab Apoſtolis. D. 1. C. 2. num. 19. p. 11.
Nihil contra ius diuinum poteſt. Ibidem. & C. 7. §. 17. num. 191. p. 203.
Iuri diuino, & naturali nequit obſtare. Ibidem.
Omnis conſuetudo noxia iuri diuino, vel bonis moribus, eſt corruptela. Ibidem.
Conſuetudo irrationabilis non excuſat a peccato, ſed grauat. num. 192. p. 204.
Bona conſuetudo, quæ diuino iuri, vel moribus non repugnat, ex bonorum praxi metienda eſt. Ibidem. & num. 202. p. 206.
Non excuſat oſcula vſitata, ſi vitari poſſunt. num. 198. p. 205. *Neq; alias corruptelas vſitatas*. num. 199. 200. num. 200. 201.
Nemo docet conſuetudinem eſſe iuſtam cauſſam, vel graue incommodum, pro quo graue periculum peccati grauis adiri poſſit. num. 201.
In praua conſuetudine, quæ eſt corruptela, nemo debet ſe alteri conformare. num. 203. p. 206.
Conſuetudo irrationabilis caret omni facultate. D. 2. C. 1. num. 33. p. 259. *neq; a peccato excuſat*. Ibidem.
Irrationabilis conſuetudo eſt illa quoq; quæ peccandi occaſionem præbet. Ibidem.
Conſuetudo, ex qua plus mali ſequitur, quàm boni, praua

praua eſt, & mera corruptela. num. 39. p. 262.
Eadem conſuetudo, ſeu corruptela exploditur a Doctoribus, & a Patribus. num. 40. Ibidem.
Conſuetudo praua non excuſatur multitudine errantium. num. 41. p. 263.
Conſuetudo nudandi capitis feminei exagitata a Patribus. num. 44. p. 265.
Non poteſt obſtare Dei legi. Ibidem. *nec veritati*. Ibidem. num. 66. p. 273.
Inuehens conſuetudinem noxiam moribus, peccat mortaliter. D. 2. C. 2. num. 4. p. 275. num. 5. 6. & ſeqq.
Conſuetudo non eſt legitima, nec valida, niſi a maiore parte populi ſit recepta. D. 2. C. 4. num 10. p. 299.
Quando conſuetudo eſt rationabilis, ſufficit conſenſus tacitus Principis, vt valeat num. 13. p. 300. *nunquam autem talis eſt, quoties Princeps reclamat*. Ibidem.
Caput feminæ velandum, non obſtante quauis contraria conſuetudine. D. 3 C. 2. §. 4. num. 69 p. 351.
Conſuetudo non excuſat vanum ornatum, nec quæ mali ſpeciem habent. D. 3. C. 4. num. 38. p. 387.

Contemno.

Contemptus.

Contemptus Dei, vel proximi in ornatu muliebri directus, vel indirectus. D. 1. C. 7. §. 1. num. 3. p. 130. *Item* §. 5. num. 52. p. 147. num. 53. & 54. p. 147. & 148. num. 50. p. 149. num. 56. *Indirectus eſt ordinarius*. Ibidem. §. 6. num. 87.
Quid ſit directus proximi contemptus. C. 7. §. 19. num. 225. p. 218 *non eſt elatio ſui præ alijs*. Ibidem.
Contemptus indirectus ſat eſt ad incurrendum mortale ſacrilegium ob irreuerentiam in Templo. D. 3. C. 1. §. 1. num. 20. p. 328.

Cooperatio.

Cooperor.

Præbens materiam indifferentem, nec intendens peccatum, non cooperatur directè ad malum. D. 1 C. 5. §. 2. num. 19 p. 22.
Tunc ſolùm cooperatur malo alterius præbēdo materiam indifferentem, quando poteſt, & tenetur abutentis peccatum vitare. num. 20. p. 23.
Quauis cooperatio moralis, etiam indirecta in ſcandalo, ob graue incommodum tollitur. D. 1. C. 6. §. 1. num. 9. p. 124.
Incommodum excuſandæ notabili cooperationi indirectæ peccato alterius lethali inſufficiens, aliquando ſufficit leui cooperationi excuſandæ. Ibidem. num. 10. p. 129.

Correctio.

Corrigo.

Omittens correctionem, qui debet, peccat ſolùm contra caritatem. D. 1. C. 5. §. 9. num. 123. p. 69. *nec tenetur explicare ſpeciem peccati non correcti*. Ibidem.
Qui omittit correctionem, præciſè peccat ſolùm contra caritatem. Ibidem. p. 132. p. 74.
In omiſſione correctionis fraternæ non eſt confitenda ſpecies peccati non correcti. num. 148. p. 83.
Obligatio correctionis fraternæ vrget, quum adeſt etiam probabile relabendi periculum. D. 1. C. 5. §. 10. num. 158. p. 88.
Nec quis deobligatur ob aliquod ludibrium ſubeundum C. 8. num. 12. p. 229.
Epiſcopus tenetur ſtrictiùs corrigere ſubditorum peccata. D. 2. C. 1. §. 4. num. 56. p. 270. num. 57. p. 271.
Epiſcopus grauiter negligens corrigere grauia delicta ſubditorum, peccat mortiferè. Ibidem. num 58. p. 271. & ſeqq. *ad* num. 65. p. 272.
Non corrigens peccata qui tenetur, licèt ſanctè viuat, perit cum pereuntibus. num. 61. p. 272. *& cenſetur ea fouere*. num. 62.

Conuerſatio.

Nemo vitandus in conuerſatione, niſi conuictus de crimine. D. 3. C. 2. §. 4. num. 79. p. 356.

D

Damnatio æterna.

D*Amnatæ æternùm mulieres pleræq; ob ornatum*. D. 1. C. 7. §. 11. num. 132. & ſeqq.

Damno.

Damnum.

Vide *Incommodum, ſcandalum*.
Probabile periculum damni proximo imminentis non cauens, peccat mortiferè. D. 1. C. 5. §. 10. num. 159.
Damnum iniuſtè paſſus, etiam ab ignorante, poteſt ſe, & ſua tueri etiam cum illius damno. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 361.

Debitor.

Poteſt differre ſolutionem, quando maiori ſuo damno ſolueret. D. 1. C. 5. §. 8. num. 117. p. 66.

Decet.

Canon Decet, *de immun Eccleſ. in 6. expenditur* D. 3. C. 1. §. 1. num. 13. p. 324. & ſeqq. *continet varia præcepta præter conſilia*. num. 15. p. 325.

Decimæ.

Negliguntur ab Eccleſia, vt vitet ſcandalum puſillorū D. 1. C. 5. §. 7. num. 94. p. 58.

Deſperatio.

Mulier in morte præ luxu ornatus, &c. deſperata moritur. D. 1. C. 7. §. 11. num. 140. p. 184.

Detractio.

Detraho.

Detractio lethalis facta in Templo, mortiferè ſacrilega quoq;. D. 3. C. 1. §. 1. num. 13. p. 324.

Deuotio.

Vera deuotio cum vano ornatu non conſiſtit. D. 3. C. 4. num. 43. p. 389. *cum mortificatione debet eſſe coniuncta*. Ibidem.

Deus.

Dei fines in concupiſcentia, & pulchritudine inſerendâ homini nequit homo per nimium ornatum iuuare. D. 1. C. 7. §. 13. num. 161. 162. p. 193 194.
Deus teſtis, & index contra homines. C. 9. num. 2 p. 233.
Non poteſt prohibere permiſſionem minoris mali, vt maius vitetur. D. 2. C. 1. num. 13. p. 252.

Non

Non potuiſſet vetare meretrices, ſi hæ plura mala auerterent. Ibidem.

Deus vetans nuditatem pectoris feminei neceſſariam vitandis malis peioribus, non peccat, quia linquit libertatem phyſicam, & moralem reſiſtendi peccatis. num. 26. p. 256. num. 27. p. 257. *aliter verò diceretur peccare, ſed abſurdè.* num. 28. Ibidem.

Diana.

Antoninus Diana.

Dianæ opinio ſingularis reijcitur vt improbabilis. D. 1. C. 2. nu. 17. p. 11. *vſq; ad* p. 13. *&* §. 8 num. 118. p. 67. *& alia reijcitur.* C. 7. §. 18. nu. 211. & ſeqq. p. 211.

Difficultas.

Sola difficultas vitandæ occaſionis proximæ non excuſat ab ea vitanda. D. 1. C. 5. §. 13. p. 120. num. 120. *&* num. 121. p. 120.

Diuitiæ.

Vitandæ non ſunt, licèt ſint occaſiones peccandi. D. 1. C. 7. §. 19. p. 219.

Doctor.

Vide *Confeſſarius, Opinio, Patres.*

Pleriq; in opinionibus metiendis adulantur. *Ad Lectorem.* num. 2. *& in peccatis deſignunt.* Ibidem.

Doctorum verba ipſa cur a me ſæpe recitentur. Ibid. num. 9.

Opiniones ſuas qui fabricant, Scripturis & Patribus neglectis, reprehenduntur. In Præl. nu. 1. p. 1. & ſeqq. *ij non ratione, ſed placito tantum ducuntur.* num. 2. Ibid.

Quaſcunque Mundi conſuetudines plerique contra Scripturam tuentes carpuntur. num. 2. Ibidem.

Doctores plerique veritatem poſtponunt gratiæ hominũ. Præl. 4. *& ſeqq.* pag. 2. *per carnis nempe prudentiam.* 5. pag. 3.

Doctores in ſenſu non abſurdo accipiendi ſunt, quum poſſunt. D. 1. C. 5. §. 5. num. 77. p. 46.

Doctoris dictum poſterius præferendum priori. D. 1. C. 5. §. 6. num. 88. p. 54.

Vnus Doctor non reddit ſua auctoritate ſola opinionem probabilem contra communem. §. 10. num. 165. p. 91.

In commodo ſenſu interpretandus, niſi contrarium appareat. D. 1. C. 7. §. 9. num. 116. p. 174. *&* §. 19. num. 226. p. 218.

Prauus interpretandi Doctores modus cauendus. §. 19. num. 222. p. 216.

Cum diſtinctione accipiendus, etſi abſolutè loquatur, temereque ſecus explicatur non rarò. num. 223. Ibidem.

Abſurdè expoſiti, & torti Doctores. num. 225. p. 218. *vſque ad* 228. p. 219.

Quando Doctor ſibi non conſtat, ſtandum ei eſt, vbi rem ex profeſſo tractat. D. 2. C. 2. §. 2. num. 19. p. 285.

Quando rem fuſiùs in vno loco tractat, quàm in alio, ſtandum opinioni fuſiùs tractatæ. Ibidem.

Quum aliquis Doctor quæſtionem ex profeſſo tractauit, alijs obiter tantùm indicantibus oppoſitam credendum non eſt. num. 27. p. 288.

Sola auctoritas Doctorum, qui caſum oppoſitum non ponderarunt, vel rationem cogentem, aut textum ignorarunt, non ſufficit opinioni probabili gignendæ. D. 3. C. 2. §. 1. num. 17. p. 327.

Numerus & grauitas Doctorum non facit communem opinionem, ſed rationes, &c. num. 19. p. 327.

Applicatio legis generalis caſui particulari a priuato Doctore facta, moraliter poteſt eſſe certa, & ſufficere ad legis obligationem, & negandam Euchariſtiam. D. 3. C. 2. §. 3. num. 52. p. 342.

Probabilitas opinionis ſaltem per externam Doctorum auctoritatem arietat certitudinem oppoſitæ ſententiæ. D. 3. C. 3. num. 1. p. 371.

Doctorum mortuorum auctoritas prælata viuentibus. Ibidem. C. 3. num. 6. p. 373.

Doctoratus.

Laurea Doctoratus permiſſa in Templo. D. 3. C. 2. §. 1. num. 20. p. 328.

Dolor.

Dolor verus de peccato.

Vide *Recidiuus.*

Dubium.

In foro externo doctrina certa publicata non fit dubia ob praxim oppoſitam Confeſſariorum. D. 3. C. 2. §. 3. num. 67. pag. 350.

In dubio negatiuo melior eſt conditio poſſidentis in omni materia D. 1. C. 5. §. 8. num. 113. p. 65.

E

Ebrietas.

Vide *Bibo.*

Vinum vendens cum periculo ebrietatis alienæ peccat mortiferè. D. 1. C. 5. §. 8. num. 115. p. 65. *&* §. 10. num 160 p. 89.

Explens ferè ebrium vltimo poculo ſuppeditato, peccat mortaliter. D. 1. C. 7. §. 15. num. 170. pag. 196.

Eccleſia.

Vide *Templum.*

Non poteſt præcipere actus merè internos. D. 3. C. 2. §. 1. num. 12. p. 324.

Eleemoſyna.

Aliquando omittenda ad vitandum ſcandalum. D. 1. C. 5. §. 7. num. 94. p. 61.

Ob ornatum negata pauperibus horrendè punitur. D. 1. C. 7. §. 11. num. 140.

Collecta a Concionatore magna. *In Epiſtola ad Lectorem.* num. 15.

Non eſt eleemoſyna artificum inopum, ornatum nimium ab illis conficiendum curare. D. 3. C. 4. num. 44. p. 390. *nec, ſi eſſet, liceret illo vti.* Ibidem.

Emendatio.

Vbi nulla ſpes emendationis apparet, cogendus recidiuus deſerere occaſionem delinquendi proximam, etiam cum graui incommodo. D. 1. C. 5. §. 12. num. 198. *vſq; ad* num. 205. p. 108. *ad* 112.

Epiſcopus.

Vide *Paſtor, Prælatus.*

Poteſt ſub excommunicatione vetare nimium ornatum,

& ſic

& ſic mortalem reddere. D. 1. C. 7. §. 12. n. 157. p. 190.

Peccat mortiferè non curans tollere noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris. D. 2. C. 1. §. 4. num. 56. *uſq; ad* num. 65. p. 272.

Tenetur ſtrictiùs corrigere peccata ſubditorum. n. 56.

Tenetur etiam in ſubditorum peccata inquirere. num. 57. p. 271.

Si grauiter negligit ſubditorum grauia peccata corrigere, lethiferè delinquit. D. 2. C. 1. §. 4. p. 273. num. 58. *uſq; ad* num. 65. p. 272.

Non corrigens peccantem, occidit. num. 69. p. 271. num. 60.

Non corrigens errantem, perit, licèt ſanctè viuat. num. 61. Ibidem. *& cenſetur fouere peccata*. Ibid. num. 62.

Deus de manu Epiſcoporum non corrigentium peccata ſanguinem pereuntium requirit. D. 2. C. 1. §. 4. num. 63. p. 272.

Tacens, & non corrigens peccata, cenſetur conſentire. D. 2. C. 1. §. 4. num. 63. *paritq; delinquendi facilitatem*. Ibidem.

Abſolui nequit obſtinatè negligens tollere noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris, vel ingruenti obſiſtere. num. 64. p. 262.

Epiſcopi eſt prauas ſuæ Diœceſis conſuetudines tollere. D. 2. C. 4. num. 13. p. 300.

Tenetur obuiam ire ſcandalis ſubditorum ſibi vtcunq; notis. num. 26. p. 305.

Sinente Epiſcopo publicari nuditatem feminei pectoris contra morem regionis, eſſe lethalem, licèt oppoſitam opinionem non vetet, adhuc ita nudans publica peccatrix eſt in foro externo, & repellenda ab Euchariſtia. D. 3. C. 2. §. 2. num. 38. p. 336. num. 39. & 40. p. 337.

Etſi non puniat abſoluentes, & communicantes Sacerdotes, ſed tantùm per Concionatores ſinat denuntiari mortalem eſſe inuſitatam mulieris pectoris nuditatem, non ideo peccat, neq; nudantes ita excuſantur, quin ſint publicæ peccatrices, & arcendæ a Communione. Ibidem.

Negligens reprimere vanum ornatum, peccat. D. 3. C. 4. num. 48. p. 391.

Erro error.

Multitudo errantium non excuſat errorem. D. 2. C. 1. num. 41. p. 263.

Eſther.

Sine culpa ornatu vſa eſt; etſi alij hinc fortè deliquerent, quia iniuſta, & ex mera neceſſitate illum adhibuit. D. 1. C. 7. §. 18. num. 216. p. 213. *ex diſpenſatione nubit Ethnico, & ſperniitq; cultum. Idem tamen alijs non permittitur*. Ibidem.

Euchariſtia.

Vide *Sacramentum*.

Negata in morte mulieri ob vanum cultum. D. 1. C. 7. §. 11. num. 128. p. 183.

Chriſtus verba Euchariſtiæ meritò protulit, licèt ſciret Iudæos ſcandalizandos. Ibid. §. 14. num. 163. p. 194.

Irreuerentia externa in ſuſcipienda Euchariſtia vetita eſt in C. Decet. &c. D. 3. C. 2. §. 1. num. 21. p. 329.

Sine ſtola, ſuperpellicio, & lumine nequit deferri ad ægrum. §. 4. num. 77. pag. 355.

Primam gratiam per accidens conferri ab Euchariſtia attritis, probabile eſt. Ibidem.

Eccleſia in Euchariſtia diſtribuenda maiorem curam habet reuerentiæ erga eam ſeruandæ, quàm vtilitatis ſuſcipientium. D. 3. C. 2. §. 4. num. 85. p. 358.

Leges de reuerentia erga Euchariſtiam ſunt purè fauorabiles. Ibidem.

Grauis Euchariſtiæ irreuerentia lethalis eſt. D. 3. C. 2. §. 4. num. 89. p. 364.

Actiones pleræq; ob grauem irreuerentiam in Euchariſtiam lethales, & ſacrilegæ. Ibidem. num. 90.

Euchariſtia danda, vel neganda peccatori.

Vide *Peccator petens Euchariſtiam*.

Publicus peccator non emendatus arcendus eſt a ſuſceptione Euchariſtiæ. D. 3. C. 2. n. 2. p. 321. *& quis ſit talis*. num. 5. Ibidem.

Peccator occultus publicè petens Euchariſtiam, non eſt ea priuandus. num. 3.

Doctores in vtroque caſu non agunt de peccato, quod in ipſa tantùm ſumptione Euchariſtiæ fiat. num. 4. Ibidem.

Euchariſtia neganda non eſt accedenti cum ornatu valde prouocatiuo libidinis vſitato, vel cum nuditate pectoris feminei ſolita. D. 3. C. 2. §. 1. num. 10. p. 323. *Neque eſt neganda, licèt talis nuditas, & ornatus ſint inuſitata, ſi non conſtat vulgo eſſe mortifera*. num. 11. p. 324. Ibidem.

Vbi vulgatum eſt, inſolitam mulierbris pectoris nuditatem, itemque ornatum valde prouocatiuum libidinis eſſe culpæ lethali obnoxia, accedenti cum hoc, vel cum illa, non debet Euchariſtia impertiri. Ibidem. num. 12.

Sumens cum nuditate inſueta, vel ornatu valde prouocatiuo libidinis Euchariſtiam mortale crimen inſuper, & ſacrilegum contrahit. num. 21. p. 21. Ibidem.

Rea culpæ mortalis ob inſuetam pectoris nuditatem denuntiata a Concionatore, ceu publica peccatrix repellenda eſt a Communione. D. 3. C. 2. §. 2. n. 25. p. 331. *licèt ipſa fortè non peccarit coram Deo*. Ibidem. & num. 26. p. 332.

Nec obeſt, quòd aliqui Concionatores minùs cauti decipiantur. num. 27. p. 333.

Etſi maior pars populi opinetur nudantem pectus præter morem regionis non delinquere, adhuc tamen vt publica peccatrix repellenda eſt. num. 28. Ibidem. *quia in foro externo delicti notorietas non tollitur per opiniones oppoſitas*. num. 29. p. 333.

Etſi a doctis, & probis Confeſſarijs ad Sacramenta admittatur, adhuc talis vt publica peccatrix repellenda eſt ab Euchariſtia. num. 30. p. 334. *vſque ad* num. 36. p. 336. & num. 45. p. 339.

Sinente Epiſcopo, & Papa publicari nuditatem feminei pectoris contra morem regionis eſſe lethalem, licèt oppoſitã opinionem non vetent, adhuc ita nudans publica peccatrix eſt in foro externo, & repellenda ab Euchariſtia. num. 38. Ibidem. num. 39. & 40. & num. 41.

Nudans publicè pectus, vbi mos non eſt, arcenda eſt ab Euchariſtia, quia ita expedit cultui diuino, & bono publico. num. 43. p. 338.

Nam

Nam mulier nitens nota opinione probabili non irrogat Euchariſtia irreuerentiam, ſic ut irrogat, qua improbabili ducitur. D.3.C.2.§.2. num.44. p. 339.

Eccleſia in repellendo publico peccatore ab Euchariſtia reſpicit Dei cultum, & animarum indemnitatem. num. 43. p. 338.

Euchariſtia non porrigenda publicè digno, niſi priùs populo dedocto errorem falſa opinionis arrepta. n. 47. p. 340.

Vt indignus, ſeu peccator publicus repellatur ab Euchariſtia, ſat eſt conſtare moraliter eum talem eſſe. num. 48.

Prætextus ignorantia, vel bona fidei non prodeſt peccatori publico, quominùs ab altari arceatur. num. 49.

Accedens cum pileo Iudæi, repellendus ab Euchariſtia. Ibidem.

Etſi meretrix, & vſurarius publicè confeſſi admittendi ſint ad Euchariſtiam, quando nullum ſignum culpa mortalis relinquunt, ſecus eſt de publicè nudante pectus contra morem loci. adhuc enim licèt confeſſa publicè, eſt a Communione reijcienda. num. 50. p. 341.

Applicatio legis generalis caſui particulari a priuato Doctore facta moraliter certa eſſe poteſt, ſufficienſque ad eius obligationem, atque ad negandam etiam Euchariſtiam. num. 52. p. 342.

Euchariſtia neganda peccatori ob publica delicta, etſi etiam non ſint intrinſece mala. D.3.C.2 §. 3. num. 54. p. 344. *Itemque nudanti inſolite pectus femina, niſi oſtendat.* num. 55. p. 344. *ſe iuſtè nudare, nec iſti prodeſt præſumptio. quòd nudet ex iuſta cauſſa.* Ibidem.

Euchariſtia peccatori ob publicum crimen lethale negatur, etiamſi alioqui non ſit infamis. Ibidem. num. 56. p. 345. num. 57. num. 58. p. 346. *adeoque etiam femina nudanti pectus contra morem loci, quamuis infamis non reputetur.* num. 59. Ibidem.

Nudans publicè pectus præter morem loci, arcenda a Communione ob manifeſtum ſcelus lethale, etſi nullam aliam immediatam irreuerentiam Sacramento inferret. num. 60. p. 346.

Etſi nudo pectore inuiſens Principem nullam ei facit irreuerentiam, facit tamen magnam Euchariſtia ita ſe illi ingerens. Ibidem.

Nec deſinit eſſe in foro externo publica peccatrix, licèt admittatur paſſim ad Sacramenta. num. 64 p. 349.

Etſi excuſata a Confeſſario non peccet ob bonam fidem, adhuc tamen ab altari reijcienda. num. 65. p. 349.

Quando ius publicatum a Concionatoribus, dubium quacunq; ratione redditur, petens cum tali dubio Euchariſtiam publicè, non poteſt repelli, D. 3. C. 2. §. 3. n. 66. p. 350.

Accedens cum habitu valde irreuerenti ad Euchariſtiam, ab hac reijciendus eſt. D. 3. C. 2. §. 4. n. 68. p. 350.

Tum quia nec Miſſa celebranda coram ijs, qui ſine habitu compoſito adſtant. Ibidem. p. 350.

Tum quia mulieri ſine tecto capite Templum ingrediendum non eſt. num. 69. p. 351. *vſq; ad* num. 76. p. 355. *adeoq; multo minùs cum valde irreuerenti habitu danda Euchariſtia.* num. 76. Ibidem.

Tum quia Euchariſtia nequit ſine ſtola, &c. ad ægrum deferri. num. 77. Ibidem.

Tum quia ius naturale petit ſuſcipi cum reuerenti cultu. num. 78. p. 356.

Tum quia Euchariſtia neganda eſt, non ob ſolum notorium crimen patratum extra Templum. num. 79. Ibid.

Tum quia citra iniuriam negatur irreuerenter ſe intrudenti. num. 80. Ibidem.

Tum quia aliàs magna abſurda ſequerentur. num. 81. & 82. p. 357. & num. 83 p. 358. num. 84. Ibidem.

Tum quia rationes, & leges allata extendenda ad hoc ſunt. num. 85. Ibidem.

Tum vt vitetur periculum magni offendiculi. num. 86. p. 359.

Hoſtia porrecta accedenti cum nudo pectore delapſa in ſinum eius magno cum ſcandalo. Ibidem.

Non eſſe dandam cum nudo pectore accedentibus, neq; vbi mos eſt nudandi. Ibidem.

Euchariſtia neganda ob grauem irreuerentiam, licèt hæc non foret lethalis, nec culpabilis. n. 87. p. 360. Ibid. *Etiamſi quoque accedens cum habitu irreuerenti neſciat a ſe ei irrogari irreuerentiam, & alioqui reiectus notam ſubeat.* num. 87. Ibidem. & num. 91. p. 363. *traditaq; doctrina nullus obſtat.* Ibidem. num. 92.

Licèt publicè non conſtaret eſſe lethale ſcelus femina, incedere nudo pectore contra loci morem, neq; Concionatores talem doctrinam vulgaſſent, adhuc ita accedens cum nudo pectore in tali loco, vbi mos non eſt, ab Euchariſtia reijcienda eſt. § 5. num. 93. Ibidem. *quia adhuc magnam ei infert irreuerentiam.* num. 93. Ibidem. & 94. p. 364. num. 95. p. 365. *ſcandalumq; gignit.* num. 94. Ibidem. *Nec obſtant pericula incommodorum ab imperitis, & zelotis.* num. 96. p. 365.

Nudantes femina pectus Mediolani arcenda ex S. Carolo ab Euchariſtia. D. 3. C. 2. §. 6. n. 99. p. 367. num. 102. p. 368.

Euchariſtia negata ob caudatas veſtes. n. 102. p. 368.

Non porrigenda ex S. Carolo accedenti cum veſte ſumptuoſa, caudatave, cum fuco, nudove pectore, vel ſine velo. num. 103. p. 369. *nec vlli carenti modeſto habitu.* Ibidem. & num. 104. Ibidem.

Euchariſtia in Mediolanenſi Diœceſi negatur ob defectum debita reuerentia, non obſtante ignorantia, vel inaduertentia, etſi alioqui nullum ſit peccatum. num. 105. Ibidem. *multoq; magis ob nudum mulieris pectus.* Ibid.

Doctrina tradita hiſce Paradoxis cordi maximè eſſe debet Clero Ambroſiano, alioqui S. Carolus indignaretur. n. 106. p. 370. Ibidem. *præſertim ſi nudantes pectus femina ad Sacramenta admittantur.* Ibidem.

Etſi alij Confeſſarij admittant ad Sacramenta nudantes feminas pectus contra loci morem, non ideo poſſunt admitti a conſcijs veritatis. D. 3. C. 3. toto p. 372.

F

Facies.

T*actus faciei muliebris viro non eſt mortalis.* D. 2. C. 1. num. 42. p. 264.

Factum.

Factum.

Facta nuda Religioſorum proborum non reddunt opinionem probabilem, quando firma ratio, vel textus repugnat; ſecus autem, ſi nihil obſtat. D. 3. C. 2. §. 2. num. 30. p. 334. *vſque ad* num. 36. p. 336. §. 3. num. 63. pag. 348. num. 64. p. 349. *Nec tollunt in foro externo publicitatem criminis.* num. 64. Ibidem. *nec certam doctrinam reddunt dubiam in foro externo.* num. 67. pag. 350. *nec conſtituunt vllam opinionem probabilem contra rationem, vel textum, etſi non conuincentem.* D. 3. C. 3. toto, p. 371. & ſeqq.

Femina.

Vide *Mulier, & Ornatus Femina.*

Ferdinandus a Caſtro Palao.

Vide *Palao.*

Ferro Manrique.

Opinio Ferri reijcitur. D. 1. C. 5. §. 11. n. 178 p. 98.

Feſtus dies.

Vide *Miſſa.*

In feſto ex neceſſitate poteſt omitti ſacrum, vel laborari. D. 1. C. 5. §. 7. n. 103. p. 61. num. 96. p. 62. D. 3. C. 2. §. 2. num. 54. p. 344.

Feruor.

Nimius cauendus. Ad Lectorem. num. 2.

Fides bona.

Vide *Ignorantia.*

Filia.

Vide *Mater.*

Filius.

Non tenetur deſerere domum patris, vt vitet proximam peccandi lethaliter occaſionem. D. 1. C. 5. §. 11. n. 177. p. 97. num. 178. p. 97. & 98.

Solicitatus ad malum a parentibus, poteſt Religionem ingredi, licèt illi ſint in magna neceſſitate. p. 100. num. 182. *ſecus, ſi ab vno tantùm parente prouocetur.* Ibidem.

Fœmina.

Vide *Mulier, & Ornatus femina.*

Forum externum.

Vide *Euchariſtia danda, vel neganda peccatori.*

Obligatio legis publicata non ceſſat in foro externo ob priuatas opiniones nonnullorum contradicentium. D. 3. C. 2. §. 2. num. 26. p. 332. *licèt quis coram Deo non peccarit. vſq;* ad num. 30. p. 334. *neque quia ſecus agens a Confeſſarijs probis, & doctis ad Sacramenta admittatur.* num. 30. p. 334.

Non admittit probabilitatem opinionis ex ſola Doctorum auctoritate, quando oppoſita certitudo eſt publicata. Ibidem.

Ad publicitatem in foro externo ſat eſt certitudo moralis. num. 36. p. 336.

Fucus.

Vide *Ornatus.*

Regina Anna abſtinet penitùs fuco. In Epiſt. ad Mariam. Annam. num. 1.

Quid ſit fucus. D. 3. C. 4. num. 2. p. 376.

Fucata facies carpitur. D. 1. C. 2. num. 8. p. 9. & num. 9. num. 10. p. 10. num. 11. 12.

Mulieres fucando faciem manus Deo inferunt. num. 9.

Fuci vſus non eſt per ſe lethalis. D. 1. C. 3. num. 9. p. 14. *poteſt ſine vllo peccato aliquando adhiberi.* Ibid. *eſt per ſe indifferens.* num. 10.

Fuci vſus fallacia adulterina. D. 1. C. 6. §. 2. num. 18. p. 128. *libidinis eſt meditatio.* Ibidem. p. 128.

Non eſt ſine peccato. Ibidem. num. 19.

Res eſt propria meretricum. num. 20.

Fucus obnoxius eſt præſumptioni laſciuiæ, & diuini contemptus. num. 19.

Fucus faciei ornatus eſt omnium peſſimus. D. 1. C. 7. §. 2. num. 24. p. 137. D. 3. C. 4. num. 16. p. 379.

Fucis vtens peccat mortaliter. D. 1. C. 7. §. 4. num. 25. p. 138.

Non tamen ſemper. Ibidem. §. 5. num. 53. p. 147.

Fucatio eſt lethalis, quando eſt cum alterius ruina animaduerſa. num. 62. p. 151.

Non eſt per ſe malus, & ideo lethalis fucus. num. 162. p. 151. Ibidem.

Fucare faciem veniale ſolùm eſt. D. 1. C. 7. §. 6. num. 64. p. 152.

Fucus proprius meretricis. §. 7. num. 82. p. 161.

Fucus Dei gratiam dedecorat. Ibidem.

Mulier fucandæ faciei ſtudioſa, a Dæmone decoloratur, & perditur. §. 11. num. 139. p. 184.

Vetari poteſt ſub mortali ab Epiſcopo. D. 1. C. 7. §. 12. num. 157. p. 190.

Multa mala parit. Ibidem. p. 191.

Gratia maritorum non conciliatur fucis. D. 1. C. 8. num. 3. p. 224.

Fucis abſtinens Deum glorificat. num. 4. p. 225.

Fucus exagitatur. num. 4. p. 225.

Fucus periculo culpæ mortalis maximè obnoxius. D. 1. C. 9. n. 14. p. 240. *ideóq; ita exagitatur a Patribus.* n 15.

Fucus peior cætero ornatu, non pectore feminæ nudo. D. 2. C. 1. num. 40. p. 263.

Proprius eſt meretricis. D. 3. C. 4. num. 15. p. 379.

In prouocatione ad libidinem plus nocet fucus, quàm cætera ornamenta. num. 16. Ibidem.

Multo fuco illita puella, peierans ſe nullo fuco vſam, vritur prodigioſè. D. 3. C. 4. num. 28. p. 383. & 384.

Alia puella ob fucum a Dæmone aſportata. num. 29. p. 384. Ibidem. *a Dei conſpectu reiecta, & a tellure expulſa.* Ibidem.

Fuci ſtudioſa punitur mira morte. num. 31. p. 385.

Fucus noxius capillis, & capiti. num. 32. Ibidem.

Fumus.

Bartholomæus Fumus.

Non negat eſſe lethalem ornatum valde prouocatiuum libidinis. D. 1. C. 7. §. 1. num. 5. p. 130.

G

Gemma.

Gemmarum vſus poſt Chriſtum non licet, niſi Principibus, D. 3. C. 4. num. 39 p. 387. *Imò & Nobilibus.*

bilibus. Ibidem. num. 40. p. 388. num. 41. Ibidem.

Generalis.

Vide *Vniuerſalis*.

Generalitas.

Vide *Vniuerſalitas*.

Græci.

Græcia.

Vitijs & luxuria nihilo melior noſtris regionibus, D. 2. C. 1. num. 30. p. 258.

H

Habitus.

Vide *Ornatus, Euchariſtia, Veſtis*.

Habitus pudenda oſtendens illicitus. D. 1. C. 5. §. 7. num. 96. p. 58.

Habitus modeſtus vitia increpat. D. 3. C. 4. num. 42. p. 389.

Hebræus.

Meretrices publicæ vetitæ Hebræis a Deo. D. 2. C. 1. num. 14. p. 251. *priuatæ tamen aliquæ apud eos erant*. Ibidem. *extraneæ non interdictæ ijſdem*. Ibidem.

Heluetij.

Oſtendentes imaginem membri virilis non peccant mortiferè. D. 2. C. 3. num. 10. p. 297.

Hieronymus Sopranis.

Vide *Sopranis*.

Honor.

Verus honor ex modeſtia potius, & Dei timore, quam ex ornatu exiſtit. D. 3. C. 4. num. 42. p. 389.

Hurtadus de Mendozza.

Vide *Mendozza*.

I

Iacobus Lainius.

Opuſculum Lainij de fuco, & ornatu mulierum adiectum his Paradoxis. Ad Lectorem. num. 10.

Lainij eximia Sapientia, Ibidem. num. 11. *Summaq; admirationis doctrina*. Ibidem. num. 12. & 13.

Tum cumulata auctoritas. Ibidem. num. 14.

Aliaq; dotes, ac laudes. Ibidem. num. 15.

Vnde meritò plurimi æſtimatur. Ibidem. num. 16.

Iactantia.

Venialis tantùm eſt. D. 1. C. 7. §. 19. num. 225. p. 218.

Ieiunium.

Ieiuno.

Ieiunium.

Non tenetur vxor ad ieiunium, quando hinc timet ſcandalum. D. 1. C. 5. §. 7. num. 104. p. 61.

Quadrageſimale Dei ieiunium ab Apoſtolis inſtitutum, deinde conſuetudine mitigatum. D. 3. C. 4. num. 41. p. 388.

Mulieres compta recuſans ieiunare, D. 1. C. 10. num. 6. p. 243.

Ignis.

Igne mirè vritur puella peierans, ſibiq; S. Antonij ignem imprecans. D. 3. C. 4. num. 28. p. 384.

Ignominia.

Vide *Irriſio*.

Ignorantia.

Ignoro.

Vide *Euchariſtia danda, vel neganda peccatori*.

Pœnitens vincibiliter ignorans ornatum, vel inſolitam pectoris feminei nuditatem eſſe lethalem, non poteſt abſolui, etſi nulla ſpes ſit fructus ex monitione. D. 3. C. 1. num. 23. p. 318.

Ignorantia non tuetur publicum peccatorem, quin ab Euchariſtia ſit repellendus. D. 3. C. 2. §. 2. num. 49. p. 340. & num. 50. p. 341.

Neq; eum, qui cum valde irreuerenti habitu ſe ei obtrudit. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 361. & num. 91. p. 363.

Imago.

Vide *Pictor*.

Imago membri virilis oſtenſa ſine mortali. D. 2. C. 3. num. 10. p. 297.

Improbabilis.

Vide, *opinio*.

Impudicitia.

Impudicus.

Vide *Habitus, Luxuria, & Ornatus*.

Suſpicione impudicitiæ laborant nimis ornata. D. 1. C. 6. §. 2. num. 14. pag. 126. & ſeqq. *vſque ad* Cap. 7.

Impudicitia excludit a regno Dei. D. 2. C. 2. §. 2. num. 18. p. 283.

Inaduertentia.

Vide *Ignorantia*.

Incito.

Vide *Scandalum, Peccatum, Ornatus*.

Incommodum.

Vide *Damnum, & Cauſſa*.

Graue incommodum tollit culpam ſcandali indirecti. D. 1. C. 5. §. 2. num. 17. p. 22. & num. 22. p. 24. & num. 23. 24. p. 25.

Regula generalis permittendi ſcandali ex graui incommodo, penſatis omnibus, ſumitur. Ibidem. §. 4. num. 54. p. 39.

Ceſſatio perpetua ab aliqua re non eſt per ſe graue incommodum, quod permiſſionem ſcandali licitam reddat. D. 1. C. 5. §. 5. num. 58. p. 41 ad num. 63.

Graue incommodum diſtinctum a iure libertatis ad liberandum a reatu ſcandali requiritur. num. 117. pag. 66.

Graue incommodum infamiæ, damniue notabilis, ſpiritualis, vel temporalis, à obligat ab occaſione proxima culpa lethalis relinquenda. §. 11. num. 177. p. 97.

Cum graui incommodo non teneor vitare malum amici grande. num. 180. p. 99.

Graue incommodum efficit, ne quis teneatur occaſionem peccandi

peccandi mortiferè proximam deſerere. n. 187. p. 102.

Occaſio proxima mortiferè peccandi, quando nullum ſignum emendationis cernitur, relinquenda etiam cum graui incommodo. num. 198. §. 12. p. 108. *vſq; ad* num. 205. p. 112.

Graue incommodum deſerendæ occaſionis proximæ ſæpe inaniter prætexitur. num. 202. p. 110. *ſed imprudenter omnino.* num. 203. p. 111.

Difficultas vitandi aſpectum omnium feminarum an ſit graue incommodum excuſans periculosè aſpicientem? §. 13. num. 220. p. 119. *minimè.* num. 221. p. 120.

Graue incommodum in caſu indirectæ cooperationis excuſat a culpa ſcandali etiam veniali. D. 1. C. 6. §. 1. num. 9. p. 123., *& tum cenſetur abeſſe omnis cooperatio moralis etiam indirecta.* Ibidem.

Incommodum excuſandæ notabili cooperationi indirectæ peccato alterius lethali inſufficiens, aliquando ſufficit leui cooperationi excuſandæ. Ibidem. num. 10. p. 124.

Induco.

Vide *Incito, Peccatum, Prouoco, & Virtus.*

Inducens ſtultos ad copulam, vel ignarum etiam ad periurium, peccat mortiferè. D. 1. C. 5. §. 6. num. 86.

Infamia.

Vide *Ignominia.*

Infamis.

Infamo.

Infamis idem, ac ignominioſus, vel diffamatus. D. 3. C. 2. §. 3. num. 56. p. 345.

In iure Canonico dicitur infamis quicunq; publico crimine mortali fœdatus eſt. Ibidem. num. 56.

Infamia iuris, & facti. Ibidem.

Communio negatur publico peccatori, licèt infamis non habeatur. num. 56. p. 345. *vſq; ad* num. 60. p. 346.

Infamatus iniuſtè poteſt infamantis occulta crimina ad tutelam pandere. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 361.

Infans.

Infantes in lecto retinens cum periculo ſuffocationis, homicidij reus. D. 1. C. 5. §. 10. num. 159. p. 88.

Intendo.

Intentio.

Intentio non habet rationem ſcandali. D. 1. C. 5. §. 4. num. 44. & 45. p. 35.

Inuito.

Vide *Incito.*

Inuitare ad bibendum.

Vide *Bibo.*

Ioannes de Lugo.

Vide *Lugo.*

Ioannes Stephanus Menochius.

Vide *Menochius.*

Irreuerentia.

Vide *Euchariſtia.*

Quædam actiones ſine irreuerentia fiunt erga Principes, non tamen erga Euchariſtiam. D. 3. C. 2. §. 3. num. 61. & 62. p. 247.

Irrideo.

Vide *Ignominia.*

Irriſio.

Toleranda irriſiones pro virtute. D. 1. C. 7. §. 17 num. 203.

Et pro vitando ſcandaloſo ornatu. C. 8. num. 11 p. 228.

Irriſio ſubeunda ob moderatum ornatum non diluit culpam immoderati. D. 13. Cap. 4. num. 42. pag. 389.

Rideri ab improbis laus eſt. Ibidem.

Iudæus.

Vide *Hebræus.*

Iudicium.

Vide *Æſtimatio.*

Iudith.

Innocenter ornata eſt. D. 1. C. 7. §. 18. num. 117. p. 114.

Etſi valde ad venerem ea ornamenta incendebant, ipſa tamen non peccauit. Ibidem. & num. 218.

Idem tamen alijs non permittitur. Ibidem.

Iuramentum.

Iuro.

Vide *Periurium.*

Iuſtitia.

Obligat ad non dandam alteri occaſionem damni, non autem ad curandum lucrum. D. 1. C. 5. § 9. num. 128. p. 72. & ſeqq.

Inducens prauo ſolùm exemplo ad damnum alterius, peccas quidem contra iuſtitiam, non tamen teneris ad reſtitutionem. num. 142. & 143. p. 79. & 80. *teneris verò, ſi mandaſti, vel ſuaſiſti damnum, vel materiam, &c. ſuppeditaſti damno.* Ibidem.

K

L

Labor.

Labores tolerati pro Cælo adipiſcendo. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243.

Lædo.

Læſio.

Vide *Damnum.*

Lainius.

Vide *Iacobus Lainius.*

Laſciuia.

Vide *Libido, & Luxuria.*

Layman.

Paulus Layman.

Non negat eſſe lethalem ornatum valdè prouocatiuum libidinis. D. 1. C. 7. §. 1. num. 9. p. 131.

Leonardus Leſſius.

Vide *Leſſius.*

Leſſius.

Leonardus Leſſius.

Non negat eſſe lethalem ornatum valde prouocatiuum libidinis. D. 1. C. 7. §. 1. num. 6. p. 131.

Fruſtra eludit S. Cypriani dicta ornatum illecebroſum damnantia grauis culpa. Ibidem. §. 6. num. 67. p. 153.

Fruſtra Scriptura loca contra vanum ornatum diluit. Ibidem. §. 7. num. 76. p. 158. *vſq; ad* num. 80. p. 159.

Lex.

Lex niſi in maius bonum Reip. cedat, nequit conſiſtere. D. 3. C. 1. num. 6. p. 313.

Lex obiecta incommodis varijs, tamen tenet, quando maiora commoda parit. p. 314. Ibidem.

Lex prohibens reddit omnes actiones prohibitas illicitas, etſi aliàs indifferentes. num. 7. Ibidem.

Lex canonica obligat ad mortale, quoties conſtat verbis preceptiuis, & materia graui, ſine vlla reſtrictione. D. 3. C. 2. §. 1. num. 14. p. 325.

Lex extendenda eſt vltra proprietatem verborum naturalem, & ciuilem ad eum caſum, ad quem, vt vitet abſurdum, extendi neceſſe eſt. num. 21. p. 329.

Etſi lex pœnalis ſit, dummodo extenſio comprehenſiua ſit ob identitatem rationis in ea expreſſa, adhuc eſt extendenda. Ibidem.

Obligatio legis in foro externo non ceſſat ob priuatas opiniones nonnullorum contradicentium. §. 2. num. 26. p. 332. *vſq; ad* num. 30. p. 334.

Applicatio legis generalis caſui particulari a priuato Doctore facta, poteſt eſſe certa moraliter, & ſatis ad obligationem inducendam. §. 3. p. 342. num. 52. *ad repellendum quoq; peccatorem ab Euchariſtia.* Ibidem.

Lex purè fauorabilis extendenda ad omnem verborum proprietatem naturalem, & iuridicam. D. 3. C. 2. §. 4. num. 85. p. 359.

Liber Libri.

Librum laſciuum edens, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 4. num. 43. p. 34. & §. 7. num. 96. p. 58. *Si citra grauiſſimam neceſſitatem edit, grauibus verberibus coercetur.* C. 8. num. 10. p. 218.

Liber, a, m.

Libertas.

Solus titulus libertatis tuendæ non eximit a culpa actiui ſcandali &c. ſi aliud graue incommodum abſit. D. 1. C. 5. §. 8. num. 112. p. 64. ad num. 121. p. 68. *Sed alia grauis cauſſa requiritur, ad liberandum a tali culpa.* num. 117. p. 66.

Libertas phyſica ſolùm ad vitanda omnia venialia, ad ſingula verò moralis. C. 7. §. 18. num. 207. p. 209.

Libertas moralis, ne dum phyſica ad omnia mortalia vitanda homini a Deo data. D. 2. C. 1. num. 26. p. 256. num. 27. p. 257.

Licet.

Licitum.

Etſi licitè aliqui adminiſtrant Sacramenta nonnullis, alij tamen conſcij veritatis id licitè non poſſunt. D. 3. C. 3. num. 5.

Libido.

Vide *Luxuria, Laſciuia*.

Libidinis occaſiones permiſſæ populis caſtioribus augent libidinis incendia. D. 2. C. 1. num. 9. p. 249. *vſq; ad* n. 13. p. 255. *nec peiora mala arcent, ſed afferunt.* Ibid.

Loquor.

Vide *Colloquium*.

Ludus.

Princeps dans facultatem ludi publici comitati corruptelis, peccat mortaliter. D. 2. C. 1. §. 4. n. 49. p. 267.

Lugo.

Ioannes de Lugo.

Io. de Lugo Card. fruſtra reijcit Coninch. D. 1. C. 5. §. 9. num. 146. p. 81. & num. 147. p. 82. num. 148. p. 83. & num. 148.

Non benè colligit occaſionem eſſe remotam ex receſſu in eremum alioqui neceſſario. Ibidem. §. 11. num. 188. p. 102. *nec bene excuſat mercatores in occaſione peccandi manentes.* num. 191. p. 104.

Fruſtra refellit Suarium. §. 13. num. 218. p. 118. *quo pacto accipiendus cautè.* num. 220. p. 119. num. 221. p. 120.

Luxuria.

Vide *Libido, Ornatus, & Ornatus feminæ*.

Ob luxuriam ſubditorum punitus princeps. D. 2. C. 1. §. 4. num. 51. p. 268.

Luxus veſtium.

Vide *Ornatus veſtis*.

M

Magiſtratus.

Vide *Princeps*.

Malitia.

Vide. *Peccatum ex malitia*.

Mamilla.

Vide *Pectoris feminei nuditas*.

Mamillarum tactus eſt mortalis. D. 2. C. 1. num. 42. p. 264.

Lactantes, quæ vbera oſtendunt, non peccant etiam vbi mos ea nudandi non eſt; niſi vbi facilè cauere poſſunt peccatum alterius. D. 2. C. 2. §. 3. num. 45. p. 293.

Mancipium.

Solicitatum a Domino ad malum, poteſt fugere; ſecus, ſi ab alio tentetur. D. 1. C. 5. §. 11. n. 182. p. 100.

Margarita Columa, ſeu Columba.

Suo exemplo ruborem incutit feminis pectus nudantibus Mediolani. D. 2. C. 5. num. 1. p. 307.

Genere, & dignitate clariſſima. num. 2. Ibidem.

Sed virtute erga Deum, & proximum longè clarior. num. 3. p. 308.

Tum alijs prærogatiuis ornata. num. 4. Ibidem.

Extremo morbo correpta inſignia documenta virtutum edit. num. 5. p. 309.

Olim ſueta pectus nudare, poſtea monita illud tegit. num. 6.

Maria Anna Auſtriaca Regina Hiſpaniarum.

Abſtinet fuco. In Epiſt. ad ipſam. num. 1. *tecto incedit pectore.* num. 2. Ibidem. *cæteris autem nudantibus exprobrat licentiam.* Ibidem. *pudoris præſidium eſt.* num. 3. Ibidem, *cæteriſq; virtutibus fulget.* Ibidem,

num.

num. 4. *ornamenta ſemper vernantia amat*. Ibidem. *& quæ ſunt interna præfert externis*. Ibidem. *diuinaſq; gratias conſequitur*.

Maritus.

Vide *Vxor, Ornatus*.

Martinus Nauarrus.

Vide *Nauarrus*.

Martyr.

Ardor Martyrum in ſupplicijs tolerandis pro regno Dei. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243.

Mater.

Damnata æternùm potiſſimè ob filiæ cultum ſuperadditum. D. 1. C. 7. §. 11. num. 147. p. 185.

Matrimonium.

Vide *Ornatus*.

Medicus.

Eligens remedium probabile, neglecto certo, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 10. num. 160. p. 89. *imò peccat etiam lethiferè, ſi negligat pharmacum probabilius*. num. 165. p. 91.

Mediolanum.

Vide *Pectus nudantes feminæ Mediolani*.

Membrum virile.

Imago membri virilis oſtenſa ſine mortali. D. 2. C. 2. num. 10. p. 297.

Mendacium.

Mentior.

Qui non habet cauſſas mentiendi, fideliter teſtatur veritatem. *Ad Lectorem* num. 5.

Mendozza.

Hurtadus de Mendozza.

Reijcitur. D. 1. C. 7. §. 18. n. 211. p. 211. & ſeqq.

Menochius.

Ioannes Stephanus Menochius.

Ioannis Stephani Menochij Storea laudata. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 352.

Mercator. Mercatura.

Non tenetur ob graue incommodum linquere mercaturam, etſi in hac ſæpe peccet lethiferè. D. 1. C. 5. §. 11. num. 191. p. 104.

Occaſiones peccandi e mercatura quatenus vitare debeat. C. 7. §. 19. num. 228. p. 219.

Meretrix.

Virgines nimis comptæ a meretricibus non diſcernuntur, quarum facta, etſi non verba, imitantur. D. 1. C. 7. §. 6. num. 71. p. 156.

Minùs nocet occulta meretrix, quàm virgo laſciuè culta. Ibidem.

Meretricis habitum geſtare mortale eſt. D. 1. C. 7. §. 7. num. 80. p. 159.

Meretricis habitus non eſt ex praua tantùm geſtantis intentione. Ibidem.

Neq; ex addito tantùm ſigno animi libidinoſi. Ibid. p. 160. num. 81.

Meretricius ornatus in feminis etiam honeſtis reprehenſus a Patribus. Ibidem. num. 82. p. 160.

Ornatus ſolis meretricibus conceſſus. Ibidem. p. 161. & num. 83. *vſq; ad* num. 90. p. 163. & D. 3. C. 4. num. 15. p. 379.

Habitus meretricius dictus eſt, qui ad Venerem incitat, licèt obſcœna veſtium forma careret. D. 1. C. 7. §. 7. num. 86. & 87. p. 162.

Magis Reipub. expedit non tolerare meretrices. D. 2. C. 1. num. 10. p. 250. num. 11. 12. 13. p. 251.

Quum maiora mala non arceât, ſed augeant. Ibidem. *vſq; ad* num. 33. p. 259.

Meretrices publicæ interdictæ Iudæis a Deo. D. 2. C. 1. num. 14. p. 251.

Iuuentutis peſtes. Ibidem. *priuatæ tamen apud eos pauca erant*. Ibidem. *extraneæ non interdictæ ijſdem*. Ibidem.

Expulſæ a Regibus e regnis. num. 15. p. 252.

Non potuiſſent a Deo, nec a Principibus vetari, ſi toleratæ maiora mala auerterent. num. 14. & 15. *vſq; ad* num. 25. p. 255.

Nudare pectus, proprium meretricis. D. 2. C. 1 num. 17. p. 253.

Solis Meretricibus permiſſum a Senatu Veneto ſine velo in capite Templa ingredi. D. 3. C. 2. §. 4. num 71. pag. 353.

Luxus veſtium etiam in meretricibus coercitus. Ibid.

Miles.

Militia.

Non tenetur ob graue incommodum linquere militiam, etſi in hac ſæpe peccet lethiferè. D. 1. C. 5. §. 11. num. 191. p. 104.

Occaſiones peccandi e militia quatenus vitare debeat. C. 7. §. 19. num. 228. p. 219.

Miſſa.

Vide *Feſtus dies*.

Omittẽda in Feſto mihi nõ eſt; ne alioqui ab hoſte omittatur. D. 1. C. 5. §. 7. n. 111. p. 64. *Aliquando omittenda ad proximi ſcandalum vitandum*. Ibidem.

Grauius peccat audiens Miſſam die feſto cum habitu meretricio, quàm eam omittens. D. 1. C. 7. §. 7. num. 89. p. 163.

Non celebranda niſi coram modeſtè ſe habentibus, non coram notoriè criminoſis, neq; extra eccleſiam, et Oratoria. D. 3. C. 3. §. 4. num. 68. p. 351.

Montius.

Cæſar Montius Cardinalis.

Cardinalis Montij vigilantia in corruptelis veſtium, nudiq; feminei pectoris compeſcendis laudatur. D. 3. C. 2. §. 6. num. 107. p. 371.

Mors.

Mortis corporalis ſupplicium a Deo etiam ob venialem culpam illatum. D. 3. C. 4. num. 19. p. 38.

Secus eſt de vaſtitate regionis, quæ ob lethale ſolùm crimen infertur. Ibidem.

Mortificatio.

Coniungi debet cum vera deuotione. D. 3. C. 4. num. 43. p. 389.

Mulier.

Mulier.

Vide Femina, Ornatus feminæ, Pectoris feminei nuditas, & Vxor.

Sapientes perdit. Ad Lectorem. num. 4.

Serit hæreſes. Ibidem.

Emollit Doctores. Ibidem.

Mulier conſcia ſe praue appetendam a Titio, non peccat grauiter, ei ſe videndam exponens, etſi neceſſe non habeat, vt aliqui putant. D. 1. C. 5. §. 3. num. 25. p. 25. & 26. qui tamen reijciuntur. num. 26. Alij culpam totam tribuunt malitiæ ſpectantium. num. 27. p. 27.

Sed probabilius eſt, Mulierem peccare lethiferè, exponentem ſe abſq; cauſſa prauè deſideraturam. num. 28. & 30. p. 28. in quo omnes conſentiunt. num. 29. ſecus autem, ſi ex cauſſa iuſta neceſſitatis, vel vtilitatis ſe exponit. num. 30. p. 28.

Quando aliquem in confuſo ob ſui aſpectum peccaturum nouit, non peccat iuxta nonnullos, etſi alia iuſta cauſſa careat. D. 1. C. 5. §. 4. num. 22. p. 28. multo minus verò, quando iuſta cauſſa ducitur. num. 29. p. 29.

Non peccat, quoties periculum labendi proximum non videt in occaſione determinata loci, & temporis. num. 37. & ſeqq. p. 31. peccat verò mortiferè, quando prævidet periculum proximum peccandi in occaſione loci, & temporis determinata, licèt perſonam determinatam neſciat, niſi illud declinet, quum facilè poſſit. num. 38. 39. 40. & D. 3. C. 4. num. 12. p. 378.

Mulierem ſuſpectam domi habens Clericus, tenetur expellere, licèt non adſit peccandi periculum. D. 1. C. 5. §. 6. num. 70. p. 47.

Mulier ſolo libertatis tuendæ prætextu non excuſatur a ſcandali dati reatu. num. 117. p. 66. num. 118. p. 67.

Conuerſantes cum mulieribus extra domum, & ſæpe peccantes cum eis abſolui poſſe, licèt tales occaſiones non deſerant, docent nonnulli. D. 1. C. 5. §. 11. num. 184. pag. 101.

Sed refelluntur. vſq; ad num. 192. p. 105.

Mulier pulchra prouocatiua eſt ad ſui concupiſcentiam. D. 1. C. 7. § 1. num. 12. p. 132. & num. 13. p. 133. §. 8. num. 96. p. 165. quanquam non ſemper. Ibidem.

Ex muliere concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. D. 1. C. 7. §. 8. num. 103. p. 170.

Domo egrediens tegat caput. D. 1. C. 8. num. 2.

Mulieris nudum caput vituperatum a Patribus. D. 2. C. 1. num. 44. p. 269.

Nihil nudum permittendum in muliere. D. 2. C. 2. §. 3. num. 47. p. 293.

Caput mulieri oranti velandum in Templo. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 351. etiam Virgini, non obſtante quauis contraria conſuetudine. Iudeæ mulieres ſolitæ velare caput. Ibidem. Caput vbiq; velare debet mulier, ne ſit aucupio virorum expoſita. Ibidem.

Et ne ad malum prouocet Sacerdotes. Ibidem. & propter Angelos. Ibidem.

Ex præcepto S. Lini velandum caput mulieri in Templo. Ibidem. tum ex decreto Senatus Veneti. n. 71. p. 353.

Solis meretricibus conceſſum non velare in Templo caput. Ibidem.

Mulier tenui vtens velo carpitur. D. 3. C. 2. §. 4. num. 73. p. 354.

Sine honeſtatis periculo nequit velum capitis omittere, vel ſui faciem videndam relinquere. Ibidem.

Arabes mulieres tegunt etiam faciem; vno oculo contentæ. Ibidem.

Honeſtæ mulieres velant caput, fugiuntq; aſpici. Ibid.

Omiſſio veli feminæ quot pericula afferat. Ibidem.

Vxor repudiata ob velum neglectum. num. 74. Ibid.

Mulier velata, ne ſatiaret aſpectum. Ibidem.

Et quò ſoli marito placeat. Ibidem.

Mulier prodiens ſine velo, exponit magno periculo caſtitatem. Ibidem.

Velato capite in Templum ingrediatur, & ibi ſit ſub pœna interdicti ab ingreſſu Templi. D. 3. C. 2. §. 6. num. 99. p. 366.

Nudo pectore Mediolani incedentes arcendæ ab Euchariſtia ex S. Carolo. Ibidem. p. 366.

Non admittendæ ad Confeſſionem niſi cum modeſto habitu. num. 100. p. 368.

Formam ſibi a Deo datam deſpiciens, & aliam quærens, peccat lethiferè. D. 3. C. 4. num. 9. p. 377.

In Templo piſcatur ſuo ornatu animas. num. 16. p. 379. Ibidem. Sit ibi velato capite propter Angelos. Ibidem.

Frequenter amatur, niſi veletur. D. 3. C. 4. num. 16. p. 380. meliuſque eſt, mulieris omnia membra tecta eſſe. Ibidem.

Præ delicijs mulier quædam extabeſcit. Ibidem. num. 30. pag. 385.

Vanitate ornatus fœdat pulchritudinem. Ibid. num. 42. pag. 389.

Ornatur magis virtutibus, & honeſtate, quàm pulchritudine, vel cultu. Ibidem.

Femina ſui contemptum prohibere poteſt ornatu ſolùm moderato, non autem immoderato. n. 45. p. 390. Ibid.

Multitudo.

Ad occaſionem proximam peccati creandam non requiritur multitudo prouocantiū ad malum. D. 1. C. 7. §. 9. num. 113. pag. 172. neque prouocatorum. num. 114. pag. 173.

N

Nauarrus.

Martinus Nauarrus.

Corollaria Nauarri de occaſione proxima quatenus admittenda. D. 1. C. 5. §. 11. num. 191. p. 105.

Culpatur, & excuſatur, vbi ſibi non ſatis conſtare videtur. num. 198. p. 108.

Non negat eſſe mortalem ornatum valde prouocatiuum libidinis. D. 1. C. 7. §. 1. num. 4. p. 130.

Negotium.

Quædam negotia, licèt periculis peccandi obnoxia, non neceſſariò linquenda. D. 1. C. 5. §. 10. p. 85. num. 153.

Nico-

Nicolaus Baldellus.
Vide *Baldellus.*

Noſco.
Vide *Cognitio.*

Notitia.

Notitia alieni peccati nil confert ad rationem ſcandali dati. D. 1. C. 5. §. 4. num. 44. p. 35. *&* num. 45. *&* §. 5. num. 56. p. 40.

Notitia aquè certa moraliter, etſi non phyſicè, ſat eſt ad obligationem cauendi ſcandali. num. 52. p. 38.

Notitia abuſus eſt eiuſdem rationis tam in peccatis cōtra caritatem, quàm contra iuſtitiam. D. 1. C. 5. §. 5. num. 57. p. 41.

Actiuo ſcandalo accidentalis eſt notitia, vel ignorantia ſcandalizati de ſcandalizantis peccato. Ibidem. §. 6. num. 84. pag. 53. *imò & de proprio etiam delicto.* 85. Ibidem. *&* 86.

Notabilis.

Non eſt idem notabile, ac certum, ſed idem ac probabile. D. 1. C. 7. §. 8. num. 98. p. 166.

Notorium.
Vide *Publicum.*

Peccatum notorium quale ſit. D. 3. C. 1. num. 7. p. 322. *&* num. 8. p. 323.

In notorio iuris miſcetur aliqua notitia facti, & in notorio facti aliqua iuris. Ibidem.

Nuditas.
Nuditas feminei pectoris.
Vide *Pectoris feminei nuditas.*

Nuditas vſitata Indis non eſt ex ſe turpis ex Baldello. D. 2. C. 2. §. 1. num. 6. p. 276.

Nuditas pudendorum inter mares & feminas aſpecta turpis per ſe eſt. num. 8. p. 277. *& mortalis.* Ibidem.

Nihil nuditatis tolerandum in femina. D. 2. C. 2. §. 3. num. 47. p. 293.

Nutrix.

Nudans vbera, vbi mos non eſt, vt lactet infantem, non peccat, niſi vbi facilè poteſt cauere peccatum alterius. D. 2. C. 2. §. 3. num. 45. p. 292.

O

Obligatio.

Obligatio conſeruanda vitæ ſpiritualis proximo eſt & primaria, & directa. D. 1. C. 5. §. 8. n. 111, p. 64.

Occaſio peccandi, aut peccati, vel mali, &
Occaſio proxima peccandi.

Exponens ſe occaſioni proximæ delinquendi grauiter ſine vrgenti cauſſa, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 4. num. 39. p. 22. *licèt periculum de peccato ſit tantùm in confuſo præuiſum.* Ibidem. num. 39. 40. *vſque ad* 46.

Occaſio proxima peccandi poteſt eſſe præſens, & futura. D. 1. C. 5. §. 5. num. 68. p. 46.

Dans ſuo facto, vel dicto etiam indifferenti ſine iuſta cauſſa occaſionem peccandi mortaliter, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 6. num. 71. p. 52.

Sine cauſſa præbere occaſionem peccandi abuſuro vetatur a præcepto caritatis &c. Diſp. 1. Cap. 5. §. 6. num. 83.

Quælibet virtus vetat præberi alteri occaſionem oppoſiti vitij. §. 9. num. 128. p. 71. 72. & num. 138. 139. p. 77. *&* 78. num. 141. 143. *grauiterque obligat ad talem occaſionem ſubtrahendam.* D. 1. C. 9. § 9. num. 131. p. 73.

Occaſiones libidinis permiſſæ populis caſtioribus augent libidinis incendia. D. 2. C. 1. num. 9. p. 249. *vſque ad* num. 23. p. 255. Ibidem. *ſunt cauſſa maiorum malorum.* Ibidem.

Eſt ſola illa, e qua aliquis vix ſine graui peccato euadit. D. 1. C. 5. §. 9. num. 152. p. 84.

Imò illa quoque proxima eſt, in qua quis frequenter peccat lethiferè, vel probabile periculum ſic peccandi adit. vel præbet. Ibidem. num. 153. & num. 162.

Quædam negotia, licèt peccādi periculis obnoxia, non neceſſariò linquenda. Ibidem.

Occaſio illa eſt proxima, ex qua communiter rarò, aut vix, vel ferè nunquam ſine peccato mortali euaditur. D. 1. C. 5. § 10. num. 155. p. 86.

Illa quoque occaſio proxima eſt, cui aliquis expoſitus ſæpe peccat mortaliter. Ibidem. num. 156. *quia temerè etiam agit, qui tali occaſioni ſe exponit.* num. 156. & n. 157. *& probabili periculo delinquendi mortiferè exponit proximum.* & num. 158. p. 87. *vt euincitur ex alijs exēplis, vſque ad* num. 164. p. 90.

Frequentia peccandi conſtituit occaſionem proximam labendi non alijs tantùm, ſed etiam ſibi. §. 10. num 162. p. 89. & num. 163. p. 90. *vt Doctores omnes conſentiūt.* num. 164. p. 90. *vſque ad* num. 171. p. 94. *& rationibus euincitur.* Ibidem.

Frequentia peccandi ad occaſionem proximam conſtituendam non eſt ſemper in ſingulis hominibus attendenda. num. 169. p. 93.

Occaſio proxima peccandi mortiferè illa quoque eſt, quæ extra habitationem propriam habet periculum. Ibidem. 94.

Nemo tenetur perpetuò vitare occaſiones proximas peccati venialis. §. 11. num. 172. p. 99.

Opus ex ſe veniale, vel indifferens tranſit in mortale ratione occaſionis proximæ, & moralis periculi delinquendi lethiferè. § 11. num. 173. p. 95. *talisque occaſio ſub mortali vitanda eſt.* Ibidem: *vſq; ad* num. 176. p. 96.

Occaſio proxima, ceſſante periculo probabili peccandi, tollitur. D. 1. C. 5. §. 11. num. 176 p. 96.

Exponens ſe ex cauſſa vrgente occaſioni proximæ peccandi mortiferè, non ſemper peccat. Ibidem num. 177. *& qualis ſit talis cauſſa.* Ibidem.

Occaſio peccandi mortiferè proxima non eſt deſerenda cum magno detrimento in honore, vita, vel diuitijs. Ibid num. 178. p. 98. & num. 179. p. 98.

Manens in proxima occaſione peccandi mortiferè, ex graui cauſſa, tenetur adhibere remedia ad cauendum peccatum. num. 181. pag. 99. *alioqui non abſoluendus.* Ibidem.

Manens in proxima occaſione peccandi lethiferè, poteſt, ſi adſint conditiones quatuor, abſolui. num. 183. p. 100.

Timor, vel dubium labendi, aut peccandi non ſemper facit occaſionem proximam. Ibidem.

Sæpe peccantes ex conuerſatione cum mulieribus, abſolui nequeunt, ſi abſque graui cauſſa tales occaſiones non vitant. num. 184. p. 101. *vſque ad* num. 192. p. 105.

Occaſio peccandi ex conuerſatione mulierum extra habitationem, cum frequenti ruina in mortale, eſt proxima. num. 189. p. 103.

Occaſio delicti mortalis, quæ ſit ſufficienter proxima, & quæ minimè. num. 190. p. 104.

Mercatores, milites, ſcribæ, & ſimiles perſonæ ob graue incommodum non tenentur talia officia linquere, etſi in iis ſint proximis occaſionibus expoſiti. Ibidem. num. 195.

Nauarri corollaria de occaſione peccandi proxima quatenus ſint admittenda. num. 192. p. 105.

Occaſio peccandi, vt proxima ſit, requirit determinatas circumſtantias loci, & temporis. num. 190. 191. 192. Ibidem.

Occaſio proxima venialis nec ſub veniali vitanda. num. 194. p. 106.

Occaſio proxima ſubducenda ſub mortali eſt perſonæ etiam indefinita. D. 3. C. 4. num. 12. p. 378.

Occaſio proxima peccandi mortiferè ob graue incommodum, ſi deſeratur, retenta non impedit abſolutionem recidiui, modò adſit efficax propoſitum. D. 1. C. 5. §. 12. num. 194. p. 106. num. 195. p. 107. num. 196. *non quia relapſus in venialia non impedit abſolutionem.* Ibid. *ſed quia non pugnat cum vero dolore, & efficaci propoſito emendationis.* num. 196. & 197.

In praxi non eſt abſoluendus recidiuus hærens in proxima peccandi mortiferè occaſione, licèt graue incommodum ſubeat in ea deſerenda, quum nullum ſignum emendationis edit. num. 198. p. 108. *vſq; ad* num. 205. p. 112. *quia ſic iubet Chriſtus, & ratio.* num. 199. p. 109. *& meritò præſumitur carere dolore, & propoſito neceſſario cauendi.* num. 200. *nec prudenter a Confeſſario contra præſumi poteſt.* num. 201. 202. 203. *adeoq; non eſt abſoluendus.* num. 202. p. 110. & ſeqq.

Ingens animarum pernicies exiſtit ex facilitate abſoluendi pœnitentes in proximis occaſionibus peccandi mortiferè hærentes. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 110. 111.

Graue incommodum deſerendæ occaſionis proximæ peccandi ſæpe inaniter prætexitur. Ibidem. *Sed imprudenter omnino.* num. 203. p. 111.

Occaſio peccandi præcipitat in peccatum etiam fortiſſimos, ideoq; præcidenda. Ibidem.

Peccans ſæpe nunc contra vnam, nunc contra aliam virtutem indefinitè, non videtur in proxima occaſione peccandi verſari. §. 13. num. 206. & 207. p. 113.

Quando aquè certò ſcis ex tali determinata occaſione in aliquod mortale indefinitè te caſurum, ac quum prauides in particulare crimen laſciuiæ te lapſurum ex tali occaſione, in vtroq; caſu occaſio eſt proxima, & ſub mortali vitanda. D. 1. C. 5. §. 13. num. 208. p. 113. num. 209. 210. 211. p. 113. & 114. *Imò maior obligatio vitandæ occaſionis in primo caſu.* num. 211. *Nec deſinit occaſio eſſe proxima, licèt inter eam & peccatum debeat mediare tentatio.* num. 212.

Occaſio peccandi proxima non dicitur, quia inter eam, & peccatum actuale nihil mediet; Sed quia inter ipſam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat. D. 1. C. 5. § 13. num. 213. p. 115.

Quando occaſio peccandi indefinitè eſt indeterminata, non eſt proxima, nec relinquenda neceſſariò. D. 1. C. 5. §. 13. num. 214. num. 215. p. 116. num. 206.

Nec Suarez repugnat duplici aſſertioni præcedenti. n. 217. p. 117. *imò potiùs patrocinatur.* Ibidem. n. 218.

Occaſio, vt ſit proxima, debet eſſe hic, & nunc determinata. D. 1. C. 7. §. 2. num. 19. p. 135.

Ad occaſionem proximam conflandam non requiritur multitudo prouocantium ad malum. §. 9. num. 113. p. 172. *neq; multitudo prouocatorum.* num. 114. p. 173.

Occaſio proxima lethiferè peccandi non exigit, quod plures cadant frequenter in ſingulis vicibus, ſed indefinitè, quòd nunc vnus, nunc alius. num. 125. & 126. p. 179.

Conſuetudo præbens peccandi occaſionem, eſt irrationabilis. D. 2. C. 1. num. 34. p. 259.

Occaſio peccandi remota.

Quænam ſit. D. 1. C. 5. §. 10. num. 170. p. 94.

Perſiſtens in occaſione grauiter peccandi remota ſolùm, non peccat lethiferè, poteſtque abſolui. §. 11. num. 171. Ibidem.

Occaſio peccandi non fit remota eo quòd ſine graui incommodo deſeri nequeat. num. 187. p. 102.

Occaſio remota peccandi non bene colligitur ex ſeceſſu in eremum aliqui neceſſario. Ibidem. num. 188.

Niſi circumſtantia temporis, & loci periculum peccandi determinata comitetur, occaſio eſt ſolùm remota. num. 190. 191. 192. p. 104. 105.

Occido.

Occidere cum inculpata tutela inuaſorem vitæ, honoris, facultatum, fas eſt. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 361.

Odium.

Odio habitus poteſt egredi domo, & ſui odia permittere, quia nimis graue foret domi ſemper hærere. D. 1. C. 7. §. 14. num. 164. p. 194.

Officium.

Mercatores, & ſimiles non tenentur ob peccandi ſæpe, & grauiter occaſionem ſua officia deſerere. D. 1. C. 5. §. 12. num. 191. p. 104.

Opinio.

Vide *Doctor*.

In opinionibus metiendis plerique adulantur. Ad Lectorem num. 2.

Opiniones præter Scripturæ, & Patrum auctoritatem fabricatæ vituperantur. *In Præl.* num. 1. & ſeqq. *circumſtantia vni opinioni aggrauans, alteri eſt mutans ſpeciem, nec miſceri debet.* D. 1. C. 5. §. 9. num. 146. p. 81.

Cum probabili tantùm iuriſdictione an liceat Sacramenta adminiſtratione. §. 10. num. 165. p. 91.

Opinio non fit probabilis contra communem ex ſola vnius Doctoris auctoritate. Ibidem.

Opinio

Opinio probabilis æquè, magis, vel minùs probabilis quæ? D. 1. C. 7. §. 8. num. 98. p. 166.

Variæ opiniones a ſola æſtimatione humana pendentes. §. 9. num. 122. p. 178.

Opinioni prauæ multitudo errantium non patrocinatur. D. 2. C. 1. num. 41. p. 263.

Opinio per interna principia improbabilis, per externa poteſt eſſe probabilis, non tamen vbi nulla ſolutio rationum allata, vel tentata eſt. D. 2. C. 1. num. 69.

Opinio ex profeſſo, vel fuſiùs tractata, præfertur contrariæ non ex profeſſo, vel breuiùs tractatæ. D. 2. C. 2. §. 2. num. 19. p. 285.

Opinio ſine ratione contradicens communi, non eſt probabilis. Ibidem. *num.* 25. p. 287.

Opinio carens expreſſa ratione, textuque, nequit eſſe probabilis contra oppoſitam ratione expreſſa, vel textu, licèt non conuincenti, innixam. num. 26. p. 288. Ibidem.

Opinio pendens a ſolo iudicio humano, ſi aduerſatur cõmuni æſtimationi, non eſt probabilis. §. 3. num. 40. pag. 291.

Opinio ea eligenda, quæ vitat plura incommoda. D. 3. C. 1. num. 4. p. 313.

Opinio de ornatu valde prouocatiuo libidinis minimè lethali declarata improbabilis, plus boni, quàm mali gignit. D. 3. C. 1. num. 6. 7. 8. 9. 10. *Itemque altera denuntiata improbabilis de inſolita nuditate pectoris feminei minimè lethali, plus affert commodi, quàm incommodi.* num. 11. p. 315. *vſque ad* num. 15. p. 317. *expeditque, ne talis opinio, etſi foret probabilis, in praxim deducatur.* num. 14. p. 326. *vſque ad* num. 23. p. 318. *Patroni talis opinionis vrgentur.* num. 22. Ibidem.

Opiniones laxæ occaſio ſunt detrahendi Confeſſarijs. D. 3. C. 1. num. 18. p. 317. *pariuntque ingentia damna.* num. 20. Ibidem.

Sola auctoritas Doctorùm non ſatis eſt probabili opinioni gignendæ. D. 3. C. 2. §. 1. num. 17. p. 326. *quando Doctor non ponderauit caſum oppoſitum, vel textum, aut rationem ignorauit.* Ibidem. & num. 19. p. 328.

Opinio, licèt vnius, nixa ſolido firmamento, non ſingularis, ſed potiùs communis. D. 3. C. 2. §. 1. num. 19. pag. 327.

Communis opinio ea eſt, quæ ex profeſſo defenditur communiter a Doctoribus. Ibidem.

Communis opinio non fit ob numerum, & grauitatem Doctorum, ſed ob rationem. &c. D. 3. C. 2. §. 1. num. 19. p. 327.

Per opiniones priuatas aliquorum contradicentium non tollitur in foro externo publicitas delicti, nec obligatio legum. §. 2. num. 26. p. 332. *vſque ad* num. 31. p. 335. *&* num. 45. p. 339. §. 3. num. 59. p. 346.

Nuda facta proborum, & Doctorum Religioſorum probabilem reddunt opinionem, vbi nulla ratio, textuſue ei aduerſatur; ſecus verò, ſi hic, vel illa aduerſetur. num. 31. p. 335. *ad* num. 36. p. 336. §. 3 num. 63. pag. 318. num. 64. p. 349 num. 65.

Etſi Pontifex opiniones aliquas non vetat, neq; improbabiles eſſe declarat, non tamen ideo ſunt illæ probabiles. n. 39. p. 337 *neque a doctis ſemper præſumi queunt eſſe probabiles.*

Qui ducitur opinione probabili nota, non irrogat Euchariſtiæ irreuerentiam, irrogat tamen qui improbabili ducitur. D. 3. C. 2 §. 2. num. 44. p. 339.

Facta Confeſſariorum doctorum, & proborum non reddunt in foro externo dubiam doctrinam certam. §. 3. nu. 67. p. 350.

Probabilitas opinionis, ſaltem per auctoritatem externã Doctorum, arietat certitudinem oppoſitæ ſententiæ. D. 3. C. 3. num. 1. p 371. num. 2. p. 372.

Sed minimè obſtat, et reijcitur a Legiſlatoribus. num. 3. & 4.

Facta bonorum, & Doctorum Confeſſariorũ non ſatis ſẽper ſunt probabilitati opinionis conſtituendæ contra validam rationem, vel textum. num 3. & ſeqq.

Opinio viro docto non euadit probabilis ob ſolam Doctorum auctoritatem contra propriã rationem, vel textum, etſi non cogentem. D. 3. C. 3. n. 7. p. 373. & ſeqq. *multo minùs verò contra cogentem rationem, vel textum.* Ibidẽ. *neque ob nuda facta Religioſorum &c.* num. 8. p. 374.

Ornatus.

Vide *Fucus, & Pectus.*

Paradoxa de ornatu exarata præcipuè pro Confeſſarijs, & Concionatoribus. Ad Lectorem. num. 8.

Quid ſit. D. 1. *initio*, p. 4. *&* D. 3. C. 4. num. 2. p. 376. *immodicus ſuperbiæ inſigne eſt.* C. 2. num. 5. p. 7.

Per ſe eſt res indifferens. D. 1. C. 3. num. 7. p. 14. *&* num. 9. 10.

Ornatus immoderatus fit mortalis ratione mali finis. D. 1. C. 4. num. 2. p. 15. *ratione legis prohibentis.* num. 3. *ratione praui affectus.* num. 4. *ratione nimij affectus.* num. 5. *ratione ſcandali.* num. 6.

Ornatus valde immoderatus in precio eſt mortalis. D. 1. C. 4. num. 10. p. 15. *imò venialis ſolùm.* num 11.

Ornatus vni moderatus, alteri eſt immoderatus. D. 1. C. 7. § 2. num 22. p. 136.

Ex ornatu moderato magnum commodum percipit, quæ eo contenta eſt §. 12. num. 158. p. 191.

Nouam veſtis formam proxime damnoſam inuehens, peccat grauiter, fruſtraque a Caietano excuſatur. §. 16. n. 189. p. 202.

Ornatus Chriſtianorũ virtus eſt, & boni mores. D. 1. C. 8. num. 3.

Quando ſit mortalis. C. 9. num. 11. p. 239.

Quæ de mulierum ornatu dicuntur, eadem & de habitu virorum intelliguntur. D. 1 C. 11. num. 1. p. 244. *ſiquidem occaſionem peccandi feminis præbet.* Ibidem. *&* num. 2. 3. Ibidem.

Ornatus pro ornamento ſumitur, & ornamentum pro ornatu. D. 3. C. 4. num 1. p. 376.

Ornatus diuiditur in fucum, & ornatum ſtrictè ſumptum, & quid vterque ſit. Ibidem. num. 2.

Ornatus fit mortalis ob violationem alicuius præcepti. D. 3. C. 4. num. 7. p. 377.

Nec non ob directum Dei *contemptum.* Ibidem. n. 9.

Tum etiam ob ſpretum mariti iuſſum. Ibid. n. 10. p. 378.

Ornatus valde ſuperfluus eſt mortalis. D. 3. C. 4. num. 11. p. 378. Ibidem. num. 17. p. 380.

Ornatus immodici multiplicia mala. Ibidem. num. 18.

Ornatus immodicus in nouo Teſtamento eſt horrendum crimen. num. 19. Ibidem p. 381.

Vetitus eſt ab Iſaia. Ibidem. *& ab Apoſtolis*. num. 21. 22. p. 382. *nec ſolùm pro primitiua Eccleſia, ſed etiam pro ſequenti*. num. 23. Ibidem.

Ornatus immodicus Inferno dignus. D. 3. C. 4. num. 24. p 383.

Immodicus ornatus maximis lacrymis expiandus. D. 3. C. 4. num. 25. p. 383.

Ob cultum Virgini additum ſupplicio graui puniti parentes diuinitus. num. 27. Ibidem.

Ornatus feminis detrahendus, ne vagentur. D. 3. C. 4. num. 33. p. 385.

Curioſitas ornatus peior, quàm gula, & ebrietas. num. 34. p. 386. Ibidem.

Immodicus ornatus nimis diſpendioſus. Ibidem.

Incommoda ex nimio feminarum ornatu. num. 35. & 36.

Artifex nimij ornatus peccat. Ibidem.

Immodicus ornatus, etſi naturalis pulchritudo ſine culpa eſt, culpandus eſt. D. 3. C. 4. num. 37. p. 387.

Vanus ornatus fruſtra excuſatur conſuetudine. D. 3. C. 4. num. 38 p. 387.

Superfluus ornatus malus eſt de ſe. Ibidem.

Ornatus moderatus nobilibus perſonis, talis non eſt alijs. Ibidem. num. 39.

In ornatu vſus auri-gemmarum, & veſtis pretioſæ olim permiſſus, poſt Chriſtum autem minimè, niſi Principibus. Ibidem. *& Nobilibus*. num. 40. & 41. p. 388. *& alijs, quando vſitatum eſt*. Ibidem.

Irriſio ſubeunda ob moderatum ornatum, non arcet culpam immoderati. D. 3. C. 4. num. 42 p. 389.

Honor verus ex timore Dei, & modeſtia potiùs, quàm ex ornatu exiſtit. Ibidem.

Vxor minùs debet ſe ornare, quàm leges permittant. Ibidem.

Ornatus animi præſtantior, quàm corporis. Ibidem.

Ornata modeſtè femina confundit vanas. Ibidem.

Deuotio vera cum vano ornatu non conſiſtit. D. 3. C. 4. num. 43. p. 389

Ornatus vanus non fit licitus ob ſubleuandos inopes artifices. D. 3. C. 4 num. 44. p. 390.

Femina ornatu ſolùm modeſto prohibere poteſt ſui contemptum, non autem immoderato. num 45. Ibidem.

Ornatus feminæ.

Vide *Fucus*. *& Veſtis*.

Ornata femina quomodo abſoluenda a Confeſſario,

Vide *Confeſſarius*.

Ornata femina quando admittenda, vel reijcienda ab Euchariſtia.

Vide *Euchariſtia danda, vel neganda peccatori*.

Ornatus feminæ.

Moderatus eſt licitus. Diſp. 1. Cap. 1. pag. 4. *vt liquet ex Scriptura exemplis*. C. 1. num. 1. & 2. D. 3. C. 4. num. 2. 4. 5. p. 376. *traditque Apoſtolus, & Doctores*. num. 3. *& rationes probant*. num. 4. p. 5. *aliquis ornatus paulò maior neceſſario permittitur feminis pulcritudinis gratia*. num. 4. Ibid. *virtus præcipuus eſt feminæ ornatus*. num. 5. p. 6.

Immoderatus eſt illicitus. C. 1. num. 1. p. 6. *vt patet ex Scripturis veteris Teſtamenti*. num. 2. 3. 4. 5. *& Apoſtoli eum præcipiunt vitari*. num. 6. p. 7. *aurum, & pretioſam veſtem vetant*. Ibidem. & num. 7. p. 8. *Immoderatus feminæ ornatus damnatur a Patribus*. D. 1. C. 2. num. 8. p. 8. *vt ſumptus a Dæmone*. Ibidem. & p. 9. *& qui ex fucis conflatur*. num. 8. p. 9. *vſque ad* num. 12. p. 10. *ab alijs Doctoribus reprobatus*. Ibidem. num. 14. pag. 10. num. 15. *ratione quoque reijcitur*. num. 16. p. 11.

Immodicus feminæ ornatus ſaltem veniale eſt crimen. Ibid. *fruſtraq; Diana diſſentit*. n. 17. p. 8. *vſque ad* num. 23. p. 13.

Immodicus eſt venialis ex varijs capitibus. D. 1. C. 3. *præ vanagloria*. num. 2. p. 13. *præ ſolicitudine*. n. 3. *præ vana nouitate*. n. 4. *præ ambitione*. n. 5. *præ exceſſu*. nu. 6.

Moderato ornatu vtens, licèt ſciat aliquos inde grauiter lapſuros, non tenetur eo ſemper abſtinere. D. 1. C. 6. §. 5. num. 1. p. 121. *Aliquando tamen tenetur*. Ibidem. num. 2.

Femina etiam pudica, eſt ornatus ſtudioſiſſima. D. 1. C. 6. §. 2. num. 22. p. 129.

Ornatus feminæ neque eſt contra iuſtitiam, neque contra caritatem proximi. D. 1. C. 7. §. 1. num. 14. p. 133.

Nouus ornatus valde reprehenſibilis. Ibidem.

Mulier ornata eſt occaſio ſolùm alienæ ruinæ, non cauſſa. Ibidem. num. 15. *ideo aliena ruina ceu euentus remotus non vertitur culpæ mulieri*. Ibidem.

Ornatus feminæ elegantior non affert periculum efficax. Ibidem.

Ornatus feminæ non cenſetur ſcandaloſus ex eo, quòd multi occaſione eius putentur ad praua deſideria prouocandi, nec eſt mortalis. D. 1. C. 7. §. 1. num. 17. p. 134. *quia remotè ſolùm ad malum prouocat*. Ibidem.

Ornatus faciei omnium peſſimus. §. 2. num. 24. pag. 137.

A Dæmone femina magis, quàm vir, prouocatur ad ſe ornandam. D. 1. C. 7. §. 4. num. 37. p. 141.

Inferno damnatæ mulieres vanè ornatæ. num. 49. p. 146.

In feminæ ornatu cum ruina proximi adeſt ordinariè contemptus Dei, & ſalutis proximi indirectus tantùm. D. 1. C. 7. §. 1. num. 3. p. 130. §. 9. num. 52. & 53. p. 147. num. 54. p. 148. num. 55. p. 149. num. 56 §. 6. num. 67. p. 153.

Ornatus valde immodicus mortalis, quia diuino iure vetitus etiam in genere pretij. D. 1. C. 7. §. 7. num. 75. p. 158. num. 76. 77. & 78.

Ornatus ſolis meretricibus conceſſus. Ibidem. nu. 82. p. 161. *vſque ad* num. 90. p. 163.

Ornatus

Ornatus pudenda detegens, mortalis eſt. num. 87. p. 162. Ibidem.

Ornatus ſuperfluus in quo ſitus ſit. D. 1. C. 7. §. 8. num. 95. p. 165.

Mulier compta ceu ignis plures vrit libidine. Ibid. num. 103. p. 170.

Sagena diaboli eſt. §. 11. num. 133. p. 182. *territa viſo Dæmonum reſipiſcet, ornatuque abſtinet*. num. 133. & 134. p. 182.

Superbia ex ornatu mergit in Orcum. D. 1. C. 7. §. 11. num. 145. p. 185.

Licitè ſe ornans exteriùs, ex fine tamen veniali vanæ gloriæ, malitiam ſcandali non contrahit. §. 18. num. 210. p. 211. *vſque ad* num. 214. p. 213.

Regio facta ditior poteſt licitè vti ornatu moderato, & ita peccata aliena hinc orta permittere. num. 214. p. 213. *non autem immoderato*. num. 215. Ibidem.

Ornatus ſpretus ab Eſther. num. 216. p. 213.

Ornatus ſuperfluus ex multiplici capite dãnatus. D. 1. C. 7. §. 19 num. 219. p. 215.

Femina præ nimio cultu priuata Euchariſtia in morte. D. 1. C. 7. §. 11. num. 138. p. 183.

Fucandæ faciei ſtudioſa a Dæmone decoloratur, & perditur. Ibidem. num. 139. p. 184.

Damnata ob ornatum mulier; deſperata moritur. Ibidem. num. 140. p. 184. & 185.

Ob ornatum Eleemoſyna negata pauperibus. Ibidem.

Ornatus nouus a matre filiæ additus cauſſa matri damnationis. Ibidem. & num. 141. 142.

Ornatus vanus feminæ diuinitus multatus. Ibi. n. 143.

Reprehenſus ob ſuperbiam. num. 144.

Mulieres damnatæ æternùm ob ſolum ornatum. Ibid. p. 186.

Graue incommodum mulieri non eſt omittere ſemper nimia ornamenta, quæ potiùs valde incommodant. D. 1. C. 7. §. 12. num. 145. Ibidem.

Immodicus ornatus feminæ damnoſus animæ ipſius, & ſeges fœcunda delictorum. Ibidem. & num. 146. pag. 187.

Ex ſuperbia oritur. Ibidem.

Corpori etiam oneroſus. Ibidem. num. 147.

Maximè ob æmulationem. num. 148. Ibidem.

Capillos perdit. num. 149. Ibidem.

Euertit vitam. num. 150. p. 188.

Et alia mala creat. num. 151.

Cauſſa domeſtici tumultus, & mœroris. Ibidem.

Et Reipub. exitioſus. num. 152. p. 189.

Lege vetitus, adeoque expers grauis incommodi. Ibidẽ.

Si graue foret incommodum ſemper carere nimio ornatu, nulla eſſet culpa, ne venialis quidem hoc vti: & tamen omnes tradunt venialiter inde peccari. num. 153. & 154. Ibidem.

Remota etiam prouocatio ad malum orta ex nimio ornatu, malitia venialis ſcandali inficitur. num. 154. Ibidem.

Omiſſio perpetua nimij ornatus non poteſt eſſe graue incommodum, quia ad eum nemo poteſt habere ius. num. 156. p. 190.

Et quia mortalis eſt ornatus, ſi ſub excommunicatione ſit prohibitus ab Epiſcopo. num. 157.

Et quia commodum ex moderato cultu, incommodum autem ex immoderato percipitur. num. 158. Ibidem.

Et quia ſola mortificatio in vitando ſcandalo ſubeunda, nunquam cenſetur graue incommodum. num. 159.

Ornatu ſuperfluo vtens cum alterius ruina, peccat mortiferè, quia ſine iuſta cauſſa illum voluntariè vſurpat: non peccat verò ob pulchritudinem, etſi hinc multi labuntur, quia hanc voluntariè non aſſumpſit. D. 1. C. 7. §. 13. num. 161. p. 193.

Neque excuſantur, quòd Dei finem iuuent. Deus enim non vult pulchritudinem a ſe datam artificio ornatus immodici augeri. num. 162.

Etſi qui odio habetur, poteſt egredi, & permittere ſui odia, ob graue incommodum, quod ſubiret domi ſemper hærens; non tamen potes vti immodico ornatu, quia commodè hoc abſtinere potes. §. 14 n. 164. p. 194. n. 165. *etſi aliquem indefinitè ſolùm hic, & nunc inde peccaturum præuideas*. num. 166. p. 195.

Ornatus valde prouocans ad libidinem proximè prouocat, & non remotè. D. 1. C. 7. §. 15. num. 167. pag. 195.

Aut ſi remotè tantùm prouocat, adhuc lethalis eſt. nu. 168. Ibidem.

Vel tam proximè prouocat, quàm ipſa pulchritudo naturalis. Ibidem.

Licèt verò minùs prouocet, quàm pulchritudo, adhuc tamen proximè prouocat. num. 169. p. 196. num. 170. Ibidem.

Ornatus aliquando mortalis eſt, quia explet efficaciam tenuis pulchritudinis allicientis ad malum. D. 1. C. 7. §. 15. num. 170. p. 196.

Dummodo ornatus ipſe valde prouocet ad malum, ſecus, ſi ſolùm leuiter. Ibidem. num. 171. p. 197.

In ornatu nimio ordinariè adeſt ſcandalum actiuum per ſe, & per accidens. num. 176. p. 199.

In ornatu datur ſcandalum actiuum per accidens, & generale mortiferum. num. 177. Ibidem.

Etſi præter operantis intentionem. num. 178. Ibidem.

Et alter peccans voluntariè ſibi damno ſit. num. 179. p. 200.

Et cauſſa propria ſui mali eſt ipſius voluntas. num. 180. Ibidem.

Ornata immodicè mulier non eſt cauſſa, ſed occaſio tantùm peccati alieni. num. 181. Ibidem *nec tamen ideo immunis eſt ſcandali lethalis*. Ibidem.

Quomodo concupiſci velit ab alijs per accidens, vel per ſe.

Nec a mortali liberatur, etſi efficacia periculi immediatè oriatur a temeritate aſpicientis. num. 182. p. 201.

Fruſtraque culpa imputatur malitiæ ſolùm concupiſcentis. D. 1. C. 7. §. 16. num. 183. p. 201.

Perperamque effectus ſecutus per accidens dicitur. nu. 184. Ibidem.

Tolliturque certiſſima doctrina de muliere rea culpæ lethalis temerè ſe objiciente oculis Caij concupiſcentis. n. 185.

Fff 2 Nec

Nec reus foret mortalis ſcandali ſuo furto dans furandi occaſionem, aboleretúrque omne ſcandalum actiuum indirectum. num. 186. p. 202.

Peccat etiam ob datum ſcandalum facilè vitabile, & temerè coniectos aſpicientes in magnas anguſtias. nu. 186. & 187. Ibidem.

Immodicus ornatus defenditur ob conſuetudinem. D. 1. C. 7. §. 17. num. 190. p. 203.

At nequit ob conſuetudinem excuſari, quia repugnat iuri diuino. num. 193. p. 204. *& naturali*. num. 194. *& paſſim a viris ſacris reprehenditur*. num. 195. Ibidē. *& talis conſuetudo irrationabilis eſt*. num. 196. Ibidem. *& inanis prorſus*. num. 191. pag. 205. *vſque ad* num. 202. p. 206.

Tenentur feminæ abſtinere ſcandaloſo ornatu. num. 202. p. 206.

Legitima conſuetudo moderati ornatus ex vſu proborum ſpectanda. num. 202. Ibidem.

In moderato ornatu ferendo ſcandalum Phariſaicum non curandum. num. 203.

Ornatus immodici &c. non datur conſuetudo, ſed corruptela ſolùm, in qua nemo poteſt alteri ſe conformare. Ibidem.

Ornatus valde excedens poteſt ſine graui incommodo diſcerni, ac omitti. D. 1. C. 7. §. 18. num. 204. *Et ita quoque notabilis prouocatio ad malum*. Ibidem.

Quum leuis eſt exceſſus in ornatu, & venialis, ordinariè non eſt ſub mortali vitandus. num. 204. p. 209.

Ornatus mulierum vanus a Patribus reputatus valde ad Venerem incitare. §. 19. num. 220. p. 215. *& quidem vniuerſaliter*. num. 221.

Etſi qua ornatum prouocatiuum mali cauere debet, nō tamen diuitias &c. num. 228. p. 219.

Opinio contraria ornatum valde incitantem ad Venerē negans eſſe mortalem, eſt improbabilis. D. 1. C. 7. §. 19. num. 229. p. 220.

Contingit practicè ornatum valde prouocatiuum eſſe libidinis, adeoque & mortalem. num. 230. Ibidem. *& quidem ſæpe*. num. 237. p. 222.

Mulier conſcia, ſuum ornatum eſſe valde prouocatiuū libidinis, eo ipſo peccat mortaliter, niſi ei conſtet, nullum inde periculum probabile peccandi grauiter cuiquam hic, & nunc præberi. num. 231. p. 227. *vſque ad* num. 237. p. 223.

Ornatus valde prouocatiuus libidinis ex cauſſa graui honeſtatur, vt non peccet, quæ ipſo vtitur, ne indirectè quidem. D. 1. C. 8. num. 1. *licèt alij hinc peccent lethiferè*. Ibidem.

Feminæ falsò prætexunt ſe ornari ſuperfluè maritorum gratia. D. 1. C. 8. num. 2. p. 224.

Nec fucis gratiam eorum ſibi conciliant. num. 3. Ibidem. *&* num. 5. p. 225.

Nec a pellicibus abducunt. Ibidem.

Non excuſantur a mortali vtentes nimio cultu mali valde prouocatiuo, etſi maritorum gratia vtantur. C. 8. num. 7. p. 226.

Ornatus valde prouocatiuus mali omittendus aliquando cum vitæ etiam iactura, ne dum cum alio damno minori. num. 9. *quando nempe magna multitudo hinc periclitatur*. p. 226.

Quando verò vnus, vel duo lapſuri prævidentur, debes potiùs tolerare contumelias graues, & leuia verbera, quàm talem ornatum ferre. num. 10. Ibidem. *ſecus, ſi grauia ſint verbera*. Ibidem. p. 227.

Carent excuſatione liberiore ornatu vtentes. num. 11. p. 228.

Minæ, vel obiurgationes ſatis non ſunt ornatui periculoſo excuſando. num. 12.

Vanus ornatus omnino a mulieribus detrahendus. D. 3. C. 2. §. 6. num. 10. 12. p. 368.

Conſulentes non ſyncerè Confeſſarium de ornatu, merentur decipi. D. 3. C. 4. num. 10. p. 375.

Ornatus omiſſis vanis excuſationibus deſerendus.

Ornata femina a S. Bernardo reiecta, licèt eſſet ſoror, & ad Deum mirè conuerſa. D. 1. C. 9. num. 4. p. 234.

Ornatus feminæ rete Diaboli. Ibidem.

Religioſi fratres ſororem vanè comptam tanquam ſtercus auerſantur, & ita ad Deum traducunt. Ibid. *omnique ornatu interdicunt, &c*. Ibidem.

Diabolus per ornatum feminæ totam vrbem rapit. nu. 7. p. 236.

Vna poſt aliam feminæ in guttur Diaboli per ornatum ruit. Ibidem.

Ornatus vſitatus, mera corruptela, non conſuetudo. Ibidem.

Ornatus ſæpe de rapinis, vel de ſanguine pauperum comparatus. C. 9. num. 10. p. 238.

Luxus ornamentorum noſtro etiam ſeculo graſſatur. D. 1. C. 10. num. 1. p. 241.

Mulieres *perditè affectant luxuriantem ornatum*. Ibidem. num. 2. *inſanè prorſus, ac peruersè*. Ibidem.

Cum iniuria Dei pauperumque. num. 3. p. 242.

Deo idcirco inexcuſabiles. num. 4. Ibidem.

Et Chriſto, cuius Paſſioni ornatus ludibrio eſt. num. 5. Ibidem.

Mulires molliter ornatæ veteribus Chriſtianis diſſimiles, negaturæ Chriſtum ingruente perſecutione. Ibidem. num. 6. p. 243.

Ieiunia recuſant. Ibidem.

A Deo non dignoſcentur. num. 7. Ibidem.

Quid agant, ne in ornatu peccent. num. 8. Ibidem.

Diligenter vigilent, ne labantur. num. 9. Ibidem.

Parcant ſumptibus. num. 10. p. 244.

Mortificationem adhibeant. num. 11. Ibidem.

Mulieres magis, quàm viri, deditæ ornatui. D. 1. C. 11. num. 4. p. 245.

Licentia ornatus feminei non auertit maiora mala, nec viros a pellicibus. D. 2. C. 1. num. 29. p. 257. num. 30. p. 258.

Moderatus eſſe non poteſt ille, ex quo plus mali ſequitur. num. 32. Ibidem.

Ornatus Feminę ad malum prouocatiuus.

Non imputatur ad culpam. D. 1. C. 6. §. 1. num. 12. p. 133.

Nullus

Nullus ornatus feminæ, quin prouocatiuus ſit ad laſciuiam, eſt ſecundùm ſe mortalis. Ibidem. num. 13.

Ornatus Feminæ ad malum leuiter prouocatiuus.

Femina non tenetur ſub mortali vitare ſemper exceſſum ornatus leuiter ſolùm prouocatiui; etſi hinc alios lethiferè peccaturos nouit. D. 1. C. 6. §. 1. num. 3. p. 121. ad num. 9. p. 123.

Etiamſi prouocatio ad malum conflata ex pulchritudine, & ex ornatu ſit grauis, ſi ornatus ipſe leuiter ſolùm irritat, adhuc venialis tantùm eſt. Ibidem. num. 8. pag. 122.

Leuis ad malum ex nimio ornatu prouocatio, præter venialem intemperantiam, rea quoque eſt ſcandali venialis. Ibidem. num. 9. p. 123.

Sed aliunde excuſatur a leui etiam cooperatione, peccato lethali alterius. Ibidem. & num. 10 & 11. p. 124. & 125.

Non tamen eximitur feminæ a culpa veniali intemperantiæ. Ibidem. num. 12.

Neque a mortali cooperatione, quando ornatu ipſo grauiter ad malum incitat. Ibidem. p. 126.

Quum ornatus leuiter ſolùm prouocat, ruina alterius ſequitur præter intentionem ornantis ſe, per accidens ex malitia alterius. &c. D. 1. C. 7. §. 16. num. 173. pag. 198.

Ornatus feminæ grauiter ad malum prouocatiuus.

Femina valde immoderato ornatu vtens impudicitiæ ſuſpicione laborat. Diſp. 1. Cap. 6. §. 2. num. 14. pag. 126. & ſeqq. *vſque ad* Cap. 7. & D. 3. Cap. 4. num. 15. p. 379.

Trahit plurimos amatorum greges, nocetque plurimis. D. 1. C. 6. §. 2. num. 16. p. 127.

Ad laſciuiam incitat. Ibidem. num. 17. & 18.

Plurimæ tamen, licèt valde ornatæ, caſtiſſimæ ſunt. Ibidem. num. 22. p. 129.

Valde ad laſciuiam prouocans ornatus, quin ſit mortalis, nemo negat. D. 1. C. 7. §. 1. num. 2. p. 129. *vſque* ad num. 18. p. 135. *& ſi negare fingatur aliquis, fruſtra omnino.* num. 11. p. 132.

Ornatus prouocatiuus non poteſt eſſe mortiferus ratione indirecti tantùm ſcandali, niſi proximam delinquendi occaſionem præbeat, C. 7. §. 2. num. 18. p. 135. *taliſque occaſio ſit hic, & nunc determinata.* num. 19. p. 135. & *hic quæſtio eſt de re ſecundùm ſe ex obiecto.* num. 20. Ibidem.

Ornatus valde prouocatiuus ad Venerem iudicio prudẽtis definiendus. D. 1. C. 7. §. 2. num. 21. p. 135. & *quomodo.* num. 23. p. 136.

Vtens ſine cauſſa iuſta ornatu valde prouocatiuo libidinis, peccat mortiferè. D. 1. C. 7. §. 2. num. 25. p. 137.

Quod nemo Doctorum inficiatur. Ibidem. §. 3. num. 26. p. 138. *vſque ad* num. 32.

Peccatum alterius ex tali ornatu non imputatur malitia, niſi vbi cauſſa iuſta deeſt. num. 30.

Ornatum feminæ valde prouocatiuum laſciuiæ eſſe lethalem docent plures Doctores. D. 1. C. 7. §. 4. num. 32. p. 138. & §. 5. p. 147. *vſque ad* num. 64. p. 152. & §. 19. num. 221. 229. p. 216. num. 224. & *quidem cum manifeſta diſtinctione.* Ibidem. *indicantque indirectum quoque contemptum ſalutis proximi eſſe mortalem.* num. 225. p. 218. ad 228. p. 219.

Etiamſi ruina alterius non ſit cauſſa, ſed tantùm occaſio. C. 7. § 4. num. 38 p. 141.

Ornatum feminæ valde prouocatiuum laſciuiæ Patres damnant culpa mortalis. Ibidem. *toto* §. 6. p. 152. & ſeqq.

Ornata nimis femina Chriſtum nequit induere. D. 1. C. 7. §. 6. num. 65. p. 153.

Cordis ornamenta perdit. Ibidem.

Eſt alteri exitio, pro gladio, & telo. Ibidem.

Peccandi fomenta ſuccendit. Ibidem. num. 66.

Venenum præbet videntibus. Ibidem.

Ideoque excuſari nequit, quaſi caſta ſit. Ibidem.

Ornatu ſ feminæ vanus auſpicatur Gehennam. D. 1. C. 7. §. 6. num. 68. p. 154.

Iudicio æterno puniendus, quia venenum propinat. Ibidem.

Si vis Deo placere, ne comas te, vt alienis viris placeas, atque ad te allicias; caue, ne cæteri per te pereant, & tu cum eis. Ibidem. num. 69. p. 155.

Ornata nimis mulier venenum offert intuentibus, ideoque pœna extrema punietur. Ibidem. num. 70.

Virgines dediti ornatui, incompoſitis moribus, carpuntur. num. 71. Ibidem.

A ſcortis non diſcernuntur; etiamſi eadẽ verba nõ vſurpent, quæ meretrices, eadem tamen facta imitantur. Ibid. p. 156.

Mulier nimis ornata plus nocet alijs, quàm meretrix occulta. Ibidem. *factis inuitat ad Venerem, accendit ignẽ, adultera eſt, adulterij occaſionem præbens, gladium acuit, &c. ideoque digna ſupplicio.* Ibidem.

Quàm graue crimen ſit ornatu immodico præbere alteri occaſionem ruinæ. Ibidem.

Perit proximus ob feminæ ornatum. ipſa autem inuidia laborat. Ibidem. num. 72. p. 156. & 157.

Noua ornamenta feminis a Dæmone ad Venerem irritandam perſuaſa. Ibidem. num. 73. p. 157.

Nimis ornata femina diſcipula Dæmonis, damnationem ab eo diſcunt. Ibidem.

Superfluus ornatus valde ad Venerem alliciens mortalis eſſe probatur ratione, quia iure diuino prohibitus. D. 1. C. 7. §. 7. num. 75. p. 158. *vſque ad* num. 80. pag. 159.

Et quia expedit eſſe grauiter prohibitum. num. 79. p. 159.

Et quia habitus meretricius eſt. Ibidem. num. 80.

Qui a Patribus reprehenditur in feminis etiam honeſtis. Ibidem. num. 82. p. 160. ad num. 99. p. 163.

Habitus meretricius dictus eſt, qui ad libidinem prouocat, licèt pudenda non detegat. num. 86. & 87. p. 162. num. 188. 189. p. 163.

Grauiùs peccant ornatu meretricio audientes Miſſam Feſto die, quàm eam omittentes. D. 1. C. 7. § 7. num. 89. p. 163.

Immo-

Immodicus ornatus valde incitans ad Venerem mortalis eſt, quia proximam delinquendi mortiferè occaſionem alijs præbet. Ibidem. §. 8. num. 90.

Ad libidinem prouocat valde aſpicientes. num. 91. *vt liquet ex Ethnicis*. num. 92. p. 163. *& 164. & ex Patritius*. num. 93. *ad* num. 96. p. 165.

Mulier ornatu ipſo naufragium caſtitatis alijs, & ſibi affert. Ibidem.

Percutit oculis, vt fulminibus, & percutitur. Ibidem.

Ornatus nimius pudorem proſtituit. Ibidem.

Ab Imperatore vetitus. Ibidem.

Depoſitus velut luxuriæ inſtrumentum, & Iunoni dicatus. Ibidem.

Cultus feminæ, aucupium hominum. §. 8. num. 93. p. 164.

Immanes voluptates creat, & ſuperbiam. Ibidem.

Importat concupiſcentiam. Ibidem.

Cauſſa perditionis. Ibidem.

Libidinis ſuggeſtum. Ibidem.

Concupiſcendi libidinem nutrit, peccãdi fomenta ſuccẽdit. num. 94. Ibidem.

Affert excidium, vel inſidias videntibus. p. 165. Ibid.

Adulterini amoris illecebra. Ibidem.

Faſcinat oculos intuentium.

Fomentum libidinis, impudicitiæ indicium, velamen Antichriſti. Ibidem.

Euertit animum, flammam concupiſcentiæ nutrit.

Secundùm ſe prouocat ad laſciuiam. num. 96. Ibidem.

Inuitator libidinis. Ibidem.

Pulchritudini additus ornatus multo magis ad libidinem incitat. Ibidem. num. 97. p. 166

Ideo a S. Carolo reprehenſus, vt cauſſa ſcandalorum ingentium. Ibidem.

Morte repentina multatus. Ibidem.

Ornatus feminæ immoderatus plurimos viros ad libidinem valde incitat, quibus ſcilicet probabile periculum laſciuiæ creat. §. 8. num. 98. p. 166. *vſq; ad* num. 104. p. 170. *vt docet ratio, & experientia*. num. 98 Ibidem. 166. *& fidem faciunt Doctores*. num. 99. p. 167. *vſque ad* num. 102. p. 169. *& ratione euincitur*. Ibidem. *& ex Scriptura firmatur*. num. 103. Ibidem.

Excuſantur a mortali mulieres occaſionem proximam delinquendi mortiferè ſuo ornatu præbentes, quia non animaduertunt talem occaſionem hic, & nunc determinatã, atque adeo nec proximam. D. 1. C. 7. §. 5. num. 101. p. 168. *& 169. vel quia ex ornatu leuiter ſolùm ad malum incitant*. Ibidem.

Ornatus feminæ nimius plurimos valde prouocat ad libidinem. num. 104. p. 170.

Adeoque in proximam quoque peccandi lethaliter occaſionem conijcit. num. 105. Ibidem. *ſeu definitè, ſeu indefinitè*. num. 106. p. 171. *& quidem ſine legitima cauſſa*. num. 107. 108. *ſecus quàm vbi cultus moderatus eſt*. num. 109.

Influxus moralis plurium, quò ſit vniuerſè prouocatiuus valde ornatus ad malum, non requiritur reſpectu prouocantium, ad proximam occaſionem mortiferè peccandi gignendã. D. 1. C. 7. §. 9. n. 113. p. 172. *neque reſpectu prouocatorum*. num. 114. p. 173.

In immodico feminarum ornatu adeſt frequentia repetiti actus valde prouocantis ad malum reſpectu plurium indefinitè. num. 115. Ibidem.

Superfluus feminæ ornatus valde ad libidinem incitat plures indefinitè. Ibidem, *vſq; ad* num. 126. p. 180. *vt docet etiam experientia*. num. 126. Ibidem. *& Patres teſtantur*. num. 127. Ibidem.

Mulier vtens valde immodico ornatu cum proximi ruina graui, peccat mortaliter, quia commodè eo poteſt abſtinere. D. 1. C. 7. §. 10. num. 128. p. 181. *nec obſtat vllus prætextus*. num. 129. *vſque ad* num. 132. p. 182. *vſq; ad* num. 204. p. 207.

Immodicum feminæ ornatum valde impellentem ad malum eſſe reum culpæ mortalis varia exempla conuincunt. D. 1. C. 7 §. 11. p. 182. num. 132. *vſque ad* num. 145. p. 186.

Ornatus immodicus in Orcum mergit. num. 134. pag. 182.

Diabolo tradit. num. 135. p. 183.

Pœnis æternis mancipat. num. 136 Ibidem.

Sanctos, & iuſtos, & conſanguineos vrit. num. 137. Ibidem.

Fax incendens ignem peccati, imago damnationis, a Dæmone in ollam coniectus, maximè Deum offendit. Ibidem.

Puella ornatum valde prouocatiuum libidinis ad maritum comparandum adhibere nequit. D. 1. C. 8. num. 13. p. 228

Quærens maritum, quò ſit continens, non poteſt vti ornatu inductiuo ad Venerem cum ſcandalo multitudinis magna, ſecus cum ruina vnius, vel duorum. num. 14. p. 230.

Mulieres fruſtra cauſſantur ſe cogi ad nimium cultum ab alijs, quum ipſæ potius cogant, adeoq; reæ ſunt delictorum inde manantium num. 16. p. 231.

Peccant etiam mariti, & parentes nimis indulgentes vxoribus, & filijs ornatum immodicum. num. 17. Ibid.

Tenentur mulieres ſub mortali adhibere artes ſibi familiares ad eludenda iuſſa imperantium ornatum valde prouocatiuum ad malum. num. 18. p. 232.

Ornatus valde prouocatiuus plurimis eſt damnationis æternæ offendiculum. D. 1. C. 9. num. 3. *tam ipſis feminis, quàm viris aſpicientibus*. Ibidem.

Ex nota improbabilitatis inflicta ſententiæ neganti ornatum ſuperfluum valde prouocatiuum libidinis eſſe mortalem plus boni, quàm mali ſequitur. D. 3. C. 1. num. 5. p. 313. num. 6. *alioqui vetari non poſſet ab Epiſcopo talis ornatus*. num. 6. Ibid. *quum tamen poſſit*. Ibid.

Et eadem incommoda fluunt ex tali improbabilitate, atq; ex Epiſcopi prohibitione. num. 6 & 7. Ibidem.

Et talis ornatus valde prouocatiuus ad malum vetatur Lege diuina, & naturali. num. 8. p. 315. Ibidem.

Et tranſgreſſiones oriuntur non ex tali ſententia, ſed ex malitia hominum. num. 9. Ibidem.

Vulganda eſt doctrina de ornatu illicito, licèt aliqui ſint ea abuſuri. num. 10. Ibidem

Vtens

Vtens habitu valde ad malum prouocatiuo, ſed ignorãs, vel dubius. Vide *Pœnitens.*

Peccans mortiferè ob immodicũ ornatum prouocatiuum libidinis, Templumq; cum tali ornatu ingreſſa, præſente populo, peccat inſuper ſacrilegè mortaliter. D. 3. C. 2. §. 1. num. 21. p. 329.

Culpa mortalis ornantis ſe valde &c. ſatis publicatur a Concionatoribus ad obligandum. num. 23. p. 330.

Accedens ad Euchariſtiam cum ornatu valde prouocatiuo libidinis denuntiato mortali a Concionatore, repellenda eſt. D. 3. C. 2. §. 1. num. 24. p. 330.

Grauiter prouocatiuus ad laſciuiam, eſt mortalis. D. 3. C. 4. num. 17. p. 381. num. 18. Ibidem. num. 19. p. 381. *vſq; ad* num. 26. p. 382.

Quia a Deo vetitus in Iſaia C. 3. num. 19. pag. 381. *& a Chriſto Domino.* num. 20. Ibidem. *& ab Apoſtolis.* num. 21. p. 382. num. 22. & 23. Ibidem.

Punita vidua diuinitus nimij cultus ſtudioſa. D. 3. C. 4. num. 31. p. 385.

Gerens ornatum valde prouocatiuum laſciuiæ, eo ipſo peccat lethiferè. num. 46. pag. 390. Ibidem. *quia ſe quaſi toti populo proſtituit.* Ibidem. p. 391. & num. 47.

Ornatus vanus vetitus etiam viris. D. 3. C. 4. num. 49. p. 391.

Deplorandum eſt, viros, & feminas immodico ornatui perditè deditos eſſe. Ibidem.

Oſculum.

Oſcula inter mares, & feminas licèt vſitata, priuatim tamen ſub mortali vitanda ob abuſum alterius. D. 1. C. 5. §. 8. num. 115. p. 66. num. 116. & C. 7. §. 17. num. 198. p. 205.

Oſcula vſitata quoq; virorum, & mulierum lethalia, quia valde ad Venerem incitant. D. 2. C. 1. num. 6. p. 249.

Conſuetudo ita oſculandi non arcet maiora mala, ſed parit, regnumq; luxuriæ auget. num. 7. Ibidem. num. 16. p. 253. *vſq; ad* num 33. p. 259.

Morem oſculandi promiſcuè inuehere mortale eſt. D. 2. C. 2. §. 1. num. 5. p. 276.

Oſculum Venereum quodnam ſit? mortale eſt, etiam citra periculum pollutionis, & vlterioris conſenſus. num. 9. p. 279.

P

Palao.

Ferdinandus à Caſtro Palao.

N*ON negat eſſe mortalem ornatum valde prouocatiuum libidinis.* D. 1. C. 7. §. 1. num. 8. p. 131.

Pallauicinus.

Sfortia Pallauicinus.

Laudatur. D. 1. C. 7. §. 7. num. 79. p. 159. D. 2. C. 1. num. 14. p. 252.

Papa.

Vide *Pontifex Maximus.*

Paradiſus.

Labores impenſi a Sanctis pro acquirendo Paradiſo. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243. num. 7. Ibidem.

Excludit delicatos. num. 8. Ibidem.

Paradoxum.

Hæc de ornatu Paradoxa quàm multiplici nomine debeantur Reginæ Mariæ. Vide Epiſtolam ad ipſam initio poſitam.

Hæc Paradoxa valde paradoxa. In Præl. ad Lect. n. 1.

At iure optimo ita inſcripta. Ibidem. num. 2.

In quibus adulatio, & nimius feruor cauebuntur, veritaſq; liberè enuntiabitur. Ibidem. num. 5.

Quo ſtylo hæc Paradoxa exarata. num. 6.

Diuiduntur in tres diſputationes. Ibidem. num. 7.

In gratiam Concionatorum, & Confeſſariorum præcipuè concinnata. Ibidem. num. 8.

Parens.

Nimis indulgens ornatum filiabus peccat. D. 1. C. 8. num. 17. p. 252.

Parlamentum.

In Templo factum veniale eſt. D. 3. C. 2. §. 1. num. 20. p. 328.

Parochus.

Habens errorem in fide, vel moribus ignoranter, vel putãs ſubditos non teneri ſcire fidei articulos, monendus eſt, licèt nulla ſit etiam ſpes fructus. D. 3. C. 1. num. 27. p. 320.

Paſtor.

Vide *Prælatus. Superior, Princeps, Epiſcopus.*

Pater.

Vide *Parens, & Patres.*

Patientia.

Patior.

Irriſiones pro virtute toleranda. D. 1. C. 7. §. 17. num. 103. p. 207.

Ornamentum veterum Chriſtianorum patientia. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243.

Patres.

Opiniones præter auctoritatem Patrum fabricatæ repudiantur. In Præl. num. 1. & ſeqq. p. 1.

Patrum concors ſententia aufert contrariæ opinioni probabilitatem, præferendaq; omnino meræ auctoritati cuiuſuis Doctoris. D. 1. Cap. 7. §. 7. num. 74. pag. 157. & 158.

Non violenter interpretandi. §. 19. num. 220. pag. 215.

Paula.

Lacrymis expiat vanum ornatum. D. 3. C. 4. num. 29. p. 383.

Paulus Layman.

Vide *Layman.*

Peccator.

Peccatrix.

Vide *Euchariſtia quatenus danda &c. peccatori.*

Publicus peccator non emendatus arcendus eſt ab Euchariſtia. D. 3. C. 1. num. 12. p. 3[illegible]

Occultus

Occultus peccator publicè petens Euchariſtiam non eſt reijciendus. num. 3. Ibidem.

Publicus peccator dicitur, qui publicè agit, quod ſine mortali non fieri conſtat, ideoq; arcetur a Communione Euchariſtiæ. num. 5. p. 331.

Ad negandam Euchariſtiam publico peccatori ſufficit ea peccati cognitio, quæ ſufficit ad negandam abſolutionem. num. 6. p. 322.

In neganda Euchariſtia peccatori cauendum ſcandalum, infamia, ſuſpicio reuelationis criminis. Ibidem.

Peccator alius eſt abſolutè publicus, alius reſpectiuè tantùm. Ibidem.

Quando peccatum euidentia iuris, vel facti eſt abſolutè publicum, ſatis eſt, vt Euchariſtia negari debeat, modò notum ſit ſaltem ſex, vel decem. num. 8. Ibidem.

Neganda eſt Euchariſtia, quando extat etiam ſuſpicio violenta de delicto. num. 9. p. 323.

Nudans pectus, vel prouocans valde ad libidinem ornatu immodico, quorum vtrumq; denuntiatum ſit a Concionatore eſſe mortale certò, eſt publica peccatrix arcenda ab Euchariſtia. D. 3. C. 2. §. 1, num. 24. p. 330. Ibid.

Publica peccatrix in foro externo non deſinit eſſe ob opiniones priuatas aliquorum contradicentium. §. 2. num. 25. p. 332. *vſq; ad* num. 39. p. 334. num. 45 p. 339.

Neq; quia tales opiniones, vel abſoluentes, & communicantes tolerentur ab Epiſcopo, & Papa. num. 38. pag. 336. *vſq; ad* num. 42. p. 338. *Neq; ob ignorantiam, vel bonam fidem*. num. 49. p. 340. & num. 50. p. 341.

Publici peccatores arcendi ab Euchariſtia ob delictum mortale publicum, licèt aliàs minimè infames habeantur. D. 3. C. 2. §. 3. num. 56. p. 345. num. 57.

Peccatum.

Pecco.

Vide *Vitium, Peccator*.

Peccata horrori ſunt ea tantùm, quæ contra conſuetudinem ſunt. *Præl*. num. 2. p. 2.

Præbens materiam peccandi ex ſe indifferentem non intendendo eius peccatum, non cooperatur directè ad malum D. 1. C. 5. §. 2. num. 19. p. 22.

Peccans coram alijs lethiferè, tenetur hanc circumſtantiam ſcandali generalis confiteri. §. 4. num. 42. p. 33.

Quod eſt per ſe inductiuum ad peccatum, etſi per ſe malum non eſt, tamen illicitũ eſt extra grauiſſimam neceſſitatem. D. 1. C. 5. §. 7. num. 96. p. 58.

Caritas quod ad peccatum vitandum attinet, obligat quemque ad ſe magis amandum, quàm proximum. D. 1. C. 5. §. 10. num. 162. p. 89.

Etſi peccatum ſit minus volibile, quàm Infernus, non tamen permiſſio peccati. §. 11. num. 170. p. 98.

Non violatur amicitia permittendo peccatum amici. num. 180 p. 99.

Propoſitum efficax non peccandi non habet repugnantiã cum reuelatione, & certitudine futuri peccati. num. 192. p. 105. *repugnat tamen cum tali propoſito exponere ſe abſque cauſſa periculo proximo delinquendi mortiferè*. Ibidem.

Ex facilitate abſoluendi quaſcunque peccatores ingens animarum pernicies exiſtit. §. 12. num. 202. p. 110.

Cauſſa determinata peccati in communi vitanda eſt, non verò indeterminata. §. 13. num. 219. p. 119.

Non cuncta Sacerdotis peccata contrahunt malitiam ſacrilegij, neque venialem. D. 1. C. 7. §. 9. num. 119. p. 175.

Peccatum veniale in mortale degenerat ob ſcandalum paſſiuum. §. 18. num. 206. p. 209.

Ad vitanda cuncta venialia libertas tantùm phyſica eſt, ad ſingula moralis etiam. num. 207. Ibidem.

Licèt quis non habeat ius ad vllum peccatum veniale, poteſt tamen habere cauſſam, ne ſub mortali cauere veniale debeat. num. 208. p. 210. num. 209.

Peccatum euidentia iuris vel facti notorium quale ſit. D. 3. C. 1. num. 7. p. 322.

Peccata omnia externa, præſertim mortalia, vetita in Templo. D. 3 C. 1. §. 1. num. 13. p. 324.

Infamatus iniuſtè poteſt ad tutelam peccata infamantis detegere. D. 3. C. 2. §. 4. num. 88. p. 361.

Peccatum ex malitia.

Vide *ſcandalum ex malitia*.

Peccatum ex habitu eſt peccatum ex malitia. D. 1. C. 5. §. 1. num. 11. p. 19.

Peccatum ex malitia eſt quando voluntas ex ſe mouetur ad malum. Ibidem. num. 12. *eſt grauius peccatum, quàm peccatum ex paſſione*. num. 13. p. 20. *diuerſimodè ſumitur*. num. 15. Ibidem.

Peccatum ex ægritudinali habitudine non videtur peccatum ex malitia. D. 1. C. 5. §. 1. num. 14. p. 20.

Peccatum ex malitia propriè quid ſit. num. 15. p. 21. *latè ſumitur etiam pro peccato ex paſſione*. num. 16. *in quo æquiuocatio admittitur, tollitur ex iuſta cauſſa*. num. 17. p. 22.

Peccati conſuetudo.

Ob peccandi conſuetudinem differri poteſt abſolutio. D. 1. C. 5. §. 12. num. 205. p. 112.

Peccati conſuetudo Confeſſario interroganti fatenda neceſſariò. Ibidem.

Peccati occaſio.

Vide *occaſio peccati*.

Peccandi periculum.

Vide *occaſio peccati*.

Peccati recidiuum.

Vide *Recidiuus*.

Peccati ſcandalũ, ſeu ad peccatum incitare.

Vide *ſcandalum*.

Pectus.

Feminei pectoris nuditas quando abſoluenda, vel reijcienda.

Vide *Abſoluo, Confeſſarius*, & *Pœnitens*.

Feminei pectoris nuditas quando admittenda ad Euchariſtiam, vel repellenda.

Vide *Euchariſtia danda, vel neganda peccatori*.

Feminei pectoris nuditas.

Eſt ſpecies muliebris ornatus. D. 2. C. 1. num. 2 p. 246.

Pectoris

Pectoris feminei nuditas conſueta.
A multis affirmatur non eſſe mortalis. D. 2. Cap. 1. num. 3. p. 246.
A multis alijs traditur eſſe mortalis. num. 4. p. 247. num. 5. p. 248.
Carpuntur quæ nudant pectus. Ibidem. p. 248. *exponunt impudentiam omnium oculis*. num. 4. Ibidem.
Nuditas feminei ſolita etiam lethalis eſt, quia ad Venerem valde incitat. D. 2. C. 1. num. 6. p. 249.
Conſuetudo ita nudandi pectoris maiora mala non arcet, ſed affert, regnumque libidinis magis amplificat. num. 7. Ibidem. *vſque ad* num. 33. p. 259.
Etſi quibuſdam particularibus fortè erit vtilior, ſecus communitati. num. 8. Ibidem. num. 9.
Nudare mamillas, vel pectus habitus proprius meretricum, tegere autem proprius virginum. num. 17. p. 253.
Deus vetans nuditatem feminei pectoris neceſſariam vitandis malis maioribus, non peccat, quia linquit libertatem phyſicam, & moralem non peccandi, num. 26 p. 256. num. 27. p. 257.
Non abducit viros a pellicibus. num. 29. p. 257.
Non poteſt eſſe iuſta conſuetudo, vel cauſſa nudandi pectus femineum. num. 31. p. 258.
Nō poteſt eſſe talis nuditas ornatus moderatus. n. 32. Ibi.
Talis nuditas lethalis eſt, quia a Deo vetita. num. 33. p. 259. *nec per conſuetudinem reddi poteſt licita*. Ibidē. *& quia talis conſuetudo eſt irrationabilis*. num. 34. Ibid. num. 39. p. 162.
Et quia præbet occaſionem proximam peccandi mortaliter, & valde ad Venerem allicit. num. 35. p. 260.
Et quia a ſuiſmet Auctoribus talis conſuetudo damnatur. num. 36. Ibidem. num. 37. p. 261. num. 38.
Fucus peior cætero ornatu, non autem nuditate feminei pectoris. num. 41. p. 263.
Nuditas feminei pectoris ſolita damnata a Doctoribus & Patribus culpæ mortalis. num. 40. p. 262. p. 263.
Excuſantur tamen populi ea vtentes, ob ignorantiam. num. 41. Ibidem.
Pectus feminæ, licèt pars honeſta putetur, tegendum tamen ad vitandam ſcandalum. D. 2. C. 1. num. 42. p. 263.
Pectus nudum feminæ prouocat ad laſciuiam magis, quàm reliquus ornatus. Ibidem. p. 264.
Doctores conſuetudinem nudandi pectoris feminei tueri conati, veritate victi, eandem conſuetudinem improbant, euertuntque. num. 43 Ibidem.
Talis conſuetudo nudādi pectoris feminei exagitatur a Patribus. num. 44. p. 265.
Conſuetudo feminei pectoris nudandi, vbi neceſſaria eſt vitandis maioribus malis, ferenda eſt, ceſſatque culpa nudando etiam venialis. Ibidem. num. 45. *vbi verò neceſſaria non eſt, peccant lethiferè ita nudantes*. num. 46. Ibidem.
Principes tolerantes conſuetudinem nudandi pectus femineum, ex qua grauiora mala Reipub. manant, peccant mortaliter. D. 2. C. 1, §. 4, num. 47. p. 266. *vſque ad* num. 56. p. 270.
Epiſcopi negligentes talem noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris abolere, peccant mortaliter. Ibid. num. 56. *vſque ad* 65. p. 272.
Omnes conſpirare par eſſe ad conſuetudinem nudandi feminei pectoris exterminandam. num. 69. Ibidem. *neque abſterreri debere a tali conatu ob vllum humanum terriculamentum*. num. 66. p. 273. num. 67.
Conſuetudo nudandi feminei pectoris nullo modo excuſanda. num. 67. Ibidem.
Non credo talem conſuetudinem eſſe neceſſariam moraliter ad vitanda maiora mala. num 68 p. 274.
Opinio negans mortiferè peccare nudantes feminas pectus, vbi eſt conſuetudo, alijs probabilis eſt, mihi non item. num. 69. Ibidem.
Conſuetudo nudandi feminei pectoris tanquam ſcandaloſa exagitatur. D. 2. C. 4. num. 30. p. 306.
Pectoris feminei nuditas inſueta.
Nudantes feminæ pectus contra morem regionis, in qua ſunt, peccant mortiferè. D. 2. C. 2. §. 1. p. 275. num. 1. *vſque ad* num. 30. p. 290.
Quia talis nuditas valde ad libidinem incitat. num. 2. p. 275. num. 3.
Et ita nudantes ſuo malo exemplo alias ad pectus pariter nudandum impellunt. num. 4. *& in cauſſa ſunt, vt conſuetudo noxia moribus introducatur*. Ibidem.
Alioqui nec grauiter peccaret inuehens morem promiſcuorum oſculorum. num. 5. p. 276.
Et introduci licitè poſſet mos incedendi nudis corporibus. num. 6. p. 277. *&* num. 8.
Damnaturque culpa mortalis ex dictis Patrum. num. 11. p. 280.
Et quia nuditas pectoris feminei addita naturali pulchritudini magis ad Venerem incitat. num. 12. Ibid.
Alioqui aperitur aditus Scripturis eludendis. num. 19. p. 281.
Et quia naturæ rationali expedit talem nuditatem inſolitam grauiter eſſe prohibitam. num. 14. Ibidem.
Nuditas feminei pectoris pudicitiæ aduerſa, ac turpis. num. 15. p. 282. *&* num. 16.
Doctores omnes tradunt mortale ſcelus eſſe incedere feminam nudo pectore, vbi mos non eſt. Diſp. 2. Cap. 2. §. 2. num. 17. pag. 282. *vſque ad* num. 25. pag. 287.
Nec Caietanus diſſentit. num. 19. p. 285. *& contraria opinio caret omni probabilitate*. num. 25. pag. 287. *vſque ad* num. 38. p. 290.
Et oppoſita probabilitas foret valde noxia. num. 37. p. 290.
Nuditas inſueta ſolius etiam pectoris feminei, tectis licèt vberibus, lethalis eſt. D. 2. C. 2. §. 3. num. 39. p. 290.
Quia adhuc ad Venerem valde incitat. num. 38. *& quia illicium libidinis notabile addit pulchritudini*. num. 30.
Et quia prouocat ad nudanda vbera. num. 41. p. 291.
Et quia Doctores ſic cenſent. num. 42. p. 29.
In nuditate feminei pectoris datur leuitas materiæ, quæ

ſolùm venialis eſt. D. 2. C. 2. §. 3. num. 46. p. 293. tamen & hæc carpenda. Ibidem. maximè quum ſubinde euadat mortalis. num. 47. Ibidem.

Nota improbabilitatis impoſita opinioni eximenti a mortali inſuetam feminei pectoris nuditatem plus boni, quàm mali parit. D. 3. C. 1. num. 11. p. 315. vſque ad num. 15. p. 317.

Non expedit contrariam opinionem vindicantem a mortali feminas pectus nudantes præter morem regionis, licèt foret probabilior, in praxim deducere. num. 16. p. 316. ingentia enim damna ex ea fluerent. vſque ad num. 24. p. 320.

Aduerſarij tuentes probabilitatem contrariæ opinionis, vrgentur. num. 22. p. 318. Ibidem.

Nudantes inſolitè pectus cum ignorantia, vel dubio de peccato. &c. Vide Pænitens.

Nudans femina pectus, vbi mos nō eſt, reaq; ob id mortalis culpæ, Templum ingreſſa, vbi adſit populus, nouum contrahit ſacrilegium. D. 3. C. 2. §. 1. num. 21. p. 329.

Culpa mortalis nudantis feminæ pectus inſolitè ſufficienter ad obligandum a Concionatore publicatur. num. 23. p. 330.

Euchariſtia nudanti pectus præter morem regionis, ſi talis nudatio a Concionatore denuntiata eſt mortalis, neganda eſt. num 24. Ibidem vſque ad num. 30. p 334. etiamſi a probo, & docto Confeſſario ad Sacramenta admittatur. num. 30. p. 334. vſque ad num. 46. p. 340. & ab Epiſcopo non puniātur, qui tales ad Sacramenta admittunt. num. 41. p. 337.

Talis nudatio non eximitur a mortali, quia res ſubtilis ſit. num. 42 p. 338. neque ob bonam fidem, vel ignorantiam talis admittenda eſt ad Euchariſtiam. num. 49. p. 340. num. 50. p. 341.

Ius damnans mortalis culpæ inſolitè pectus nudantes feminas fruſtra negatur certum eſſe. D. 3. C. 2. §. 3. n. 51. p. 342. num. 53. p. 343.

Publicè nudans pectus contra loci morem, præſumitur peccare, donec oppoſitum non oſtendit. num. 55. p. 344.

Præſumptio, quòd quis ſit bonus, eliditur ex nudatione ſcandaloſa feminei pectoris. D. 3. C. 2. §. 3. num. 55. p. 345.

Nudans publicè præter morem loci pectus, licèt infamis non habeatur, tamen ab Euchariſtia arcenda. num. 59. Ibidem. ob manifeſtum crimen lethale, etſi aliàs nullā irreuerentiam Euchariſtiæ immediatè inferret. num. 60. p. 346.

Etſi nudo pectore inuiſens Mundi Principes, nullam ijs irreuerentiam exhibet, magnam tamen Euchariſtiæ irreuerentiam facit, nudo pectore contra loci morem ad eam accedens. num. 61. p. 347. num. 62.

Publicaque peccatrix eſt in foro externo, etſi ab alijs Confeſſarijs admittatur ad Sacramenta; adeoque priuanda adhuc eſt publica Communione. num. 62. pag. 347. vſque ad num. 66. p. 350. licèt ex bona fide non peccarit coram Deo. num. 65. p. 339 ſecus ſi occultè petat. Ibid.

Hoſtia ſacra delapſa in mamillam obtrudentis ſe detecto pectore ſacræ Communioni. D. 3. C. 2. §. 4. num. 86. p. 359.

Etſi publicatum non eſſet a Concionatore, neque conſtaret, eſſe ſcelus lethale feminæ incedere contra loci morem nudo pectore, adhuc ea ibi reijcienda eſt ab Euchariſtia, quia huic magnam irreuerentiam adhuc infert. D. 3. C. 2. §. 5. num. 94. p. 364. num. 94. p. 364. num. 95. p. 260. & quia adhuc ſcandalum generat. num. 94. Ibidem.

Nudantes feminæ pectus Mediolani arcendæ ex S. Carolo ab Euchariſtia. D. 3. C. 2. §. 6. num. 99. p. 367. & repellendæ a Sacramentis. num. 100. p. 368. n 101.

Pectoris feminæ peregrinæ nuditas inſolita.
Vide Abſoluo.

Peregrinæ diu morantes, vbi mos non eſt nudandi pectus, & nudantes pro more ſuæ patriæ, mortiferè peccant. D. 2. C. 3. num. 2. quia Doctores has non excipiunt. Ibidem. p. 294. & quia ad Venerem valde incitant. num. 3. p. 295.

Et quia peregrinæ potiùs nouum morem introducunt, quàm incolæ. num. 4. Ibidem.

Aliàs licitè poſſent corruptelas omnes introducere. num. 5. Ibidem.

Et tenentur ſe loco conformare, in quo degunt, ne ſint ſcādalo. num. 6. Ibidem.

Etſi nec dum ibi domicilium compararint. num. 7. p. 275.

Peregrinæ tranſeuntes per loca, vbi mos nudandi pectoris feminei non eſt, & non tegentes illud, peccant mortiferè, licèt ibi diu non hæreant. num. 7. p. 296. excuſantur tamen ob ignorantiam. num. 8. p. 297.

Non excuſantur tamen Vxores Legatorum extraneorū, ſi aduertant ſuam nuditatem eſſe ſcandalo. num. 9. & 10.

Peregrina nudans in aliena regione pectus contra morem regionis multis annis, etſi nulla eam imitata eſt, peccat mortaliter. D. 2. C. 3 num. 11. p. 297.

Pectus nudantes feminæ Mediolani.

Lex municipalis Mediolani vetat feminas nudare pectus. D. 2. C. 4. num. 2. p 298. non tamen ſub mortali. num. 3.

Mediolani necdum conſuetudo introducta eſt legitima nudandi muliebris pectoris. D. 2. C. 2. num. 4. p. 298. num. 7. p. 299.

Nam paucæ nudarunt. num. 5. Ibidem. nec ſine probro. num. 6. p. 299. & cum ſcrupulo Sartoris. num. 8. Ibidem

Et a Concionatoribus damnatæ tales feminæ nudantes pectus culpæ mortalis. num. 9.

Nec talis conſuetudo recepta eſt a maiore parte populi, num. 10. Ibidem. & ab Archiepiſcopo reiecta. num. 11. p. 300. Ibidem. nec poteſt eſſe rationabilis. num. 12. neque præſcribi. num. 13. p 301.

Nec poteſt talis conſuetudo eſſe legitima, quum ab Archiepiſcopo ſit reiecta vt corruptela. D. 2. C. 4. num. 13. p. 300. & quia per ſe eſt irrationabilis. num. 14. Ibidem.

Mulieres, quæ nunc Mediolani nudo incedunt pectore, peccant mortiferè. num. 15. Ibidem. vſque ad num. 30. p. 307.

Quia dant grauem occaſionem libidinis. num. 16. p. 301. *&* num 19. p. 302.

Et quia talis nuditas propria eſt meretricum. num. 17. p. 302.

Nec poteſt ratione conſuetudinis excuſari. num. 18. Ibidem.

Et talis conſuetudo eſt irrationabilis. num. 20. Ibid.

Nec humanitus poteſt honeſtari. num. 21. p. 303.

Etſi hodierna mulieres pectus Mediolani nudantes non ſint primæ, quæ inuehunt talem cõſuetudinem, adhuc mortiferè peccant. D. 2. C. 4. num. 23. p. 303. num. 24. Ibidem. *& contraria opinio non eſt probabilis*. num. 27. p. 305. num. 28.

Si vna die omnes fœminæ ſimul pectus nudarent, omnes peccarent mortiferè. num. 25. Ibidem.

Vnde conſtet ex tali conſuetudine nudandi fœminei pectoris homines induci ad libidinem. num. 26. p. 304.

Margarita Columa ſuo exemplo incutit ruborem nudãtibus fœminis pectus Mediolani. D. 2. C. 5. num. 1. & ſeq. p. 307.

Periculum peccandi.

Vide *Occaſio peccandi, & Scandalum*.

Periculo probabili delinquendi lethiferè exponit proximum frequens ruina, &c. D. 1. C. 5. §. 10. num. 158. p. 87.

Obligatio corrigendi proximum vrget etiam, quum probabile periculum relabendi adeſt. Ibidem. p. 88.

Cernens probabile periculum grauis damni proximo imminentis, negligenſque debitam diligentiam eius vitandi, peccat mortaliter. Ibidem. num. 159. *ad* num. 164. p. 90.

Exponens ſe periculo probabili delinquendi mortaliter, peccat mortiferè. num. 163. p. 60.

Probabile periculum idem ac veriſimile, ac notabile. D. 1. C. 7. §. 8. num. 98. p. 166. *& quodnam id ſit*. Ibidem. *&* p. 67.

Periurium.

Periurus.

Inducens ad periurium etiam ignarum, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 6. num. 8.

Igni prodigiosè punitum. D. 3. C. 4. num. 28. pag. 384.

Permiſſio.

Permitto.

Permiſſio minoris mali, vt vitetur maius, non poteſt à Deo vetari. D. 2. C. 1. num. 14. p. 252.

Perpetuus.

Perpetua obligatio cauendi ſcandali. Vide *Incommodum*.

Perſecutio.

Perſequor.

Beati qui perſecutionem ferunt propter virtutem. D. 1. C. 7. §. 13. num. 203. p. 201.

Mulieres luxuriantes cultu tempore perſecutionis Chriſtum negatura. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243. num. 7.

Pictor.

Pingo.

Pingens obſcœnam imaginem, lethiferè delinquit. D. 1. C. 5. §. 4. num. 43. p. 34.

Pingens effigiem amicæ amaſio cum probabili abuſus periculo, peccat mortiferè. D. 1. C. 5. §. 10. num. 160. p. 89.

Pœnitens.

Vide *Abſoluo. & Confeſſarius*.

Vincibiliter ignorans a Confeſſario monenda eſt neceſſariò de ornatu mortali, vel de nuditate pectoris, etiam ſine ſpe fructus. D. 3. C. 1. num. 23. *&* 24. p. 319.

Si Pœnitens dubia de tali ornatu, vel nuditate interroget Confeſſarium, vel virum doctum, tenetur vterque aperire ei veritatem, licet profutura non ſit. num. 25. Ibid.

Quum Pœnitens inuincibiliter ignorat talem ornatum, vel nuditatem eſſe mortalem, tenetur Confeſſarius, ſi probabilis ſpes eſt fructus ex monitione, eam monere, num. 26. Ibidem. *Imò tenetur etiam monere, etſi non ſperat vllum fructum ex monitione*. num. 27. Ibidem.

Quamuis Confeſſarius non debeat monere pœnitentem inuincibiliter ignorantem aliquid eſſe mortale, quum caret ſpe fructus, etſi in damnum tertij cedat ignorantia; ſecùs tamẽ eſt, quando ex ea ſequitur damnum commune. Ibid. p. 320.

Admonendus eſt pœnitens a Confeſſario, etiam ſine ſpe fructus, quando fama eſt nullitatis matrimonij, etſi ille inuincibiliter ignoret, Ibidem.

Pœnitentia.

Acceptanda ne ſit ſub graui obligatione? D. 3. C. 2. §. 2. num. 33. p. 335.

Auſterè ob vanum ornatum peracta. D. 3. C. 4. num. 23. p. 383. *Serò peracta ad interitum ducit*. num. 27.

Pollutio.

Venialis eſt, vt ſequitur ex nimio cibo, &c. præter propriã malitiam. D. 1. C. 7. §. 12. num. 154. p. 189.

Poſſeſſio.

Poſſeſſor.

In dubio negatiuo melior eſt conditio poſſidentis in omni materia. D. 1. C. 5. §. 8. num. 113. p. 65.

Pontifex Maximus.

Etſi non vetat aliquas opiniones, nec declarat eſſe improbabiles, non tamen omnes hæ ſunt probabiles. D. 3. C. 2. §. 2. num. 28. p. 336. num. 39. *&* 40. p. 337.

Pontius.

Baſilius Pontius.

Pontius, opinans non poſſe præſumi ſcandalum ex ignorantia, vel ex paſſione in homine indefinito, reijcitur. D. 1. C. 5. §. 5. num. 63. p. 44. *ad* num. 68. p. 46. *ſibique contradicit*. num. 66. p. 45. *notatur contradictionis, & refellitur*. num. 87. p. 54. num. 87.

Præceptum.

Deſinit aliquando obligare, quando ſine puſillorum ſcandalo impleri nequit. D. 1. C. 5. §. 7. n. 100. p. 59.

Præcepta humana non obligant niſi ad moralem diligentiam. Ibidem. §. 10. num. 167. p. 92.

Prælatus.

Vide *Epiſcopus, Paſtor, & Superior*.

Non tenetur ſub mortali vitare omnia venialia pecca-

ta ad cauenda ſubditorum lethalia. D. 1. C. 7. §. 18. num. 207. p. 209. *neqʒ ſingula*. Ibidem. & num. 208. & 209.

Præſumptio.

Prior iuſta cauſſa latentis præſumptio in foro externo a mali apparentia aboletur. D. 3. C. 2. §. 3. p. 342.

Princeps.

Non tenetur ſub mortali vitare cuncta venialia peccata, quò plura lethalia ſubditorum impediat. D. 1. C. 7. §. 18. num. 207. p. 209. *neqʒ ſingula*. Ibidem. & num. 208. 209.

Confeſſarius timorem incutiens quæſitus a Principe, non adulator. D. 1. C. 9. num. 6.

Fallitur tolerans occaſiones libidinis, vt peiora mala vitet. D. 2. C. 1. num. 12. p. 251.

Non poſſet pellere meretrices, ſi hæ mala grauiora arcerent. Ibidem. num. 14. & 15. p. 252. *& vetans peccaret*.

Meretrices pulſæ regno a Regibus. num. 15. Ibidem.

Tenetur ſub mortali cauere maiora Reip. mala. D. 2. C. 1. num. 15. p. 252.

Si nudum mulieris pectus arceret maiora mala, peccarent grauiter Principes tegi illud iubentes. num. 19. p. 253. num. 28. p. 267. *vel non curantes detegi*. num. 20. p. 253. *alijq; talem vſum impedientes*. num. 21. p. 254.

Princeps tolerans conſuetudinem nudandi femineum pectus, ex qua maiora Reip. mala fluunt, peccat mortaliter. D. 2. C. 1. §. 4. num. 47. p. 266. *vſq; ad* num. 56. p. 270.

Princeps tenetur grauiter curare bonum Reip. commune, & præferre cuiuis priuato, etiam ſuo. Ibidem. num. 47. & 48.

Debet eſſe vt medicus tutorqʒ populorum. Ibidem.

Princeps curare debet etiam, vt cum virtute ſubditi vitam ducant. num. 48. p. 267.

Princeps tenetur ſub mortali arcere a ſubditis corruptelas vitiorum. Ibidem. num. 49.

Princeps dans facultatem publicæ domus aleis, & chartis expoſita ad ludum, peccat lethiferè. Ibidem.

Princeps obſcœna ſpectacula tolerans peccat mortaliter. D. 2. C. 1. §. 4. num. 50. p. 268.

Princeps punitur diuinitus ob ſubditorum vitia a ſe permiſſa, & non correpta. Ibidem. num. 51.

Princeps choreas duci ſolitas in Feſtis ne tueatur. Ibidem. num. 52. p. 269. *alioqui reus eſt omnium delictorum, quæ inde ſequuntur*. Ibidem.

Princeps non tollens noxiam conſuetudinem nudandi pectus femineum, quum facilè poſſit, peccat mortiferè. num. 54. p. 270. Ibidem.

Confeſſarij, qui Principem hærentem in mortali ob non ſublatam noxiam conſuetudinem nudandi feminei pectoris abſoluunt, peccant mortaliter. num. 55. Ibidem. *itemqʒ abſoluentes non obſiſtentem Principem ingruenti tali conſuetudini*. num. 64. p. 272.

Tacitus conſenſus Principis ad conſuetudinem legitimam ſtatuendam ſatis eſt; quando verò reclamat, nequit ea ſubſiſtere. num. 13. p. 300.

Principatum tuebitur cultum Dei curando, & præferendo cunctis humanis. D. 3. C. 2. §. 4. num. 72. p. 353.

Veſtes pretioſæ permiſſæ Principi. D. 3. C. 4. num. 39. p. 387. & 388. *etſi olim nec ſericis vtebantur*. num. 40.

Probabilis.

Probabile idem, ac notabile, & veriſimile. D. 1. C. 7. §. 8. num. 98. p. 166.

Probabilis opinio, æquè, magis, vel minùs probabilis quæ? Ibidem.

Probrum.

Vide *Ignominia, Irriſio*.

Prodigalitas.

Prodigus.

Non eſt mortalis. D. 1. C. 4. num. 11. p. 16.

Propoſitum non peccandi.

Vide *Recidiuus*.

Prouocare ad malum.

Vide *Ornatus feminæ, Mulier, Pulchritudo, Scandalum, Peccatum*.

Remota prouocatio ad malum venialis eſt. D. 1. C. 7. §. 12. num. 154. p. 189.

Prudentia carnis.

Vide *Reſpectus humanus*.

Veritatem opprimit. Præl. 4. & ſeqq. 3. *peruertit certas doctrinas*. num. 6. *aliaqʒ perturbat*.

Publicatio.

Publico.

Publicus.

Vide *Forum externum. Notorium, Peccator*.

Publicatio Legum, Bullarumuè &c. facta a Parochis, vel Concionatoribus in concione, ſat eſt ad obligationem earum inducendam. Diſp. 3. Cad. 2. §. 1. num. 23. p. 330.

Ius naturale, & humanum &c. ex æquo publicatur a Concionatore. Ibidem. §. 3. num. 51. p. 342.

Pudenda.

Aſpectus pudendorum diuerſi ſexus per ſe turpis eſt. D. 2. C. 2. §. 1. num. 8. p. 277.

Puella.

Vide *Mulier*.

Pulchritudo.

Ad pulchritudinem conciliandam plus aliquid ornatus conceditur feminis. D. 1. C. 1. num. 4. p. 5.

Stibio, ſeu antimonio paratur. D. 1. C. 2. num. 5. pag. 7.

Pulchritudo naturalis feminæ multo magis, quàm ornatus prouocat libidinem. D. 1. C. 7. §. 1. num. 12. p. 133. *& tamen eſt inculpabilis*. Ibidem. & num. 17. p. 134.

Pulchritudo ad libidinem incitat, quanquam non ſemper. D. 1. C. 7. §. 8. num. 96. p. 165.

Ornatu aucta multo magis libidinem accendit. num. 97. p. 166.

Pulchritudo licèt prouocet ad laſciuiam, & multa peccata

cata

cata inde oriantur, nequit tamen Deo vitio verti. D. 1. C. 7. § 13. um. 160. p. 193.

Eſt mulieri inculpabilis, quia non voluntaria, quæ a natura eſt. Ibidem. & D. 3. C. 4. num. 37. p. 387.

Si voluntariè aſſumeretur a femina, cuncta peccata inde orta ei imputarentur. num. 161. Ibidem.

Deus pulchritudinem a ſe datam non vult ornatu immodico augeri. num. 162. Ibidem.

Proximè ne, an remotè ad malum prouocet. C. 7. §. 19. num. 168. p. 195. 196.

Licèt ornatus minùs ad malum prouocet, quàm pulchritudo, tamen adhuc proximè prouocat. num. 169. p. 196.

Mulieris pulchritudo velanda eſt, ne ſit aucupio virorum obnoxia. D. 3. C. 2. §. 3. num. 69. p. 351.

Q

R

Recidiuus.

R*Ecidiuus ſine vllo emendationis ſigno, ſi habet efficax propoſitum non relabendi, licèt non deſerat proximā delinquendi occaſionem, quam ſine graui incommodo nequit dimittere, abſolui poteſt, ſpeculatiuè loquendo*. D. 1. C. 5. §. 12. num. 194. p. 106. *non quia relapſus in venialia non impedit abſolutionem*. Ibidem. *ſed quia verus dolor, & efficax propoſitum ſtare poteſt cum tali relapſu &c.* num. 195. p. 107. num. 196. 197.

In praxi tamen cogendus eſt recidiuus deſerere occaſionem delinquendi lethiferè proximam, quòd nullum ſignū oſtendit emendationis, etiam cum graui nocumento temporali. num. 198. p. 108. *vſque ad* num. 205. pag. 112. *meritò enim præſumitur carere dolore, & propoſito vero abſtinendi, quod in venialibus facilius præſumitur*. num. 200. p. 109. *in alijs autem nec prudenter præſumi poteſt a Confeſſario*. num. 201. *ad* num. 204. *adeoq; abſolui talis non poteſt*. num. 202. p. 110. num. 203. p. 111.

Recidens in peccata ex conſuetudine citra proximam occaſionem, quando abſolui poſſit, quando non. num. 203. p. 111. & num. 205. p. 112.

Vtiliter abſolutio negatur, aut differtur recidiuis ex ſola conſuetudine. num. 204. 205. p. 112.

Facilitas abſoluendi recidiuos noxia. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 110. num. 103. 104.

Regina Maria Anna.

Vide *Maria Anna Auſtriaca*.

Religio.

Ingreſſus in Religionem differendus ad ſcandalum puſillorum impediendum. D. 1. C. 5. §. 7. num. 95. p. 58. *aliquando etiam ſemper omittendus*. Ibidem. & num. 97. p. 59.

Religionem arctiorem arripit Religioſus horrendo ſpectaculo territus. D. 1. C. 7. §. 11. num. 142. p. 185.

Reſpectus humanus.

Vide.

Prudentia carnis.

Rex.

Vide *Princeps*.

S

Sa.

Emmanuel Sa.

NON *negat eſſe mortalem ornatum valde prouocatiuum libidinis*. D. 1. C. 7. §. 1. num. 7. p. 131.

Sacerdos.

Vide *Clericus*.

Cuncta peccata Sacerdotis non contrahunt malitiam ſacrilegij, ne venialem quidem. D. 1. C. 7. §. 9. num. 119. p. 175.

Caput mulieri velandum, ne ad malum prouocet etiam Sacerdotes. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 351.

Sacramentum.

Vide *Confeſſarius*.

Miniſter Sacramenti eligens materiam, vel formam tantùm probabilem, relicta certa, peccat mortaliter. D. 1. C. 5. §. 10. num. 160. p. 88. *imò peccat etiam lethiferè eligens tantùm probabilem, relicta probabiliore*. num. 165. p. 91.

An liceat adminiſtrare Sacramentum cum iuriſdictione tantùm probabili. Ibidem.

Mulier ob malè percepta Sacramenta damnatur. D. 1. C. 7. §. 11. num. 140. p. 184.

Monſtrum ingens eſt, frequentari Sacramenta a feminis ornatu laſciuientibus. D. 1. C. 9. num. 1.

Inuidia conflatur Sacramentis ob eorum abuſum. D. 3. C. 1. num. 19. p. 317.

Non ſuſcipienda Sacramenta niſi cum modeſto habitu. D. 3. C. 2. §. 6. num. 100. p. 368. num. 101.

Licèt ab alijs ad Sacramenta admittantur quidam, non tamen admitti poſſunt a conſcijs veritatis. D. 3. C. 3. *toto* p. 371.

Sacrificium. } Vide *Miſſa*.
Sacrum. }

Sacrilegium.

Vide *Sacerdos*.

Sanchez.

Thomas Sanchez.

Non negat eſſe mortalem ornatum valde prouocatiuum laſciuiæ. D. 1. C. 7. §. 1. num. 8. p. 131.

Sanchez.

Ioannes Sanchez.

Opinio eius de concubina vanis prætextibus retinenda reijcitur. D. 1. C. 5. §. 12. num. 202. p. 111.

Sanctum.

Sanctum eſt, quod volumus. *Præl.* 2. 1.

Scala.

Scalam ſine cauſſa iuſta applicans furaturo, vel nocituro peccat lethiferè, & tenetur reſtituere; ſecus verò, ſi ob iuſtam cauſſam applicat. D. 1. C. 5. §. 2. n. 23. p. 25.

Scandalum.

Doctrina de ſcandalo neceſſaria. D. 1. C. 5. §. 1. num. 1. p. 16.

Digitized by Google

1. p. 16. *quid ſit*. num. 2. *explicatur eius definitio*. num. 3. *eſt* mali *occaſio, non cauſſa*. Ibidem. p. 17.

Aliud actiuum, & aliud paſſiuum, actiuumque tripliciter accidit. D. 1. C. 5. §. 1. num. 4. p. 17.

Paſſiuum quid ſit: aliquando cum actiuo iungitur, aliquando ſecus. D. 1. C. 5. §. 1. num. 5. p. 17.

Paſſiuum ſcandalum ex ignorantia, vel paſſione, vel malitia. Ibidem. num. 6.

Scandalum ex ignorantia ceſſat veritate detecta, ſecus ſcandalum ex paſſione. D. 1. C. 5. §. 1. num. 7. 8. p. 18.

Scandalum ex re indifferenti tollitur ob iuſtam cauſsã. num. 17. pag. 22.

Abuſus rei indifferentis indirectè volitus, dicitur ſcandalum actiuum generale ab aliquibus, ab alijs verò ſpeciale. num. 21. p. 23. *neceſſariò tamen in confeſſione fatendus ex conſenſu omnium*. Ibidem.

Obligatio vitandi ſcandali indirecti ſubtracta occaſione rei indifferentis ex defectu legitimæ cauſſæ vrget, ceſſat verò, quum hæc adeſt. num. 22. p. 24. num. 23. p. 25.

Solus rei indifferentis prætextus non diluit culpam ſcandali dati, vel indirectæ cooperationis. Ibidem. num. 24.

Peccans coram alijs lethiferè, tenetur hanc circumſtantiam ſcandali generalis confiteri. D. 1. C. 5. §. 4. num. 42. p. 33.

In ſcandalo dato non attenditur cogitatio interna, nec ignorantia, nec ſcientia, ſed occaſio mali externa data. n. 44. p. 35. & num. 45.

Notitia peccati ſecuturi æquè certa moraliter, etſi non phyſicè, ſat eſt ad obligationem cauendi ſcandali. D. 1. C. 5. §. 4. num. 52. p. 38.

Scandalum vitandum eſt etiam quum probabiliter ſolùm timetur. D. 1. C. 5. §. 4. num. 53. p. 38. *non autẽ ex ſolo dubio negatiuo*. Ibidem.

Regula generalis permittendi ſcandali ex graui incommodo penſatis omnibus ſumitur. D. 1. C. 5. §. 4. num. 54. p. 39.

Obligatio vitandi ſcandali non ceſſat ex eo, quòd perpetua ſit. num. 58. p. 41. *ad* num. 63.

Solus titulus libertatis tuendæ non eximit a culpa actiui ſcandali, &c. ſi aliud graue incommodum abſit. D. 1. C. 5. §. 8. num. 112. p. 64. *ad* num. 121. p. 68. *ſed grauis alia cauſſa requiritur*. num. 117. p. 66.

Iuſta cauſſa honeſtat permiſſionem ſcandali, ſecus ſi deſit, & ex illa hæc metienda. num. 120. p. 68.

In ſcandalo omnis coöperatio moralis, etiam indirecta ob graue incommodum tollitur. D. 1. C. 6. §. 1. num. 9. p. 124.

Scandali peccatum ex immodico ornatu quàm graue ſit. D. 1. C. 7. §. 6. num. 71. p. 156.

Scandalum ex re indifferenti permitti poteſt dumtaxat, vt maiora mala vitentur, vel vt maius bonum paretur. D. 2. C. 1. § 4. num. 52. p. 268.

Scandalum aliquando ſumitur impropriè pro admiratione. D. 3. C. 2. §. 5. num. 94. p. 364.

Scandalum ſub mortali ſubducendum perſonæ etiam indefinitæ. D. 3. C. 4. num. 12. p. 378.

Scandalum ex malitia.

Vide *peccatum ex malitia*.

Perperam paſſim intellectum. D. 1. C. 5. §. 1. num. 8. p. 18. *eſt multiplex*. num. 9. *Fit quando ſcienter peccatur*. num. 10. p. 19. *nulla paſſione incitante*.

Scandalum ex malitia quid ſit propriè. Ibidem. num. 15. p. 25.

Scandalum ex malitia latè ſumitur pro ſcandalo etiam ex paſſione. Ibidem. num. 16. *cum æquiuocatione*. Ibidem. *Tollitur ex iuſta cauſſa*. num. 17. p. 22.

Scandalum ex muliere ab aliquo particulari, aut generatim ſolùm noto concupita.

Vide *Mulier*.

Scandalum indirectum ex abuſu rei indifferentis reſpectu perſonæ particularis notæ, vbi deeſt graue incommodum, vitandum eſt ſub mortali. D. 1. C. 5. *toto*. §. 3. *imò etiã reſpectu perſonæ indeterminatæ ignotæ*. *toto*. §. 4. *periculum peccandi ex occurrente occaſione proſpici poteſt indeterminatè varijs modis*. num. 36. p. 30. *quando non prauidetur periculum in occaſione determinata loci, & temporis, non eſt neceſſariò vitandum*. num. 37. p. 31. *eſt autem vitandum ſub mortali, quando occaſio proxima mortalis culpæ determinata quo ad locum, & tempus proſpicitur*. num. 38. & ſeqq. *vſque ad* num. 55. pag. 39. *ſi certus es de periculo probabili perſonæ indeterminatæ; dubius autem de periculo perſonæ determinatæ, teneris magis illud cauere, maiorque cauſſa requiritur, vt poſſis illud permittere*. D. 1. C. 5. §. 4. num. 51. p. 38. & 57.

Obligatio cauendi ſcandali indirecti, & indefiniti non tollitur, licèt res indifferens ſubtrahatur multis non periclitantibus. §. 5. num. 55. pag. 39. num. 56.

Scandalum ex ignorantia, aut ex paſſione.

Præſumi prudenter poteſt in homine etiam indeterminato, ne dum ex malitia. D. 1. C. 5. §. 5. num. 63. p. 44. *ad* num. 68. p. 46. *imò etiam timeri debet in numeroſis concurſibus*. Ibidem.

Scandalum actiuum, datum, & acceptum.

Scandalum actiuum, & datum eſt id, quod vel malum eſt, vel mali ſpeciem habet. D. 1. C. 5. §. 6. num. 70. & 72. p. 47. *itemq; quod ratione praui effectus tantummodo malum eſt, etſi alioqui ſit indifferens*. num. 71. Ibidem. & num. 72. *vſq; ad* num. 82. p. 52.

Scandalum verò paſſiuum, acceptumq; eſt, quum ſumitur ex opere non malo, nec habente ſpeciem mali. num. 72. p. 48. *eſtq; aut puſillorum, aut Phariſæorum*. Ibid.

Scandalum habens tantùm mali ſpeciem eſt etiam id, quod ex malo effectu ſolùm prauum eſt. num. 72. 73. & ſeqq. p. 48. *vſq; ad* num. 83. p. 52.

Scandalum puſillorum cenſetur ſcandalum per ſe, atq; actiuum; etiam illud, quod ex actione, vel materia indifferente oritur. D. 1. C. 5. §. 6. num. 76. p. 49. num. 77. p. 50. *vſq; ad* num. 83.

Datur ſcandalum actiuum per accidens ex opere indifferente. Ibidem. num. 78. p. 50.

Scandalum actiuum, & datum quodnam ſit, itemq;

quodnam

quodnam ſcandalum paſſiuum puſillorum acceptum. Ibidem. num. 82. p. 52.

Scandalo actiuo accidentale eſt ſciri, vel ignorari a ſcandalizato ſcandalizantem peccare, vel non peccare. num. 83. 53. *vel ſeipſum etiam peccare, vel non peccare.* num. 55.

Scandalum actiuum, quando ad mortale inducit, etiam indirectè ſolùm, lethale eſt. quum verò ad veniale, veniale. D. 1. C. 5. §. 2. num. 90. p. 56.

Mortale ſcandalum actiuum fit, quum ſine cauſſa iuſta præbetur occaſio ruinæ probabilis. Ibid. num. 91.

Ad ſcandalum actiuum, & paſſiuum puſillorum vitandum præſtanda omnia, quæ poſſunt ſine culpa. num. 92. p. 57. Ibidem. *dummodo ſine graui incommodo id fiat; aliàs mortiferè peccatur.* num. 93.

Puſillorum ſcandalum actiuum, & paſſiuum cum aliquo bonorum temporalium damno vitandum eſt. D. 1. C. 5. §. 7. num. 94. p. 57. *& Eccleſia alicubi negligit decimas, vt vitet tale ſcandalum.* Ibidem. p. 58. *Vitandum etiam cum aliqua iactura bonorum ſpiritualium, quæ ſaluti non ſunt neceſſaria.* num. 95.

Scandalum magnæ multitudinis ex bono etiam opere præ infirmitate, vel ignorantia cauendum eſt etiam cum vitæ iactura, & bonorum etiam ſpiritualium, quæ ſaluti non ſunt neceſſaria. Ibidem. num. 97. p. 59

Quando ex opere non malo, nec inductiuo ad peccatum, credo probabiliter vnum, vel duos ad peccandum inducendos, debeo illud omittere cum aliquo meo etiam incommodo, non tamen graui, bonorum quoq; temporalium. Ibid. num. 98.

Scandalum Phariſaicum non eſt vitandum cum aliquo damno ſpirituali, aut temporali. Ibidem. num. 99. *Sed bene, quando nullum, vel ferè nullum damnum ſubitur.* Ibidem.

Quando præcepta, diuina etiam, & naturalia affirmatiua ſine puſillorum ſcandalo impleri nequeunt, deſinunt interdum obligare; interdum verò adhuc obligant, ſcandalumq; permittendum eſt. D. 1. C. 5. §. 7. num. 100. p. 99. *vſq; ad* num. 109. p. 63.

Vt vitetur ſcandalum puſillorum, aliquando omittenda eſt eleemoſyna, & tacendum crimen in Confeſſione. num. 104. p. 61. *& Miſſa in Feſto omittenda.* num. 106. p. 62. *etſi ſcandalum paſſiuum alterius ſit voluntarium.* Ibidem.

Obligatio vitandi ſcandali primaria quoq; eſt. num. 107. p. 63.

Scandalum Phariſaicum negligendum. Ibidem. num. 109.

Non teneor tamen abſtinere Sacro, ne hoſtis alioqui abſtineat. num. 111. p. 64.

Tenemur etiam directè, & primariò conſeruare vitam ſpiritualem proximo, ne dum temporalem. Ibidem.

Scandalum actiuum mortale accidit, quum probabiliter iudicari poteſt, occaſionem ruinæ lethalis proximo imminere. D. 1. C. 7. §. 10. num. 161. p. 89.

Scandalum actiuum per ſe ex directa mali intentione, vel indirecta. D. 1. C. 7. §. 16. num. 175. p. 198.

Paſſiuum ſcandalum per accidens eſt. Ibidem.

Aliter vtrumq; accipitur. Ibidem.

Scandalum actiuum per accidens generale admittitur ab omnibus DD. in Confeſſione explicandum. Ibidem. p. 199.

Datur ſcandalum actiuum per accidens, & generale. num. 177. Ibidem.

Etſi præter operantis intentionem. num. 178. Ibidem.

Et alter peccans voluntariè ſibi damno ſit. num. 179. p. 200.

Et cauſſa propria ſui mali ſit eiuſdem voluntas. num. 180. Ibidem.

Et dans ſcandalum, ſit occaſio tantùm alieni peccati. num. 181. Ibidem.

Nec a mortali liberatur, etſi efficacia periculi immediatè oriatur a temeritate alterius. num. 182. p. 201.

Fruſtraq; culpa imputatur malitiæ ſolùm concupiſcentis. num. 183.

Perperamq; effectus ſecutus per accidens dicitur. num. 184 Ibidem.

Tolliturq; certiſſima doctrina de muliere rea culpæ lethalis temerè ſe obiiciente oculis Caij concupiſcentis. num. 185. Ibidem.

Nec reus fores mortalis ſcandali ſuo furto dans furandi occaſionem, aboleretùrq; omne ſcandalum actiuum indirectum. num. 186. p. 202.

Præceptum de vitando ſcandalo diuinum, & naturale eſt. D. 1. C. 7. §. 17. num. 191. p. 203.

Cui nulla conſuetudo obſtare poteſt. Ibidem.

Ob ſcandalum paſſiuum veniale peccatum in mortale degenerat. §. 18. num. 206. p. 209. *imò & opus indifferens, & bonum quoq; aliquando.* num. 206. Ibidem.

Scandali malitiam non contrahit licitè ornata, licèt ex fine vanæ gloriæ veniali. §. 210. p. 251. *vſq; ad* 214. p. 213.

Etſi ſubſtantiam operis ex mala ſubſtantia teneris vitare, non ideo tamen ſemper es reus ſcandali, ſi illud agas. Ibidem.

Scandalum puſillorum ex ignorantia, vel infirmitate.

Vitandum eſt cum iactura bonorum ſpiritualium, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt. D. 1. C. 5. §. 6. num. 79. p. 50. *& cum aliquo etiam damno temporali.* Ibidem.

Scandali ſpecies.

Quum alium inducis directè, & formaliter, vel ſolùm directè, ſed non formaliter ad peccatum, debes explicare in Confeſſione ſpeciem peccati, ad quod induxiſti. D. 1. C. 5. § 9. num. 12. p. 68. *ſecus, ſi inducis ſolùm indirectè.* Ibidem. *&* num. 122. *tum enim non peccas, contra vllam peculiarem virtutem, ſed tantùm contra caritatem.* Ibidem. p. 69.

Sed contraria ſententia communis docet eum, qui ſuo exemplo tantùm indirectè ad malum inducit, peccare eadem ſpecie peccati, qua peccat is, cui malum exemplum præbetur. D. 1. C. 5. §. 9. num. 126. p. 70. num. 127. p. 71. *ad* num. 139. p. 71. *ac proinde talem peccati ſpeciem eſſe confitendam.* Ibidem. *Nam reus es, & cauſſa*

moralis

moralis indirectà eius peccati, ad quam indirectè etiam dumtaxat pertrahis. num. 130. p. 73. num. 133. p. 71. num. 134. 135. 136. p. 75. *Alioqui ſi inductio indirecta non repugnat particulari virtuti, nec etiam directa*. num. 136. p. 75.

Inducens indirectè prauo ſolùm exemplo ad furtum, peccas contra iuſtitiam, ſed non teneris ad reſtitutionem. Ibidem. num. 142. p. 79. & num. 143. p. 80.

Inducens alterum, vt ſe occidat, vel occidēs rogantem occidi, peccat contra iuſtitiam. num. 142. p. 80.

In ſcandalo indirecto duplex ſpecies malitiæ exiſtit. num. 145. p. 81. *vna oppoſita caritati, altera virtuti particulari: ſatq; eſt hanc confiteri*. Ibidem.

Actio ſcandaloſa, niſi detegatur iuſta eius cauſſa, præſumitur mala. D. 3. C. 2. §. 3. num. 55.

Species etiam delicti particularis confitenda eſt in ſcandalo etiam indirectè ſolùm dato. D. 3. C. 4. num. 13. & 14. p. 378.

Scollatura.

Quid ſit, non eſt lethalis, tamen caſtiganda. D. 2. C. 2. §. 3. num. 46. p. 293. *præſertim, quia ſubinde euadit mortalis*. num. 47. Ibidem.

Scriba.

Non tenetur ob graue incommodum officium deſerere, etſi in eo ſæpe peccat grauiter. D. 1. C. 5. §. 11. num. 191. p. 104.

Scriptura.

Opiniones præter Scripturæ auctoritatem fabricatæ reijciuntur. in Præl. num. 1. p. 1.

Repugnantem Scripturam ad ſuam voluntatem trahere vitioſum eſt. Ibidem. & num. 2.

Sepelio.

Sepultura.

Priuatur mirè ſepultura puella fuco illita. D. 3. C. 4. num. 29. p. 384.

Sericum.

Vide *Ornatus, & Veſtis*.

Seruus.

Vide *Mancipium*.

Sforzia Pallauicinus.

Vide *Pallauicinus*.

Similis

Similis ſimilem diligit. D. 1. C. 7. §. 17. num. 191. p. 203.

Singularitas.

Vitioſa vitanda, non autem proba. D. 1. C. 7. §. 17. num. 203. p. 207.

Sopranis.

Hieronymus Sopranis.

Malè ait fucos eſſe per ſe malos, & ideo mortales. D. 1. C. 7. §. 5. num. 63. p. 151. *fruſtra Caietanum citat pro opiniore aiente mortalem eſſe conſuetam muliebris pectoris nuditatem*. D. 2. C. 1. num. 5. p. 248.

Spectaculum.

Princeps tolerans obſcœna ſpectacula, peccat mortiferè. D. 2. C. 1. §. 4. num. 50. p. 268.

Obſcœna ſpectacula inficiunt ſpectantes. Ibidem.

Stephanus Menochius.

Vide *Menochius*.

Stibium.

Stibium quid ſit. D. 1. C. 2. num. 5. p. 7.

Strages.

Ciuitati, vel regioni a Deo non immittitur, niſi ob crimen lethale. D. 3. C. 4. num. 19 p. 387.

Stultus.

Stultos ſolutos inducens ad copulam, peccat lethiferè. D. 1. C. 5. §. 6. num. 86. p. 53.

Suarez.

Franciſcus Suarez.

Sacrilegium in C. Decet *contentum negauit priùs, deinde agnouit*. D. 3. C. 2. §. 1. num 17. p. 327.

Eius opinio de ſacrilegis detractionibus in Templo non ſingularis, ſed communis potiùs. num. 19. Ibidem. & *contraria improbabilis*. Ibidem. & num. 29. p. 328.

Subditus.

Vide *Prælatus, Princeps, & Superior*.

Princeps punitur a Deo ob permiſſa ſubditis vitia. D. 2. C. 1. §. 4. num. 51. p. 268.

Superbia.

Creatur ab ornatu. D. 1. C. 7. §. 8. num. 93. pag. 164. §. 11. num. 144. p. 185.

Superbia ex ornatu mergit in Orcum. Ibidem.

Cauſſa eſt nimij ornatus. D. 1. C. 7. §. 12. num. 145. p. 186.

Superior.

Vide *Princeps. Prælatus*.

Non tenetur punire ſubditos cum ſcandalo. D. 1. C. 5. §. 7. num. 103. p. 61.

Punitur pro ſubditorum offenſis. D. 2. C. 1. §. 4 num. 51. p. 268.

Supplicia.

Tolerata a Martyribus pro Cælo. D. 1. C. 10. num. 6. p. 243.

T

Tabernarius.

V*inum vendens cum periculo inebriandi, peccat mortiferè*. D. 1. C. 5. §. 8. num. 115. p. 65.

Tactus.

Tango.

Tactus non obſcœni cum periculo peccati alieni, etſi vſitati, priuatim tamen ſub mortali vitandi. D. 1. C. 5. §. 8. num. 115. p. 66. num. 116. & C. 7. §. 17. num. 198. p. 205.

Tactus mamillarum fœminæ viro mortalis. D. 2. C. 1. num. 42. p. 264. *non verò faciei*. Ibidem.

Tactus pudendorum ex ſola curioſitate mortalis eſt. D. 2. C. 2. num. 8. p. 278. *ſed ex Baldello tantùm venialis*. Ibidem.

Tamburinus.

Thomas Tamburinus.

Dictum Tamburini de ſcandalo explicatur, & reijcitur.

D. 1.

D. 1. C. 5. §. 8. num. 89. p. 55.

Temperantia.

Duplex eſt, alia etiam ad alterum. & talis quoque in Angelis. D. 1. C. 5. §. 9. num. 144. p. 81.

Templum.

Omnia profana colloquia in Templo vetita. D. 3. C. 2. §. 1. num. 13. p. 324. *Imò cuncta externa peccata, præſertim mortalia ibi ſpeciatim prohibita ſunt*. Ibidem.

Detractio lethalis facta in Templo cum notabili eius irreuerentia mortiferè ſacrilega ſit. D. 3. C. 1. §. 1. num. 13. p. 324. num. 14. *vſq; ad* num. 21. p. 329. *Nec refert tale ſacrilegium a ſolo Suarez fuiſſe notatum*. num. 17. p. 327. *vſq; ad* num. 21. p. 329.

Doctoratus laurea in Templo permiſſa. num. 20. p. 328.

Concilium Politicum, & parlamentum in Templo veniale eſt. num. 20. Ibidem.

Caput mulieri, etiam Virgini velandum in Templo. D. 3. C. 2. § 4. num. 69. p. 351. *ex præcepto etiam S. Lini*. Ibidem. *& Senatus Veneti*. num. 70. p. 352.

Templi reuerentia ſancita pœnis a Senatu Veneto. n. 71. p. 353. *feliciter*. num. 72. Ibidem.

Scandala in Templo patrata peiora, vbi Dei ira foret placanda. num. 71. Ibidem.

Thomas Caietanus.

Vide *Caietanus*.

Thomas Sanchez.

Vide *Sanchez*.

Thomas Tamburinus.

Vide *Tamburinus*.

Timor Dei.

Honor verus exiſtit potiùs ex Dei timore, quàm ex ornatu. D. 3. C. 4. num. 42. p. 389.

V

Vaſtatio.

Vide *Strages*.

Immittebatur a Deo ob ſola mortalia delicta. D. 3. C. 4. num. 19. p. 381.

Vber.

Vbera.

Vide *Mamilla*.

Velo. / Velum. } Vide *Mulier*.

Veneficus.

Venenum.

Non licet venenum vendere, niſi ijs, quos non abuſuros eo eſſe meritò præſumitur. D. 1. C. 5. §. 7. num. 96. p. 59.

Minùs nocentes, quàm vanè ornata femina. Ibidem. C. 7. §. 6. num. 71. p. 156.

Venetiæ.

Venetus.

Reipub. Veneta decretum de velandis feminarum capitibus in Templo laudatur. D. 3. C. 2. §. 4. num. 70. p. 352. *ſoliſq; meretricibus indulget non velari*. Ibidem.

Pietatem, & religionem oſtendit. num. 71. p. 353.

Laus Reipub. Venetæ. num. 72. p. 353.

Verbum.

Verba ipſa Doctorum cur a me ſæpe recitentur. *Ad Lectorem*. num. 9.

Veriſimilis.

Vide *Probabilis*.

Veriſimile idem ac probabile, vel notabile. D. 1. C. 7. §. 8. num. 98. p. 166.

Veritas.

Periculum eſt, ne a mulieris blandimentis opprimatur. *Ad Lectorem*. num. 4.

Aperitur ab eo, qui non habet cauſſas mentiendi. Ibid. num. 5.

A Doctoribus nonnullis poſt habetur hominum gratiæ. *Præl.* 4. & ſeqq. p. 2. *per carnis nempe prudentiam*. 5. p. 3.

Negata veritas arguit negantes contradictionis. D. 2. C. 1. num. 43. p. 264.

Veritati non poteſt conſuetudo obeſſe. D. 2. C. 2. §. 1. num. 66. p. 273.

Veritatis indagandæ ſtudium. D. 2. C. 2. §. 2. num. 22. p. 286.

Veſtis.

Vide *Ornatus, Habitus*.

Luxus veſtium etiam in meretricibus coercitus. D. 3. C. 2. §. 4. num. 71. p. 353.

Luxus veſtium exterminandus. §. 6. num. 102. p. 368. *caudatæ veſtes prohibitæ*. Ibidem.

Veſtis pretioſa poſt Chriſtum ſolis Principibus permiſſa. D. 3. C. 4. num. 39. p. 387. *& nobilibus*. num. 40. p. 388. num. 41. Ibidem. *Veſtis ſerica olim nec Regibus vſitata*. num. 40. Ibidem. *mutare veſtem vitium eſt, ſi ex vitio mutatur, ſecus ob ſimplicitatem*. num. 42. Ibidem. p. 389.

Viaticum.

Vide *Eucharistia*.

Victor.

Victoria.

Victoria diuinitus conceſſa ob pietatem. D. 3. C. 2. §. 4. num. 72. p. 353.

Vidua.

Punita diuinitus ob nimium ſui cultum. D. 3. C. 4. num. 31. p. 385.

Vir.

Ornatus viri ijſdem ſcopulis, ac muliebris expoſitus. D. 1. C. 11. num. 1. p. 244.

Feminis præbet occaſionem peccandi. num. 1. 2. 3. Ibidem.

Turpius dedecet virum ornatus nimius, quàm feminam. num. 4. p. 245.

Minùs, quàm femina, deditus cultui. Ibidem.

Virgo.

Vide *Femina, Mulier*.

Virgo ornata.

Vide *Ornatus femin.*

Virginis habitus proprius tegere pectus, & vbera. D. 2. C. 1. num. 17. p. 252.

Ob cultum Virgini additum parentes puniti diuinitus. D. 3. C. 3. num. 27. p. 383.

Caput etiam Virgini velandum in Templo. D. 3. C. 2. §. 4. num. 69. p. 351. *non obſtante quauis contraria conſuetudine.* Ibidem.

Abuſus Virginum ſine velo incedentium carpitur. n. 75. p. 354. *quia caſtitatem exponit periculo.* Ibidem.

Virtus.

Quauis virtus vetat præberi alteri occaſionem oppoſiti vitij. D. 1. C. 5. §. 9. num. 128. p. 71. & ſeqq. *etiamſi habitus virtutis, quo mihi eam procuro, ponatur diuerſus ab eo, quo eam alteri procuro.* Ibidem. *quamuis non obliget ad procurandam poſitiuè alteri talem virtutem.* Ibidem. *Virtus quælibet obligat non ſolùm leuiter, ſed grauiter ad occaſionem oppoſiti vitij ſubducendam alteri.* num. 131. p. 73. *alioqui ſi indirecta inductio non repugnat particulari virtuti; nec repugnat etiam directa inductio.* num. 136. p. 76. *nec indirecta inductio ad hæreſim religioni opponeretur, aut contra fidem peccaret.* num. 137. p. 76. 77. num. 138.

Virtus, quam quis ſibi vult, eſt ſpecie diuerſa ab illa, quam alteri vult. Ibidem. num. 136. p. 76. & num. 138. p. 77.

Virtus qualibet non obligat me ad procurandam alijs talem virtutem, ſed bene ad non dandam oppoſiti vitij occaſionem. num. 138. p. 77. *vſq; ad* num. 145. p. 81.

Inducens prauo exemplo ad furtum, peccat contra iuſtitiam quoq; ſed ad reſtitutionem non tenetur. num. 142. p. 79. *niſi ad id conſilio, mandato, aut inſtrumento iuuit.* Ibidem.

Beati, qui pro virtute perſecutionem patiuntur. D. 1. C. 7. §. 17. num. 203. p. 207.

Virtute maritum vxor ſibi conciliat, non fucis. C. 8. num. 5. p. 225. & num. 6.

Virtus magis ornat feminas, quàm cultus corporis. D. 3. C. 4. num. 42. p. 389.

Vita ſpiritualis.

Vide *obligatio.*

Vitium.

Vide *Peccatum & Virtus.*

Vitia oppoſita caritati non variantur ſpecie. D. 1. C. 5. §. 9. num. 141. p. 79.

Vito.

Vitandus nemo in conuerſatione, niſi conuictus de crimine. D. 3. C. 2. §. 4. num. 79. p. 356.

Vniuerſalis.

Vniuerſalitas.

Vniuerſalitas actionum, & ceſſationum vetitarum non excuſat ab obligatione ſcandali vitandi. D. 1. C. 5. §. 5. num. 58. *ad* num. 63.

Neq; tollit, quin occaſio peccandi proxima ſit vitanda. §. 13. num. 220. p. 119.

Influxus moralis vniuerſalis ad proximam occaſionem mortiferè peccandi, non requiritur in ornatu alliciente ad malum, neq; reſpectu prouocantium. D. 1. C. 7. §. 9. num. 113. p. 172. *neq; reſpectu prouocatorum.* num. 114. p. 173. *vſq; ad* num. 126. p. 180.

Moralis vniuerſalitas prouocationis notabilis ad malum non deeſt in cultu mulierum immoderato. C. 7. §. 19. num. 221. p. 216.

Voluntas.

Quod volumus, ſanctum putamus Præl. p. 1.

Vſura.

Vſurarius.

Inducens ad mutuandum tibi cum vſura, peccas contra iuſtitiam, nec tamen teneris reſtituere. D. 1. C. 5. §. 9. num. 142. p. 79.

Cooperatores vſurarij peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur in ſolidum. D. 1. C. 7. §. 15. num. 169. p. 196.

Vxor.

Vide *Ieiunium.*

Solicitata ad malum a viro, tenetur fugere, ſi aliter nequit obſiſtere. D. 1. C. 5. §. 11. num. 182. p. 100.

Ornatus vxori interdictus ab Imperatore, ne proſtituatur. D. 1. C. 7. §. 7. num. 92. p. 164.

Falsò prætexit ſe valde ornari mariti gratia. D. 1. C. 8. num. 2. p. 224.

Nec fucis gratiam eius ſibi conciliat. Ibidem. nu. 3.

Non excuſatur a mortali, ſi ornatu valde incitat ad libidinem. num. 2. Ibidem.

Fruſtra ornatu nimio maritum a pellicibus abducere nititur. num. 5. p. 225.

Quem potiùs alienat; & contra virtute lucraretur. Ibidem.

Non mariti gratia reuera ornatur. Ibidem.

Suo tamen damno, Ibidem.

Ornatu vano docet maritum amare ſcorta. num. 6.

Amor in vxorem nimius adulter eſt. Ibidem.

Non excuſatur a culpa ornans ſe nimium, etiamſi mariti gratia ſe ita ornet. num. 7. p. 226.

Liberiore cultu vtens caret excuſatione. C. 8. num. 11. p. 228. *nec maritum audire debet.* Ibidem.

Vt virum a pellice abducat, poteſt vti ornatu incitante ad malum cum permiſſu ruina vnius, vel duorum, non autem magnæ multitudinis. num. 15. p. 231.

Vxor repudiata ob velum neglectum. D. 3. C. 2. §. 4. num. 74. p. 354.

Vxor velata, ne ſatiet aſpectum. Ibidem.

Et ne alteri, quàm marito, placeat. Ibidem.

Vxor auſa mariti imperium in ornanda virgine filia exequi, punitur diuinitus. D. 3. C. 4. num. 27. p. 383.

Ornatus detrahendus vxori, ne vagetur. n. 33. p. 385.

Vxor minùs debet ſe ornare, quàm Leges permittant. Ibidem.

Magis ornatur honeſtate, quàm veſte. Ibidem.

Z

Zelus.

Vide *Feruor.*

FINIS.

Typographi menda ſic emendantor: cætera, ſi qua ſint, omnino leuiuſcula, Lectoris facili animaduerſione corriguntor.

Litera P. paginam, n. numerum in margine ſitum, V. eiuſdem paginæ, ac numeri verſum; C. paginæ columnam priorem, vel poſteriorem; M. marginem ipſam refert.

	Errata.	ita tolluntor.
P. 2. n. 3. C. 2. V. 34.	optimæ, notæ.	Optimæ notæ.
P. 3. in ſuperiore titulo	Patruum.	Patrum.
P. Ibid. C. 2. n 6. M.	peruertiq;	peruertitq;
P. 7. n. 5. V. 10.	augeq;	augetq;
P. 10. n. 12. C. 1. M.	Petre.	Petro.
P. Ibid. n. 14. V. 2.	accerrime	acerrimè.
P. 12. C 2. n. 23.	XVIII.	XXIII.
P. 13. n. 3. V. 2.	impendunt.	impendant.
P. 15. n. 11. C. 2. V. 39.	non eſt mortale.	non eſt peccatum mortale.
P. 16. n. 11. C. 1. V. 5.	virturem.	virtutem.
P. 19. C. 2. n. 12. M.	quam.	quando
P. 20. n. 14. V. 5.	dicit.	dici.
P. 24. n. 22. V. 20.	neceſſitam	neceſſitatem
P. 25. n. 23. C. 1. M.	furi &c.	furi &c. ſcalam
P. 27. n. 28. V. 6.	ſpirirtuali	ſpirituali
P. 29. n. 32. V. 12.	penit.	pœnit.
P. 33. n 42. V. 19.	ttact	tract.
P. 35. n. 44. n 19. M.	oogitatio.	cogitatio
P. 52. n. 83. V. 3.	caſſa	cauſſa.
P. 64. n. 111. M. C. 1.	omiitenda eſt, ne ab alio	omittenda eſt, ne ab alio
P. Ibidem.	omittenda.	omittatur.
P. 73. n. 130. M.	alicni	alieni.
P. 75. C. 2. M.	CXXVVI.	CXXXVI.
P. 84. n. 152. C. 1. M.	ccato	peccato
P. Ibidem.	raui	graui.
P. 85. n. 153. V. 4. C. 1.	ouis	quis.
P. Ibid. C. 2. V. 20.	geminus	genuinus.
P. Ibidem. V. 31.	malitiam.	militiam.
P. 95. n. 173. C. 1. M.	eu.	ſeu.
P. 103. n. 188. C. 2. V. 13.	eſtimanda.	æſtimanda.
P. 124. n. 9. C. 1. V. 7.	morrali	mortali.
P. 125. n. 11. C. 1. M.	cui	leui.
P. 125. n. 12. C. 2. V. 44.	incomodum	incommodum.
P. 127. n. 15. C. 2. M.	cradit	tradit.
P. 140. n. 35. C. 2. V. 1.	totidem, verbis	totidem verbis.
P. 143. n. 43. C. 2. V. 21.	Nouarrum	Nauarrum.
P. 162. n. 85. V. 24.	libidem.	libidinem
P. 166. n. 97. C. 1. M.	reprehenſu	reprehenſus
P. 167. n. 99. C. 2. V. 2.	quin.	quia.
P. 181. n. 228. C. 1. M.	querunt	queunt
P. 183. n. 135. C. 1. M.	addici	addicit.
P. 183. n. 152. C. 1. M.	ſexitioſa	exitioſa
P. 193. n. 160. C. 1. V. 34.	morrali	mortali
P. 198. n. 175. V. 39.	anctiuum	actiuum.

P. 223. n. 1. V. 23.	ſupra	& ſupra,
P. 226. n. 6. V. 26.	Vnde	delendum eſt.
P. 233. n. 3. C. 2. V. penult.	qhanis	quanuis.
P. 236. n. 7. C. 1. V. 27.	fluium.	fluuium.
P. Ibidem. C. 2. V. 43.	axtranei	extranei.
P. 239. n. 13. C. 2. M.	ornata	ornatu
P. 259. n. 33. C. 1. M.	nudita	nuditas
P. 269. n. 52. C. 1. V. 40.	obteſtamur	proteſtamur.
P. 270. n. 54. C. 1. V. 7.	permiſio.	permiſſio.
P. 272. n. 64. C. 2. V. 28.	introduci.	ſi-introduci.
P. 289. n. 28 M.	Caſtillionco.	a Caſtillionco.
P. 292. n. 45. M.	mo.	mes.
P. 297. n. 10. C. 2. V. 4.	tamen.	talem.
P. 308. n. 3. C. 1. V. 6.	præcandoq;	precandoq;
P. 315. n. 9. C. 1. M.	viiles.	vtiles.
P. 316. n. 12. C. 1. V. 15.	retrahunt.	retrahit.
P. 318. n. 22. C. 2. V. 34.	ſalutine.	ſalutiue.
P. 324. n. 13. C. 2. V. 30.	ſuperadita.	ſuperaddita.
P. 368. n. 102. M.	feminia.	a femina.
P. 378. n. 12. C. 1. V. 11.	pimà.	prima.
P. 384. n. 28. V. 32.	defluxerat.	defluxerit.

MEDIOLANI,

Ex Typographia Ludouici Montiæ ad Plateam Mercatorum.

M DC XXXXX.

DE CONSENSU SUPERIORUM.